This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

B 1,176,624

Digitized by Google



Digitized by Google

805
M696

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN Jr., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. Francken, J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, E. Mehler, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz, M. C. Valeton, J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINTUM DECIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1887.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Quaestiones Graecae, I. De suffragio senum milium Atheniensi, scripsit I. M. J. VALETON.	1— 47.
Ad Platonis Theaetetum p. 151 d., scripsit J. v. L. JR.	47.
Notulae criticae ad Pausaniam, scripsit H. VAN HERWERDEN.	48— 73.
Addendum, scripsit H. v. H.	74.
Homerica, scripsit J. VAN LEEUWEN JR. (*Continuantur ex Vol.* XIV *pag.* 365)	75—119.
Ad Aristophanis Nubium vs. 1065, scripsit J. v. L. JR. .	119—120.
Serviana, scripsit J. VAN DER VLIET.	121—123.
I. N. Madvigius, scripsit C. M. FRANCKEN.	124—128.
Quaestiones Graecae, II. De Ostracismo, scripsit I. M. J. VALETON. (*Continuantur ex huius Vol. pag.* 47) . .	129—171.
Platonica, scripsit H. v. HERWERDEN	172—186.
Ad Lucianum, scripsit K. G. P. SCHWARTZ. (*Continuantur ex Vol.* XIV *pag.* 233).	187—210.
Ad Aristophanis Pacis vs. 1159, scripsit J. v. L. JR. . .	210.
De Tibulli Elegiarum structura, scripsit H. T. KARSTEN.	211—236.
Ad Aeneidos VI. 579 sq., scripsit P. HOEKSTRA. . . .	237—238.
Addendum ad Catull. VI. 10, scripsit J. P. POSTGATE. .	238.
Ad Aristophanis Pacis vs. 48, scripsit J. VAN LEEUWEN JR.	239—240.
Minutiae Epigraphicae, scripsit H. J. POLAK	241—282
Ad Frontinum, scripsit J. VAN DER VLIET.	282.
Ad A. Gellii Noctes atticas, scripsit I. C. G. BOOT. . .	283—289.

236186

Digitized by Google

Pag.

E. H. Eldikii Epistola critica de Anthologia latina, scripsit I. C. G. Boot . . . . . 290—296.

Οὐδός, Ὀρσοθύρη, Ῥῶγες, scripsit A. E. J. Holwerda. . . 297—304.

De Tibulli Elegiarum structura, scripsit H. T. Karsten. *Pars altera* . . . . . 305—325.

Ad Horatium, scripsit P. J. Scrinerius . . . . . 325.

Euripidea, scripsit K. Kuiper . . . . . 326—332.

Epigraphica, scripsit H. v. H.. . . . . 332.

Liviana, scripsit J. van der Vliet . . . . . 333—336.

Ad Aristophanem, scripsit J. v. L. Jr. . . . . 336.

Quaestiones Graecae, II. De Ostracismo, scripsit I. M. J. Valeton (*Continuantur ex huius Vol. pag.* 171) . . 337—355.

Ad Thucydidem, scripsit J. v. L. Jr. . . . . 356.

Quaestiones Graecae, II. De Ostracismo, scripsit I. M. J. Valeton (*Continuantur ex huius Vol. pag.* 355) . . 357—426.

Spicilegium Strabonianum, scripsit H. van Herwerden . 427—459.

Ad Aristophanis Equitum vs. 742, scripsit J. v. L. Jr. . 459—460.

Digitized by Google

L. S.

In fronte novi voluminis frustra quaerent lectores clarum COBETI nomen, et cum non invenerint, mirabuntur primum, deinde dolebunt nobiscum et aegre desiderabunt. Neque deesset quod per longam annorum seriem Mnemosynes summum decus et ornamentum fuit, nisi Vir Praeclarus disertis verbis significasset, aliquantisper iam se ab labore requiescere velle, ut videret essentne discipuli oneri ferendo, quod ipse alacri et erecto animo diu sustinuisset. Singuli cum id in se recipere gravarentur, tandem tres inventi sunt qui periculum facere vellent, possentne communi consilio et coniunctis viribus partim certe resarcire quod reparabile non esset. Itaque omnes, quibus bonae literae cordi sunt, rogamus ut opem ferant et enitantur, ne nostra opera nimis dissimilis evadat superioribus voluminibus, quae propter Cobeti curam praecipue laudata et legendo celebrata fuerunt.

Quoniam autem eodem tempore Vir Doctissimus VAN DER MEY abdicavit se molesto munere disputationes colligendi et corrigendi specimina, petimus ab iis qui suis scriptis Mnemosynen ornare voluerint, ut Lugdunum Batavorum mittant ad eum, cuius nomen infra secundo loco posuimus.

S. A. NABER.
J. VAN LEEUWEN JR.
I. M. J. VALETON.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

I.

DE SUFFRAGIO SENUM MILIUM ATHENIENSI.

Cum in plerisque suffragiis publicis hoc tenuerint Graeci, ut ratum esset quod maiore suffragantium parte iuberetur, nonnulla rogationum genera alia ratione tractari iusserunt leges Athenienses. His certus quidam numerus suffragiorum, et is quidem senum milium, constitutus erat, qui nisi expleretur, rogatio caderet necesse erat; de his rogationibus et de ritu huius suffragii nunc agam.

Rogationum genera de quibus in suffragium vocantur sena milia.

Rogationum genera sunt quatuor, quae huc pertinent vel pertinere dicuntur.

I. *Rogationes de civitatis datione.* Postquam senatus populusque Athenienses sciverunt, peregrinum aliquem civitate donandum esse, decretum ratum non est, antequam subiectum sit suffragiis senum milium [1]). — Huic confirmationi aliquando etiam alia insuper addita est, quae deinde sola sufficere incepit ad populi decretum ratum faciendum, examinatio in iudicio

1) (Demosth. 59) adv. Neaeram § 89.

Digitized by Google

non constat, quia novimus Demosthenis tempore eam impunitatem non nisi a senis milibus potuisse dari. Haec senum milium actio igitur ad quintum etiam saeculum pertinere videtur.

Civis autem, qui hac licentia legitima petendae impunitatis, ut rogationem vetitam ferre sibi liceret, uti volebat, non in quolibet populi concilio de ea re agere poterat, ut videtur. Recte enim alii [1]) huc traxisse mihi videntur locum Pollucis [2]), qui: ἡ δὲ δευτέρα, inquit, ἐκκλησία (τῆς πρυτανείας scilicet) ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις, ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων. Itaque lex publica huic civi copiam faciebat, ramum olivae lana involutum manibus tenenti et in ara deponenti, in secundo legitimo concilio ad populum libere loquendi de eis quae rogare animum induxerat, et ἄδειαν a civibus petendi, ita nempe ut populiscitum scriberet, quo prytanibus praescriberetur ut de eius impunitate sena milia in suffragium vocarent. Neque obici debet, ei qui impunitatem etiam petiturus esset, opus non fuisse hac caerimonia, hoc olivae ramo et gestu supplice, quippe qui non de ipsa re, sed de sua tantum impunitate acturus esset. Nam praecise in illis legibus vetitum erat, non solum de his rebus aliquid rogare, sed omnino eas verbo publice tangere; ὅλως ἀπεῖπε μήτ' αὐτῷ μήτ' ἄλλῳ μηδενὶ μήθ' ἱκετεύειν μήτε λέγειν ὑπὲρ τῶν τοιούτων [3]); νόμος οὐκ ἐῶν — λέγειν οὐδὲ χρηματίζειν περὶ ἀφέσεως κ. τ. λ. [4]); quod is qui de sua impunitate ageret, etiam simul faceret necesse erat. Senatori autem in senatu primum de sua impunitate verba facturo, eandem caerimoniam supplicandi necessariam fuisse consentaneum est, lex enim vetat χρηματίζειν, non solum ἐν τῷ δήμῳ [5]). — Iam operae pretium esse videtur quaerere, quid ei metuendum fuerit, qui sine illa caerimonia, impunitate nondum impetrata, rogationes illas vetitas publice oratione tractare et suadere ausus esset. Hypomosiam et γραφὴν παρανόμων

---

1) G. Gilbert Handbuch der Gr. Staatsalt. 1ster band (Leipzig 1831) p. 294.

2) 8. 96.

3) Dem. 24 § 52.

4) Dem. 24 § 46. Lex etiam pertinet ad eos qui populi concilio praefecti sunt; Andoc. Myst. § 77: ὥστε λέγειν ἐξεῖναι καὶ ἐπιψηφίζειν.

5) Cfr. Gramm. ap. Dem. 24 § 50: ἐὰν δέ τις ἱκετεύῃ ἐν τῇ βουλῇ ἢ ἐν τῷ δήμῳ .....

Digitized by Google

non suffecisse, manifestum esse mihi videtur. Et tres quidem ob causas. Primam, quod hac accusatione agi non potest antequam auctoritas (probouleuma) in senatu vel rogatio in populo scripta sit; liberum ita esset cuivis, de rebus vetitis verba facere modo populiscitum ne scriberet. Deinde, quod hyporhosiae et γραφῆς παρανόμων periculo nemo non obnoxius erat qui aliquid ad populum ferret. Quicunque populiscitum scribit, ei obnoxium se praebet; absurdum sane est eos tantum qui rogationes vetitas suasuri essent, contra hoc periculum olivae ramo se defendisse, et vix credibile est contra hoc periculum impunitatem illam esse comparatam. Tertiam, quod rogator vetitae rogationis, etiam postquam impunitatem nactus est, etiam dum rogationem suam perfert et postquam pertulit, semper obnoxius manet huic accusationi [1]). — Sane gravior aliquis terror eum manebat qui rogationem vetitam suadere auderet, quam illud γραφῆς παρανόμων telum. Notae sunt sanctiones nonnullorum populiscitorum et legum quae rogationem de aliqua re ne quis ferret interdixerunt, crudelissimae [2]). Poena saepe supplicium; actio acerrima ἔνδειξις dari solebat. — Grammaticus autem [3]) nos docet, si quis de remissione pecuniae publicae iudicatae ageret, ἐὰν μὲν αὐτὸς ὁ ὀφλὼν ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτῖσαι, ἔνδειξιν εἶναι αὐτοῦ — ἐὰν δ' ἄλλος ὑπὲρ τοῦ ὠφληκότος ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτῖσαι, δημοσία ἔστω αὐτοῦ ἡ οὐσία ἅπασα. Sic in aliis quoque legibus quae rogationem aliquam μὴ τῆς ἀδείας δοθείσης ferri vetuerunt, poenam capitalem, sive supplicium, sive ἀτιμίαν, sive bonorum publicationem impositam fuisse credibile est. — Sed fortasse contra me argumentum petiverit quispiam ex causa Timocratea et oratione Demosthenis. Demosthenes enim contendit, legem Timocrateam, quae ferretur „de praedibus populo dandis",

1) Exemplum praebet (Demosth. 26) adv. Aristog. 2. § 11: τούτου τοῦ ψηφίσματος (εἶναι τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους) γραφὴν παρανόμων ἀπενέγκας, ἠγωνίζετο ἐν τῷ δικαστηρίῳ (Ὑπερείδης). — Comparari potest γραφὴ παρανόμων instituta contra dationem civitatis quam confirmaverunt suffragia senum milium, (Dem. 59) adv. Neaer. § 90 sq.

2) Cfr. Plut. Solon c. 8: ᾗ θανάτῳ ζημιοῦσθαι. — Xen. Hellen. 2. 2. 15 fin. (cllto Aesch. 2. § 76 fin). — Argum. Liban. ad Dem. Olynth. p. 8: νόμον — — θάνατον ἀπειλοῦντα. — Dem. 20 § 156: ἄτιμος ἔστω καὶ ἡ οὐσία δημοσία ἔστω. — Et sunt alia huiusmodi.

3) Gramm. ap. Dem. 24 § 50, p. 716.

Digitized by Google

repugnavisse illi legi quae esset de remissione pecuniae publicae et de restitutione τῶν ἀτίμων, nam legem Timocrateam etiam cadere in eos qui tum temporis populo deberent, quibus hac lege differretur dies qua solvendum esset [1]). Hanc ob causam Timocrati antequam rogaret, impunitatem ex illa lege petendam fuisse contendit [2]), eumque, cum id non fecisset, de re vetita rogavisse. Atqui nemo bona Timocratis publicavit; Diodorus et Euctemon legem tantum eius, postquam eam ratam fecerunt nomothetae, aggressi sunt per γραφὴν παρανόμων. Demosthenes etiam, eorum causam agens, ostendit Timocratem de re vetita rogavisse, sed ne is quidem verbo arguit, bona Timocratis fuisse publicanda. Itaque concludendum esse videri possit, eum qui rogationem vetitam nulla impunitate impetrata tulerit, nulli actioni obnoxium fuisse nisi γραφῇ παρανόμων. — Sed si quis ita arguat, eum species fallit; sive quod potius dicam, eum decipiunt argumenta Demosthenis parum firma. Demosthenes enim (quamquam oratori vix crimini hoc verti potest) nimium probandum suscepit, cum argueret Timocratem migravisse illam legem, non minus quam cum argueret, legem Timocrateam esse privilegium. Nam qui rogatione sua ita universum mutet ius publicum, ut forte ex ea mutatione consequatur, ut debitores nonnulli publici non nominatim designati ad meliorem condicionem perveniant (quod fecit Timocrates), minime migrare dici potest legem quae vetet debitoribus publicis irrogari aliquod beneficium. Non licuit quidem decreto speciali aerarii debitores nominatim iure et legibus solvere, sed licuit lege generali ita ius et leges mutare ut omnium populi debitorum condicio simul melior fieret. Itaque illud argumentum quod contra me proferri possit, invertere oportet, et ita arguere, Demosthenem ipsum, cum in medio substiterit, neque contendere ausus sit bona Timocratis fuisse publicanda (qua de re sane iudicibus non facile persuadere potuisset), ipsum invitum confessum esse, debilem esse argumentationem qua uteretur, et ea se contra Timocratem movere, quae nequaquam ad eum pertinerent. —

1) Dem. 24 § 116.
2) Dem. 24 § 46—54.

Digitized by Google

III. *Rogationes de privilegiis, νόμοις ἐπ' ἀνδρί.* — Duo grammatici auctores sunt, privilegia ad nomothetas ferre non licuisse, nisi res subiecta esset suffragiis senum milium [1]). — Verum cum Demosthenes, tum alius orator, tum Andocides, nullam noverunt huiusmodi exceptionem in lege quae privilegiis interdiceret factam [2]). —

IV. *Rogationes de ostracismo, sive ostracophoriae.* — —

Haec quatuor rogationum genera ad unum redigere posse sibi visus est vir clarissimus Boekh. Legem quam tertio loco posui, de privilegiis rogandis, ita totius huius instituti fundamentum esse credit, ut ea rem generalem complectatur, et reliquae ex ea derivatae diversas contineant species eiusdem rei nempe privilegiorum species [3]). Hanc sententiam suam plerisque viris doctis probavit [4]). Sunt etiam qui ita eam amplexi sint

1) Gramm. ap. Andoc. de Myst. § 87 (lex inserta): *μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.* — Gramm. ap. Dem. 24 § 59, p. 719: *μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ, ἐὰν μὴ ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.* — Cfr. de Gramm. verbis ita restituendis Schoemann de Comitiis Athen. (Gryphisw. 1819), p. 273 adn.

2) Dem. 23 § 86, § 218; 24 § 18, § 59, § 188; (Demosth. 46) adv. Steph. 2 § 13; Andoc. de Myster. § 89.

3) Boekh, die Staatsh. der Ath. ed. 2. 1. p. 324: „die Stimmenzahl von 6000 — welche zu Beschlüssen die einen Einzelnen betrafen (privilegiis oder *νόμοις ἐπ' ἀνδρί*), namentlich über die sogenannte Sicherheit (*ἄδεια*), Einbürgerung und Ostracismus gesetzlich erfordert wurde, aber nur zu diesen, nicht zu jedem Volksbeschluss . . . ." p. 326: „alle diese Fälle sind nur abgeleitet aus dem allgemeinen Gesetz über Privilegien, welches in zwei Redactionen, einer Vor-Euclidischen und einer andern welche unter Euclid gemacht sein wird, übereinstimmend dahin lautet, Privilegien könnten nur gemacht werden wenn 6000 (oder mindestens 6000) verborgen und zustimmend abstimmten".

4) Grote, History of Greece 4, p. 83 (ed. 1869 London): „Clisthenes incorporated in the constitution itself the principle of privilegium (to employ the Roman phrase, which signifies not a peculiar favour granted to any one, but a peculiar inconvenience imposed), yet only under circumstances solemn and well defined, with full notice and discussion beforehand, and by the positive secret vote of a large proportion of the citizens. „No law shall be made against any single citizen, without the same being made against all Athenian citizens, unless it shall so seem good to 6000 citizens voting secretly." Such was that general principle of the constitution, under which the ostracism was a particular case." — K. Lugebil, über das Wesen und die Histor. Bedeutung des Ostrakismos in Athen (Jahrb. f. Class. Phil. 4ter Suppl.) p. 142. — Max Fränkel die Att. Geschworenengerichte (Berlin 1877) p. 14. — G. Gilbert Handbuch 1. p. 293 sq., p. 319.

Digitized by Google

recentiores vv. dd., ut rationem huius senum milium suffragii brevius etiam dicere sibi licere putent: *rationem quae privilegiis rogandis constituta erat.* Quod quam nullo iure fiat, facile opinor apparebit. — Primum enim, rogationum genus quod primo loco posui (dationes civitatis), nullo modo sub illam legem de privilegiis cadere potest; nam non solum civitas non dari solet lege, sed etiam civitatis datio quamvis sit donum populi, non tangitur illa lege de qua agimus quippe quae diserte addat ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις et omnia excipiat quae de peregrinis rogentur. Grote et Duncker recte ab hoc errore caverunt, civitatis dationem e privilegiis eximentes [1]). — Deinde permiscentur illa sententia duo diversa rerum genera, νόμοι scilicet et ψηφίσματα. Civitas, ἄδεια, relegatio, nunquam per *legem* cuiquam decreta sunt (lex enim nulla est nisi quae a nomothetis facta sit), sed per populiscitum. Atqui lex quae est de νόμοις ἐπ' ἀνδρὶ, populiscita omnino non tangit [2]).

Nos igitur distinguemus inter νόμους ἐπ' ἀνδρὶ (quas *leges privas* nunc dicam, hac voce enim melius ostendere mihi videor, de iussis a nomothetis factis sermonem esse), et ψηφίσματα ἐπ' ἀνδρὶ (quae *populiscita priva* dicturus sum); de utrisque singillatim quaeremus.

Utraque autem privilegia sunt, et praemittamus necesse est definitionem huius vocis. Privilegia igitur sunt *iussa publica, de singulis* (vel binis vel pluribus) *civibus nominatim* (i. e. ita ut persona tantum, non condicio aliqua vel status iuris significetur) *concepta* [3]). Eadem etiam in meliore et puriore sermone latino huius vocis est significatio [4]).

1) Grote l.l. — Max Duncker, Gesch. des Alterth. 6ter band (ed. 3 et 4 Leipzig 1882) p. 608.

2) Eum qui dubitet, relegavisse sufficiat ad Dem. 23 § 218 (cfr. § 86), ubi νόμοι ἐπ' ἀνδρί recte distinguuntur a ψηφίσμασιν ἐπ' ἀνδρί.

3) Recte hoc definivit Boekh (vid. supr. p. 7 adn. 3: Beschlüsse die einen Einzelnen betrafen). — Virum d. Grote vero (supr. p. 7 adn. 4) perperam definire privilegium (not a peculiar favour — but a peculiar inconvenience imposed), si etiam id me probare quispiam postulaverit ex auctore graeco, morem geram et ita facile evincam: Aristocrates qui in senatu scripserat auctoritatem pro Charidemo cive Atheniensi, quod insigne *beneficium* in eum conferebat, a Demosthene (23 § 218) dicitur scripsisse ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί. — Praeterea haec distinctio inter iussa salutaria (quae essent non ἐπ' ἀνδρί) et nocentia (ἐπ' ἀνδρί), nihil est; fieri potest ut idem iussum alii salutare, alii nocens videatur; vel ut idem iussum mihi hodie sit salutare, cras vero nocens.

4) Cic. de legg. 3. 19. 44: „in privatos (Scaliger: „privos", quod fortasse verum)

Digitized by Google

Populiscita priva libera fuerunt, et etiam sine auctoritate senum milium rata.

Sine privilegiis, res publica nullo modo administrari potest, non magis quam sine legibus. Fieri potest ut leges ferantur bonae, potest ut malae; neque tamen eam ob causam quisquam ut leges omnes tollantur optet. Sic etiam alia privilegia aequa alia iniqua ferri possunt; sed privilegiis supersederi non potest; lex quae privilegia vetet, administrationem rerum publicarum funditus evertat necesse est. Ius publicum Atheniense autem voluit, privilegia si quae necessaria et utilia essent, non a nomothetis scisci sed a populi concilio. Quod ut probem, exemplorum copia ingens praesto est, quibus ostenditur, populiscita priva non fuisse vetita [1]).

---

homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium, — cum legis haec vis sit, ut sit scitum et iussum in omnes (Madvig: „ut unum sit ius in omnes"). Ferri de singulis —— noluerunt". — Cic. pro dom. 17. 43: „— leges privatis hominibus irrogari; id est enim privilegium". — Gell. 10. 20 § 4: „non sunt enim generalia iussa neque de universis civibus, sed de singulis concepta; quo circa „privilegia" potius vocari debent, quia veteres „priva" dixerunt, quae nos „singula" dicimus"; et § 10: „Sallustius — privilegium quod de Cn. Pompei reditu ferebatur, legem appellavit". — De voce „privi" = „singuli" cfr. etiam Festus p. 226, et p. 205, Non. p. 35. 19, p. 159. 24.

Puriori sermoni latino nihil est privilegium nisi quod *nominatim* irrogatum est. Ius singulare si non est nominatim irrogatum, non inhaeret *personae* sed condicioni alicui vel statui, et omnibus civibus igitur aequaliter impositum est quatenus ad eam condicionem pervenire possunt. — Recentioribus vero auctoribus (cfr. Plin. epist. Trai. 10. 109) et iurisperitis qui sub imperatoribus fuerunt, privilegium significat ius aliquod singulare, quoquomodo constitutum, quod certis quibusdam condicionibus inhaeret (cfr. Dig. 42. 6. 22 et passim), vel etiam prorsus idem est quod „ius" (cfr. Cod. 7 tit. 73 sq., Cod. 11 tit. 14 et passim). Hunc deteriorem usum huius vocis in sequentibus nostro iure neglegemus. — Ceterum de privilegiorum ratione mox alio loco acturus sum.

1) De multis pauca afferam. — Primam speciem praebent donationes a populo civibus oblatae; sic de Lysimachi donatione privilegium rogavit Alcibiades, et populiscitum quidem tulit, Dem. 20 § 115: *καὶ τούτων ψήφισμά ἐστιν Ἀλκιβιάδου, ἐν ᾧ ταῦτα γέγραπται*, Plut. Arist. c. 27: *ἔδωκεν ὁ δῆμος — Ἀλκιβιάδου τὸ ψήφισμα γράψαντος*. Huc pertinent etiam immunitates civibus datae per populiscita (exemplum est populiscitum Glyconis pro Menone scriptum, Plut. Per. c. 31 fin.) et multi alii honores, quos nunc omitto quia totam hanc materiam nimis neglectam et singulari quaestione dignam in transitu complecti non possum. — Secunda species continet populiscita quibus impunitas (indicandi) civi irrogatur secundum legem, Andoc. de Reditu § 23 sq. — Tertia species est populiscitorum privorum quae iudicii formam singularem civibus reis irrogant, rogatio Callixeni ad eam pertinet (Xen. Hell. 1. 7. 9). — Quarta species continet populiscita quae cives legibus solverunt;

Digitized by Google

Verum certos terminos lex Atheniensis posuit potestati concilii; et his terminis etiam fines ponuntur populiscitis privis. Multa genera populiscitorum privorum ferre non licuit, scilicet quatenus lex aliqua diserte locuta de eadem re obstaret; nam populiscito non licet derogari legi, *μηδὲν ψήφισμα νόμου κυριώτερον*. Haec sola fuit regula iuris publici, quae valde minuit libertatem populi. Secundum eam enim *legibus solvere* civem populo non licuit. Prorsus nihil interest, fueritne haec regula unquam in legis formam redacta, an numquam forte, an recentioribus demum temporibus. Scita populi semper inferiora (iure) fuerunt scitis nomothetarum. Sic certum est, cives debere obedire legibus, etiam antequam lex aliqua diserte iubeat: „cives legibus teneri". Sic Romae numquam lege declaratum est, senatusconsulta esse (iure) inferiora scitis populi, sed nemo unquam de huius rei iure dubitavit. Andocides tradit, aliquando rogatam esse hanc legem: *μηδὲν ψήφισμα μήτε δήμου μήτε βουλῆς νόμου κυριώτερον εἶναι*, et ad eandem legem provocat Demosthenes [1]). Fieri potest ut haec lex Euclide archonte tempore non superior fuerit, sed hoc nihil interest. Regula etiam antea valuit, quod lex iuberet, non posse mutari populiscito sed lege tantum; Demosthenes hoc saepe tetigit tanquam per se manifestum [2]), et *γραφὴ παρανόμων* (quatenus contra populisciti rogatorem instituitur) nititur hac regula; legibus igitur solvere non potuit populus. — Quamquam haec regula (sive lex) *iure* quidem

ad eam pertinent immunitates civibus datae quas iam modo memoravi, et tria praeterea exempla insignia afferam; primum, psephisma Themistoclis de reditu Aristidis, quod ob insignem Aristidis gratiam Areopagitae ut ferretur permisisse videntur, Plut. Them. 11, Arist. 8; — secundum, rogationem pro Pericle (non vero pro filio eius) latam, qua ei permisit populus filium suum spurium tanquam legitimum in phratriam introducere, Plut. Per. c. 37, cfr. Buermann Jahrb. f. cl. Phil. 9ter suppl. p. 622; — tertium, populiscitum quo Cimonem ostracismo relegatum ante tempus legitimum in patriam revocavit, Plut. Per. c. 10: *τὸ ψήφισμα γράψας αὐτὸς ἐκάλει τὸν ἄνδρα*; Cim. c. 17: *καὶ κατῆλθε τὸ ψήφισμα γράψαντος αὐτῷ Περικλέους*. Quod coniecit Müller Strübing (Aristoph. u. die Histor. Critik. Leipzig 1873 p. 313 sq) in lege quae erat de ostracismo, etiam hoc praescriptum fuisse, ut ne quis ante legitimum tempus revocaretur, nisi sena milia suffragiis suis veniam dedissent, id nulla auctoritate nititur neque accipiendum est, cfr. adn. 3 prox. pag. — Ceterum de ingenti copia populiscitorum privorum plura etiam delibare, iam videtur esse supervacaneum.

1) Andoc. Myst. § 89, Dem. 23 § 87; 24 § 30.

2) Cfr. ex. gr. Dem. 20 § 90 et 92; 22 § 6 et 48; 23 § 86 et apud omnes passim.

Digitized by Google

firmissima, *facto* aliquanto debilior fuit; quia nulla alia sanctione confirmata fuit quam periculo γραφῆς παρανόμων; et facile intellegi potest, nonnumquam rogatorem populisciti huiusmodi civibus grati, cum gratia fretus audacter periclitatus esset, hoc periculum tute evitavisse [1]). Culpa ita fuit apud senatum, qui officio suo παρανομίας detegendae non satis accurate perfunctus esset [2]). — Ita factum est, ut inter exempla populiscitorum privorum quae modo attuli (p. 9. adn. 1) sint etiam quibus legibus soluti sint cives. Ea rata quidem fuerunt, sed quia nemo παρανομίαν persecutus est; natura sua vero legitima non fuerunt [3]). — Difficile quidem nobis est, accurate terminos ostendere quibus haec regula circumscripserit libertatem populiscitorum, eo magis, quod ipsi Athenienses id facere non potuerunt. Quod maxime apparet in datione immunitatis. Erant leges generales, de muneribus civium, περὶ εἰσφορῶν καὶ τριηραρχιῶν et de aliis muneribus. Hae nullum civem excipiebant, quod etiam facere non poterant, ita enim leges privae fuissent [4]) quae erant vetitae. Sed populiscitum antiquissimum immunitatem dederat progeniei tyrannicidarum, declaraverat τοὺς ἀφ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἀτελεῖς εἶναι πλὴν τῶν ἱερῶν [5]). De iure huius populisciti fortasse nemo unquam Athenis dubitavit. Nihilominus constantia iuris nos cogit statuere, hoc populiscitum fuisse non legitimum et vitiosum, quod cives aliquot solveret legibus quae erant de civium muneribus. Idem cadit in omnes immunitates a populo datas. Verissime aliquando Leptines arguit, maioribus has donationes (si exciperes honores tyrannicidis

1) Cfr. Aesch. Ctes. § 3, § 11.

2) Photius p. 450: Becker Anecd. 1. p. 289; Gramm. ap. Dem. p. 591.

3) Müller-Strübing si hoc consideravisset, populiscitum esse potuisse non legitimum et tamen ratum, quia nemo esset qui παρανομίαν persequeretur, coniecturam suam (vid. p. 9 adn. 1) omni ratione carere intellexisset. Lex de ostracismo iussit, in decem annos relegari civem suffragiis notatum. Iam hoc satis erat; ex ea lege enim non *licebat* quemquam ante decem annos revocare: ex ea lege, qui ante decem annos revocare relegatum conaretur, γραφῇ παρανόμων obnoxius erat. Lex perfecta erat: poenae taxatio constituta, actio data contra legirupam. Lex non firmior sed debilior facta esset, si in ea fuisset adscriptum: hanc legem si quis forte migrare voluerit, licebit, sed nonnisi ex auctoritate senum milium.

4) Dem. 20 § 18 et 26—28.

5) Dem. 20 § 127; Isaeus 5 § 47.

Digitized by Google

decretos) ignotas fuisse [1]), et Demosthenes id agnoscere cogitur [2]); nempe iuri legitimo repugnabant, et qui rogabat, παρανομίας crimini iure obnoxius erat. Sed crebrae paullatim factae erant, et moribus concessum erat tempore Demosthenis, in hac parte cives legibus solvi posse per populiscitum. Huius morbi principium fuit decretum de honoribus tyrannicidarum olim vitiose factum, quod malum tamen quin severe et constanter exciderent et abolerent Athenienses, abrogando hoc privilegio, impediebat fama tyrannicidii, longi temporis ratio, pietas denique civium; cives plus tribuebant amori suo libertatis et grato animo, quam stricto iuri, quod tamen nunquam sine damno neglegi etiam in hac re apparuit. —

Demosthenes quidem alicubi affirmat, populiscita priva omnino facere non licuisse [3]). Verum non solum exemplorum allatorum multitudine, sed etiam suis ipsius verbis facillime refutatur. Nam non diserte provocat ad legem vetantem, sed oblique id efficere posse sibi videtur ex alia lege hac: τὰ ψηφίσματα δεῖν κατὰ τοὺς νόμους γράφειν. Quasi vero omnia quae de legibus ferendis constituisset lex, etiam per se valerent de populiscitis. In oratore eiusmodi fallacia tolerari potest; sed seria contemplatione hoc argumentum non est dignum; nisi ut ex eo ostendas, nullam legem fuisse de populiscitis privis.

Sed dubitari etiam potest, utrum nulla de populiscitis privis fuerit lex, an fuerit lex quae vetaret quidem populiscita priva, sed cum illa exceptione, si placuisset senis milibus. Exempla enim quae supra attuli, hanc dubitationem non satis solvunt; nam si ex eis arguam, populiscita priva libera fuisse, in promptu est respondere, auctores haec exempla tradentes silentio praetermisisse auctoritatem senum milium, de qua mentionem facere in re notissima supervacaneum iis visum esse possit. Itaque ex novis aliquot exemplis certissime demonstrabo, nulla auctoritate suffragii senum milium opus fuisse ad populiscita

1) Dem. 20 § 112.

2) Dem. 20 § 114, 116.

3) Dem. 23 § 86: ὁπότε τοίνυν τὰ ψηφίσματα δεῖν κατὰ τοὺς νόμους ὁμολογεῖται γράφειν, ὁ γράφων ἰδίᾳ τι Χαριδήμῳ τοιοῦτον, ὃ μὴ πᾶσι καὶ ὑμῖν ἔσται, σαφῶς καὶ παρὰ τοῦτον ἂν εἰρηκὼς εἴη τὸν νόμον. Οὐ γὰρ δήπου ἃ μηδὲ νομοθετεῖν ἔξεστι, ταῦτα ἐν ψηφίσματι γράψας τις ἔννομ' ἂν εἰρηκὼς εἴη. Cfr. ibid. § 218.

Digitized by Google

priva rata facienda, neque ullam legem de eis extitisse.

a. Rogationem Callixeni, quae fuit populiscitum privum, acceptam et ratam fuisse Xenophon dilucide tradit sine ullo senum milium suffragio [1]).

b. Notus est titulus [2]) populiscitum continens quo Peisitheidi Delio, postquam civitas delata est, etiam privilegia quaedam irrogantur. In hoc titulo autem, in priore parte populisciti, ubi de civitatis datione agitur, memoratur suffragium senum milium quod ex lege necessarium est ad confirmandam dationem, lin. 22—25; sed in posteriore tituli parte, ubi de privilegiis sermo est, nulla huius suffragii mentio invenitur, lin. 40. — Privilegium hoc igitur sine senum milium auctoritate ratum fuisse apparet.

c. In populiscito deinde quod continet titulus alius [3]), quod de Thrasybuli honoribus factum est, postquam ei civitas iam antea delata confirmata est [4]), privilegium irrogatur hoc: *εἶναι Θρασυβούλῳ καὶ ἐκγόνοις αὐτοῦ ἀτέλειαν παρὰ Ἀθηναίων κ. τ. λ.*; etiam in hoc titulo senum milium auctoritatis nullum vestigium invenitur. Et sunt alia huiusmodi haud pauca numero.

d. Praeterea, quod haud minus valet, in Aristocratea Demosthenis, quae tota oratio versatur in dissuadenda et explodenda rogatione pro Charidemo lata, quam *ἐπ' ἀνδρὶ ψήφισμα ἴδιον* vocat orator [5]), hoc sane omitti non potuisset si ipsa lex legitimam et singularem viam Aristocrati aperuisset ad huiusmodi privilegium rite perferendum. Manifestum est, Demosthenem non potuisse legem recitare qua praescriptum fuisset Aristocrati ut privilegium suum senum milium suffragiis subiceret, et qua igitur Aristocratis *παρανομία* manifesta facta esset; itaque refugit ad debile illud argumentum quod modo tetigi, quo efficiat populiscita priva omnino scribere non licere, quia non liceat leges privas scribere (§ 86 et 218).

---

1) Xen. Hell. 1. 7. 9 sqq.

2) C. I. A. II. 115b, p. 408—410. Koehler hunc titulum pertinere statuit ad tempora quae medium saeculum quartum proxime subsecuta sunt, fere a. 350—340 a. C. n.

3) C. I. A. I. 59.

4) Kirchhoff Monatsber. Berl. Akad. 1861 p. 601 sqq.

5) Dem. 23 § 218.

Digitized by Google

e. Denique idem hoc, nullam legem de populiscitis privis extitisse, assequimur, cum consideramus leges quae sunt *περὶ ἀτίμων* et *περὶ ἀφέσεως καὶ τάξεως τῶν ὀφλημάτων*. Remissio pecuniae publicae debitae, et restitutio in integrum, sunt sane quod nemo dubitabit privilegia. Iam mirum esset, si generalis lex extaret, his non suffecisse legem generalem, sed specialem etiam legem eis moderatam esse [1]). Sed quod omnem dubitationem tollit, apparet remissionem et restitutionem dari potuisse (postquam scilicet rogator *sibi* impunitatem paravit, quod nihil ad ipsius rogationis ius pertinet) per simplex populiscitum, cui nulla opus erat confirmatione suffragii senum milium, cuius rei sunt aliquot exempla [2]). Est hoc etiam certissimum documentum libertatis populiscitorum. —

Impunitas rogandi igitur, quae est privilegium, si nonnumquam dari non potuit (ut constat) nisi per suffragia senum milium, id non eam ob causam lex iussit, quia omnia privilegia huic auctoritati subiecta fuerint, neque lex specialis est derivata ex lege generali, sed haec privilegii species singulari ratione ordinata est, quae cum reliquis nihil commune habet. — Relegationis per ostracismum, quae etiam est populiscitum privum, eadem est ratio; nam ea quoque decernitur suffragiis senum milium. Duo igitur haec privilegia dari non potuerunt per simplex populiscitum; reliqua vero omnia privilegia cuiusvis

---

1) Dem. 24. 46: *νόμος οὐκ ἐᾶν περὶ τῶν ἀτίμων — χρηματίζειν περὶ ἀφέσεως.*

2) Primum exemplum est notissimum populiscitum Patroclidis, Andoc. Myst. § 77 sqq.; constat id nunquam subiectum fuisse suffragiis senum milium. Simile populiscitum rogavit Hyperides post pugnam ad Chaeroneam factam (Dem. 26) adv. Aristog. 2 § 11. — Iterum moneo, nihil pertinere ad ius illius populisciti, Patroclidem et sane etiam Hyperidem antea impunitatem sibi paravisse ex lege. Si non paravissent, non potuissent rogare; sed rogatio semel lata a populo accepta est per cheirotoniam, neque in suffragium vocata sunt sena milia. Quodsi factum esset, nunc legeretur in Patroclidis populiscito decretum quo prytanibus praescriberetur ut sena milia vocarent, sed non legitur. Addo quae hac de re scripsit Hartel (Demosth. Studien II. Wien 1878 p. 9 adn.), quia, quod raro contingit, res ab eo recte distinctae sunt. „Meine Auffassung — weicht — von Fränkels Darstellung ab, welcher die Vollversammlung von 6000 Athenern endgültig über das Privileg entscheiden lässt. Mit der Ertheilung der *ἄδεια* gestattet das Souveräne Volk, repräsentirt durch die mindestens 6000 Stimmen, dass für den bestimmten Fall ein *ψήφισμα* gegen den bestehenden *νόμος* decretirt (immo *rogirt*!) werden dürfe; über den Inhalt dieses *ψήφισμα* decretirt es hier nicht, sondern die gewöhnliche Ecclesie. Anders liegt der Fall bei der Ertheilung des Bürgerrechtes".

Digitized by Google

modi, quatenus leges non obstabant, unicuique rogare liberum fuit in populi concilio, excepto solo privilegio de remissione pecuniae publicae et restauratione τῶν ἀτίμων, quod eis tantum in populi concilio alicui irrogare licebat, qui ipsi antea ἀδείας privilegium sibi paravissent.

Leges privae ne rogarentur, lege vetitum fuit, neque ullus in νομοθεσίᾳ fuit locus suffragio senum milium.

Superest ut videamus de legibus privis; de quibus satis constat legem extitisse, sed quaeritur, fueritne lex talis qualem exhibeant auctores gravissimi Andocides Apollodorus Demosthenes, ut omnino privis legibus interdixerit, an habuerit exceptionem ad senum milium auctoritatem provocantem, ut tradunt duo grammatici [1]).

Primum quaerimus, pervenerintne ad nostram cognitionem leges privae, quas aut a nomothetis acceptas aut ad eos latas esse sciamus? Quod quaerenti mihi haec exempla considerandа esse videntur:

a. Populiscitum de honoribus Peisitheidis Delii factum [2]) putari possit legis privae lationem iubere. Hoc populiscitum, postquam civitatem Atheniensem ei conferendam esse iussit, haec praeterea ei irrogat privilegia (lin. 30—51, cum supplem. viri d. Köhler):

εἰὰν δέ τις ἀποκτείνει Πεισιθείδην, πολέμιος ἔστω τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, καὶ ἡ πόλις ἡ ὑποδεξαμένη τὸν ἀποκτείναντα. Ὅπως ἂν δὲ μὴ ἀπορῆταί τινος ὁ Πεισιθείδης, ἕως ἂν κατέλθῃ εἰς Δῆλον, τὸν ταμίαν τοῦ δήμου τὸν ἀεὶ ταμιεύοντα διδόναι Πεισιθείδῃ δραχμὴν τῆς ἡμέρας ἐκ τῶν κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένων τῷ δήμῳ· ἐν δὲ τοῖς νομοθέταις τοὺς προέδρους οἳ ἂν προεδρεύωσιν καὶ τὸν ἐπιστάτην προσνομοθετῆσαι τὸ ἀργύριον τοῦτο μερίζειν τοὺς ἀποδέκτας τῷ ταμίᾳ τοῦ δήμου κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἕκαστον, ὁ δὲ ταμίας ἀποδότω Πεισιθείδει κατὰ τὴν πρυτανείαν ἑκάστην· εἰὰν δὲ μὴ ἐπιψηφίσωσιν οἱ πρόεδροι καὶ ὁ ἐπιστάτης τῶν νομοθετῶν, ὀφειλέτω ἕκαστος αὐτῶν X δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ.

Peisitheides igitur donatione publica honoratur; et in infinitum tempus (donec Delum revertatur) quaque prytanea certa

1) Vid. supr. p. 7 adn. 1 et 2.
2) Vid. supr. p. 18. adn. 2.

Digitized by Google

pecunia ei solvetur. — Haec pecunia proveniet ex: *τοῖς κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένοις* vel *μεριζομένοις τῷ δήμῳ*, quae est pars aerarii publici saepe in inscriptionibus memorata, etiam: *τὰ εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα* dicta, quam nos dicemus *fiscum populi*; huic praeerat *ταμίας τοῦ δήμου*, sicuti *ταμίαι τῆς βουλῆς* praeerant simili fisco, *τοῖς κατὰ ψηφίσματα ἀναλισκομένοις τῇ βουλῇ*, i. e. *fisco senatus* [1]); hoc nomine lex publica concesserat et attribuerat cum populo tum senatui certam pecuniam, annuam, de qua libere decernere poterant suis scitis et quam libere poterant consumere, etiam condonare. Eas pecunias ex lege quotannis apodectae tradebant tamiis, illam scilicet (*τὰ τῷ δήμῳ μεριζόμενα εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα*) [2]) tamiae populi, hanc tamiis senatus. — Apodectae solutiones suas faciunt (*μερίζουσι ἃ χρὴ ἀναλίσκειν* Becker Anecd. 1. 198) partim secundum leges ad se pertinentes et suam functionem moderantes [3]), partim secundum populiscita quae secundum leges scribuntur [4]). Praeterea populus apodectis solutiones non legitimas vel legibus non nitentes imperare non potest; nisi forte populo placuit, pecuniam ex aerario apodectarum mutuam sumere quod ipsius fiscus (*τὰ εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα*) exhaustus sit [5]). — Nostro autem populiscito populus iubet tamiam suum, ex fisco suo pecuniam certam certis diebus Peisitheidi solvere. Sed cur in hoc populiscito apodectae memorantur? Cur additum est, tamiam populi

---

1) Cfr. Gilbert Handbuch 1. p. 238 adn. 2 sq., et p. 254 adn. 8. — Vid. etiam Hartel, Studien über Attisches Staatsrecht und Urkundenwesen, Wien 1878, p. 130—135.

2) Cfr. populisc. de filiis Leuconis Dittenberger Syllog. Inscr. Gr. p. 172, lin. 42.

3) Cfr. C. I. A. II. 38. lin. 18 sqq.: *μερίσαι δὲ τὸ ἀργύριον τὸ εἰρημένον τοὺς ἀποδέκτας ἐκ τῶν καταβαλλομένων χρημάτων ἐπειδὰν τὰ ἐκ τῶν νόμων μερίσωσι.* — Quid sit *τὸ ἀργύριον τὸ εἰρημένον* ignotum est, cum prior pars populisciti tempus non tulerit.

4) Eo pertinere videntur solutiones imperatae in C. I. A. II. 181; et in II. 38 cfr. adn. sup., quamquam quid sit pecuniae quod apodectae ibi iubeantur solvere, ignotum est cum interierit prior pars populisciti, de sententia senatus facta, in qua de ea sermo fuit; et in C. I. A. II. 809 (p. 237).

5) Cfr. populiscitum de filiorum Leuconis honoribus factum, Dittenberger Sylloge Inscr. Gr. p. 171—173: *τὸ δὲ ἀργύριον διδόναι τοῖς ἀθλοθέταις εἰς τοὺς στεφάνους τὸν τοῦ δήμου ταμίαν ἐκ τῶν εἰς τὰ κατὰ ψηφίσματα τῷ δήμῳ μεριζομένων· τὸ δὲ νῦν εἶναι παραδοῦναι τοὺς ἀποδέκτας τὸ εἰς τοὺς στεφάνους ἐκ τῶν στρατιωτικῶν χρημάτων.*

Digitized by Google

eam pecuniam accipere debere ab apodectis? Cur denique hanc rem ad nomothetas ferri iubet populus? — Causa simplicissima haec esse videtur: nimis magnam hanc expensam fuisse, quam ut tum temporis et in posterum eam ferre posset fiscus populi. Eam quidem mutuam sumere potuisset populus ex aerario apodectarum, et ita necessarium fuisset quidem, apodectis hanc pecuniam imperare populum, sed *lege* et nomothetarum scito opus non fuisset. Ita apodectas iussisset populus, παραδοῦναι eam pecuniam, non vero μερίζειν [1]). Sed etiam hoc noluit populus, quia tantum onus fisco suo in tot annos imponere non placebat. Itaque populo satius visum est, fiscum suum augere et ampliorem facere ex apodectarum aerario, et tanta quidem pecunia augere, et in tot annos, quantam pecuniam et in quot annos Peisitheides a populo accepturus sit. Simul igitur populus hanc pecuniam e suo fisco erogat eamque solvere iubet tamiam suum Peisitheidi, simul eandem pecuniam in suum fiscum inferre et tamiae suo insuper solvere iubet apodectas. Sed ut hoc fiat, populiscitum non sufficit. Nam certam pecuniam annuam lex fisco populi attribuit, neque eum terminum migrare possunt apodectae, ne ex auctoritate populi quidem. Necessarium est ut nova lege mutetur vel suppleatur lex antiquior quae praescribit quantam pecuniam quotannis apodectae solvere possint et debeant fisco populi. Lex igitur, quae apud nomothetas ex hoc populiscito feretur, hoc tantum continebit: τὸ ἀργύριον τοῦτο (nempe tantum quantum Peisitheidi decretum est) μερίζειν τοὺς ἀποδέκτας τῷ ταμίᾳ τοῦ δήμου κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἕκαστον. Si eam rogationem fortasse repudiaverint nomothetae, populo etiam deliberandum erit utrum promissum ab eo Peisitheidi factum fortasse revocandum sit propter inopiam fisci, an fisco eius etiam haec expensa suscipi possit. — Hoc plene confirmatur titulo nostro. Nam quod ad nomothetas ferri iubet populus, id ipsum est quod modo scripsi, nihil amplius. Insequentia verba enim (ὁ δὲ ταμίας ἀποδότω) non pendent a voce προσνομοθετῆσαι, non sunt legis futurae, sed populisciti praesentis; iam idem illud iussum quod tamiae suo iniungit populus, etiam legitur lineis 36—40, antequam de nomothetis et lege futura sermo factus

1) Vid. pag. 16 adn. 5.

Digitized by Google

est, et nunc repetitur ut etiam addatur, tamiam hanc pecuniam quam *per annos* accepturus sit ab apodectis (si lex perferatur), non *per annos* neque *per dies*, sed κατὰ τὴν πρυτανείαν ἑκάστην, Peisitheidi solvere debere; sed ad legem hoc non pertinet. — Itaque ex hoc titulo discimus, *lege* tantum potuisse augeri pecuniam quotannis populo attributam; sed intra terminos certos quos lex posuerit, populo liberum fuisse per simplex populiscitum tamiae suo solutiones imperare, sive subitarias, sive etiam annuas vel tempore infinitas; et apparet erravisse qui ex hoc titulo effecerint, omnes annuae et perpetuae solutiones, fisco populi faciendae, lege niterentur necesse fuisse, subitarias tantum populiscito iuberi potuisse [1]).

Iamvero ad quaestionem nostram revertentibus (de interpretatione novissimae partis huius tituli, etiam alio loco agam), manifestum est, privam hanc legem nullo modo esse, quam non Peisitheidi sed apodectis irrogaturi sint nomothetae. Nomen Peisitheidis si in ea lege memorabitur, hoc consilio tantum id fiet, ut appareat quantum pecuniae et per quot annos solvere debeant apodectae fisco populi.

b. Immunitates civibus datae, et alii huiusmodi honores, si umquam *legibus* datae sunt, hae certe fuerunt privae leges. Sed statuendum esse mihi videtur, omnia eiusmodi dona non per *leges* sed per *populiscita* semper esse data. Ea dedisse ὁ δῆμος semper, numquam vero (quantum memini) ὁ νόμος dicitur [2]). — Decretum quoque, de tyrannicidarum progeniei honoribus factum, non fuisse videtur lex, sed populiscitum. Demosthenes, ubi id decretum memorat, legis mentionem non facit, sed co-

---

1) Quod ex eo assecutus est Fränkel, die Attischen Geschworenengerichte, Berlin 1877, p. 24: „es ist uns die erstaunliche Thatsache urkundlich beglaubigt, dass eine dauernde Belastung der Staatskasse nur durch ein Gesetz festgesetzt werden kann, wie das Budget der modernen Staaten. — — Die Heliasten bilden also als Nomotheten eine Revisionsinstanz der Volksbeschlüsse, welche dem Staatssäckel eine dauernde Belastung auferlegen." Quod si verum esset, etiam in consimili donatione Lysimachi, quae fuit etiam perpetua (vid. supr. p. 9 adn. 1), Demosthenem legis quoque mentionem facturum fuisse credo, verum is totam donationem populiscito niti dicit: καὶ τούτων ψήφισμά ἐστιν Ἀλκιβιάδου, ἐν ᾧ ταῦτα γέγραπται, Demosth. 20 § 115.

2) Ex. gr. cfr. Dem. 20 § 96, et 125, et 84 sqq.; Aesch. Ctes. § 43 sq.; Plut. Cim. c. 8; Per. c. 31 fin.; et multa donationum exempla supra allata, p. 9 adn. 1, p. 13 *b* et *c*. — Vix est quod moneam, me nunc omittere honores a *senatu* decretos.

Digitized by Google

lumnae cui incisum erat [1]). Veteres quasdam leges contra memorat, quae de progenie Harmodii et Aristogitonis nihil excipiebant [2]). — Columna Demophanti, in qua eadem dona etiam aliis promissa erant, continebat populiscitum, non legem [3]).

c. Quod sequitur exemplum, est lex Timocratea a. 354 a. C. lata, quae erat „de praedibus populo dandis". Non idem haec lex quod ceteris debitoribus populi irrogabat publicanis eorumque praedibus. Hanc ob causam Demosthenes eam privilegium esse insimulat [4]). Sed is quidem ut orator, aliqua fortasse specie, sed nullo iure [5]). Quamquam id vix ad nostram quaestionem pertinet; si fuit lex priva, non perlata est sine accusatione (scil. Diodori); iudicibus hoc fuit considerandum, essetne ea lex priva an minus [6]).

d. Transeo ad legem quae quin Euclide archonte facta sit non dubito: τὰς δωρεὰς ὅσας ὁ δῆμος ἔδωκε, κυρίας εἶναι [7]). Euclide archonte enim, cum Solonis leges denuo confirmaret populus, quaestio existere debuit quid faciendum esset populiscitis privis quae donationes in cives conferrent. Maximam difficultatem dabant immunitates quae contra leges datae erant (cfr. supr. p. 11). Nonne sufficiebat eas instaurare populiscitis? At iuri legitimo repugnabant, neque novo civium ardori leges Solonis tum ipsum renovantium, libebat eas statim migrare. Satius videbatur, paranomiam ipsam tollere, legibus ipsis mutatis. Sed ita cives efficere aliquid conati sunt, quod nullo modo effici poterat. Nam leges Solonis ita comparatae fuerunt, ut immunitatibus et aliis privilegiis legi et communi iuri repugnantibus non solum nullus locus in eis datus esset, sed etiam ne vi quidem ullus locus posset aperiri. — Neque umquam peior lex Athenis facta est quam ea de qua agimus. Quid enim? Nonne derogabat nova lex antiquis legibus quae erant de mu-

---

1) Dem. 20 § 127; 21 § 170.
2) Dem 20 § 18. — Cfr. supr. p. 11 adn. 4.
3) Dem. 20 § 159, cfr. Andoc. de Myst. § 96 sqq.
4) Dem. 24 § 59.
5) Idem censet Schaefer, Dem. u. seine Zeit Leipzig 1856, 1. p. 349. — Cfr. supr. p. 6 et p. 8 adn. 4.
6) Schaefer opinatur, legem Timocrateam non esse ratam factam, l.l. 1. p. 350.
7) Dem. 20. 96.

Digitized by Google

neribus civium? Ita hae fuissent mutandae, et exceptiones in eas admittendae nominatim, — sed id vetabatur lege quae vetabat privas leges. — Itaque Athenienses non mutaverunt leges quae erant de muneribus [1]), et addiderunt eis legem novam repugnantem — quamquam id vetabatur lege quae erat de legibus ferendis [2]). — Haec nova lex igitur exceptionem addidit illi veteri et constanti regulae iuris, quam supra p. 10 tetigi, μηδὲν ψήφισμα εἶναι νόμου κυριώτερον. Iubet enim ea ψηφίσματα esse κύρια, et νόμων quidem κυριώτερα, quae contineant beneficium aliquod publicum, donum populi. — Hanc legem equidem malam, non legitimam, turpem esse censeo; verum privam legem eam nullo modo dici posse, manifestum est. —

e. Superest lex Leptinea quae erat „de immunitatibus (liturgiarum?) abrogandis et vetandis [3])", a. 356 a. C. lata. — Ea iubebat τοὺς ἀΦ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος immunes esse his muneribus publicis; fuit igitur lex priva. — Sed peculiaris eius est ratio. Quaestio quae iam Euclide archonte extiterat, nunc similis sed multo difficilior Leptini oriebatur. Tollere enim animum induxerat, liturgiarum causa, ipsa illa populiscita vitiosa, quae initio fuerant non legitima (cfr. supra p. 11), quae deinde vi quadam facta erant legitima per legem quam modo memoravi, τὰς δωρεὰς — κυρίας εἶναι, — quibus immunitates civibus datae erant contra leges [4]). Eiusmodi enim rogatio tunc efflagitabatur a populo, non quod leges neglectae eum pungerent et stimularent, sed quod cives municipes iam non sufficiebant ad sustinendum onus liturgiarum. Quid autem Leptines facturus erat de ipso fonte et origine huius mali quod nuper tam late manabat, de immunitate tyrannicidarum? Si privilegium eorum agnoscebat, rationem ipsam suae legis evertebat, malum illud ipso principio sanciebat, quin etiam multo gravius peccabat, quippe lege migrata quae erat de privis legibus. Sin contra

---

1) Dem. 20 § 18, supr. 11 adn. 4.

2) λύειν τοὺς ἐναντίους νόμους, Dem. 20 § 89 et 93 et 96; 24 § 18 et 32 et 34 et 39.

3) Cfr. lex qualem restituit Schaefer l.l. p. 354 adn. 1.

4) Dem. 20 § 29. — Leptines non satis clarum fecerat sua lege, tolleretne omnes immunitates, an liturgiarum solas, cfr. § 127.

Digitized by Google

eorum privilegium lege sua non agnoscebat, quo futurum erat ut aboleretur, vix spes ei manebat fore ut legem suam perferret, nam hunc speciosum praetextum omnes adversarii legis arrepturi erant, ut populo eam ingratam et suspectam redderent. Itaque prius illud faciendum optavit; in legem temere id ipsum transtulit quod adhuc populiscitis erat peccatum; legem privam rogavit. — Accusatores vero eius legis, quorum causam dixit Demosthenes, paullo callidius egerunt in lege quam iudicibus contra-scriptam ostentaverunt (παρείς φέρουσι) et quam mox ad nomothetas se laturos esse spondent [1]). Nam in ea ratas esse quidem donationes populi scripserant, sed accusationem (γραφήν) esse contra eos qui donatione accepta digni non viderentur; itaque sua lege copiam dabant, singulis civibus immunibus immunitatem surripiendi; ad iudicum arbitrium rem transferebant, neque certas quasdam personas excipere necessarium habebant. — Sed tamen Demosthenes in oratione sua, quamquam omnia movet contra legem Leptineam, ne ipse quidem hac accusatione (quae sane auditoribus suis minime accepta futura erat) aperte uti audet, eam fuisse privam legem; festinanter tantum et quasi implicite eam tangit, arguens legem Leptineam habere exceptionem quam non habeant leges olim de muneribus civium factae [2]).

Verum legem Leptineam quamquam fuit priva lex, non ideo subiectam fuisse constat suffragio senum milium; itaque haec etiam opinioni grammaticorum aperte refragatur.

Postquam haec exempla percensuimus, consideremus ea quae excogitavit Schoemann [3]), ut vindicaret exceptionem illam contra auctoritatem Demosthenis, Apollodori, Andocidis: „Demosthenes, inquit, passim ubi accuratior rei explicatio inutilis foret, ita loquitur quasi privilegiis nullus omnino locus in rep. Attica relictus fuerit; — locis tamen (Demosthenis aliorumque) abuteretur, puto, si quis — illam exceptionem spuriam pronuntiaret." — At verum non esse mihi videtur, Demostheni accuratiorem rei explicationem inutilem futuram fuisse, nempe

1) Dem. 20 § 100, cfr. 88 et 97 et 137.
2) Dem. 20 § 18 et 26—29.
3) Schoemann, de Comitiis p. 275 et adn. 54.

Digitized by Google

in causa Timocratea. Lex Timocratea (ita insimulat Demosthenes) repugnabat legi privilegia vetanti: atqui multo firmior Demosthenis causa fuisset, si potuisset addere Timocrati apertam fuisse viam legitimam, quam malo dolo sprevisset, quia de bono eventu legitimi suffragii et de consensu civium desperaret, quam si ad legem rigidam, nihil civium arbitrio relinquentem, tantum provocare poterat, quod tamen facit [1]). — Praeterea quod Demosthenes dicit legem tanquam privilegium omnino perferri non debuisse, id auditoribus sane cupidius dictum videri debuit, si notum eis erat privilegia civium consensui esse permissa. — Denique Demosthenes in eadem oratione in consimili re aliter egit: legem Timocrateam etiam repugnare contendit legi quae esset de *ἀτίμοις*, et Demosthenes non contendit Timocratem legem omnino non potuisse hanc ob causam perferre, sed sedulo ostendit ei fuisse petendam impunitatem a senis milibus et ita rogandum; quod cur nostro loco temere omiserit orator frustra causam quaero. — Neque sane viri d. Schoemann interpretatio apta est his Demosthenis verbis: *μὴ τιθέναι νόμον κ. τ. λ. — ἄντικρυς οἱ κύριοι νόμοι λέγουσι* [2]).

Fuit deinde, qui ita conatus sit auctoritatem legis in Orationem Andocidis (§ 87) insertae tueri et cum Demosthenis testimonio conciliare [3]), ut coniceret, apud Andocidem servatam esse legem post triginta tyrannos expulsos latam, et eam legem non ita multo post, ante Demosthenis tempus, abrogatam esse, itaque Demosthenis temporibus Solonis legem valuisse, i. e. clausulam illam in lege non fuisse. — Hoc non solum per se minus verisimile videtur, sed etiam satis refutatur ipsis Andocidis verbis; is enim paullo post [4]) (quod nescio an fugerit virum d.) legem ipse talem recitavit qualem Demosthenes eam dare solet, i. e. sine ulla exceptione. Omnes leges enim in § 87 huius orationis insertae, sumtae sunt ex ipsius Oratoris verbis § 89, addita dumtaxat exceptione illa. Satis constat, idem ius hac in re fuisse cum Demosthenis, tum Andocidis tempore et antea. —

1) Eodem argumento quo ego utitur Westermann, Untersuchungen über die — eingelegten Urkunden, Abhandl. der Sächs. Ges. der Wiss. 1850, p. 47.

2) Dem. 24 § 188.

3) R. Höffler, de Nomothesia Attica (Kiliae 1877) p. 31 sq.

4) § 89. — Secutus sum editionem v. d. Baiter, Firmin Didot.

Digitized by Google

Nolim tamen hanc ob causam impugnare auctoritatem omnium legum et actorum publicorum, in Andocidis orationem insertorum, quod qui rem accurate perpendat vix facere posse credo. Sed nihil obstat quin credamus, illam exceptionem solam postea intrusam esse a librario aliquo vel grammatico recentiore. Etiam in Oratione Demosthenis (24 § 59) non omnes codices habent illam exceptionem in lege inserta, itaque non ab eodem Grammatico profecta esse videtur, a quo ceterae leges huius orationis. —

Denique affirmo, exceptionem qualem exhibeant Grammatici, etiam *forma* esse vitiosam. Lex vetuit apud nomothetas *ferri* legem privam (*θεῖναι* enim est rogatoris; praeterea Demosthenes pro hac voce substituit *εἰσφέρειν* [1]), et etiam in lege Romana XII tab. sic scriptum fuit: „privilegia ne irroganto" [2]). Quid autem ei metuendum fuerit, qui legem privam vetitam rogaret, docet Demosthenes; neque *ἀτιμία*, neque bonorum publicatio poena imposita erat, quales poenas in aliis rogationibus vetitis rogatori impendere supra vidimus [3]); ex hac lege rogator obnoxius erat soli *γραφῇ παρανόμων* [4]), sive a senatore [5]) sive a quolibet privato instituendae. Exceptio igitur si qua illi legi addita fuit, hoc assequi debuit ut rogator vetitae rogationis liberaretur ab eo periculo *γραφῆς παρανόμων*; vera forma igitur debuit haec esse: *ἐὰν μὴ τῆς ἀδείας δοθείσης* (*καὶ ταύτης μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων ψηφισαμένων*). — Quamquam etiam sic quaeritur, quid valuerit *ἄδεια* contra *γραφὴν παρανόμων*. Nam si quis ob aliam causam [6]) per hanc *γραφὴν* postulabat, libera ei manebat poenae taxatio. Nam nemo eo refugere voluerit, ut praeiudicium senum milium hanc potestatem habuerit, ut omnino nulla *γραφὴ παρανόμων* quamlibet ob causam contra rogatorem posset institui. Primum enim aliae rogationes etiam

1) Dem. 23 § 218.

2) Cic. de leg. 3. 4. 11, cfr. 3. 19. 44.

3) Supr. p. 4 sq.

4) Dem. 24 § 18: *ἂν δέ τις τούτων ἐν παραβῇ, τῷ βουλομένῳ δίδωσι γράφεσθαι.*

5) De examinatione legum senatui facienda (Pollux 8. 101) nihil traditum est amplius. Sed quod de examinatione populiscitorum in concilio latorum senatui faciendum fuisse traditur, mutatis mutandis etiam de examinatione legum intellegendum esse per se apparet. Photius p. 450, supr. p. 11 adn. 2.

6) Inter causas *γραφῆς παρανόμων* etiam esse *τὸ ἀσύμφορον*, notum est.

Digitized by Google

postquam suffragiis senum milium confirmatae vel acceptae sunt, possunt postulari per hanc γραφὴν [1]); deinde ita haec exceptio, si omnem γραφὴν sustulisset, pertinuisset etiam ad omnes alias leges quae de ritu nomothesiae factae sunt, quae sola γραφῇ παρανόμων nitebantur [2]); eadem exceptio ex. gr. legeretur necesse erat in lege de promulgatione rogationum, in qua tamen non legitur [3]).

Has ob causas facio cum eis qui hanc legem nullam huiusmodi exceptionem habuisse statuerint viris doctis [4]). Eos tam paucos esse, et longe plurimos [5]) tanto consensu accepisse auctoritatem grammatici, huic rei tribuo quod non recte distinxerint inter leges privas vetitas, et libertatem concilio populi legibus relictam etiam privilegia faciendi, modo ne legibus vigentibus repugnarent.

Etiam origo rei non obscura videtur. Grammaticus in Timocratea (§ 46—49) legit quid Demosthenes diceret Timocrati fuisse faciendum. Debuisti, inquit orator, ex lege quae est de ἀτίμοις impunitatem petere, deinde legitima via rogationem tuam ferre (νομοθετεῖν) debuisti. Non addit ibi orator, legem privas leges vetantem etiam sic futuram fuisse impedimentum legis. Grammaticus diligens hoc ad § 59 transtulit, sed iniuria is quidem. Satis constat, opinor, etiamsi Timocrates ἄδειαν impetrasset ex lege de ἀτίμοις, eum etiam privilegii nomine potuisse postulari per γραφὴν παρανόμων. Sed Gramm. e verbis Demosthenis (§ 49) effecit, fieri potuisse ut lex priva rata fieret, et rogator ab initio tutus esset a periculo γραφῆς παρανόμων, nempe si forte antea praeiudicium pro eo datum esset suffragio senum milium, itaque hoc legi privilegia vetanti adscribendum esse putavit. Verum ne ipse Grammaticus quidem, opinor, hoc voluit, sena milia a quolibet potuisse interrogari ad

1) Vid. supr. p. 5 adn. 1.

2) Dem. 24 § 18.

3) Dem. 24 § 18, Gramm. ibid. § 23.

4) Westermann l.l. p. 46 sq. — Schaefer Dem. u. s. Zeit 1 p. 349 adn. 1. — Taylor et Dindorf in editionibus.

5) Boekh, Schoemann, Grote, Lugebil, Duncker, Gilbert (supr. p. 7 adn. 3 sq., p. 8 adn. 1, p. 21 adn. 3), alii. — Franke Disput. de legum formulis quae in Dem. Aristocratea reperiuntur (Meissen 1848 p. 12 sq.), quam novi tantum ex eis quae affert Lugebil l.l. p. 142 sq.

Digitized by Google

quaslibet leges privas probandas vel improbandas. — Idem deinde illud in Andocideam irrepsit. —

De suffragii senum milium loco tempore modo.

Rogationum genera, de quibus in suffragium vocantur sena milia, tria esse ostendimus: 1. de civitate danda; 2. de impunitate rogandi; 3. ostracophorias. — Priora duo autem genera in reliquis partibus huius Quaestionis inprimis a nobis tractabuntur; ostracismum, cum de eo etiam singulari Quaestione postea nobis agendum sit, nunc eatenus tantum interdum adhibebimus, quatenus aliis duobus rogationum generibus ex eo lucem afferre possimus. Quaerentes autem de loco tempore modo suffragii, quo civitas et quo impunitas datur, statuimus horum ritum et modum prorsus similia inter se et eadem fuisse, et quod de altero comperiatur, de altero etiam verum esse. —

Ostracophoriae, ut notum est, *in foro* habebantur. Fuitne idem locus suffragiis de civitate ferendis destinatus? Affirmatur loco Oratoris, quem nunc exscribam, de cuius singularibus partibus mox etiam diligentius quaeremus: *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ, πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέρρα ἀναιρεῖν, ἵνα κύριος ὢν αὐτὸς αὑτοῦ ἕκαστος σκοπῆται πρὸς αὐτὸν ὁντινα μέλλει πολίτην ποιήσεσθαι* [1]). Locus quem peregrini intrare dicuntur, quin sit *forum* dubium non est; itaque assecuti sumus de ostracismo et de civitatis datione suffragia in eodem loco haberi.

De *tempore* quo actum sit cum civitas detur, gravissimum est testimonium titulorum. Variis formulis populiscita utuntur ut prytanes iubeant rem submittere suffragiis senum milium [2]), veluti: *τὴν δὲ ψῆφον δοῦναι περὶ αὐτοῦ τοὺς πρυτάνεις τοὺς μετὰ τὴν Ἀκαμαντίδα πρυτανεύοντας ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ* (C. I. A. II. 54 fr^{b} lin. 16 sqq.); sive: *τοὺς δὲ πρυτάνεις, οἳ ἂν πρῶτον λάχωσιν πρυτανεύειν, δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν* (C. I. A. II. 312 lin. 46 sqq.); sive: *τοὺς δὲ πρυτάνεις τοὺς τὴν εἰσιοῦσαν πρυτανείαν πρυτανεύοντας δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν* (C. I. A. I. 243 lin. 17 sqq.), vel: *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν.* — Causa cur ex more

1) (Demosth. 59) adv. Neaer. § 90.

2) Cfr. Hartel, et Buermann, locis supra laudatis p. 2 adn. 1.

Digitized by Google

constanti suffragii latio differretur in proximam prytaneam, haec fuisse videtur, quod quantum fieri posset curandum erat, ut qui praeessent suffragiis senum milium, essent prorsus liberi neque ullam suspicionem praeberent, eventum suffragii sibi nimis cordi esse; quia vix ullae cautiones adessent si forte qui suffragio praeessent in diribendis et numerandis calculis fraude uti vellent, scilicet novis calculis dolo malo additis. Itaque minus aptum visum est eosdem prytanes, sub quorum ductu et auspiciis senatus auctoritas facta esset et populiscitum, et quos igitur rogationi favere praesumi posset, eosdem etiam suffragii lationi sollemni praeesse. — — Apparet ex his formulis, suffragium senum milium non fuisse ipsum ἐκκλησίαν (quod nunc a multis minus recte statui solet); ἐκκλησία non potest haberi ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ vel εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν; necesse est non ipsum sit concilium, sed actio publica in concilio peragenda. Verum apparet, suffragii lationem senum milium semper esse coniunctam cum concilio, quod *eodem die*, sed alio loco, in Pnyce, habebitur. Loci diversi, actiones nihilominus unae sunt. Hoc non aliter explicari potest quam ita, *eodem edicto* (προγράμματι) ad utramque actionem, suffragium et ἐκκλησίαν, vocari cives. Edicitur civibus ut domo per forum in Pnycem se conferentes, et ex more in foro paullum subsistentes, ibi quasi in transitu suffragium ferant, deinde pergant in Pnycem. — Neque metuo ne quis intercedat, cum idem etiam in Ostracismum transferam, et statuam cum de Ostracismo, tum de civitate suffragia semper lata fuisse in foro ante concilii indicti initium. Quamquam suffragiis de civitate ferendis praefuerunt prytanes; hi enim, ut ait Orator et docent tituli, urnas disponunt et calculos dant civibus; et hoc est quo differat ab Ostracismo, nam in ostracophoria: ἐπεστάτουν οἵ τε ἐννέα ἄρχοντες καὶ ἡ βουλή [1]), quorum operae nulla in nostro suffragio fit mentio. Sed fieri potest ut antea, saeculo quinto, utrumque suffragium fuerit commissum curae archontum et omnium senatorum, sed postea opus non esse visum sit tanta praefectorum multitudine. — Postquam suffragium in foro absolutum est et prytanes quoque in Pnycem venerunt, ibi rite per sacrificationem et precationem

1) Philoch. fr. 79b Müll., Plut. Aristid. 7.

Digitized by Google

concilium inibitur; non dubito quin primum ibi fuerit officium praefecti concilii, ut cum civibus communicaret eventum suffragiorum, antequam ad alias res transiret. — Hinc etiam dubium esse non potest, quin ad urnas, in foro, nulla fuerit publice verba faciendi copia facta. Ita enim haec actio ipsa esset ἐκκλησία, quod verum non esse modo ostendimus; nulla re continetur nisi hac: τὴν ψῆφον δοῦναι τοὺς πρυτάνεις. Idem confirmant verba oratoris; mercatores, ait, excluduntur ἵνα κύριος ὢν αὐτὸς αὑτοῦ ἕκαστος σκοπῆται πρὸς αὐτὸν ὅντινα μέλλει πολίτην ποιήσεσθαι. Verba σκέψασθαι πρὸς αὐτὸν ostendunt nullam fuisse deliberationem publicam, silentio caerimonia peragitur.

Pergimus quaerere, quae fuerint γέρρα quae memoret Orator (πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέρρα ἀναιρεῖν). — Semper, quoties concilium indictum erat, γέρρων in foro fuit usus publicus aliquis constans et notissimus. Nam semper ante initium concilii indicti, cives mane in foro se congregare solebant; tum mercatores cum mercibus suis non statim admittebantur, sed sub initium concilii viae quae ad forum vel ex foro ducebant claudebantur γέρροις omnes, excepta ea via quae ex foro ad Pnycem ducebat; cives igitur abire non poterant nisi ad concilium se collaturi. Denique, si qui in foro tergiversabantur, Scythae accedebant, funem miniatum manibus tentum tenentes (σχοινίον μεμιλτωμένον), quo circumducto tardiores cives ad exitum fori et ad Pnycem ire cogebant, cuiusque vestigia relicta in vestimentis eorum qui inviti ierant, reliquis civibus irrisui esse solebant [1]); hinc Scythae etiam, ut mihi quidem videtur, σπευσίνιοι dicti [2]), ἀπὸ τῆς σπουδῆς, quando συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν [3]). Multo melius Schoemann hanc rem sibi informavit quam Stark (in Hermann Staatsalt. § 128) qui scripsit: „eigene Beambte, die sechs Lexiarchen [mit dreissig Gehülfen] hatten darauf zu sehen, dass kein Unberechtigter sich eindrängte und kein Bürger die Versammlung verliess, zu welchem Ende während der Zeit der Raum [mit einem roth ge-

1) Schol. Aristoph. Acharn. 22. Schoemann Comit. p. 63 sq.

2) Pollux 8. 132. Is quidem vocem explicat ea coniectura, qua solent grammatici explicare voces quas non intellegunt: ἀπὸ τοῦ πρώτου συντάξαντος τὴν περὶ αὐτοὺς ὑπηρεσίαν.

3) Pollux 8. 104.

Digitized by Google

färbtem Seil] abgesperrt ward." Quasi ullius usus fuisset, funes quibus aditus claudebantur, et a quibus dependebant crates vimineae, minio tingere. Ridicule sane etiam Hamerling (Aspasia Hamburg 1876) 1. p. 82: „und da das Seil (das im Umkreise der Agora gespannt worden war, in der Art dass nur die Strasse frei blieb welche auf den Hügel der Pnyx hinaufführte) mit Mennig bestrichen war, um diejenigen welche es überspringen wollten (!) roth zu zeichnen, so musste der Ausreisser (!) fürchten, sich dem Gelächter der spottlustigen Menge auszusetzen." — Recte Scholiasta distinguit *τὰ γέρρα* et *τὸ περισχοίνισμα* a fune illo miniato: *ἀνεπετάννυσαν γὰρ τὰ γέρρα καὶ ἀπέκλειον τὰς ὁδοὺς κ. τ. λ.* — deinde: *ἔτι μὴν καὶ μεμιλτωμένῳ σχοινίῳ περιβάλλοντες αὐτοὺς συνήλαυνον εἰς τὴν ἐκκλησίαν.* — Scilicet postquam signum datum erat, etiam circuli et coetus civium confabulantium circumstabant, qui ad signum datum non attendebant. Iterum monere molestum et inutile erat; liberos cives arripere et vi ducere non poterant ministeria; itaque immittebantur in forum aliquot Scythae (*σπευσίνιοι*), qui in una serie collocati, ab altera parte dextrum finem fori tangebant, ab altera sinistrum, et longo fune quem manibus tenebant inter se nectebantur. Hi lento gradu incedere iussi, totum forum quasi verrebant; sicubi circulus aliquis civium etiam consistebat, fune appropinquante quasi reti circumducebantur et viam inire cogebantur. Sed etiam sic vis non erat permissa, itaque minio, quo oblitus erat funis, curabatur ut ultro omnes caverent ne funis vestimenta attingeret. Si quis vero vestimento inquinato ad concilium tardus veniebat, parvam pecuniam ab eo exigebant lexiarchi, quam Scythis destinatam fuisse probabile est. — Hoc tradit Scholiasta, et idem dicit Pollux (8. 104): *οἱ Λῃξίαρχοι — σχοινίον μιλτώσαντες, διὰ τῶν τοξοτῶν συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν* [1]). — Sed de suffragio senum milium ad concilia populi imprudentes devertimus. Illuc igitur redeamus.

Viarum obstruendarum per *γέρρα* vix alia ratio cogitari potest

1) Qua de re si forte mihi non contigerit ut persuaderem viro d. Willamowitz Moellendorf (Aus Kydathen, Berlin 1880, p. 165 adn. 77), aegre feram; is autem ne gravetur, si de multis rebus ei fidem habere ego paratus sim, non vero de eis rebus quas ex auctoribus antiquis satis possim cognoscere.

Digitized by Google

quam haec: pali bini ab utraque parte aditus qui claudi debebat in solo fixi, iungebantur fune tento, qui ut videtur hominis statura paullo altius tendebatur; deinde funi tento affigebantur crates vimineae satis longae (quae sunt ipsa γέρρα, gerrae, tegetes, „matten") [1]), et tot quidem quot poscebat latitudo aditus claudendi; quae ex fune ad solum dependentes ab aditu et prospectu forum prohibebant. Adstabant Scythae, qui turbam et clamores ab externa parte arcerent [2]). — Eandem constructionem significare videtur verbum περισχοινίζειν; ita clauduntur aditus porticus regiae, quoties clam deliberat Areopagus [3]), et saepiuntur loca iudiciis destinata [4]), alia.

Haec fori obstructio, cum semper fiat ante initium concilii, etiam adhiberi consentaneum est eis diebus quibus suffragium in foro habendum est. Haec igitur sunt γέρρα ab oratore memorata. — Haesitavit in hac re Harpocration, de Oratoris loci interpretatione agens pag. 69, et duas explicationes proposuit. Ἤτοι οὖν ταὐτόν, inquit, τῷ ὑπὲρ Κτησιφῶντος. Respicit Harpocration ad locum Demosthenis quem modo citaverat, de Cor. § 169, ubi Demosthenes describit tumultum quem excitaverat nuntius de clade Elataeensi allatus: καὶ μετὰ ταῦτα οἱ μὲν εὐθὺς ἐξαναστάντες μεταξὺ δειπνοῦντες τούς τ' ἐκ τῶν σκηνῶν τῶν κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐξεῖργον καὶ τὰ γέρρα ἐνεπίμπρασαν; quibus verbis recte adnotavit Harpocration: ὑπὲρ τοῦ μὴ συνεστάναι περὶ τὰ ὤνια ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς, μηδὲ πρὸς ἄλλοις τισὶ τὰς διατριβὰς ἔχειν; mercatores enim peregrini plerique vix alia ratione quam vi etiam in luctu publico a negotiis suis deterreri poterant. Etiam hic locus ad ἀγορὰν nos ducit. Sed hoc Demosthenis loco τὰ γέρρα sunt ipsorum mercatorum; sunt σκηναί, tabernae vel mapalia e cratibus vimineis facta [5]). — Superest altera Harpocrationis interpretatio quam illi subiungit: ἢ τοιοῦτό τι

1) Fest. p. 94. — cfr. Fest. p. 250: „Penus vocatur locus intimus in aede Vestae tegetibus saeptus".

2) Pollux 8. 131: πρὸ δικαστηρίων καὶ τῶν ἄλλων συνόδων.

3) Dem. 23 § 23.

4) Pollux 8. 123 sq. — De saeptis fori Romani cfr. Iordan, Topogr. I. 2 (1885) p. 320 n. 7.

5) Harpocr. l.l.: τὰ τῶν σκηνῶν σκεπάσματα καὶ παρακαλύμματα, cfr. Schoem. de Comit. p. 64 n. 25.

Digitized by Google

ὑπολῃπτέον, ὡς παρὰ τοῖς ἐκκλησιάζουσι πολίταις ἡ ψῆφος ὑπὸ τῶν πρυτάνεων ἐδίδοτο, πρὶν εἰσιέναι τοὺς ξένους, καὶ πρὶν ἀναιρεθῆναι τὰ περιφράγματα, τούτεστι, πρὶν ἀναπετασθῆναι τῇ ἐκκλησίᾳ παντὶ τῷ εἰπεῖν βουλομένῳ. — Recte nunc Harpocration τὰ γέρρα interpretatur περιφράγματα. Sed quae deinceps addit, nihili sunt. Quasi hoc diceret Orator, suffragium haberi antequam forum concilio patefieret, antequam eodem in loco iniretur concilium, et contionem daret praefectus eis qui verba facere vellent! Immo ait, antequam peregrini intrent forum. Iam mentio peregrinorum ab Oratore facta vetat quin cogitemus de concilio in eodem loco habendo. Cum tamen concilium secuturum esse tituli doceant, etiam ex loco Oratoris igitur apparet, hoc concilium in alio loco (in Pnyce) habitum iri, nam forum statim post suffragium absolutum mercatoribus conceditur.

Iamdudum monitum est, γέρρα quibus claudatur forum, probe distinguenda esse a γέρροις quibus utantur mercatores [1]). Sed tamen eadem mihi fuisse videntur γέρρα, usus tantum prorsus diversus. Mercatores non gratis ad forum admitti, sed pecuniae aliquid pendere populo (ἀγορᾶς τέλος) notum est [2]); haec pecunia merces fuisse potest cum loci tum cratum viminearum et funum et palorum quibus opus eis erat. Manifestum est, crates quas modo descripserim, dummodo pali recte ponantur, ubique et ad quaslibet saeptorum vel tabernarum formas construendas usurpari potuisse; si crates a fune ad alterum funem iuxta tentum suspendantur, habeas etiam σκηνῶν σκεπάσματα καὶ παρακαλύμματα, quae Harpocration dicit γέρρα. — Γέρρα igitur fortasse eadem, usus diversus, modo publicus, nunc privatus. Hoc explicat voces Oratoris: πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέρρα ἀναιρεῖν. Mercatores enim impatientes, ut primum Scythae permittunt, ipsi etiam manus cratibus admovent; non expectant dum Scythae ordine omnes demant; et tabernas suas ponere incipiunt. —

Quoties autem ostracophoria habebatur, etiam exigua quaedam pars fori saepta erat. De qua Pollux [3]): περισχοινίσαντες δέ τι

1) Cfr. W. A. Becker, Charikles, ed. H. Göll 1877, 2. p. 197 sq.
2) Schol. Aristoph. Acharn. 896.
3) Pollux 8. 20.

Digitized by Google

τῆς ἀγορᾶς μέρος; Plutarchus [1]): εἷς τόπος τῆς ἀγορᾶς περιπεφραγμένος ἐν κύκλῳ δρυφάκτοις. — De eadem re Philochorus: ἐφράττετο σανίσιν ἡ ἀγορὰ καὶ κατελείποντο εἴσοδοι δέκα, δι' ὧν εἰσιόντες κατὰ φυλάς, ἐτίθεσαν τὰ ὄστρακα [2]). Constat Philochorum, cum forum dicat, partem per totum significare, nam fieri non potest ut ad forum decem aditus fiant, cum aditus γέρροις sint clausi. — In nostro suffragio autem, ut ait Orator, τοὺς καδίσκους τιθέασιν οἱ πρυτάνεις. Si omnes cives eodem loco suffragia ferrent, *una* tantum urna opus fuisset (quod in sequenti parte demonstrabo); pluralis numerus quo utitur, probat, etiam hoc suffragium, sicuti ostracophoriam, κατὰ φυλὰς esse habitum; denae urnae ponebantur. Et cum suffragia *clam* ferantur, apparet etiam in hoc suffragio de civitate urnas fuisse tectas. Haec omnia probant, ad nostrum suffragium posse transferri quae de ostracophoria et saeptis illis tradant auctores. — Urnae igitur quas memorat Orator, fuerunt denae secundum phylas dispositae. Saepta, forma rotunda et ambitu parvo, quorum sunt denae partes etiam inter se pariete tabulato (nam hac in re Philochorum sequi decet) separatae, habent denos introitus ad unam urnam singulae aditum dantes. *Haec* saepta vero ne quis destinata fuisse crediderit ad recipiendos et simul comprehendendos omnes cives qui suffragia ineant, ad recipiendum totum concilium populi. Unice destinata sunt ad protegendas urnas a fronte et a lateribus, ut suffragii (et testularum) latio fiat ordine, nulla turba suffragantium circumpremente, et ut fiat occulte. Ambitum enim habent multo minorem quam qui multos cives capere possit (τὶ τῆς ἀγορᾶς, εἷς τόπος τῆς ἀγορᾶς). In singulis partibus vel pegmatibus vix plus spatii inest, quam ut locum ibi habeant primum prytanes quinque cum ministeriis suis, qui prope introitum stantes curant ne quis intret nisi qui huius sit φυλῆς, et intrantibus calculum offerunt; deinde urna, paullo remotius ab introitu ad ipsa penetralia pegmatis collocata; denique cives, singuli admissi, quorum fortasse bini semper simul vel terni intra saepta inveniuntur. Hanc fuisse rationem suffragii lationis, iam docet Orator cum dicat, calculos dari a pry-

1) Plut. Aristid. 7.
2) Philoch. fr. 79b.

Digitized by Google

tanibus προϊοῦσι τῷ δήμῳ, i. e. singulis civibus ad urnam accedentibus, non vero τῷ δήμῳ ἐν ἐκκλησίᾳ ἠθροισμένῳ. Neque ulla alia ratio est, cur suffragia κατὰ φυλὰς ferantur, quam haec, ut celerius absolvi possit totum negotium; si una modo urna collocata esset, vel si plures nulla certa et aequali civium divisione facta, multo plus temporis in eo consumeretur necesse esset. — Cives autem, silentio circumstantes in foro, expectant singuli dum sibi copia fiat intrandi sepem; deinde, ut quisque urnam adiit, et e saepto excessit, abeunt e foro illa via quae sola non est clausa, quae ad Pnycem ducit. Mox, cum suffragia numeraverint prytanes, et ipsi abierint, auferuntur de foro saepta urnarum, aperiuntur aditus fori, et patet forum mercatoribus peregrinis mulierculis, quicunque denique forum repletum facere solent, quibus deinde postquam missum factum est concilium, cives se immiscere poterunt [1]). —

De suffragiorum numero lege postulato. Lex quae est de civitatis et impunitatis datione postulat, sena milia suffragiorum ut lata sint, siquidem futurum sit ut factum sit populiscitum. Sed utrum conspirent idemque iubeant sena milia necesse est? An legi iam satisfactum est cum numerum constitutum expleverint suffragia lata, ita ut quod maior eorum pars iubeat ratum sit? — Hanc quaestionem, nimis diu vexatam et opinionibus, non argumentis adhuc agitatam, nunc absolvere posse mihi videor.

---

1) Haec omnia satis refutare opinor sententiam quam de hac re protulit E. Curtius, Monatsber. der Kön. Acad. der Wiss. 1879 p. 86: „die Stadtmarkt (war) der Ort, wo so lange die republikanischen Ordnungen in Kraft waren, die Attischen Tributcomitien abgehalten wurden, dass heisst diejenigen Bürgerversammlungen, in denen das Volk stehend, durch keilförmig geordnete Schranken nach Stämmen gegliedert, zu solchen Veranlassungen zusammenkam, wo es sich nicht um Verhandlungen und Verwaltungsangelegenheiten handelte, sondern wo die Gemeinde als Corporation in einer Stärke von mindestens 6000 Köpfen durch einfaches Abstimmen mit Urnen und Stimmsteinen — κατὰ φυλὰς — entschied." — Praeterea non video cur dationes civitatis et ἀδείας non sint „Verwaltungsangelegenheiten". Neque satis intellego quo pertineat mentio de comitiis tributis facta. Romae certe in comitiis tributis pro tribu suffragia ferebant cives, renuntiabantur 35 suffragia, maior tribuum pars vincebat. Athenis vero (quod monere vix opus videtur) non suffragia decem phylarum singula exquirebantur, sed omnes calculi pro rogatione lati in unum conici et simul numerari solebant, ut apertissime docet haec ipsa lex, sex milia suffragiorum lata esse postulans, neque ullam rationem habens numeri suffragiorum in singulis phylis latorum. —

Digitized by Google

Praemitto locos quibus lex nostra memoratur.

Demosth. 24 § 46: (ἡ ἄδεια δίδοται) μὴ ἔλαττον ἢ ἑξακισχιλίων ψηφισαμένων.

(Demosth. 59) § 89: ἡ ποίησις οὐκ ἔστι κύριος — ἐὰν μὴ — ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται κρύβδην ψηφιζόμενοι.

Gramm. ap. Dem. 24 § 45: ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.

Gramm. ap. Dem. 24 § 59: — — ἐὰν μὴ ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.

Gramm. ap. Andoc. de Myst. § 87: — ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.

Forma obliqua orationis, qua omnes utuntur, quamquam ea ipsa legem usam esse certum est, molesta videtur; si eam in rectam orationem transformamus, nemo opinor intercedet, ita fere:

(Demosth. et Apollod.): οἱ ψηφισάμενοι ἔστων μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι, sive (Gramm. Dem.): οἱ ψηφισάμενοι, οἷς ἂν δόξῃ, ἔστων μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι, sive (Gramm. Andoc.): δόξαι δεῖ ἑξακισχιλίοις.

Nullus exstat antiquus auctor qui certiores nos faciat, quomodo ipse legem explicandam esse censeat, ne Scholiasta quidem vel Grammaticus ullus. Sed in Ostracismo similis quaestio extat; in eo Philochorus sex milia suffragiorum consentirent necesse fuisse affirmat, Plutarchus contra maiorem suffragiorum partem vicisse auctor est, modo omnino sex milia ne minus lata essent [1]). Recentiorum virorum doctorum opiniones de hac re omnes sunt effectae ex eo quod in Ostracismo verisimile eis visum est; quod eo magis mirandum quia in Ostracismo demonstrari non possit quid verum sit, possit vero in hac suffragii latione. — Brevi recensebo quas novi recentiorum de Ostracismi ratione opiniones.

Ac primum quidem Boekh in priore editione operis laureati (die Staatshaush. der Ath. 1817) Plutarchum praetulit, se postea sententiam mutavit. Paradijs [2]) et Wachsmuth [3]) etiam

1) Locis supr. p. 26 adn. 1 laudatis.
2) Dissert. liter. de Ostracismo Athen. Lugduni Batav. 1793, p. 26.
3) Hellenische Alterthumskunde 1826, 1. 1. p. 272.

Digitized by Google

Plutarchum ducem optaverunt. Sed Philochori sententiam secuti sunt Schoemann [1]), Hermann [2]), Grote [3]); his assensi sunt Boekh [4]), Perrot [5]), Curtius [6]), primum etiam Gilbert [7]), et pro ea sententia stat etiam Duncker [8]). — Novae doctrinae auctor Lugebil [9]) denuo Plutarchum verum tradidisse affirmavit; nova argumenta nulla quidem attulit, sed refutavit virum d. Boekh verbis οἷς ἂν δόξῃ inprimis insistentem; nam, ita fere ait, sicuti cum dicatur δοκεῖ τῷ δήμῳ, non significatur omnes cives consensisse, sed maiorem partem civium voluntatem declaravisse, sic οἷς ἂν δόξῃ etiam significare potest: „quorum maior pars consentit". — Postea Fränkel [10]) argumentum pro eadem sententia attulit ex Andoc. Myst. § 17, quod paullo postea tandem nobis attingere licet; cum eo faciunt Beloch [11]), Lipsius [12]), Buermann [13]), etiam Gilbert [14]), qui in egregio enchiridio, quod de Antiquitatibus Graecis scripsit, se sententiam mutavisse declarat, sed ut spero non gravabitur in futura editione sui libri ad priorem sententiam reverti. Etiam viro d. Müller-Strübing [15]) Plutarchi interpretatio magis placere videtur. Hi omnes, ut dixi, id quod in ostracismo probant, in hanc suffragii lationem (et optimo quidem iure) transtulerunt. Ego autem, ostracismo ad sequentem Quaestionem dilato, nunc agam de reliquis senum milium suffragiis.

---

1) De Comitiis, Gryphisw. 1819, p. 246.

2) Lehrbuch der Gr. Alt. (ed. Bähr u. Stark 1875) 1. p. 501 n. 15.

3) Hist. of Greece (ed. London 1869) 4. p. 84 n.: the purpose, so unequivocally pronounced, of the general law determining the absolute minimum necessary for a privilegium, would be by no means obtained, if the simple maiority of votes, among 6000 voters in all, had been allowed to take effect.

4) Staatshaushaltung (ed 2. 1851) 1. p 325.

5) Essai sur le droit public d' Athènes, Paris 1869, p. 43 n. 2.

6) Gr. Gesch. (5te Aufl. Berlin 1878) p. 391.

7) Beiträge zur innern Geschichte Athens im Zeitalter des Pelop. Krieges, Leipzig 1877 p. 229 n. 3.

8) Gesch. des Alt. 1882, p. 607 n. 1.

9) Jahrb. f. Class. Philol. 4ter Suppl. p. 144.

10) Die Attischen Geschw. Ger. Berlin 1877 p. 14.

11) Die Attische Politik seit Pericles, Leipzig 1884, p. 7.

12) Lipsius in Bursians Jahresbericht 1880 p. 302.

13) Jahrb. f. Class. Phil. 10ter Suppl. 1878—79, p. 358 adn. 31.

14) Handbuch. Leipzig 1881, 1 p. 294 n. 4.

15) Aristoph. u. die Histor. Kritik, Leipzig 1873, p. 185, sed cfr. p. 129 et p. 572.

Digitized by Google

Primum ostendam vitium quod latet in ratione viri d. Lugebil, quo fit ut sistere non possit. Secundum eam enim sententiam lex omnes cives ad suffragia vocat, hoc dicens: „Primum postulo, ut summa omnium suffragiorum, sive iubeant sive antiquent, ne minor sex milia sit, si minor erit, rogationem cecidisse volo; deinde, postquam mihi apparuit huic postulationi suffragiorum numero satisfactum esse, distinguam suffragia iubentia et antiquantia, utraque numerabo, maiori parti victoriam dabo." — Atqui absurdum est, legem hoc dicere; lex non poterit perficere quod praedicat. Id non quidem perspexisse, sed animo quasi praesensisse mihi videtur Boekh. Quid enim? Ut primum legem haec dicentem et promittentem audiverint cives, *omnes cives qui rogationem antiquari cupiant, suffragium non ineundum sibi esse videant necesse est.* Lex igitur, cum suffragia antiquantia nulla sint lata, non poterit perficere quod promisit, non poterit distinguere suffragia et numerare. Itaque constat, legem nihil eiusmodi prae se tulisse, vel quod idem est, legem non ita esse explicandam.

Fortasse non statim hoc mihi dabit lector, omnes cives qui rogationem antiquari cupiant, suffragium non esse inituros. Haec igitur secum reputet: Lex ea praedicans, quae modo scripsi, magnum dat beneficium eis quibus non probata est rogatio. Si senum milium suffragiorum numerus non erit expletus, hi victores erunt. Utris igitur optandum est, ut numerus expleatur? Eis certe qui rogationem probant. Utris cupiendum est, numerum aliquem minorem evadere? Improbantibus sane. Credisne igitur hos ipsos hunc numerum suis suffragiis aucturos esse? Ita beneficium legis cum suo detrimento neglegerent et abnuerent. Lex eis qui rogationem probant, officium imposuit demonstrandi, ipsorum numerum non minorem esse sex milibus; stultus est qui cum rogationem improbet, suum suffragium etiam cum illis numerari sinat, itaque onus adversario incumbens pro sua parte levet. — Idem argumentum etiam sic verti potest: Fac civem qui rogationem improbet, secum cogitantem quid cum ad suffragium vocaturi sint prytanes, sibi sit faciendum. Novit, adversarios suos vincere non posse, nisi sex milia suffragiorum ferantur. Excogitat secum et percenset de numeris partium, de viribus amicorum suorum et adversariorum varias

Digitized by Google

opiniones; reputat, quantos esse utriusque partis numeros fortasse appariturum sit si omnes suffragia ineant. Fortasse, ait, adversarii erunt 7000, mei 1000. Frustra sic suffragium tulerimus. Fortasse, adversarii 1000, mei vero 7000 numero sunt; sic nihil nocebit si nostrorum 7000 suffragium non inibunt. Sed fieri potest ut adversarii sint 4500, nostri 3500, vel illi 5500, nostri 2500. Hoc si verum est, frustra adversarii laborabunt si nostri domi manent; contra si suffragium inierint nostri, suffragiis suis *antiquantibus* rogationem *iubebunt*; victoriam *quae sibi certa erat*, adversariis *ultro obferent*. His secum volutis, utique suffragium nullum ferri a se et ab amicis satius habebit. — Iamvero fortasse aliquis mihi obiciat, civem eum quem modo finxi, non ad omnia attendisse quae debuisset. Posuit enim, omnino inter octo milia civium rem agi, reliquos vero aut incuria, aut morbis, aut aliis causis, a publicae rei cura et administratione retineri. Ratiocinationem autem eius veram esse, si inter octo milia civium illud negotium geri ei videatur, etiam, si inter minorem numerum quemlibet, etiam, si inter maiorem usque ad numerum duodecim milia. Verum si plus quam duodecim milia civium rem inter se suffragiis disceptandam sumant (sunt autem numero fere undeviginti milia cives Athenienses [1]), fieri posse ut qui probant rogationem sint plures numero quam sex milia, et tamen sint minor pars suffragantium. Cogitari posse igitur eventum talem, ut suffragium ferendo victoriam sibi parent adversarii legis, non ferendo e manibus sibi eripi sinant; ut sit talis eventus: 6500 pro rogatione, 7500 contra rogationem; et fore ut hac spe perducti adversarii legis utique suffragium ineant. — Respondeo, primum, hoc quaerendum nobis esse, an haec cogitatio possit perducere quemquam, ut suffragium contra rogationem ferat. Id vehementer nego. Civis ille quem modo finxi, omnino nescit quantus sit numerus civium quibus haec rogatio aut ut antiquetur aut ut perferatur cordi sit; sed quanto maiorem numerum cogitet, eo facilius eventum se frustrari posse novit; si cogitet, 15000 ci-

1) Boekh, Staatshaush. 1. p. 49—52 et p. 324, cfr. Stein ad Herod 5. 97. — Philochorus tradidit (fr. 90 Müll., et Plut. Per. 37), a. 445 civium numerum fuisse 14.240; ante hunc annum fuisse 19.000 ex coniectura vel aestimatione satis pervulgata assecutus est Philochorus, itaque ad 4760 *παρεγγράπτων* numerum pervenit.

Digitized by Google

vium suffragia latura esse, se facilius deceptum iri posse, quam si cogitet, 11000 ad suffragium ventura. Praesertim, nescit quid alii facturi sint, qui secum rogationem improbent; si aliquot, vel multi eorum, suffragium inire non audebunt, sui suffragii utilitas etiam diminuetur. Ab altera parte, obstat semper periculum, ne forte suo suffragio adversarios suos adiuvet. Omnium certissimum est, si recte penset varios eventus et casus qui fingi possint, eum suffragium non esse laturum, cum non ferendo suffragium ad plures casus praeparatus sit quam ferendo. — Deinde respondeo, eos qui viri d. Lugebil rationem probent, ipsos statuisse, rem inter multo minorem quam 12000 numerum civium agi. Haec fuit ipsa causa cur nova doctrina viri d. Lugebil nunc a plerisque accepta sit; itaque ei vv. dd. quin mihi concedant dubitari nullo modo potest. Sed etiam auctoritas viri d. Boekh pro me stat (Staatshaush. 1. p. 324): „im Durchschnitt, glaube ich, kann man eine Volksversammlung sebst in Friedenszeiten durchschnittlich kaum zu 8000 rechnen." Sic mihi 4000 etiam supersunt, id est dimidium. Iam Paradijs scripserat (l.l. p. 26): „grammatici non tanta est auctoritas, ut testimonium Plutarchi labefaciat, refragante re ipsa, quandoquidem haud tam magnus in Rep. Attica civium erat numerus, ut uni potuerint contingere sex mille testulae, nisi forte idem omnibus esset sensus, quod expectandum certe haud erat", et sqq. Huius similia scripserunt Lugebil [1]), Fränkel l.l., alii. — Ratio igitur viri d. Lugebil suo morbo moritur. Nam hoc nemo arguet, legem ideo illa vere praedicare potuisse quae supra scripserim, quia fortasse sint cives qui non satis accurate cogitare soleant quid utilitas poscat, qui specie decipiantur. Lex enim casses tendere imprudentibus non solet; praeterea postquam semel habitum est suffragium senum milium, fraus occulta latere neminem potuit.

Demonstravi igitur, legem non postulavisse ut sex milia esset numerus eorum qui suffragia ferrent sive pro sive contra; id enim absurdum esset, quandoquidem nemo contra erat suffragium laturus; manifestum igitur est, legem postulavisse, ut sex milia esset numerus eorum qui pro rogatione suffragium

1) P. 152 sq.

Digitized by Google

ferrent. Itaque lex cum iubeat: *οἱ ψηφισάμενοι (οἷς ἂν δόξῃ) ἔστων μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι*, apparet voce *οἱ ψηφισάμενοι (οἷς ἂν δόξῃ)* eos tantum significari qui pro rogatione suffragium ferant. — Lugebil contendit, verba *οἷς ἂν δόξῃ* significare posse „qui consentiunt" sed etiam „quorum maior pars consentit". Id etiam si verum est, tamen ad nos iam non pertinet; ei a quibus postulatur ut numerum sex milium efficiant, sunt ei quibus rogatio placet. Nihil restat quam altera interpretatio; cum *οἱ ψηφισάμενοι*, tum *οἱ ψηφισάμενοι οἷς ἂν δόξῃ*, sunt ei qui pro rogatione suffragium ferunt.

Huiusmodi cum fuerit opinio virorum d. Boekh Schoemann aliorum quos supra nominavi, quam nunc veram esse apparuerit, nondum tamen veram interpretationem huius legis plenam assecuti sumus; vidimus quid *non* iusserit lex, superest ut ostendamus quid iusserit.

Transeo igitur ad refutandam sententiam viri d. Boekh, quam de ratione suffragiorum lationis protulit hanc [1]): „Vielmehr wurde zu allen Privilegien die Zustimmung von mindestens 6000 erfordert, und nur durch bejahende Abstimmung sovieler, natürlich wenn sie die Mehrheit bildeten, war ein Privilegium beschlossen". — Secundum hanc sententiam binae urnae (in singulis phylarum saeptis) ponebantur. Cives cum qui probabant rogationem tum qui impugnabant, suffragium inibant, calculum illi in urnas iubentium demittentes, hi in urnas antiquantium. Ex illis urnis (iubentium) primum educebant calculos magistratus, et numerabant. Si minus sex milia suffragiorum aderant, rogatio antiquata erat. Sin plura, etiam urnae antiquantium inspiciebantur, num forte maior etiam in eis numerus calculorum inesset, quod si non erat, rogationem perlatam esse populo denuntiabant. — Ita rem sibi informavit Boekh.

Facile concederem, si verba legis sinerent; sed cum ipsa lege hanc sententiam conciliare nullo modo possum. Videamus iterum quid iubeat lex: *οἱ ψηφισάμενοι (οἷς ἂν δόξῃ) ἔστων μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι* — et informemus simplicissimam rationem, qua huic legi obtemperare potuerint magistratus. Est haec: ponunt prytanes decem urnas; vocant cives. Invitant eos cives *οἷς ἂν*

1) Staatshaush. 1. p. 325.

Digitized by Google

δόξῃ, quibus rogatio placeat (eos enim numerari iubet lex), ut saeptum ingressi calculum acceptum in urnam deiciant; reliquos cives, qui improbent rogationem, iubent ingressos saeptum calculum datum non in urnam deicere, sed urnam praetereuntes, calculum secum domum auferre. — Urnae deinde evacuantur, calculi in unum coniecti numerantur; evadit numerus 6500; vident prytanes τοὺς ψηφισαμένους, οἷς ἂν δόξῃ, οὐκ εἶναι ἐλάττονας ἢ ἑξακισχιλίους; legi obtemperatum est, rogatio perfertur. — Id quod voluit Boekh, ex lege necessarium esset si talem fere legem fuisse audiremus: εἰ ψηφισάμενοι οἷς ἂν δόξῃ, ἦσταν μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι, μηδὲ ἐλάττονες ἢ οἱ ψηφισάμενοι οἷς ἂν μὴ δόξῃ. Legem talem fuisse potuisse non nego, sed non talis *fuit*. Nihil dicitur in lege de maiore parte vincente; nihil de contentione et certamine partium, de dispensatione numerorum; haec omnia de suo commentus est Boekh. Nihil aliud assequi vult lex, quam ut sciat quot sint qui probent rogationem; quot sint qui improbent, nihil moratur. — Obiciet fortasse aliquis, cui verba viri d. Boekh „natürlich wenn sie die Mehrheit bildeten" per se vera et probabilia videantur, etiamsi in lege non diserte memoretur haec conditio, tamen nihil in lege esse quod impediat, itaque vincere id quod per se probabile sit. — Sed nunc in rem voco meliorem formam legis, quam praebent auctores gravissimi Demosthenes et Apollodorus. Hi omittunt verba οἷς ἂν δόξῃ. Apud eos lex haec est: οἱ ψηφισάμενοι ἦσταν μὴ ἐλάττονες ἢ ἑξακισχίλιοι. Demonstravimus supra (p. 38), τοὺς ψηφισαμένους qui sex milia numero sint necesse sit, non esse summam cum iubentium tum antiquantium; οἱ ψηφισάμενοι sunt soli iubentes. Sed tamen verum est, vocem ψηφίζεσθαι per se nihil aliud esse quam „calculum in urnam demittere", sive pro sive contra. Igitur necesse est, nulli alii calculum in urnam demiserint, quam qui probarent rogationem. Rationem viri d. Boekh non solum non niti legis verbis, sed etiam eis repugnare, apparet. Denique si quis quaerit, quomodo in lege praescriptum sit ut etiam cives qui nullum calculum laturi sint, ad urnas vocentur, respondeo id inesse in vocibus: κρύβδην ψηφιζόμενοι. Si omnes scirent, tantum fautores rogationis intrare saeptum, hi minime clam suffragia ferre dici possent.

Digitized by Google

Pudet fere, cum mecum reputem eximiam simplicitatem totius instituti, sed inprimis breviloquentiam elegantissimam ipsius huius legis — pudet fere me tam multa conscripsisse ut nihil aliud demonstrarem quam hoc, ipsa verba legis rem totam continere, et prorsus recte legem intellegi si modo ad verbum eam interpretemur: „ei qui calculum ferant, sex milia numero sint necesse est"; nam inest simul illud: „qui sex milia non expleri cupiat, calculum igitur ne tulerit". Legis verba ut magis perspicua etiam faceret, Grammaticus rectissime addidit voces *οἷς ἂν δόξῃ*, quae tamen ad intellegendum necessaria non sunt; recte etiam Gramm. apud And.: *δεῖ δόξαι ἑξακισχιλίοις.*

Concludimus, hunc fuisse ritum suffragii lationis. Cives in forum vocati, aditibus fori clausis a turba peregrinorum separati, cum aspicerent in medio foro saepta noctu operarum manibus constructa, introitum petebant suae quisque phylae destinatum. Singuli intrabant et a prytane adstante *unum* quisque calculum accipiebat [1]). Quem manu tenens, cum ad urnam, in interiore loco huius partis saepti positam, accessisset, manum ad urnam admovebat, quasi demissurus calculum, ita ut senatores etiam qui observarent vel cives qui post se venirent videre non possent relinqueretne calculum annon; ita quisque, re satis secum considerata, *κύριος ὢν αὐτὸς αὑτοῦ ἕκαστος*, revera *clam* suffragium ferebat vel abnuebat. Calculum enim clam demittebat si placebat rogatio, sin vero antiquabat, manu retinens de urna decedebat et abibat ut ceteri. — Denique cum tempus esset, calculi lati numerabantur, observabatur utrum numerus senis milibus maior an minor esset, et suffragii lationis eventus in concilio renuntiabatur civibus, qui interea in Pnycem ad concilium se contulerant. —

De consensu civium et formula *πάντες Ἀθηναῖοι.*

Rogationes si quae suffragiis senum milium perferebantur, magno consensu civium iussas esse manifestum est. Novissima autem parte belli Peloponnesiaci omnino tales rogationes perferri non potuisse videntur. Legati oligarchorum, a. 411 Athenis Samum missi, ut cives Athenienses qui in exercitu ibi essent oratione placarent et novo rerum ordini conciliarent, hoc quoque in mandatis ha-

1) Tituli: *τὴν ψῆφον δοῦναι.* (Demosth. 59) § 89: *ἐὰν μὴ τῇ ψήφῳ — ψηφίσωνται*

Digitized by Google

bebant ut militibus proponerent, numerum quinque milium civium, ad quos Oligarchi suffragiorum ius detulissent, invidiae eis esse non debere, quandoquidem haud ignorarent nulla eis temporibus populiscita per tot civium suffragia fieri solere, *οὐ-πώποτε Ἀθηναίους διὰ τὰς στρατείας καὶ τὴν ὑπερόριον ἀσχολίαν ἐς οὐδὲν πρᾶγμα οὕτω μέγα ἐλθεῖν βουλεύσοντας, ἐν ᾧ πεντακισ-χιλίους ξυνελθεῖν* [1]). Quamquam Thucydides auctor est oligarchos id legatis suis mandavisse, non vero, id verum esse; sed hoc mitto. Sed etiam ante expeditionem Syracusanam, et tempore pacis, si quidem recte numerus eorum qui ad rempublicam administrandam convenire solerent, octo minus milia fuisse aestimatur, rogatione huiusmodi perlata nonnisi parvum sane numerum ex eis civibus qui reipublicae gerendae vacarent dissensisse consentaneum est. Haud mirum igitur, si quod senum milium suffragiis comprobatum erat, *omnium civium* voluntas esse a Demosthene alicubi dicitur; is utramque formulam *μὴ ἔλαττον ἢ ἑξακισχιλίων ψηφισαμένων* et *εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει* ibi ita coniungit, ut alteram fere pro altera stare appareat, quod egregie vidit Fränkel [2]). — Minus mihi placent quae deinde demonstrare conatus est Fränkel. Equidem quo pluris merito ea facio, quae in rebus saepe ante se tractatis recte viderit et acute tetigerit, eo magis miror quod etiam nonnulla quae ab eo hic illic paullo inconsideratius scripta videantur, saepius quantum novi comprobata ab aliis quam refutata sint. Mitto, eum hanc formulam „sex milia Atheniensium esse omnes Athenienses", regulam iuris publici Attici fuisse dicere, quamquam frustra operam dedi ut intellegerem quid hoc esset [3]); sed cum statuisse videatur, ubicumque mentio fiat omnium Atheniensium, suffragia senum milium indicari [4]), hoc ad quaestionem nostram pertinet,

1) Thuc. 8. 72.

2) Demosth. 24 § 46 et 48. — M. Fränkel, die Attischen Geschw. Gerichte, Berlin 1877, p. 16.

3) l.l. p. 16 sq: „es bildet sich also für das Staatsrecht der Grundsatz, dass der von sechstausend Bürgern ausgesprochene Wille der allgemeine sei; *sechstausend Athener sind alle Athener.* Dieser Grundsatz des Attischen Staatsrechtes ist nicht aus den Institutionen die auf ihm beruhen nur von uns abstrahiert worden, sondern er ist ein den Athenern bewusster gewesen. Dies ist ganz klar ausgesprochen von Demosthenes".

4) l.l. p. 17: dass „πάντες Ἀθηναῖοι" geradezu ein staatsrechterlicher Terminus

Digitized by Google

et etiam paullo diligentius a nobis consideretur necesse est. Neque satis erit ostendisse, multis locis voces ἅπαντες vel πάντες Ἀθηναῖοι legi ubi de senum milium suffragio ne cogitari quidem possit — id enim vix necessarium esse videri possit neque magni interesse [1]) — sed duos locos tractare debeo quibus inprimis insistit Fränkel, quosque ad hoc institutum pertinere contendit.

Duae suffragiorum lationes quae ad hoc institutum referendae non sint.

Rogatio celeberrima Callixeni, quam nobis tradit Xenophon in Hellenicis [2]), qua Callixenus senator postquam praetores rei facti sunt in concilio populi, moderari voluit iudicium de reis faciendum, et quam eo auctore ex probouleumate senatus acceperunt cives, haec fuit:

ἐπειδὴ τῶν τε κατηγορούντων (Cobet κατηγορουμένων) κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ ἐκείνων ἀπολογουμένων ἐν τῇ προτέρᾳ ἐκκλησίᾳ ἀκηκόασι, διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους ἅπαντας κατὰ φυλάς· θεῖναι δὲ εἰς τὴν φυλὴν ἑκάστην δύο ὑδρίας· ἐφ' ἑκάστῃ δὲ τῇ φυλῇ κήρυκα κηρύττειν, ὅτῳ δοκοῦσιν ἀδικεῖν οἱ στρατηγοὶ οὐκ ἀνελόμενοι τοὺς νικήσαντας ἐν τῇ ναυμαχίᾳ, εἰς τὴν προτέραν ψηφίσασθαι, ὅτῳ δὲ μή, εἰς τὴν ὑστέραν· ἐὰν δὲ δόξωσιν ἀδικεῖν, θανάτῳ ζημιῶσαι καὶ τοῖς ἕνδεκα παραδοῦναι καὶ τὰ χρήματα δημοσιεῦσαι, τὸ δ' ἐπιδέκατον τῆς θεοῦ εἶναι (Cobet δημόσι' εἶναι, τὸ δ' ἐπιδέκατον τῆς θεοῦ).

Quod raro contingit, his verbis quae futura esset suffragii ferendi ratio copiose descriptum habemus. Ponentur binae urnae in locis singulis phylis destinatis; adstabunt praecones, monentes et indicantes utrae sint urnae condemnantium, in utras ab-

---

war, unter dem ohne weiteres ἑξακισχίλιοι verstanden wurden, beweist der von Xenophon aufbewahrte Wortlaut" etc.

1) Exempla suffragiorum: Xen. Hell. 3. 5. 8: ἅπασα ἡ πόλις ἀπεψηφίσατο; ibid. 3. 5. 16: πάντες δ' (οἱ Ἀθηναῖοι) ἐψηφίσαντο. — (Demosth. 26) adv. Aristog. 2. 8. ἃ μὲν ἅπαντες ὑμεῖς συλλεγέντες ἐψηφίσασθε. — Lys. 13 § 65 (locum interpolatori tribuit Hamaker) συλλήβδην γὰρ ὑμεῖς ἅπαντες καὶ ἐν τῷ δήμῳ καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ συκοφάντας αὐτοὺς κατέγνωτε. — Aesch. de f. leg. § 13: καὶ ὁ δῆμος ἅπας ὁμογνωμονῶν ἐχειροτόνησεν. — Passim de electionibus: ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων. — Cfr. praeterea Lys. 19. 51; Lys. 13. 32; Lys. 34. 3; Demosth. 24. 13; (Demosth. 25) adv. Aristog. 1. 51, etc. — Sane etiam de ostraciamo, (Andoc. 4) adv. Alcib. § 4: τούτου τοῦ πράγατος (ὀστρακισμοῦ) ἅπασιν Ἀθηναίοις μέτεστι.

2) Xen. Hell. 1. 7. 9.

Digitized by Google

solventibus calculi sint demittendi; dabuntur singuli calculi, sed qui secundum urnas in quas deiecti sint eidem aut sint absoluturi aut condemnaturi; numerabitur igitur cum haec pars tum illa, cum ea cui placeat praetores poenam dare tum ea cui contrarium. — Atqui voces διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους ἅπαντας κατὰ φυλάς, significantne idem quod: διαψηφίσασθαι Ἀθηναίους κατὰ φυλάς, μηδὲ κύριον εἶναι ὅ τι ἂν δόξῃ ἐὰν μὴ ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι ψηφίσωνται, vel aliquid eiusmodi, scilicet suffragium irritum fore si minus sex milia civium suffragia tulerint, ut contendit Fränkel [1])? Noli credere. Rogatio ipsa id falsum esse manifeste declarat, cum *binas* urnas poni iubeat. Quis enim calculum demissurus esset in urnam suffragiis eorum destinatam quibus non viderentur condemnandi praetores? His rogatio obtulisset beneficium illud, praetores condemnari non posse si minor sex milibus numerus suffragiorum evaderet. Num forte rogatio iussisset urnam poni in usum eorum, qui illud beneficium spernere vellent? Cogitarine potest talis eventus, in urnis condemnantium inventos esse forte 5999 calculos, qui ad condemnationem non sufficerent, deinde vero uno calculo in alteris urnis invento damnatos esse praetores, immisso ab cive egregiae quidem voluntatis, sed ingenii paullo hebetioris? Non potest sane; ratio huius suffragii lationis fuit simplicissima, maior pars suffragiorum vicit. — Deinde si verum esset, hac una voce Ἀθηναίους ἅπαντας significatum esse notum institutum suffragii senum milium, itaque caput rei quasi uno verbo tantum significare satis habuisse rogatorem, quid attinebat reliquas res leviores tam prolixe enuntiare, binas urnas, praecones adstantes —? Ne credideris autem eas voces ἅπαντας Ἀθηναίους prorsus sensu cassas esse [2]); monuisse satis est, eas significare non numerum certum iudicum, sed omnes cives ad urnas vocari. — Ceterum rogationi additum non est, utrum ἡ ψῆφος ἀφανὴς fuerit ferenda an φανερά; id est utrum binae urnae saeptis tectae fuerint an in aperto ut omnes prospicere possent. Sed quamquam desideratur vox κρύβδην, tamen cum κατὰ φυ-

1) l.l. p. 18 sq., p. 81, p. 92 adn.

2) Fränkel l.l. p. 18: „Wollte man nun die Leute gewaltsam in die Ecclesie schleppen, oder ist es möglich, dass in einer öffentlichen Akte Worte ohne jede Bedeutung figuriren?

Digitized by Google

λὰς per viginti urnas res fiat, etiam saepta esse constructa ad tegendas urnas, et singulos cuique phylae introitus factos esse, et singulos cives esse admissos (cfr. supr. p. 31 sq.), tantum non constat. Haec saepta enim sufficiebant, etiam cum binae urnae positae essent, ad efficiendum ut occulta fieret suffragii latio; nam prorsus idem ritus indicatur a Lycurgo in causa Leocratis, et ibi vocem κρύβδην additam legimus [1]).

Iam vix necessarium est aliquid addere de opinione eorum, qui statuant in iudicio populi, quotiens de εἰσαγγελίας causa populus ipse ius dicat, usitatam fuisse „rationem quae privilegiis rogandis constituta esset [2])". Primum enim vidimus, nullam singularem rationem privilegiis rogandis fuisse constitutam; deinde ostendimus, duas causas quibus illa opinio nitatur, causam scilicet praetorum et causam Leocratis, diiudicatas esse per simplicem suffragiorum maiorem partem.

Alter locus est Andocidis quem huc traxit Fränkel [3]): Λυδὸς ὁ Φερεκλέους τοῦ Θημακέως ἐμήνυσε μυστήρια γίγνεσθαι ἐν τῇ οἰκίᾳ Φερεκλέους τοῦ δεσπότου τοῦ ἑαυτοῦ, ἐν Θημακῷ· καὶ ἀπογράφει τούς τε ἄλλους καὶ τὸν πατέρα ἔΦη τὸν ἐμὸν (Λεωγόραν) παρεῖναι μέν, καθεύδειν δὲ ἐγκεκαλυμμένον. Σπεύσιππος δὲ βουλεύων παραδίδωσιν αὐτοὺς τῷ δικαστηρίῳ. Κἄπειτα ὁ πατὴρ καταστήσας ἐγγυητὰς ἐγράψατο τὸν Σπεύσιππον παρανόμων, καὶ ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων, καὶ μετέλαβε δικαστῶν τοσούτων οὐδὲ διακοσίας ψήΦους ὁ Σπεύσιππος.

Leogoras igitur, pater Andocidis, auctore Speusippo senatore, a senatu reus factus est, et in vincula ducí iussus est. Sed Leogoras vadibus publicis datis e carcere emissus, Speusippum senatorem per γραΦὴν παρανόμων aggressus est [4]) [consimili fere modo Euryptolemus Callixenum senatorem per γραΦὴν παρανόμων postulare minatus est, Xen. Hell. 1. 7. 12]. Tum Speu-

1) Lycurg. adv. Leocr. § 146: εὖ ἴστε, ὦ ἄνδρες, ὅτι νῦν κρύβδην ψηφιζόμενος ἕκαστος ὑμῶν Φανερὰν ποιήσει τὴν αὑτοῦ διάνοιαν τοῖς θεοῖς, et § 149: καὶ δυοῖν καθίσκοιν τὸν μὲν προδοσίας, τὸν δὲ σωτηρίας εἶναι κ. τ. λ.

2) Gilbert Handbuch 1 p. 280 n. 4; Lipsius, Meier und Schoemann Att. Proz. (Berlin Calvary 1886) p. 326.

3) Andoc. Myst. § 17.

4) Cfr. quae ad tuendam huius loci lectionem traditam vere scripsit Bake, Schol. Hypomn. 1. p, 222 sq., contra dubitationes viri d. Sluyter.

Digitized by Google

sippus condemnatus est παρανόμων, et quidem ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων. Hanc causam, γραφὴν παρανόμων, in populi concilio dictam esse satis audacter coniecit Fränkel [1]); itaque ea verba ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων ita intelleguntur ab eo, ut fere sint pro: ἠγωνίσατο ἐν τῷ δήμῳ, κυρίου μὴ ὄντος ὅ τι ἂν δόξῃ ἐὰν μὴ ἑξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται. Deinde monet, ducentos calculos fere contra accusatorem (rogatorem) esse latos, at iudicium ratum fuisse. Hinc deducit, legem non postulasse ut sena milia suffragiorum *consentirent*, sed tantum ut summa suffragiorum ne minor sex milia esset; nam, ait, manifestum est ex verbis ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων, hunc numerum complecti cum qui pro Leogorae rogatione, tum qui contra laturi essent suffragia; quod etiam appareat ex verbis δικαστῶν τοσούτων οὐδὲ διακοσίας ψήφους μετέλαβε, ducenta suffragia de sex milibus pro reo fuerunt [2]).

At quaero, sitne hoc loco ἑξακισχίλιοι Ἀθηναίων minimus quidam numerus, minus proprie positus pro numero eorum qui revera suffragia laturi essent, sic fere: ἠγωνίσατο ἐν μὴ ἐλάττοσιν ἑξακισχιλίων Ἀθηναίων? — Si affirmat, nihil demonstravit Fränkel, nam fieri potuit ut 7500 suffragia pro rogatione, 200 contra lata essent. — An vero non est numerus minimus, verum ipse suffragantium numerus? Hoc mihi quidem omnium certissimum esse videtur, neque aliter locus intellegi potest; etiam Fränkel hoc putare videtur, ex eius ratiocinatione sequitur, recte vidit ipsa verba non permittere ut ea aliter interpretemur [3]). Sed ita de suffragio illo senum milium ne cogitare quidem debuerat. An ius suffragii ad sex milia civium delatum esse ei videtur? Multine cives de suffragio exclusi sunt? Lex postulavit ut sex ad minimum milia suffragiorum lata essent, prohibuitne etiam ne plura? ἑξακισχίλιοι Ἀθηναῖοι igitur *non* sunt ἅπαντες Ἀθηναῖοι [4]), neque vera est illa „formula iuris publici" quam assecutus est p. 16? —

1) l.l. p. 88—92.

2) l.l. p. 92 n. 1: „das verkannte Beispiel einer Abstimmung der Ecclesie nach der Norm der *νόμοι ἐπ' ἀνδρί* löst den Zweifel, ob dabei 6000 Bürger überhaupt nur stimmen, oder zustimmen mussten, im Sinne der ersteren Alternative: der Ausdruck ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις Ἀθηναίων ist unzweideutig."

3) l.l.: „der Ausdruck ἠγωνίσατο ἐν ἑξακισχιλίοις ist unzweideutig".

4) Cfr. (Demosth. 25) 1. 51: εἰσὶν δμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι.

Digitized by Google

Andocides loquitur de certo numero hominum quibus suffragii ferendi officium impositum fuerit; hi homines sunt δικασταί; quod ipse dicit Andocides. Quod etiamsi non ipso verbo declaratum esset ab Andocide, tamen ex ipsa re esset manifestum. Nam quomodo potuisset de γραφῇ παρανόμων in populi concilio iudicari? Quis hoc umquam audivit? — Ceterum de huius loci interpretatione brevi egit Lipsius [1]). Hoc constat, γραφὴν παρανόμων, quam contra rogationem Speusippi (utrum senatus consultum fuerit an senatus auctoritas, i. e. rogatio ad populum ferenda, sive probouleuma, nunc non quaero) scripsit Leogoras, ab heliastis esse iudicatam. Lipsius, cum dubitet de voce ἑξακις χιλίοις, et δις χιλίοις legendum esse aliquando coniecerit [2]), nunc nihil mutare melius esse affirmat et accipere quae tradit Andocides [3]), quamquam tam magni numeri iudicum, duodecim δικαστηρίων coniunctorum, nullum aliud exemplum sit. — Mihi iam dudum legendum esse visum est: ἠγωνίσατο ἐν ἑνὶ καὶ χιλίοις Ἀθηναίων. Primum literarum ductus id ipsum suadent, ἐν ἑνὶ καὶ facile mutari potuit in ἐν ἑξακις. — Deinde hanc lectionem veram esse ostendunt voces: μετέλαβε — οὐδὲ διακοσίας ψήφους ὁ Σπεύσιππος. Eae enim positae sunt pro notissima illa formula: οὐδὲ μετέλαβε τὸ πέμπτον μέρος [4]), quae etiam brevius sic legitur: οὐδὲ μετέλαβε τὸ μέρος [5]), qua ostenditur, calumniae poenam ab accusatore esse commissam. Hoc loco Andocides id dicit de reo, eam ob causam quod is revera ab initio, in senatu, fuerat accusator; ostendit eum calumniatoris non quidem poena, sed ignominia, se dignum praebuisse. Hoc voluisse Andocidem apparet ex eo quod non definit numerum suffragiorum pro reo latorum, sed quod satis habet dicere numerum inferiorem fuisse ducentis. At ita mille iudices fuerint necesse est. — Tertium, ut cumulem argumenta, Demosthenes hunc ipsum numerum δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους,

---

1) Lipsius, in Bursians Jahresbericht 1880 p. 802.

2) l.l. adn. 3.

3) Lipsius, in Meier und Schoemann Att. Prozess p. 148 n. 5 et p. 167.

4) Ea formula utuntur in simili causa ex gr. Aeschin. de f. leg. § 14, Plut. Vit. Demosth. Mor. p. 847 A.

5) In simili causa παρανόμων Demosth. 18 § 103: καὶ τὸ μέρος τῶν ψήφων ὁ διώκων οὐκ ἔλαβε.

Digitized by Google

memorat in causa quadam, quam de γραφῇ παρανόμων dictam esse constat, et statuendum est hunc numerum iudicum miliarium fuisse legitimum cum iudicandum esset de γραφῇ παρανόμων [1]). — Itaque concidit quod solum supererat testimonium de numero iudicum tam magno, sex milium scilicet, de quo numero tam vere et acute egit Fränkel in eodem libro. —

1) Demosth. 24 § 9: εἶτα τοῦ δήμου μίαν ἡμέραν ὅλην ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἀναλώσαντας, πρὸς δὲ τούτοις δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων — —. Scio quidem virum d. Fränkel (p. 108) et alios hunc locum referre ad εἰσαγγελίας causam. Sed e sequentibus verbis Demosthenis (§ 13 sq.) apparet, causam fuisse γραφὴν παρανόμων, quod iamdudum indicaverat Schaefer (Dem. 1 p. 382). Nunc video etiam hanc esse opinionem viri d. Lipsius (Mei. u. Schoem. p. 168 n. 48).

AD PLATONIS THEAETETUM P. 151 D.

In festivissimo loco, ubi Socrates artem suam cum matris arte obstetricia comparat, non solum emblemata reperiuntur complura, quae nunc tangere nolo, sed etiam turpi errore obscuratur exquisita elegantia qua vocabula τῆς μαιευτικῆς τέχνης adaptata sunt arti Socratis dialecticae. Si quis iuvenis, philosophus dicit, foetum enixus est mentalem, quem recipere nolo cum intelligam non esse vitalem, ille mihi, ut fit, irascitur; immerito tamen, quoniam non malignitate quadam animi talia facio, ἀλλά μοι ψεῦδός τε συγχωρῆσαι καὶ ἀληθὲς ἀφανίσαι οὐδαμῶς θέμις.

Veram iustamque prolem *abicere*, ἀφανίσαι, olim ut hodie nefas fuisse obstetrici, facile credimus; sed foetum monstruosum, inanem, ἀνεμιαῖον neque *refutare* attinet, opinor, neque *concedere*, sed unum *recipiendi* verbum hic locum habet, quod συγκομίζειν graece dicitur. Scripsit igitur Plato: ἀλλά μοι ψεῦδός τε συγκομίσαι καὶ ἀληθὲς ἀφανίσαι οὐδαμῶς θέμις.

Si dubitas adhuc, confer sodes Socratis verba supra p. 149 e: τῆς αὐτῆς ἥ ἄλλης οἴει τέχνης εἶναι θεραπείαν τε καὶ συγκομιδὴν τῶν ἐκ γῆς καρπῶν κτέ. .... εἰς γυναῖκα δὲ ἄλλην μὲν οἴει τοῦ τοιούτου, ἄλλην δὲ συγκομιδῆς.

J. v. L. Jr.

Digitized by Google

NOTULAE CRITICAE AD PAUSANIAM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I, 1, 3. *τῆς δὲ ἐπὶ θαλάσσης στοᾶς ὄπισθεν ἑστᾶσι Ζεὺς καὶ Δῆμος Λεωχάρους ἔργον.* Si haec librorum scriptura recte tradita est, scriptor significare voluisse videtur ambo simulacra in una basi fuisse posita, nam sin minus scribendum erat *ἔργα*, ut est v. c. I 2, 4: *καὶ πλησίον ναός ἐστι Δήμητρος, ἀγάλματα δὲ αὐτή τε καὶ ἡ παῖς καὶ δᾷδα ἔχων Ἴακχος, γέγραπται δὲ ἐπὶ τῷ τοίχῳ — ἔργα εἶναι Πραξιτέλους.* Contra vox *τέχνη*, etiam ubi de pluribus artis operibus sermo est, usurpari solet numero singulari, velut I 8, 5 *τῶν δὲ ἀνδριάντων οἱ μέν εἰσι Κριτίου τέχνη κτέ.*

2, 5. *πρόσωπόν ἐστιν οἱ μόνον ἐνῳκοδομημένον τοίχῳ.* Scribendi usus postulat *τῷ τοίχῳ*, ut est supra § 4 et ubique. Cur articulus exciderit vides.

7, 1. Supplendum arbitror: *Οὗτος ὁ Πτολεμαῖος Ἀρσινόης ἀδελφῆς ἀμφοτέρωθεν ἐρασθεὶς ἔγημεν αὐτήν, Μακεδόσι <μὲν?> οὐδαμῶς ποιῶν νομιζόμενα, Αἰγυπτίοις μέντοι ὧν ἦρχεν, δεύτερα δὲ ἀδελφὸν ἀπέκτεινεν Αἰγαῖόν <οἱ> ἐπιβουλεύοντα, ὡς λέγεται.* Contra § 3 nomen proprium inepte abundat in his: *Μάγας δὲ ἤδη γυναῖκα ἔχων Ἀπάμην Ἀντιόχου τοῦ Σελεύκου θυγατέρα, ἔπεισεν Ἀντίοχον παραβάντα ἃς ὁ πατὴρ οἱ [Σέλευκος] ἐποιήσατο συνθήκας πρὸς Πτολεμαῖον, ἐλαύνειν ἐπ' Αἴγυπτον.* Quod in fine § perdure omissum est *καλούμενος* in verbis *καὶ νομὸς ἐστιν ἀπ'*

Digitized by Google

αὐτῆς (ab Arsinoe) Ἀρσινοΐτης Αἰγυπτίοις, id librariorum culpa excidisse putare noli, nam est hoc prorsus ex usu Pausaniae, qui cum alibi saepe ita scripsit tum III 14, 8 καὶ χωρίον Πλατανισᾶς ἐστιν ἀπὸ τῶν δένδρων, αἳ δὴ ὑψηλαὶ καὶ συνεχεῖς περὶ αὐτὸν αἱ πλάτανοι πεφύκασιν. § 2 init. lege ὑπέμενεν pro ἐπέμενεν.

8, 1. Μέγιστον δέ ἐστιν οἱ τῶν ἔργων· Γαλάτας [γὰρ] ἐς τὴν γῆν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἔχουσιν, ἀναφυγεῖν ἠνάγκασεν ἀπὸ θαλάσσης. Suspectam habeo in hac verborum compositione voculam γάρ. Recte abest I 17, 4 πιθανώτατα δὲ ὧν ἤκουσα· Θησεὺς ἐς Θεσπρωτοὺς ἐμβαλών, τοῦ βασιλέως τῶν Θεσπρωτῶν <τὴν adde> γυναῖκα ἁρπάσων, τὸ πολὺ τῆς στρατιᾶς οὕτως ἀπόλλυσι κτέ., recte I 21, 5 πρὸς οὖν τὴν ἀπορίαν ταύτην ἐξεύρηται σφίσιν (l. ἐξεύρηταί σφισιν, nam enclitìcum σφισιν Pausaniae idem est quod apud Herodotum σφι, i. e. αὐτοῖς, contra σφίσιν ut apud illum est reflexivum, qua in re saepe peccarunt et scribae et editores)· ἐπὶ μὲν τοῖς δόρασιν αἰχμὰς ὀστεΐνας Φοροῦσι τόξα τε κράνινα (l. κρανέϊνα) κτέ.

8, 3 v. fin. εὖ δέ μοι λελέχθαι δοκεῖ ἄνδρα ἀφειδῶς ἐκπεσόντα ἐς πολίτειαν καὶ πιστὰ ἡγησάμενον τὰ τοῦ δήμου μήποτε καλῶς τελευτῆσαι. Codices ἐκπεσόντα habent aut ἐσπεσόντα aut ἐμπεσόντα. Editores receperunt lectionem omnium deterrimam. Si ἐμπεσόντα non sufficiat, suadeo ἐπεμπεσόντα, ut est apud Aristophanem Pac. 463 κἀπεμπίπτω καὶ σπουδάζω.

8, 6. Mire dictum est παραδόντων Ῥοδίων τὸ ὄνομα, ubi exspectamus verbum simplex. Sed cf. II 14, 4 καὶ οὗτος ἦν ὁ τῷ χωρίῳ τὸ ὄνομα παραθέμενος Κελεάς pro θέμενος.

9, 1. Prorsus ut supra 7, 1, iterum excidit necessarium pronomen in his: τῆς δὲ ἐς τὸν παῖδα τῇ Κλεοπάτρᾳ δυσνοίας λέγουσιν ἄλλας τε αἰτίας καὶ ὅτι <οἱ> Ἀλέξανδρον τὸν νεώτερον τῶν παίδων κατήκοον ἔσεσθαι μᾶλλον ἤλπιζε. Ut illic, in causa fuerunt litterae praecedentes.

9, 3. ὡς ὑπερβαλέσθαι πλούτῳ τοὺς Ἑλλήνων πολυχρημάτους. Verius videtur πολυχρηματωτάτους.

10, 2. Requiro Δημητρίου δὲ <πάλιν> διαβάντος ἐς τὴν Ἀσίαν. Nam paullo ante ex Asia venisse dictus est in Europam.

11, 3. Ἦν δὲ ἄχρι μὲν Ἀλκέτου — ἐφ' ἑνὶ βασιλεῖ καὶ τὰ Ἠπειρωτῶν. Huius loci est ὑφ' et καὶ exulare debet.

11, 7 extr. πρὶν ἐς χεῖρας ἐλθεῖν Ῥωμαίοις. Pausanias ad He-

Digitized by Google

rodoti exemplum cum infinitivo iungere solet πρὶν ἤ, nec fere dubito quin ubicumque posterior vocula deest librariorum culpa omissa sit. Nam locorum ubi abest copia perexigua est, comparata cum ingenti multitudine locorum ubi apparet. Etiam apud Herodotum, cuius codices sunt multo praestantiores quam Pausaniae, qui ex deterrimis libris editur, interdum eadem vocula periit.

13, 1. ἀφικομένων δὲ τῶν ἀγγέλων, ὡς οἱ γράμματα ἀπεδόθη, συναγαγὼν τοὺς ἐν τέλει τῶν τε ἐξ ἠπείρου καὶ τῶν Ταραντίνων, ὧν μὲν εἶχε [τὰ βιβλία] ἀνεγίνωσκεν οὐδέν, ὁ δὲ ἥξειν συμμαχίαν ἔλεγε. Perabsurde interpolatum est τὰ βιβλία, quandoquidem Pausanias, si quid addidisset, scripsisset saltem ὧν μὲν εἶχε βιβλίων ἀνεγίνωσκεν οὐδέν. Sed proxime praegresso γράμματα, haud dubie voluit intellegi ὧν μὲν εἶχε γραμμάτων (i. e. τῶν γραμμάτων ἃ εἶχε) ἀνεγίνωσκεν οὐδέν.

14, 3. εἰ δὴ Μουσαίου [καὶ] ταῦτα. Voculam καὶ recte om. cod. Vind.

16, 1. θύοντι ἐν Πέλλῃ τῷ Διὶ τὰ ξύλα ἐπὶ τοῦ βωμοῦ κείμενα προύβη τε αὐτόματα πρὸς τὸ ἄγαλμα καὶ ἄνευ πυρὸς ἥφθη. Nisi forte Pausanias dicere voluit aram quoque processisse ad signum dei, necessarium est τὰ ξύλα <τὰ> ἐπὶ κτέ. Utut est, τέρας hoc est τέρατος τερατωδέστερον. Ceterum cf. V 27, 6.

17, 4. καὶ αὐτός (Theseus) τε καὶ Πειρίθους, Πειρίθους γὰρ τὸν γάμον σπεύδων συνεστράτευεν, ἥλωσαν. Sic corrige pro ἐστράτευεν.

18, 7. ἐσβάλλουσί τε ἐς αὐτὸ ἀνὰ πᾶν ἔτος (sic pro κατ' ἔτος dicere solet Herodotum imitans P.) ἄλφιτα πυρῶν μέλιτι μάξαντες. Iniuria haec Bekkeri coniectura recepta videtur pro librorum lectione μίξαντες. Recte haberet μέλιτι φυράσαντες, sed μέλιτι μάττειν dici posse multum dubito. Quid vero vitiosi habeat codicum scriptura frustra quaero.

18, 8. τοῦ δὲ Ὀλυμπίου Διὸς Δευκαλίωνα οἰκοδομῆσαι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον ἱερόν, σημεῖον ἀποφαίνοντες ὡς Δευκαλίων Ἀθήνησιν ᾤκησε τάφον τοῦ ναοῦ τοῦ νῦν οὐ πολὺ ἀφεστηκότα. Nec de mortuis οἰκεῖν τάφον trita est Graecis (in pedestri saltem sermone) locutio, nec si scriptor hoc voluisset, usurpasset Aoristum, unde appareret Deucalionem Pausaniae aetate alibi sepultum esse, sed Praesens. Scripserim: ὡς Δευκαλίων Ἀθήνησιν ᾠκ<ο-δόμ>ησε τάφον κτέ.

Digitized by Google

20, 1. *ναοὶ θεῶν ἐς τοῦτο <οὐ> μεγάλοι καί σφισιν ἐφεςήκασι τρίποδες* tàm evidens est correctio, ut mireris Schubarto imposuisse Westermanni *σόφισμα* scribentis „magna profecto dicenda „(haec templa), si reputes nulli alii usui ea inserviisse quam „tripodibus in culmine ferendis." Memoratur *ναὸς οὐ μέγας* I 29, 2. 37, 4, alibi saepe. Incredibile vero dictu est quam saepe in Graecorum scriptis negatio a librariis neglecta sit.

20, 3. *μεθύσας αὐτὸν ἐς οὐρανὸν ἤγαγε.* Requiro *ἀνήγαγε*, ut praegressum est *Διόνυσός ἐςιν ἀνάγων Ἠφαιστον κτἑ.*

21, 6. *ταῦτα διατρήσαντες καὶ νεύροις ἵππων καὶ βοῶν συρράψαντες χρῶνται θύραξιν.*' Probabilius scribetur *ἢ βοῶν.* Perpetuo utraque vocula confunditur a librariis. Contrario vitio IV 11, 3 scribitur *τοὺς ψιλούς, σφενδονήτας μὲν ἢ τοξότας ὀλίγους.*

22, 2. *μυρσίνη δέ ἐςι Τροιζηνίοις τὰ φύλλα διὰ πάσης ἔχουσα τετρυπημένα· φῦναι δὲ οὐκ ἐξ ἀρχῆς αὐτὴν λέγουσιν, ἀλλὰ τὸ ἔργον γεγενῆσθαι τῆς ἐς τὸν ἔρωτα ἄσης καὶ τῆς περονῆς ἣν ἐπὶ ταῖς θριξὶν εἶχεν ἡ Φαίδρα.* Manifesto requiritur *φῦναι δὲ οὐκ ἐς ἀρχῆς τοιαύτην* vel *αὐτὴν τοιαύτην* κτλ. Paullo post scripserim: *ἐπείτε* (ex Herodoti imitatione pro *ἐπεὶ*) *Ἀθηναίους Θησεὺς ἐς μίαν συνήγαγεν* (pro *ἤγαγεν*) *ἀπὸ τῶν δήμων πόλιν.*

22, 7. *ἐγὼ δὲ ἔπη μὲν ἐπελεξάμην, ἐν οἷς ἐστὶ πέτεσθαι Μουσαῖον ὑπὸ Βορέου δῶρον.* In his pessime abundat aut *ὑπὸ* aut *δῶρον.* Illud addidisse crediderim librarium non intellegentem *δῶρον*, appositione relatum ad *πέτεσθαι.*

23, 10. *ἐς ὃ ναύαρχον αὐτὸν Ἀθηναίων αἱρουμένων ἐκπλεῦσαι οὐκ ἔφασκεν* Phormio. Soloece scriptum pro *ἐκπλεύσ<εσθ>αι.*

26, 1. *χρόνῳ δὲ ὕςερον ἄνδρας ἐσῆλθεν οὐ πολλοὺς* [*καὶ*] *μνήμη τε προγόνων καὶ ἐς οἵαν μεταβολὴν τὸ ἀξίωμα ἥκοι τῶν προγόνων.* Deleatur importuna vocula.

26, 7. malim: *ἐν τῇ νῦν <μὲν> ἀκροπόλει, τότε δὲ ὀνομαζομένῃ πόλει.* Sumsit haec scriptor ex noto loco Thucydidio II 15, 3 *τὸ δὲ πρὸ τούτου ἡ ἀκρόπολις* [*ἡ* olim delevi] *νῦν οὖσα πόλις ἦν.*

27, 10. *τῷ λεγομένῳ Μινωταύρῳ.* Divisim scribendum esse *Μίνω ταύρῳ*, testatur ipse Pausanias supra cap. 24, 1 scribens *πρὸς τὸν ταῦρον τὸν Μίνω καλούμενον* et 22, 5 *ἐς τὸν Μίνω καλούμενον ταῦρον.*

29, 3. Scribitur de Thrasybulo: *Ἀθηναίους στασιάζοντας διαλ-*

Digitized by Google

λαγῆναι καὶ συνθεμένους ἔπεισε μεῖναι. Aut aliquid excidit aut depravatum est μεῖναι. Apprimis aptum videtur μὴ μνησικακῆσαι, quod hac ipsa de re usurpari solet ab historicis.

37, 3. Satis recens esse epigramma declarat prava forma metro necessaria Δήμητραν in versu secundo.

41, 4. ἐγὼ δὲ γράφειν μὲν ἐθέλω Μεγαρεῦσιν ὁμολογοῦντα, οὐκ ἔχω δὲ ὅπως εὕρωμαι πάντα σφίσιν (l. σφισίν), ἀλλὰ ἀποθανεῖν μὲν λέοντα — πείθομαι. Ut vidi, ut correxi συμφέρωμαι, sed post Clavierium, quam coniecturam probabiliorem puto Porsoniana ἔψομαι propter colorem loci Herodoteum, qui scriptor non raro sic verbo συμφέρεσθαι utitur (cf. Schweigh. lex. Her. s. v.), nusquam quod sciam eo quod est ἕπεσθαι.

43, 5. θυγατέρες δὲ ἦσαν Πολυείδου. Tralaticio errore sic scribitur pro Πολυΐδου. Eadem opera infra 44, 3 Pausaniae redde Μινῴα pro Μινώα.

44, 6. αὐτὸς μὲν τοιοῦτός ἐστιν ὁ λίθος. Incredibile est nondum in editionibus legi οὗτος pro αὐτός, nam fieri vix potest ut nemo eam correctionem proposuerit.

AD LIBRUM II.

1, 6. Τὸ δὲ οὐ Κορινθίοις μόνον περὶ τῆς χώρας ἐστὶν εἰρημένον, ἀλλὰ ἐμοὶ δοκεῖν Ἀθηναῖοι πρῶτοι περὶ τῆς Ἀττικῆς ἐσεμνολόγησαν· λέγουσι δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ποσειδῶνα ἐλθεῖν Ἡλίῳ περὶ τῆς γῆς ἐς ἀμφισβήτησιν κτέ. Requiro Τοῦτο δὲ et deinde λέγουσι γὰρ καὶ οἱ Κορίνθιοι. Quod ad prius vitium attinet, saepius similiter a Pausaniae librariis peccatum est, velut X 9, 11 τὰ δὲ ἕτερα ἐκ Μουσαίου χρησμῶν μνημονεύουσι pro τάδε δὲ ἕτερα. Sed corruptelas similibus corruptelis tueri scilicet vetus criticorum est consuetudo.

2, 1. ὃς δ' ἂν ἐνταῦθα ἢ Κορινθίων ἢ ξένος ἐπίορκα ὀμόσῃ, οὐδεμία ἐστὶν οἱ μηχανὴ διαφυγεῖν [τοῦ ὅρκου]. Abiciantur duo ultima vocabula, quae orationem reddunt non graecam. Saepe absolute usurpatur διαφεύγειν, nec διαφυγεῖν τοῦ ὅρκου significare potest *effugere periurii poenas*.

2, 3. μετὰ δὲ αὐτὸν ἐπὶ τῷ ῥεύματι τῷ διὰ τῆς θαλάσσης Ποσειδῶνος χαλκοῦν. Pro depravato vocabulo contra sermonis proprietatem recepta est Facii coniectura ἐρύματι. *Agger* graece

Digitized by Google

dicitur χῶμα, et haud dubie reponendum fuerat χώματι, quod dudum repertum est.

3, 6. Ἑτέραν δὲ ἐκ τῆς ἀγορᾶς τὴν ἐπὶ Σικυῶνα ἐρχομένοις ἐστὶν [ἰδεῖν] ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ ναὸς κτέ. Reddatur magistellis ἰδεῖν, quod contra constantem Pausaniae usum interpolarunt, non intellecta ratione dativi geographici ἐρχομένοις.

7, 2. τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' αὐτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύοντες τὸν νεκρὸν χαίρειν. Verbum ὑπαγορεύειν (*praeire verba*) non est huius loci. Lege ἐπειπόντες.

10, 4. Necessario supplendum: εἶναι γάρ οἱ τοὺς παῖδάς <φασι> Σικυωνίους κτέ. Quam facile inter AC et CI elabi potuit ΦACI! Similiter mox in eadem paragrapho hiant verba τοῖς δὲ ἄλλοις κατὰ ταὐτὰ καὶ ὁρᾶν ἀπὸ τῆς ἐσόδου τὴν θεὸν καὶ αὐτόθεν προσεύχεσθαι, sive ἔξεστιν sive θέμις ἐστί aut aliud simile elapsum est; nam verba praegressa ita comparata sunt, ut nihil eiusmodi mente suppleri queat.

11, 7. μετὰ ἥλιον δύνΑντα. Verbum antiquum Ionicum δύνειν, quo Pausanias ad Herodoti exemplum utitur pro δύεσθαι, est defectivum, Praesenti contentum et Imperfecto. Corrigatur igitur δύνΟντα.

12, 5. τάφους δὲ τῶν Ἄραντος παίδων οὐχ ἑτέρωθι ἡγοῦμαι τῆς χώρας. Pausanias ad Herodoti exemplum non aliter scripsisse videtur quam ἥγημαι. Exempla ubique prostant. Eadem correctio facienda est VI 79, 13.

13, 3. Προσέσαι δὲ ἤδη — καὶ τῶν ἐς ἐπίδειξιν ἡκόντων τὰ ἀξιολογώτατα. Iam cognovisse videtur Pausanias locum Herodoti II 46 extr. scriptum ut hodie legitur in codicibus, licet ibi ἐπίΛεξιν scribendum esse ostenderim in *Comm. Crit. in Herod.* pag. 35.

14, 4. Una repetita littera corrigo: πρότερον δὲ ἄρα ἐπεποίητο <δ> Ἀράντιος τάφος. Mox § 17 requiro ὅτε ὁ λύχνος πρῶτον <τῶν> στεφανωμάτων ἥπτετο.

18, 2. ὕστερον δὲ οὐκ ἔχω σαφὲς εἰπεῖν πότερον ἀδικίας ἦρξεν Αἴγισθος. Graecum est aut σαφῶς εἰπεῖν aut τὸ σαφὲς εἰπεῖν.

20, 10. In oraculo vs. 1 ex Herodoto reponatur ἄρσενα pro ἄρρενα.

20, 8. συμβάντος δὲ Ἀργείοις ἀτυχῆσαι. Requiro συμβὰν et paullo post κατέφυγον pro κατέφευγον.

Digitized by Google

21, 10. *πρόσκειμαι γὰρ πλέον τι* [*ἢ οἱ λοιποὶ*] *τῇ Ὁμήρου ποιήσει.* Deleto perverso glossemate, intellege *ἢ τοῖς τῶν Ἀργείων λόγοις*, quod apparet e praegressis.

22, 2. *ἐνταῦθα ὀμόσαι παραμένειν πολεμοῦντας.* Imo *παραμενεῖν.*

24, 5. *ἐν δεξιᾷ δὲ ὄρος ἐστὶν ἡ Λυκώνη, δένδρα κυπαρίσσου μάλιστα ἔχουσα.* Requiritur *δένδρα κυπαρίσσων*, ut quamvis parum eleganter Pausanias scribit pro *κυπαρίσσους*. Vid. v. c. in hoc ipso libro 2, 7 *πιτύων δένδρα* et 11, 6 *κυπαρίσσων δένδρα ἀρχαῖα.*

24, 6. Sic suppleo hiulcam orationem: *καὶ ἄνεισι τοῦ Ἐρασίνου Φανερὸν ἐνταῦθα δὴ τὸ ὕδωρ· τέως δὲ <ὑπὸ γῆς> ἐκ Στυμφάλου ῥεῖ τῆς Ἀρκάδων.*

24, 7. *καταβάντος δὲ ἐς τὸ χθαμαλώτερον ἐρείπια Τσιῶν ἔστι πόλεως κτέ.* Corrigendum aut *καταβάντι* aut *καταβάντων*, aut quod longius distat *καταβᾶσιν*, nam his tribus modis in talibus scribit Pausanias. Plerumque quidem utitur dativo plurali, paullo fortasse rarius genetivo plurali (velut in hoc libro 2, 3. 3, 2. 13, 4, 5. 23, 2. 25, 8 bis. 36, 4), multo rarius veterum more dativo singulari (ut in hoc libro 22, 8), sed numquam genetivo singulari. Longe vero absurdius est quod editur 25, 8 *καταβάντων δὲ ὡς ἐπὶ θάλασσαν, ἐνταῦθα οἱ θάλαμοι τῶν Προίτου θυγατέρων εἰσίν. ἐπανελθόντων δὲ ἐς τὴν λεωφόρον, ἐπὶ Μίδειαν — ἥξεις*, sed procul dubio verum est *ἐπανελθὼν*, quod vitium tulit e praegresso *καταβάντων.*

31, 1. Supplendum *ὅτι ἀνδρίᾳ τοὺς <ἄλλους τοὺς> ἀποθανόντας ὑπερέβαλεν ὁ Ἀσερίων.* Nam ipsum Asterionem cum ceteris occubuisse modo dixit Pausanias.

34, 4. *οἰκιστὴν δὲ τῆς ἀρχαίας πόλεως* (Hermionae) *Ἑρμιονεῖς γενέσθαι φασὶν Ἑρμίονα Εὔρωπος. τὸν δὲ Εὔρωπα, ἦν γὰρ δὴ Φορωνέως, Ἡροφάνης ὁ Τροιζήνιος ἔφασκεν εἶναι νόθον· οὐ γὰρ δήποτε ἐς Ἄργον τὸν Νιόβης, θυγατριδοῦν ὄντα Φορωνέως, τὴν ἐν Ἄργει περιελθεῖν ἀρχὴν παρόντος* (l. *περιόντος*) *Φορωνεῖ γνησίου παιδός. ἐγὼ δέ, εἰ καὶ γνήσιον ὄντα Εὔρωπα πρότερον τὸ χρεὼν ἢ Φορωνέα ἐπέλαβεν, εὖ οἶδα ὡς οὐκ ἔμελλεν ὁ παῖς αὐτῷ Νιόβης παιδὶ ἴσα οἴσεσθαι Διός γε εἶναι δοκοῦντι.*

Herophanes ut Europem spurium esse evinceret, hoc usus

Digitized by Google

est argumento, quod, si genuinus fuisset ipse, non Niobae filius in avi sui locum successisset. Pausanias vero merito nullam eius argumenti vim esse contendit; nam cum fieri posse ut Europs ante avum Phoroneum mortem obierit, tum etiamsi morienti Phoroneo fuerit superstes, probabile esse illum quamvis legitimum filium posthabitum esse nepoti Argo filio Niobae, cui *genus ab Iove summo*.

Quare certum arbitror Pausaniam scripsisse: *εἰ καὶ γνήσιον ὄντα Εὔρωπα <μὴ> πρότερον τὸ χρεὼν ἢ Φορωνέα ἐπέλαβεν*.

Callide interpres Latinus sic eludit difficultatem ut vertat: *etsi prius quam Phoroneum* SCIO *legitimum eius filium Europem e vita excessisse*, quasi Graece legeretur *εἰ καὶ — οἶδα ἐπιλαβόν*.

38, 2. *ἐνταῦθα τὴν Ἥραν φασὶν Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γίνεσθαι*. Immo *<πάλιν> παρθένον γίνεσθαι*, *recuperare amissam matrimonio virginitatem*.

38, 3. *τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐν Ναυπλίᾳ λεγόμενα ἐς τὸν ὄνον, ὡς ἐπιφαγὼν ἀμπέλου κλῆμα ἀφθονώτερον ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνε τὸν καρπόν, — παρίημι*. Manifeste rescribendum est *ἀποφαγών*.

AD LIBRUM III.

2, 4. *θεῖναι δὲ αὐτὸν* (Lycurgum) *λέγουσιν οἱ μὲν παρὰ τῆς Πυθίας διδαχθέντα ὑπὲρ αὐτῶν, οἱ δὲ ὡς Κρητικὰ ὄντα νόμιμα ἐπαγάγοιτο*. Sic edidit Schubart e Coraesii correctione pro *ἐπάγοιτο*, sed loquendi usus postulat *ἐσαγάγοιτο* vel *ἐπεσαγάγοιτο*. Sic v. c. X 30, 7 *εἰσὶ μὲν δὴ οἳ νομίζουσι καθάπερ ἐς ποίησιν ἐπεισῆχθαι* (*ἐπεσῆχθαι* leg.) *τοῦ Προμέδοντος τὸ ὄνομα ὑπὸ τοῦ Πολυγνώτου*, VIII 37, 5 *Τιτᾶνας δὲ πρῶτος ἐς ποίησιν ἐσήγαγεν Ὅμηρος*, cui loco exemplum fuit Herod. II 23, 5 ed. meae: *Ὅμηρον δέ ἢ τινα τῶν πρότερον γενομένων ποιητέων δοκέω τὸ οὔνομα εὑρόντα ἐς ποίησιν ἐσενείκασθαι*, ubi iniuria ex Aldina inserui articulum. Corrigendus Paus. VII 17, 7 *τὰ γὰρ ἀρχαιότερα ὀνόματα ἐς ποίησιν ἐπάγεσθαι τῶν ὑςέρων καθεςηκός ἐστιν Ἕλλησιν* scribendo aut *ἐσάγεσθαι* aut *ἐπεσάγεσθαι*. Non enim *adducendi* sed *introducendi* notio in talibus necessaria est.

2, 6. *ἔργα οὐκ ἄδοξα ἐπιδειξαμένους*. Graecum est in ea re *ἀποδειξαμένους*, ut recte legitur infra 4, 8 *παρασχομένῳ*

Digitized by Google

μέγιστον Φρόνημα καὶ ἀποδειξαμένῳ λαμπρὰ οὕτω. Nam ἀποδείκνυσθαι est *praestare*, ἐπιδείκνυσθαι *ostentare*. Idem vitium recurrit VIII 7, 5.

4, 6. ἐν Ἐλεοῦντι. Hic et alibi Pausaniae reddatur verum nomen, perversa pronuntiatione depravatum, Ἐλαιοῦς.

5, 5. ἔδεισεν οὖν ὁ Παυσανίας διπλοῦν στρατιωτικοῦ πολεμίων ἀνδρῶν μεταξὺ ἀπολῆφθῆναι. Licet optime dicatur τὸ στρατιωτικόν pro οἱ στρατιῶται, in huiuscemodi tamen compositione vix aliter dici potuit quam στρατοῦ, quod male confusum esse suspicor cum compendio vocabuli στρατιωτικοῦ.

6, 1. μάλιστα δέ πως ἐπὶ πταίσμασιν ἐθέλει μεγάλοις προαφαιρεῖσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων, καθὰ δὴ καὶ Ἀθηναίων ἀπῆγεν Ἱπποκράτην κτἑ. Necessario corrigendum προαπῆγεν. Vitium fortasse natum est ex eo scribendi more quo praepositio πρό interdum significatur vocali ᾱ.

9, 9. ἐκ ταύτης ὑπὸ Θηβαίων ἐπαρθέντες τῶν περὶ Ἰσμηνίαν τόν τε σῖτον ἀκμάζοντα ἔτεμον καὶ ἤλασαν λείαν [ἄγοντες]. Delea tur turpe emblema.

10, 8. Λακεδαιμονίοις γὰρ ἐπιφανέσερά ἐστι τὰ ἐς τὸν Ἀμυκλαῖον. Aptior hic superlativus ἐπιφανέστατα.

11, 1. ὃ δὲ ἐν τῇ συγγραφῇ μοι τῇ Ἀτθίδι ἐπανόρθωμα ἐγένετο κτἑ. Non est ἐπανόρθωμα, quod Sibelisio visum est, ὀρθὸν βούλευμα, sed semper et ubique significat *correctio*. Hic vero requiritur κατόρθωμα, quo restituto vertendum: *quod in Attica scriptione recte institui.*

11, 7. χορὸς δὲ οὗτος ὁ τόπος καλεῖται πᾶς. Spartae igitur pristinam vim, quam ex Homero novimus, hoc nomen retinuerat.

12, 7. Ταλθυβίου δὲ τούτου μήνιμα ἐπὶ τῷ Φόνῳ τῶν κηρύκων — Λακεδαιμονίοις μὲν ἐπεσήμαινεν ἐς τὸ δημόσιον, ἐν Ἀθήναις δὲ ἰδίᾳ τε καὶ ἐς ἑνὸς οἶκον ἀνδρὸς κατέσκηψε Μιλτιάδου. Ex κατέσκηψε apparet Pausaniam dedisse ἐπεσήμηνεν. Licet melius unico verbo usus fuisset, noluit dimittere occasionem usurpandi duo verba Thucydidi sublecta. Huius enim scriptoris ut aliorum ex sequioribus stilum regere solet ineptum antiquorum imitandorum studium.

13, 1. δείκνυται δὲ πρὸς τῇ Σκιάδι καὶ Ἴδα καὶ Λυγκέως τάφος. κατὰ μὲν δὴ τοῦ λόγου τὸ εἰκὸς ἐτάφησαν ἐν τῇ Μεσσηνίᾳ

Digitized by Google

καὶ οὐ ταύτῃ. Manifesto sententia postulat: κατὰ μέντοι — τὸ εἰκὸς κτἑ. Ad verba τοῦ λόγου τὸ εἰκὸς cf. 14. 7 ἀποφαίνει τὸν λόγον εἰκότα, οὐ ταφῆναι κτἑ.

15, 11. ἦν γὰρ δὴ παντάπασιν εὔηθες — ἐλπίζειν κτἑ. Requiritur ἦν γὰρ ἂν κτἑ. Ut saepissime, hic librarii inter se confuderunt AN et ΔH.

16, 4. Χείλωνος — τοῦ σοφοῦ νομιζομένου. Praestat ὀνομαζομένου, nam, ut hodie, olim existimabantur *sapientes* multi, nominabantur paucissimi neque ultra septem, in quo numero fuit Chilo Lacedaemonius. Perpetuam esse utriusque vocabuli confusionem notum est omnibus.

17, 4. ἡ δὲ πρὸς δυσμὰς ἔχει τῶν στοῶν ἀετούς τε δύο [τοὺς ὄρνιθας] καὶ ἴσας ἐπ' αὐτοῖς Νίκας. Hic tenemus falsarium in flagranti, siquidem haud dubie ἀετώματα intellegenda sunt, non aves. Basilica ad templi instar utrimque fastigium habuisse dicitur et in utroque fastigio Victoriam. Cf. V 10, 4. Quare non dubitandum videtur quin interpretibus reddenda similia additamenta locis hisce: IV 18, 5 [ὄρνιθα τὸν] ἀετὸν ὑποπέτεσθαι. 20, 2 [τὸ δένδρον] τὸν ἐρινέον. 34, 8 κόρυδον [τὴν ὄρνιθα]. V 6, 3 [δένδρα] πίτυς ἀγρίας. 14, 3 [τὸ δένδρον] ἡ δὲ περσεία (pro δὲ ἡ. π.). VIII 17, 3 κόσσυφοι γὰρ [οἱ ὄρνιθες]. 21, 2 κίχλῃ [τῇ ὄρνιθι]. 42, 3 περιστερὰ δὲ [ἡ ὄρνις]. IX 21, 1 κατὰ [ἰχθὺν] ῥίνην. X 9, 3 [ἰχθύων τῶν] θύννων. IX 31, 9 Νάρκισσον δὲ [ἄνθος]. Maior fortasse est dubitatio VIII 14, 8 ἡ ἐπὶ τοῦ λίθου τῆς σμαράγδου σφραγίς.

17, 6. Locus est admodum memorabilis: Τῆς Χαλκιοίκου δὲ ἐν δεξιᾷ Διὸς ἄγαλμα Τπάτου πεποίηται, παλαιότατον πάντων ὁπόσα ἐστὶ χαλκοῦ· δι' ὅλου γὰρ οὐκ ἔστιν εἰργασμένον, ἐληλασμένου (l. ἐληλαμένου, vitium est tam in Herodoti quam in Pausaniae codicibus perfrequens) δὲ ἰδίᾳ τῶν μερῶν (sc. τὰ μέρη) καθ' αὐτὸ ἑκάστου συνήρμοσταί τε πρὸς ἄλληλα, καὶ ἥλοι συνέχουσιν αὐτὰ μὴ διαλυθῆναι κτἑ.

18, 4. ἀνὰ χρόνον δὲ αὐτόν τε ἀποδρᾶναι καὶ παρθένον τὴν ἱερευομένην ἔχοντα οἴχεσθαι τὸ ἄγαλμα ἀγομένην. Iocularis error pro ἱερωμένην; sive, quod rarius est sed legitur IV 17, 6, ἱερατευομένην, i. e. *sacerdotio fungentem*. Idem vitium sanandum est VII 24, 3 et 4, licet proxime sequatur infinitivus

Digitized by Google

ἱερᾶσθαι, in quo nusquam peccatum esse video, et denuo VIII 13, 5.

19, 6. Ψίλα γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά. Nimirum ut Σ apud Dorienses in quibusdam fit T (ut τῦκα vocarunt σῦκα) ita πτίλα ratione inversa Ψίλα audivisse minus mirabimur reputantes θεός apud Lacones (quamvis non antiquissimo tempore, ut tituli docent) sonasse σιός. Hic locus fugisse videtur Ahrensium in libro de dialecto dorica § 12, ubi agit de consonantibus duplicibus.

20, 9. ὁ δὲ ὅρκος ἦν — ἀμύνειν soloece editur pro ἀμυνεῖν.

21, 4. Agitur de lapidibus quibusdam qui κολυμβήθραις καὶ ὕδασι συντελοῦσι μάλιστα ἐς κάλλος. Perobscurum est ὕδασι. Annotat Siebelis „ὕδατα hic κρῆναι videntur esse." Quidni igitur dixit καὶ κρήναις, ut intellegi posset? Num forte iisdem litteris sed aliter dispositis Pausanias dederat δύαις? Hesychius δύαν· κρήνην.

23, 4. Bis periit articulus, nam sermonis ratio postulat <τῶν> ἀνδρῶν et paullo post <τὰ> ἀναθήματα.

24, 3. Interpolatori reddenda verba φασὶν et λέγουσιν, ut oratio pendeat a praegressis οἱ δὲ ἄνθρωποι λέγουσιν οἱ ἐνταῦθα.

24, 6. τὰ δὲ ἐν δεξιᾷ Γυθίου (Γυθείου?) Λᾶς ἐστί, — ᾤκισται δὲ νῦν μὲν κτἑ. Pugnat ᾤκισται, *condita est*, cum sequenti νῦν. Corrige ᾴκηται, ut Herodoti ad exemplum dicit Pausanias, *sita est*.

26, 7. Καρδαμύλη δὲ, ἧς καὶ Ὅμηρος μνήμην ἐποιήσατο ἐν Ἀγαμέμνονος ὑποσχέσεσιν δώρων. Plurali uti videtur Pausanias quod bis Il. IX 150 et 292 ea promissio commemoratur, licet semel facta sit. Alia ratio est numeri pluralis in eodem vocabulo IV 8, 7.

AD LIBRUM IV.

1, 8. Epigrammatis vs. 1 sic supplevit Lennepius:

ἥγνισα δ' Ἑρμείαο δόμους <μεγάλης> τε κέλευθα
Δάματρος καὶ πρωτογόνου Κουρᾶς κτἑ.

Sed cum praesertim vs. 3tio ambae deae μεγάλαι θεαί vocentur, nescio an elegantius suppleamus:

ἥγνισα δ' Ἑρμείαο δόμους <ἁγνᾶς> τε κέλευθα.

Sollemne autem hoc Cereris epitheton esse nemo ignorat. Contra

Digitized by Google

in vs. 4to γόνον Καύκωνα διδάξαι pro γόνου Καυκωνιάδαο, quam lectionem Siebelis frustra tuetur, admodum probabilis est eiusdem Lennepii emendatio.

2, 7 extr. Malim: εἰ τοίνυν <τοῦτ'> ἐστὶν ἀληθές κτἑ.

5, 7 extr. Expectabam: Λακεδαιμόνιοι δὲ οὐδὲ (pro οὐ) λέγονται — ἀποκρίνασθαι.

5, 9. Requiro: καὶ τό τε πόλισμα αἱροῦσι <τῶν> πυλῶν ἀνεφγμένων.

6, 1. διακρῖναί τε καὶ ἡλικίας ἔργα ὅπερ ἠθέλησα. Sententiae plane satisfacit Lachmanni coniectura: διακρῖναί τι καὶ ἡλικίας πέρι ἠθέλησα.

6, 3. Necessario scribendum: τούτου γὰρ δὴ ἕνεκα τὸν πάντα ἐποιησάμην <περὶ> Ῥιανοῦ καὶ Μύρωνος λόγον. Nam aliud est λόγον ποιεῖσθαί τινος rationem habere alicuius, aliud λ. π. περί τινος, mentionem facere de aliquo, quod est huius loci, nec τὸν πάντα ποιεῖσθαι λόγον τινός omnino Graeca est oratio. Elapsa est praep. ΠΕΡΙ propter sequens ΡΙανοῦ. — Paullo post propter oppositionem expectabam τοῦτον τὸν ἄνδρα (Aristomenem) ἐπεισήγαγε μὲν ὁ Πριηνεὺς <μόλις> ἐς τὴν συγγραφήν, Ῥιανῷ δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν οὐδὲν Ἀριστομένης ἐστὶν ἀφανέστερος ἢ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἰλιάδι Ὁμήρῳ. Sed quod volgatur ferri posse concedo.

6, 4 extr. πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι [τὸν πόλεμον]. Duo ultima vocabula sunt interpretis. Cf. Herod. VII 158. Thuc. VI 37. VII 14, quos Pausanias imitatur.

8, 1. Μεσσήνιοι μὲν δρόμῳ τε ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους ἐχρῶντο. Usitatius certe foret ἐφέροντο.

8, 8. Expectes: οὐ μέντοι <τι> χαίροντί γε ἀπὸ τῆς μάχης διακριθῆναι et infra 21, 10 ἀλλ' οὔ τι (pro τοι) τὸν πάντα γε χρόνον χαίροντες καρπώσεσθε τὰ Μεσσηνίων. Ita certe solent veteres scribere.

8, 7. ὡς οὐ τὰ πρότερά γε κακιοῦσιν. Legendum ὅπως.

9, 2. ἡ γὰρ Ἰθώμη μεγέθει τε οὐδενὸς ἀποδεῖ τῶν ὀρῶν ὁπόσα ἐντός ἐσιν Ἰσθμοῦ. Egregie fallitur Pausanias, ut omnino veteres montium altitudines male aestimare assolent.

9, 6. ὅπου καὶ τότε Ἀριστοδήμῳ διασώσασθαι Μεσσήνην ἀγώνισμα ποιουμένῳ [τὸ] ἐμπόδιον ἐπήγαγε τοιόνδε. Vitiose additur in libris articulus. Quae his praecedit comparatio eam fonti suo debere videtur Pausanias.

Digitized by Google

10, 4. *ἡμέραις δὲ οὐ πολλαῖς ἀποθνήσκει.* Excidisse videtur *ὕστερον*, quod constanter Pausanias addere solet.

10, 6. *εὐθὺς ἐκ γενετῆς* et infra 17, 7 *ἐκ γενετῆς τυφλόν.* Confirmant hae scripturae codicis Vaticani lectionem apud Herodotum IV 23 pro *ἐκ γενεῆς*. Idem eidem sine libris restituatur III 33.

11, 1 init. *Πέμπτῳ δὲ ἔτει τῆς Ἀριστοδήμου.* Kuhn post *Ἀριστοδήμου* supplevit *βασιλείας*, sed facilius propter nominis initium elabi potuit *ἀρ̃*, i. e. *ἀρχῆς*, quod tamen non cum Corayo ante, sed post nomen proprium inserendum est. Audiri posse nemo assentietur Sylburgio.

11, 3. Vid. ad. I 21, 6.

11, 4. *ἀριθμῷ μὲν δὴ τῶν ἐναντίων ἀπελείποντο, λογάδες δὲ ὄντες ἐμάχοντο πρὸς δῆμον καὶ οὐχ ὁμοίως πρὸς κρείττους, ᾗ καὶ μᾶλλον τῇ τε ἄλλῃ προθυμίᾳ καὶ ταῖς ἐμπειρίαις ἐπὶ πολὺ ἀντεῖχον.* Miror neminem, quod sciam, perspexisse Pausaniam scripsisse *καὶ οὐχ ὁμοίως προκρίτους*, i. e. *ἐπιλέκτους*, quod respondet praegresso *λογάδες*. Praeter sententiam de corruptela admonere potuerat *κρείττους*, contra constantem nostri consuetudinem scriptum pro *κρείσσους*.

11, 8. *τοὺς δὲ τῶν Λακεδαιμονίων διαφθαρέντας ἐν τῇ μάχῃ συλλαβεῖν μὲν οὐχ οἷά τε ἦν ἀριθμῷ, πείθομαι δὲ εἶναι καὶ αὐτὸς πολλούς.* Verius arbitror *αὐτοὺς καὶ πολλούς*, i. e. *πλείους*.

12, 2 extr. Suppleverim *Λακεδαιμονίων τὰ <μὲν> ἀδικήματα καινὰ εἶναι, τὰ δὲ σοφίσματα ἀρχαῖα.*

12, 13. *Μεσσηνίους δέ, ὡς εἶδον* (sc. *τοὺς πηλίνους τρίποδας*) *ἐτάραξε μὲν μεγάλως.* Legerim *ἐτάραξαν*, sc. *οἱ τρίποδες*.

13, 1. *τό τε γὰρ Ἀρτέμιδος ἄγαλμα — παρῆκε τὴν ἀσπίδα.* Intellegam *καθῆκε*, *demisit*.

13, 3. Suspicor *συνιᾶσι δὴ καὶ <τὸ> τοῦ χρησμοῦ τότε, ὡς κτέ.* Genetivus hic aptus non est, quia sermo est de oraculi particula.

13, 4. *ὡς οὐδὲν ὠφέλιμον γένοιτο Φονεὺς θυγατρός.* Possis *ὡς <ἐς> οὐδὲν ὠφέλιμον κτέ.*, sed fortasse praestat *ὡς οὐδὲν ὠφέλιμον <ὂν> γένοιτο κτέ.*

14, 2 suppleverim *τῷ Ἀμυκλαίῳ <Ἀπόλλωνι>*. Periit nominis compendium. Omissum nomen non tuetur locus III 10, 8.

Digitized by Google

16, 7. ἐπίθημα δέ ἐστιν αὐτῆς (τῆς ἀσπίδος) ἀετὸς κτέ. Quamquam idem error recurrit V 26, 9, punctum temporis non dubito quin *clipei insigne* a scriptore non ἐπίθημα vocatum sit, sed ἐπίσημα = ἐπίσημον = σημεῖον. Cf. Eurip. Phoen. 1114, 1134.

17, 3. ἀρετῇ τε οἱ μαχόμενοι καὶ τύχαις ἐκ τοῦ θεοῦ διεκρίνοντο. Quia non ἀρετῇ ἐκ τοῦ θείου διεκρίνοντο, necessario scribendum τύχαις <ταῖς> ἐκ τοῦ θεοῦ.

19, 6. τὰ μὲν δὴ δεσμὰ τοῦ Ἀριστομένους ἔτεμεν (διέτεμεν?) ἡ παρθένος· ὁ δὲ παραλαβὼν τὸ ξίφος διειργάσατο. His ita scriptis crederes Aristomenem interfecisse suam sospitatricem, sed enim paullo post sequitur ταύτην τὴν παρθένον λαμβάνει γυναῖκα Γόργος Ἀριστομένους. Procul dubio Aristomenes occidit custodes suos Cretenses, itaque excidit verbi διειργάσατο obiectum τοὺς Κρῆτας, vel τοὺς φύλακας vel ἐκείνους aut aliquid denique eiusmodi. Quare significanda est editori lacuna.

20, 8. Suppleatur: τοῦτον τὸν Κεφαλλῆνα <σφᾶς> ἀφαιρούμενον ἐκεῖνον μὲν — ἀπέσωσεν.

21, 3. ἐπιόντες δὲ τὴν πόλιν σπουδῇ. Lege περιιόντες.

24, 6. Lege νεωτεριοῦντας pro νεωτερίσοντας. Cr. ἀνοικιεῖν 25, 6.

25, 6. ταύτῃ μὲν δὴ περισχεθῆναι σφᾶς ἐκώλυε. Noli conicere ταῦτα. Cf. X 17, 4 καταστῆναι δὲ ἐς μάχην τῷ Ἑλλήνων καὶ τοῖς Τρωσὶν ἐκώλυσε τοὺς βαρβάρους. Aristoph. Av. 463 προπεφυρᾶται λόγος εἷς μοι, ὃν διαμάττειν οὐ κωλύει pro usitatiore οὐδὲν κωλύει dixit et Thucydides I 144, 2 loco controverso οὔτε γὰρ ἐκεῖνο κωλύει ἐν ταῖς σπονδαῖς οὔτε τόδε.

25, 9 Malim ἐς μὲν <οὖν> τοὺς Ἀκαρνᾶνας κτέ.

27, 4. Memorabilis locus, unde apparet Bacidis oracula progredienti tempore semper novis aucta esse.

27, 5. ἄνδρας μεταπεμπόμενος οἷς τέχνη στενωποὺς κατατέμνεσθαι καὶ οἰκίας καὶ ἱερὰ οἰκοδομεῖσθαι καὶ τείχη περιβάλλεσθαι. Pausanias, ut saepe faciunt sequiores, abutitur genere medio pro activo. Sic infra quoque 30, 6 Βούταλος δὲ ναούς τε οἰκοδομήσασθαι καὶ ζῷα ἀνὴρ ἀγαθὸς πλάσαι.

27, 11. Memoria dignissimum est quod scribit Pausanias: Μεσσήνιοι δὲ ἐκτὸς Πελοποννήσου τριακόσια ἔτη μάλιστα ἠλῶντο. ἐν οἷς οὔτε ἐθῶν εἰσὶ δῆλοι παραλύσαντές τι τῶν οἴκοθεν οὔτε τὴν διάλεκτον τὴν Δωρίδα μετεδιδάχθησαν, ἀλλὰ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι τὸ

Digitized by Google

ἀκριβὲς αὐτῆς Πελοποννησίων μάλιστα ἐφύλασσον. Doricae igitur stirpis priscorum morum et institutorum admodum tenacis tenacissimos Messenios fuisse auctor est.

31, 10. τὰ μὲν δὴ τοῦ λίθου Δαμοφῶντος ὃς εἰργάσατο, Μεσσηνίων δὲ ὅτι μὴ τοῦτον ἄλλον γε οὐδένα λόγου ποιήσαντα ἀξίως οἶδα ἀγάλματα. Optime iam Clavier Δαμοφῶν εἰργάσατο correxit, male vituperatus a Siebelisio, qui genetivum pendere contendens ab ἐστί, quod audiendum esse, non intellexit ita verba ὃς εἰργάσατο turpiter abundare.

32, 5. Oraculum emendavi Mnem. XIV², pag. 45.

33, 7. πεποίηκε δὲ Ὅμηρος μὲν Θαμύριδι ἐνταῦθα [ἐν τῷ Δωρίῳ] γενέσθαι τὴν συμφοράν. Tollatur glossema. Simile emblema deprendo VII 3, 3 ἔφυγεν ἐς Νάξον, καὶ ἀπέθανε μὲν αὐτόθι [ἐν τῇ Νάξῳ] et VIII 14, 4 ἐνταῦθα [ἐν τῇ ἀκροπόλει] ναός ἐστιν Ἀθηνᾶς. Nec valde dissimile est IX 2, 3 ἐς δὲ τὴν πηγὴν ἐνιδεῖν λέγουσιν αὐτὸν λουμένης Ἀρτέμιδος [ἐν τῇ πηγῇ]. Addo VII 28, 8 Ὀδυσσέα ὀκλάζοντα [ἐπὶ τοῖς ποσίν]. Cf. v. c. VII 26, 3 et 11.

35, 11. καὶ ὅσαις μὲν πηγαῖς θαῦμα ἰδεῖν καὶ ἰδόντι, τοσαύτας θεασάμενος οἶδα. Immo ἴδιόν τι, *aliquid peculiare.*

36, 3. Hiat oratio. Suppleverim: εἴη δ' ἂν Θεσσαλικὸν τὸ γένος τῶν βοῶν τούτων, Ἰφίκλου ποτὲ <γενομένων> τοῦ Πρωτεσιλάου πατρός, aut τούτων, <ὄντων> Ἰφίκλου ποτέ, i. e. αἳ ἦσαν Ἰφίκλου ποτέ, quae lenior est correctio.

AD LIBRUM V.

3, 1. ἤμυναν δὲ [καὶ] Ἠλείοις. Deleatur importuna vocula.

8, 9. [τὸν] δρόμον ἐνίκησεν Ἠλείοις. Ineptus est articulus.

10, 6. Supple: καὶ τὸ ἔργον τοῦ δρόμου παρὰ ἀμφοτέρων <ὂν> ἐν παρασκευῇ.

11, 6. Ἡρακλῆς δὲ ἐς αὐτὸν (Prometheum vinctum) ἦρται. Conspiciebatur Hercules μετέωρος. Minus recte vertit Böttticher *Olympia* pag. 301 „und Heracles der ihm naht."

13, 5. ἁλιέα — ἀφέντα δίκτυον ἐς θάλασσαν τὸ ὀστοῦν ἑλκύσαι. Aut ἐξελκύσαι expectabam aut ἀνελκύσαι.

14, 6. γράφομεν δὲ καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς λόγοις τοῖς Λετρίναις. Promisso stetit VI 22. 5, hic vero scripsit γράψομεν, ut correxit iam Porsonus, sed nemo audivit. Alia vero haud pauca

Digitized by Google

in Pausania emendavit criticorum sagacitas et diligentia, neglecta et spreta ab editoribus.

14, 8. Ἀγνώστων θεῶν βωμός. Praestiterit Ἀγνώτων.

16, 1. Scribitur de Heraeo μῆκος δέ εἰσι τοῦ ναοῦ πόδες τρεῖς καὶ ἑξήκοντα *** οὐκ ἀποδεῖ. Ope eorum quae docuit ruderum examinatio supplere licet εὖρος δὲ τριῶν (τεσσάρων?) καὶ εἴκοσιν. Haec enim est longitudinis et latitudinis proportio, 50,01 : 18,75.

18, 4. Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Τάχα, quod est conicientis, alienissimum est ab epigrammate in simulacro, nisi forte putamus poetam ludibrio habuisse statuarium. Siebelis proposuit οὗτος ὅγε, quod non satis tuetur Homerium κεῖνος ὅγε (Il. 19, 344). Equidem malim οὗτός γε ἄναξ, collato epigrammate quod infra est c. 19, 4

Ἰφιδάμας οὗτός γε, Κόων περιμάρναται αὐτοῦ.

Hiatum ante ἄναξ nemo reformidabit.

21, 3. χρήμασι διέφθειρε τοὺς ἐλθόντας τῶν πυκτῶν. Requiritur ἐσελθόντας, sc. ἐπὶ τὴν πυγμήν. Cf. v. c. VI 6, 6. 9, 3. 16, 7. al. Idem error castigandus VI 4, 1, ut iam Schubartum, quem locus V 21, 3 praeteriit, animadvertisse nunc video.

27, 2. δῆλα δὲ καὶ ἄλλα ἐς τιμὴν ἀνδρὸς μάγου σοφίᾳ γενέσθαι συμβαίνοντα τῷ ἵππῳ. Schubart post γενέσθαι inserendum putat καὶ τά. Nisi forte sufficit: δῆλα δὲ καὶ ἄλλα ἐστὶν ἀνδρὸς κτέ.

AD LIBRUM VI.

6, 6. τὸ μὲν τῷ θεῷ τοῦ ἀργυρίου γινόμενον ἐξέτισεν. An ἱκνούμενον?

6, 7. μεθυσθέντα οὖν ἐνταῦθα ἕνα τῶν ναυτῶν παρθένον βιάσασθαι. Excidisse videtur nautae nomen Ἥρῳ. Vide sequentia.

9, 6. Mire dictum κάματον ἐς ἀνωφελὲς οἱ Ἀστυπαλαιεῖς ἔκαμνον, ubi aut κάματον abesse malis aut scribi κάματον ἀνωφελῆ.

11, 8. In oraculo vetustior Accusativi forma Θεαγένη pro Θεαγένην reponenda est et post pauca supplendum νομίζουσιν <αὐτῷ> ἅτε θεῷ θύειν.

18, 5. γράφει βιβλίον ἐς Ἀθηναίους, καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίοις

Digitized by Google

ὁμοῦ καὶ Θηβαίοις, συγγραφὴν λοίδορον. Delenda prior copula et virgula post Θηβαίοις.

20, 4. αὐτοὶ δὲ ὕστερον ἐκ μαντείας κομίσαι φασὶ τῆς Ἱπποδαμείας τὰ ὀστᾶ ἐν Ὀλυμπίᾳ. Imo οἱ ἐν Ὀλυμπίᾳ.

20, 17. ἤκουσα δὲ καὶ ἐς τὸν Πορθάονος Ἀλκάθουν ἀγόντων τὴν αἰτίαν, ὡς ἐνταῦθα μέρη λάβοι γῆς ὁ Ἀλκάθους. Permire dictum a pedestri praesertim scriptore. Num fuit μεταλάβοι ταφῆς?

21, 6. οὗτος μὲν οὐ τὰ πάντα· ἐστὶ σῶς, βωμὸς δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἔστιν. Constans Pausaniae et Herodoti, quem imitatur, scribendi usus postulat ut aut corrigamus καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἔστιν, aut καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι, ut e praegressis mente repetamus τὰ πάντα ἐστὶ σῶς, quod fortasse praestat. Ex ingenti locorum copia ecce pauci e libro sequenti: 1, 8. 2, 9. 5, 1. 16, 9. 16, 10. 17, 8. 18, 9. Correctione indiget VII 4, 4, ubi l. <καὶ> κατ' ἐμὲ ἔτι et VII 7, 9, ubi l. καὶ κατ' ἐμὲ <ἔτι>. Praeterea VII 17, 14 requiritur <καὶ> ἐς ἐμὲ ἔτι et VIII 36, 10 καὶ ἐς ἡμᾶς <ἔτι> ἐστίν.

AD LIBRUM VII.

1, 3. ἀφικομένῳ δὲ ἐς τὸν Αἰγιαλὸν καὶ οἰκήσαντι αὐτῷ μὲν ἐγένετο ἐντεῦθεν ἡ τελευτὴ κτέ. Praestiterit οἰκίσαντι.

1, 9. Ἴωνας δὲ — Ἀθηναῖοι — συνοίκους ἐξεδέξαντο. Verbum compositum, hic ineptissimum, dittographia litterarum ΘΞ depravatum est e verbo simplici. Cf. mox 3, 6 extr. et 4, 2 init.

2, 11. ὡς δὲ ἐνόσησε τὸ ὕδωρ καὶ οὐκέτι ἦν θάλασσα. Iniuria Schubart recepit hanc Sylburgi coniecturam pro ἐνόστησε, quod sequioribus est ἐγλυκήνατο. Cf. νόστος et νόστιμος.

3, 5. ἐς ὃ Ἀνδρείμων σφᾶς — καὶ Ἴωνες ἐλαύνουσιν. Malim ἐξελαύνουσιν.

4, 3. οἱ δὲ ὁμοῦ Λεωγόρῳ περὶ Ἀναίαν τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ τῇ πέραν βαλόμενοι τεῖχος, δέκα ἔτεσιν ὕστερον διαβάντες ἐν τῇ Σάμῳ τούς τε Ἐφεσίους ἐκβάλλουσι καὶ ἀνεσώσαντο τὴν νῆσον. Aut corrige ἐς τὴν Σάμον, aut dele.

7, 6. Σαπαίων δὲ τούτων καὶ Ἀρχίλοχος ἐν ἰαμβείῳ μνήμην ἔσχε. Apparet iam Pausaniam in suo Herodoti exemplari legisse

Digitized by Google

verba suspecta I 12 extr. *τοῦ καὶ Ἀρχίλοχος ὁ Πάριος — ἐν ἰάμβῳ τριμέτρῳ ἐπεμνήσθη.*

10, 9. *ἐστρατήγησα μὲν Ἀχαιῶν καὶ ἐγώ, ἀδικίας δὲ οὐδὲν ἐς Ῥωμαίους οὔτε εὐνοίας μοι μέτεσιν ἐς Περσέα.* Soloeca oratio. Corrigatur *οὐδὲ εὐνοίας κτἑ.*

11, 6. Requiro: *ἀνθρώπων γὰρ <τῶν> ἐπὶ τῇ Φρουρᾷ.*

11, 7. *ἦν σφισιν ἐπικουρεῖν Ἀχαιοὺς ἄγῃ.* Sententia postulat *ἐνάγῃ.*

11, 7. Iniuria Schubart delevit *τῆς βοηθείας*, quae transponit initio cap. 12, ubi *ὠφελείας* (cum opt. codice Mosq. l. *ὠφελίας*) eius notionis vicem iam explet, ita ut *βοηθείας* turpiter abundet. *Ὠφελία* pro *βοηθεία* Pausanias dixit ad Thucydidis exemplum. Vulgatis nihil est sanius.

14, 2. Requiritur *οἱ <ἐν> Κορίνθῳ τότε ἔτυχον ἐπιδημοῦντες.*

14, 6. *τὸ μὲν δὴ ἄνδρα βασιλέα καὶ πόλιν ἀνελέσθαι πόλεμον καὶ μὴ εὐτυχῆσαι συνέβη φθόνῳ μᾶλλον ἔκ του δαιμόνων ἢ τοῖς πολεμήσασι ποιεῖ τὸ ἔγκλημα.* Absurde sic editur e codicibus. E veteribus editionibus revoca *ποιεῖται ἔγκλημα.*

17, 2. omnino recipienda fuerat egregia Buttmanni emendatio *ἐκ δένδρου λελωβημένου καὶ αὖου* (pro *εὐθὺ*) *τὰ πλείονα.*

18, 12. *ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς* [*ἐπὶ*] *ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων.* Non *ὀχεῖται ἐπ' ἐλάφων*, sed *ἐπὶ ἅρματος*, itaque *ἐπὶ* exulare debet.

21, 3. Necessario supplendum *ἔσεσθαι δὲ οὐ πρότερον λύσιν ἢ θύσῃ* (sic ad Herodoti exemplum scribere solet P. pro *πρὶν ἄν* c. Coni.) *τῷ Διονύσῳ Κόρεσος ἢ αὐτὴν Καλλιρόην* (l. *Καλλιρρόην*) *ἢ τὸν ἀποθανεῖν <ἂν> ἀντ' ἐκείνης τολμήσαντα.* Nondum enim cum daretur responsum, repertus erat qui pro Callirrhoe mori sustineret. Similiter litterae AN bis scribendae sunt infra 23, 4 *ἄκρα τε ἐς τὴν θάλασσαν <ἀν>ἐχει*, quod a se repertum Schubart recipere debuit.

21, 8. *Πελαγαῖος καὶ Ἀσφάλιός τε καὶ Ἵππιος.* Vera forma est *Ἀσφάλειος.* Notus est Aristophanis versiculus de senibus:

οἷς Ποσειδῶν ἀσφάλειός ἐστιν ἡ βακτηρία.

Praeterea admodum suspectum habeo *Πελαγαῖος*, pro quo expectes *Πελάγιος.*

24, 8, ubi agit scriptor de iis quae comitari soleant terrae motum, nescio an supplendum sit: *καί που καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ*

Digitized by Google

<λαμπάδων> διαδρομαὶ σὺν πολλῇ τῇ Φλογί. In proximis vero, quod olim a Kuhnio praereptum mihi video, certissima est emendatio ἔτι δὲ καὶ τῆς γῆς κάτω πνευμάτων ὑπήχησις ἰσχυρά pro ὑφήγησις, quod debetur perversae illius vocabuli pronuntiationi. Notus est omnibus versus Euripidis Suppl. 710

ἔρρηξεν αὐδήν, ὥστ' ὑπηχῆσαι χθόνα.

Turpe est post talia proponere Φύσησις, quod commisit Schubart, ne commemorata quidem eximia Kuhnii emendatione.

24, 13. ἐξ ὅτου δὲ [ἡ ἰδέα] κατεάγη τοῦ ὄρους. Propter genetivum sibi non intellectum turpi interpolatione e praegresso τὴν ἰδέαν hoc substantivum repetivit magistellus, quo deleto demum perspicua fit mens scriptoris.

25, 3. Lege χρόνῳ δὲ ὕστερον αὐτῶν (pro αὐτοὶ) οἱ ἔχοντες τὰς ἀρχὰς διέφθειραν τῆς Ἀθηνᾶς ἱκέται.

25, 6. Utique supplendum πλέον μὲν <ἢ> ἥμισυ.

25, 7. μέγεθός εἰσιν οὐ μεγάλοι. Constanter Pausanias in hac formula Herodoto sublecta iuxta cum illo utitur dativo, itaque corrigendum μεγέθει εἰσὶν οὐ μεγάλοι. In praegressis glossatori tribuerim verba θέλων θεάσασθαι.

25, 9. μόνοι τε οὗτοι Βουραίων ἐλείφθησαν καὶ αὐτοὶ τῆς Βούρας ἐγένοντο οἰκισταί. Imo αὖθις.

25, 10. μαντεῖα δὲ ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀστραγάλοις. Recte iam Facius ἐπί. Absurde a Siebelisio comparatur ὑπὸ βαρβίτῳ χορεύειν.

27, 1. σχῆμα δὲ αὐτῷ (Mercurio) τετράγωνον, γένειά τε ἔχει καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πῖλον εἰργασμένον. Male abundat ultima vox, nisi corrigis <εὖ> εἰργασμένον, *affabre factum ab artifice.*

27, 10. ἐς δὲ τὴν ἐπιοῦσαν ἀφικομένων ἐς τὸ ἱερὸν τῶν ἀνδρῶν, αἱ γυναῖκές τε ἐς αὐτοὺς καὶ ἀνὰ μέρος ἐς τὰς γυναῖκας οἱ ἄνδρες γέλωτί τε [ἐς ἀλλήλους] χρῶνται καὶ σκώμμασιν. Delevi turpe emblema. Praeterea malim <πάλιν> ἀφικομένων.

AD LIBRUM VIII.

8, 3. Μαντινεὺς μὲν οὖν — ἐτέρωθι Φαίνεται οἰκίσας τὴν πόλιν, ἣν ὀνομάζουσι καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι οἱ Ἀρκάδες. Cl. cap. 12 iam Clavier vidit elapsum esse πτόλιν, quod inseruit post ἔτι. Sed

Digitized by Google

multo clarior erit corruptelae origo, si mecum suppleveris: *τὴν πόλιν, ἣν <πτόλιν> ὀνομάζουσι κτέ.*

9, 4. Oraculum correxi Mnem. XIV² pag. 42 sq.

10, 4. *Ἀθηναίοις μὲν δὴ σταδίους μάλιστα εἴκοσιν ἀφέσηκε τῆς πόλεως ἡ — θάλασσα.* Fert Pausaniae usus, ut numero sequente post *μάλιστα* addat voculam *που*, quare malim *μάλιστά που εἴκοσιν*. Vid. v. c. supra 8, 3; infra 11, 2. 15, 4. 26, 5. Recte eadem vocula omittitur, aut non sequente aut non statim sequente numero. Cf. VIII 24, 1. 33, 3. 37, 1. 41, 7. Ibidem 53, 11 transposuerim *μάλιστά που ἑπτὰ σταδίους* pro *σταδίους ἑπτά*.

11, 2. Pessime spernitur Porsoni correctio delentis verba *τὸν κριὸν ἐψόμενον*, vel idcirco non ferenda, quia *ἑψόμενον* dici nequit pro *τὸν ἑψηθέντα*. Praeterea nihil falsius est quam, quod perhibent, *κριόν* iam per se significare *vetulum arietem*, et verissime Kuhnius correxit *γέροντος. παλαιὸν δὲ κατασφάξασα.*

14, 10. *ὄπισθεν δέ ἐστι τοῦ ναοῦ τάφος Μυρτίλου· τοῦτον Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι* [*Μυρτίλον*] *λέγουσιν Ἕλληνες.* Graecum saltem foret *τοῦτον τὸν Μυρτίλον Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν Ἕλληνες.* Deleatur glossema.

16, extr. *τότε δὲ ὑπὸ μόνου τοῦ μηχανήματος ἀνοιχθεῖσα* (sc. *ἡ θύρα*) *καὶ οὐ πολὺ ἐπισχοῦσα συνεκλείσθη δι' ὀλίγης.* Mire dictum *δι' ὀλίγης* pro *δι' ὀλίγου* et pleonastice post verba *οὐ πολὺ ἐπισχοῦσα*. Requiri videtur quod significet *πάλιν*, sed quid lateat non reperio.

18, 2. *Ταῦτα μὲν δὴ ἐποίησεν* (Homerus) *ὡς ἂν ἰδὼν ἐς τὸ ὕδωρ τῆς Στυγὸς στάζον.* Non est huius loci *ὁρᾶν εἰς*, sed *ὁρᾶν* cum nudo accusativo. Fortasse legendum *ὡς ἂν ἰδὼν <αὐτ>ὸς τὸ ὕδωρ κτέ.*

26, 4. *ἡνίκα δὲ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλύμπιον — ἀνενεώσατο Ἴφιτος* [*καὶ αὖθις ἐξ ἀρχῆς Ὀλύμπια ἤγαγον*], *τότε κτέ.* Verba seclusa abesse malim.

27, 13. *καταρρίψειν* (*τὸν πύργον* sc.) *τῷ μηχανήματι ἤλπιζον.* Perpetuo librarii inter se confundunt formas similes verborum (*καταρ*)*ρίπτειν* et (*κατ*)*ερείπειν*. Huius loci est *κατερείψειν*.

37, 9. Supplendum videtur: *τῆς δὲ Δεσποίνης τὸ <ἀπόρρητον>. ὄνομα ἔδεισα ἐς τοὺς ἀτελέστους γράφειν.* Nam manifesto sermo est de arcano Proserpinae nomine, solis initiatis cognito.

Digitized by Google

38, 3. *Ἴσον παρέχεσθαι τὸ ὕδωρ ἐν χειμῶνι [ὁμοίως] καὶ ἐν ὥρᾳ θέρους.* Male abundat *ὁμοίως.*

39, 2. *τόδε μὲν καὶ πρότερον ἔτι* (cap. 3) *ἐσήμαινεν ἡμῖν ὁ λόγος.* Corrigatur *ἐσήμηνεν.*

40 extr. *οἱ δὲ Ἀργεῖοι τὸν Δαμόξενον ἅτε τὰ συγκείμενα ὑπερβάντα [καὶ ἀντὶ μιᾶς κεχρημένον] πολλαῖς [ἐς τὸν ἀντίπαλον] ταῖς πληγαῖς ἐξελαύνουσιν.* Si genuina sunt verba seclusa, nihil horum intellego. Nam e praegressis apparet Damoxenum *uno* tantum, sed qualem non permittebat lex agonistica, *ictu* in adversarium usum esse. Cf. etiam Pausaniae aequalem Oenomaum apud Eusebium, Praep. evang. V 34, 3 *ὅτι Ὀλυμπίασι πληγῇ μιᾷ πατάξας τὸν ἀνταγωνιστὴν ἀνέῳξε τὴν πλευρὰν αὐτοῦ καὶ ἐμβαλὼν τὴν χεῖρα ἐλάβετο τοῦ πνεύμονος.* Ceterum is male confudit Damoxenum Syracusanum cum Cleomede Astypalaeensi, de quo vid. Paus. VI 9, 6.

42, 5. *ἐς ὃ [ἡ] ἀκαρπία ἐπιλαμβάνει τὴν γῆν.* Deleatur articulus.

42, 6. Oraculum emendavi Mnemos. XIV², pag. 45. Cf. infra pag. 74.

45, 2. Ratio et usus postulant: *καὶ Ἀταλάντη τοξεύει <ἐς> τὸν ὗν καὶ ἔτυχε πρώτη τοῦ θηρίου.* Etiam *τοξεύειν* et *ἀκοντίζειν* pro *κατατοξεύειν* et *κατακοντίζειν* usurpari potuisse multum dubito.

47, 2. *εἰσὶ δὲ αἱ πέδαι κρεμάμεναι, πλὴν ὅσας ἠΦάνισεν αὐτῶν ἰός, ἃς γε ἔχοντες Λακεδαιμονίων οἱ αἰχμάλωτοι τὸ πεδίον Τεγεάταις ἔσκαπτον.* Fortasse Pausaniae imposuit vetustus librarii error apud Herodotum I 66, ubi eandem rem narrans scripsisse traditur *πέδας τε ἔχοντες τὰς ἐΦέροντο αὐτοί*, siquidem recte Naberus cll. III 129 et VI 125 Herodoto ibi restituit *ἕλκοντες.* Quamquam fieri sane potest ut etiam apud Pausaniam, qui e pessimis libris editur, ЄXONTЄC merus sit librarii error pro ЄΛKONTЄC.

48, 7. *οὗτος ὁ λόγος διάΦορος μέν ἐστιν ἑτέρῳ λόγῳ, λάθρᾳ τὴν Αὔγην τεκεῖν τοῦ πατρὸς καὶ ἐκτεθῆναι τὸν Τήλεφον λέγοντι ἐς — τὸ Παρθένιον.* Si Auge *clam patre* Telephum peperit, probabile est ex hac fabulae traditione ipsam puerum exposuisse, non patris iussu eum expositum esse. Quare nescio an vera lectio sit *ἐκθεῖναι.*

50, 7. De Philopoemene scribitur: *τριήρους ἔλαθεν ἐπιβὰς*

Digitized by Google

ῥεούσης. Sermonem esse constat ex Plutarchi Philopoemenis vita, XIV cap. 1, de trireme rimas agenti et fatiscenti (μὴ στεγούσης). Similiter Pausanias scribere potuit οὐ στεγούσης, verum non hoc dedit, sed διαρρεούσης, ut est apud Lucianum Dial. Mort. X 1 de cymba Charonis. Μικρὸν μὲν ἡμῖν — τὸ σκαφίδιον καὶ ὑπόσαθρόν ἐστι καὶ διαρρεῖ τὰ πολλά, *rimisque crebris perpluit*, ut recte vertunt.

AD LIBRUM IX.

8, 3. Θηβαίοις δ' ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ ἀρχαίου τείχους ἑπτὰ ἀριθμὸν ἦσαν πύλαι, μένουσι δὲ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι. Malim διαμένουσι, cuius lectionis primis litteris exitiosae fuisse videntur praegressae ΠΥΛΑΙ.

14, 3. In responso a Pythia dato Thessalis vs. 309:

οὐδέ τις αὐτὴν
Φράσσεται ἀνθρώπων, πρὶν κούριον ἀγλαὸν ἥβην
Δωριέες ὀλέσωσ'

parum usitatum adiectivum κούριον nescio an ab horum versuum auctore sumptum sit e loco Homerico Il. XIII, qui post v. 433 testibus scholiasta et Eustathio olim in codicibus nonnullis sequebatur sic scriptus:

πρὶν Ἀντηνορίδας τραφέμεν καὶ Πανθόου υἷας
Πριαμίδας θ' οἳ Τρωσὶ μετέπρεπον ἱπποδάμοισιν
ἕως (l. ἧος) ἔθ' ἥβην εἶχεν ὄφελλε δὲ κούριον ἄνθος.

Quod ni ita esset, elegantius sane scripsisset

πρὶν κούρων ἀγλαὸν ἥβην
Δωριέες ὀλέσωσ'.

15, 2. Supple: οὕτω δὴ — ἡγεμόνα ποιοῦνται τὸν Ἐπαμεινώνδαν καὶ οἱ βοιωτάρχαι <οἱ> παραχωροῦσιν ἑκουσίως τῆς ἀρχῆς. Saepius apud Pausaniam hoc pronomen excidit. Cf. supra ad I 7, 1 et 9, 1. Periit etiam in oraculo IX 11, 1, ubi Hermannus optime rescripsit

θάλαμόν οἱ ἐλέξατο τοῦτον, ὃς αὐτῷ
Ἀγχάσιος τ' ἐποίησε κτέ.

pro vulgatis

θάλαμον γ' εἰλίξατο τοῦτον ἑαυτῷ.
Ἀγχάσιος δ' ἐποίησε κτέ.

Digitized by Google

Verae lectionis codicis Mosquensis scriptura ΘΘΙΛΙΞΑΤΟ leve servavit vestigium.

20, 5. *καὶ τὸν αὐτίκα ἔρχεσθαι ὑπὸ τῆς ὀσμῆς.* Clavier coniecit *ἕλκεσθαι*, sed etiam aptius est *προσέλκεσθαι.*

22, 5. *Τῆς δὲ Βοιωτίας τὰ ἐν ἀριστερᾷ τοῦ Εὐρίπου Μεσσάπιον ὄρος καλούμενον καὶ ὑπ' αὐτῷ* [Βοιωτῶν] *ἐπὶ θαλάσσης πόλις ἐστὶν Ἀνθηδών.* Male abundat Βοιωτῶν post *τῆς Βοιωτίας.*

22, 7. *εἶναι δὲ αὐτὸν ἁλιέα* (Glaucum) *καὶ ἐπεὶ τῆς πόας ἔφαγε, δαίμονα ἐν θαλάσσῃ γεγονέναι.* Imo *ἐπεί τινος πόας ἔφαγε, herbam quandam.*

25, 2. *Δείκνυται δέ τι χωρίον· ἐνταῦθα Ἥραν Θηβαῖοι Φασιν Ἡρακλεῖ παιδὶ ἔτι ἐπισχεῖν γάλα κατὰ δή τινα ἀπάτην ἐκ Διός.* Non *puero*, ut opinor, sed *infanti* Herculi mammam praebuit Iuno fraude circumventa a Iove, itaque corrigatur *παιδίῳ.*

25, 5. Suppleatur *ἐσελθεῖν δὲ <μόνοις> τοῖς τελεσθεῖσίν ἐστιν.*

28, 4. *ξύλων — σκυτάλας* sine praepositione dixit ad exemplum Herodoti, de quo usu vide, si tanti est, quae scripsi *Comm. Crit. in Her.* pag. 9 sq.

30, 4. *νόσων τε ἰάματα καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων.* Incredibile est Pausaniam ita scripsisse pro *ἀποτροπάς.*

31, 2. *τούτῳ τιμαὶ τῷ θεῷ* (Priapo) *δέδονται μὲν ἄλλως, ἔνθα εἰσὶν αἰγῶν νομαὶ καὶ προβάτων ἢ καὶ ἐσμοὶ μελισσῶν. Λαμψακηνοὶ δὲ ἐς πλέον ἢ θεοὺς τοὺς ἄλλους νομίζουσι κτέ.* Corrigatur *ἄλλοθι, alibi*, nam opponitur *Lampsaci*, et pro puncto post *μελισσῶν* substituatur virgula.

31, 6. Supple *ἐγένετο <ἐν> τῇ Μολυκρίᾳ σφίσιν* (l. *σφισὶν*) *ἡ δίκη.*

34, 3. *Φασὶν* (Sirenes) *ὑπὸ Ἥρας καταστῆναι πρὸς τὰς Μούσας ἐς ᾠδῆς ἔργον.* Verum videtur *ἐς ᾠδῆς ἀγῶνα.*

35, 6. Soloece editur *οὐχ οἷόν τε ἐγένετο πυθέσθαι με* pro *μοι.*

38, 2. De Minyae thesauro Orchomenio scribitur: *λίθου μὲν εἴργασται, σχῆμα δὲ περιφερές ἐστιν αὐτῷ, κορυφὴ δὲ οὐκ ἐς ἄγαν ὀξὺ ἀΝηγμένη.* Manifesto scriptor imitatus est Herodotum scribentem VII 64 *κυρβασίας ἐς ὀξὺ ἀΠηγμένας*, uti habent codd. ABC, cum in reliquis deterior scriptura exstet *ἀπιγμένας.* Nescio tamen an genuinam Herodoti manum Pausanias imitatione sua servarit, quoniam aptius in ea re videtur compositum *ἀνάγειν* quam *ἀπάγειν*, ut dixit Pausanias VII 27, 1 *ἐπὶ λόφου κατὰ ἄκραν τὴν κορυφὴν ἐς ὀξὺ ἀνεστηκότος.* Nunc video

Digitized by Google

iam Valckenaerium ex hoc ipso Pausaniae loco reddidisse suum Herodoto.

39, 1. πατέρα δὲ τοῦ Λεβάδου, καὶ καθ' ἥντινα αἰτίαν ἦλθεν, οὐκ ἴσασιν ἄλλο ἢ γυναῖκα εἶναι Λεβάδου Λαονίκην. In huiusmodi sententia necessarium videtur οὐκ ἴσασιν ἀλλ' ἢ (i. e. πλὴν) γυναῖκα εἶναι κτέ.

39, 3. Suppleverim Λήιτον δὲ ἀνακομίσαι <Φασὶ> τοῦ Ἀρκεσιλάου τὰ ὀστᾶ ἐκ Τροίας. Facillime intercidit Φασί scriptum tachygraphice Φ$^{\lambda}$. Eundem errorem supra correxi II 10, 4.

AD LIBRUM X.

2, 6. εἵλοντο — Φαῦλον. Non est graecum nomen Φαῦλος, sed Φάυλλος. Notissimum est epigramma:

πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα πόδας πήδησε Φάυλλος,
δίσκευσεν δ' ἑκατὸν πέντ' ἀπολειπομένων.

Similiter 9, 10 pro Ἐπικυρίδας ab editoribus substituendum fuerat Ἐπικυδίδας = Ἐπικυδείδης.

6, 7. Oraculum correxi Mnem. XIV^2, pag. 42.

6, 4. καὶ ἱερᾶσθαι — καὶ ὄργια ἀγαγεῖν τῷ θεῷ. L. ἄγειν.

12, 10. In oraculo vs. 2 male editur ἀνίει pro ἀνιεῖ, i. e. ἀνίησιν, nam ἀνίει est imperfectum.

13, 2. Supplendum: καὶ δίκτυα οὐκ ἂν οὕτω γένοιτο ἰσχυρὰ <ὥστε ἀντίσχειν> τῇ ἐμβολῇ. Causa cur verba inserta perierint repetenda e litteris praegressis ΙΣΧ.

14, 7. ἔνθα τοῦ Παρνασσοῦ μάλιστα ἦν συνεχὴς ὑπὸ ἀγρίων δένδρων. Quid hoc monstri est? Pausanias, nisi fallor, dederat, quod in ea re satis tritum est, συννηρεφές. Cf. Herod. I 110. VII 111.

15, 2. Oraculum temptavi Mnem. XIV^2, pag. 46 sq.

18, 1. Ἀθηναῖος Καλλίας Λυσιμαχίδου [πατρὸς]. Lysimachidem Calliae patrem dici sine ludimagistri ope intellegimus.

18, 2. Oraculum tetigi l.l. pag. 48.

19, 4. Corrigatur: Πραξίας — ἐσιν <ὁ> ἐργασάμενος.

22, 2. Supple: εἰ ἀναγκάσει τοὺς Αἰτωλοὺς οἴκαδε [ἐς τὴν Αἰτωλίαν dele] ἀναχωρῆσαι, ῥᾴων ἤδη γενήσοιτο ὁ πόλεμος αὐτῷ πρὸς τὸ <ἄλλο> Ἑλληνικόν. Tam facili quam frequenti errore vox ἄλλος saepe excidit ante nomen Ἕλλην quaeque inde ducuntur.

Digitized by Google

23, 1 sq. Suspicor καὶ αἱ (pro οἱ) μὲν (sc. βρονταὶ) ἐξέπλησσόν τε τοὺς Κελτοὺς καὶ δέχεσθαι τοῖς ὠσὶ τὰ παραγγέλματα ἐκώλυον, τὰ δὲ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ <σέλα> οὐκ ἐς ὄντινα κατασκήψαι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς πλησίον καὶ αὐτοὺς ὁμοίως καὶ τὰ ὅπλα ἐξῆπτεν. Si enim nihil addideris, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ praeter fulmina tonitrua etiam complectentur.

23, 12. Scribitur de Brenno: ἐκουσίως ἀφεῖναι τὴν ψυχὴν ἀκράτου πίνοντα τοῦ οἴνου, sed procul dubio corrigendum πιόντα. Diodorus Ecl. Vat. XXII 13 Βρέννος ἄκρατον πολὺν ἐμφορησάμενος ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν.

24, 3. Oraculum temptavi Mnemos. XIV², pag. 42, ubi si recte κλέα proposui pro κακά, auctor vocalem corripit, ut Apollonius Rhodius I, 1.

25, 9. τούτῳ (Astyanacti) Λέσχεως ῥιφέντι ἀπὸ τοῦ πύργου συμβῆναι λέγει τὴν τελευτήν, οὐ μὴν ὑπὸ δόγματός γε Ἑλλήνων, ἀλλ' ἰδίᾳ Νεοπτόλεμον αὐτόχειρα [ἐθελῆσαι] γενέσθαι. Verbum ἐθελῆσαι aut abiciendum videtur aut mutandum in ἐθέλοντα, i. e. ἑκόντα. Illam rationem praetulerim.

26, 2 sq. Πολυποίτης δὲ — δεδεμένος τὴν κεφαλὴν ταινίᾳ, καὶ παρ' αὐτὸν Ἀκάμας ἐστὶν ὁ Θήσεως ἐπικείμενος τῇ κεφαλῇ κράνος· λόφος δὲ ἐπὶ τῷ κράνει πεποίηται. καὶ Ὀδυσσεύς τε ἐστὶν ἐνδεδυκὼς θώρακα. Pessime abundat vocula τε. Ambigo corrigamne καὶ Ὀδυσσεὺς δέ ἐστιν, an πάρεστιν.

28, 4. Supplendum: ἀνὴρ οὐ δίκαιος ἐς <τὸν> πατέρα ἀγχόμενός ἐστιν ὑπὸ τοῦ πατρός.

29, 2. Requiro ὄκνον δ' οὖν τῶν μάντεων οἱ ὁρῶντες <ἐς> τοὺς οἰωνοὺς καλοῦσί τινα ὄρνιθα.

30, 6. ἔστιν — Ὀρφεὺς καθεζόμενος, ἐφάπτεται δὲ [καὶ] τῇ ἀριστερᾷ κιθάρας κτέ. Incredibile dictu est quam saepe voculam καί male addiderint librarii.

32, 2. Sine controversia e Porsoni correctione edendum fuerat καὶ ῥᾴων εὐζώνῳ ἀνδρὶ <ἢ> ἡμιόνοις τε καὶ ἵπποις ἐπὶ τὸ ἄντρον ἐστὶν ἄνοδος τὸ Κωρύκιον, ubi aeque manifestum est vitium quam vitii origo. Cur tandem miseros lectores vexant editores sequenda in talibus pessimorum codicum auctoritate scilicet, quae plane nulla est?

33, 10. τὸ δὲ δὴ χωρίον ἐοικέναι καὶ ἐς τόδε (ἔτι addere solet P.) καιομένῃ πυρᾷ Φασὶ καὶ ἀπὸ τοῦ δράκοντος ἐκείνου τὴν πόλιν

Digitized by Google

ἐθέλουσιν Ὀφιτείαν ὀνομασθῆναι. Legendum ἐθέλουσι καὶ Ὀφιτείαν ὀνομασθῆναι, praeter reliqua duo nomina Amphicleam et Amphicaeam.

36, 1. ἄμπελοι δὲ τὸ πολύ εἰσι τοῦ πεδίου, καὶ ἐν γῇ τῇ Ἀμβρωσέων οὐ συνεχεῖς μὲν ὥσπερ αἱ ἄμπελοι, πεφύκασι μέντοι καὶ [αἱ] θάμνοι. In quibusdam libris est οἱ θάμνοι, quamvis sequatur τὴν δὲ θάμνον ταύτην. Sed manifesto vitiose additus est articulus, ut rectissime articulo caret in praegressis ἄμπελοι, sed necessario eundem habet quod deinde legitur αἱ ἄμπελοι.

36, 7. De helleboro scribitur ὁ μὲν αὐτοῦ μέλας χωρεῖται ἀνθρώποις. Pro χωρεῖται Kuhn probante Valckenaerio coniecit διαχωρεῖται, quod vereor ut sufficiat. Nam Graecum est in ea re διαχωρεῖ κάτω, et fortasse διαχωρεῖ sine κάτω, siquidem διαχώρημα, διαχώρησις et διαχωρητικός trita sunt in medicorum scriptis vocabula, sed verbi medii ratio me quidem fugit.

37, 2. [ἐς δὲ τὸν] *** λιμένα σταδίων ἐξ Ἀντικύρας ἐστὶν ἑκατόν, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ λιμένος στάδια ὁδοῦ τῆς πεζῆς τῆς ἐς Βοῦλιν ἑπτὰ εἶναι μάλιστα εἰκάζομεν. Verba ab editoribus seclusa pars codicum omittit. Propter opposita verba crediderim antiquam loci faciem fuisse ferme hance: <πλοῦς δὲ ἐς τὸν Μυχὸν> λιμένα σταδίων ἐξ Ἀντικύρας ἐστὶν ἑκατόν.

37, 3. Nonne supplendum est: κατασκευὴ δὲ ἡ ἐν τῇ Βούλιδι οὔτε ἡ ἄλλη θαύματος <ἀξία> πολλοῦ κτέ?

Raro haec scribens tetigi quae, licet spreta ab editoribus, optime a criticis emendata esse viderentur, et abstinui ferme ab iis locis, quibus non probabilem aliquam medicinam me afferre posse intellegerem. Curanda relinquo permulta futuris Pausaniae editoribus. Spero fore ut brevi homo difficillimo par negotio existat.

Scribebam m. Martio a. 1885.

Digitized by Google

ADDENDUM.

Oraculi apud Pausaniam VIII 42, 5 emendationem, quam dedi in libro superiore anno composito in LEHRMANSII honorem, Mnem. XIV² pag. 45 non nisi verbo tetigi. Cum tamen ille liber paucorum manibus versetur, rogante Cobeto hic iterum exponam, quaenam me rationes ad eam correctionem, quam calculo suo vir egregius comprobavit, compulerint. Sic autem ferme scribebam:

„Facilis est praesertim ope eorum quae ab ipso Pausania docemur huius oraculi interpretatio, exceptis iis quae leguntur v. 5 sq.

Δηὼ μέν σ' ἔπαυσε νομῆς, Δηὼ δὲ νομήων
ἐλκησισταχύων καὶ ναστοφάγων πάλι θῆκε.

Nempe quae verbis Δηὼ — *νομῆς* olim opposita fuit sententia, densis ad hunc usque diem premitur tenebris propter gravem corruptelam, quam etiam graviorem reddiderunt editores praeoptanda deteriore lectione *ναστοφάγον* et recipienda etiam peiore Siebelisii coniectura *ἀναστοφάγον*, quae vox nihili est et praeter analogiam ficta ab ipso, cum *ναστοφάγων* optime habeat et ipsa sententia flagitetur. Contra etymologiae legibus adversatur omnium librorum lectio *ἑλκησισταχύων*, quandoquidem, si epicam compositionem sequimur, *ἑλκεσίσταχυς* (cf. *ἑλκεσίπεπλος*), si volgarem, *ἑλξίσταχυς* formari debuit, quarum formarum utramque metrum repudiat. Quoniam vero vel caeco manifestum est, sub verbis depravatis nihil aliud latere posse quam ipsum contrarium eorum quae significata sunt verbis praegressis Δηὼ — *νομῆς*, procul dubio haec fuit loci corrupti sententia: Ceres Arcades repertis frugibus olim *ἔπαυσε νομῆς*, nunc vero annonae caritate atque inopia ad pristinum victum redire coëgit, i. e. *iterum reddidit pastores ex messoribus et panis esoribus*. Ergo corrigendum:

Δηὼ δὲ νομῆας
ἐκ δησισταχύων καὶ ναστοφάγων πάλι θῆκε,
νασφισθεῖσα γέρα προτέρων τιμάς τε παλαιάς.

Δησιστάχυας (factum e *δίδημι* et *στάχυς*) oraculi auctor vocavit messores, quos Homerus Σ 553 *ἀμαλλοδετῆρας* similiter appellaverat. ΕΚΔΗΣΙΣΤΑΧΤΩΝ in ΕΛΚΗΣΙΣΤΑΧΤΩΝ abiisse vides."

H v. H.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN Jr.

(*Continuantur ex Vol.* XIV *pag.* 365).

DE PARTICULARUM κέν ET ἄν APUD HOMERUM USU.

I.

Disputationis, quam suscepturus sum, aptius initium invenio nullum quam Achillis bene nota illa verba (I 359):

ὄψεαι ἢν ἐθέλῃσθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ.

Egregie enim hoc dictum indicat id quod semper tenendum est iis qui in lingua homerica, id est in linguae graecae primordiis, veri aliquid perspicere cupiant, et ultra quam olim satis esse putabatur leges epicae dialecti indagare. „Videbis, si modo videre cupias, et revera res tibi cordi sit." Videbis, dummodo oculis tuis unice credas, et his tum demum cum rem summa cura saepius exploraveris; — videbis, dummodo ne improbum laborem reformides sed vel leviuscula neglexisse religioni habeas; — videbis, dummodo nulli disquisitioni tantum taedium inesse credas quin superari possit patientia, nec ullam investigationem, quantumvis molestam et fortasse nugatoriam, infra dignitatem tuam habeas, sicubi spes affulgeat inde utilitatis aliquid profluere posse ad verum detegendum.

Sic versus, quem attuli, rectam viam indicat veri studiosis. Sed praeterea, si non iam sententiam sed ipsa verba spectamus,

Digitized by Google

totam disputationem, quam movere constitui, veluti in nucleo continet. Cuius disputationis qui sit cardo, dicam. Binae particulae condicionales in homericis carminibus reperiuntur κέν et ἄν: quid igitur interest? aut si nihil interest, potestne indicari causa cur modo hanc modo illam adhibuerit poeta?

Et priorem quidem quaestionem uno verbo penitus profligare licet. Nihil omnino interest inter κέν et ἄν, sive sensum sive usum spectes. Prorsus promiscue usurpantur; utraque indicativo praeteriti iungitur ad modum irrealem quem aiunt indicandum, utraque adnectitur optativo, utraque copulatur cum relativis, utraque coniunctionibus hypotheticis additur. Neque luculentius id potest demonstrari quam ex ipso quem modo afferebam hexametro, ubi ἦν et αἴ κεν vicina et sine ullo discrimine adhibita leguntur.

Itaque, dicam aperte, oleum operamque perdidisse mihi videntur qui aut olim aut his annis omnem lapidem moverunt ut usum homericum particularum ἄν et κέν quadamtenus tamen diversum esse probarent. Mero potius casui tribuendum esse contendo quod in quibusdam sententiarum generibus nonnisi alterutrum reperiatur. Sic exempli gratia legimus οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω et similia, in quibus aoristus subiunctivi cum ἄν vicem futuri obit, non vero οὔ κεν; sic εὖτ' ἄν sex locis invenimus, sed nusquam εὖτέ κεν; sic ὁππότε κεν et ὁππότ' ἄν extat, sed nullo loco elisum reperitur ὁππότε κ'. De his igitur quid sit iudicandum, mox apparebit; nunc id unum statuo, nec vereor ne inveniam qui me refellat: quod ad sensum attinet, homericum ἄν ab homerico κέν nihil differre.

Consulto bis addidi adiectivum „homericum". Nam num quid olim interfuerit, id neque nunc rogo neque scire magnopere curo: in Homero certe nulla vestigia eiusmodi discriminis possunt ostendi; iis temporibus igitur, de quibus iudicare possumus, plane idem significant hae particulae, et eadem plane ratione adhibentur [1]). Nonnumquam sibi opponuntur, ut in hexametro saepius iam allato; quin versu Ω 437, ubi iteratur particula condicionalis, quod haud scio an nusquam alibi apud Homerum fiat, utraque legitur forma:

1) „Einen Funktionsunterschied zwischen ἄν und κὲν in der historischen Gräzität nachzuweisen ist meines Erachtens noch nicht gelungen." K. Brugmann Griech Grammat. 1885, p. 102,

Digitized by Google

σοὶ δ' ἂν ἐγὼ πομπὸς καί κε κλυτὸν Ἄργος ἱκοίμην [1]).

Poteratne clarius indicari, nihil prorsus interesse? Idem valet de locis aliquot, ubi ἄν κε copulantur; nam versus illi vitiosi quidem sunt procul dubio, sed ne nasci quidem poterat hoc vitium si inter ἄν et κέν discrimen aliquod aut esset aut esse videretur. En loci quos dico:

Λ 187 / Λ 202 ὄφρ' ἂν μέν κεν ὁρᾷς. Legatur cum Nauckio ὄφος μέν κεν ὁρᾷς (vel potius χ' ὁράᾳς).

ε 361 / ζ 259 ὄφρ' ἂν μέν κεν δούρατ' / ὄφρ' ἂν μέν κ' ἀγροὺς Hic quoque cum Nauckio ὄφος μέν etc. legendum censeo.

N 127 ἃς οὔτ' ἄν κέν Ἄρης ὀνόσαιτο μετελθών. Correxit Herwerdenus ἄρ pro ἄν.

ι 334 οἳ δ' ἔλαχον τοὺς ἄν κε κελ ἤθελον αὐτὸς ἑλέσθαι. Hic quoque ἄρ pro ἄν fortasse sufficit. Quamquam graviorem labem hunc versum contraxisse suspicor propter versum subsimilem et tamen dissimillimum H 182.

σ 318 ἦν περ γάρ κ' ἐθέλωσιν. Certissimum remedium in promptu est, nempe εἴ περ, quod codex Meerm. praebet.

Idem igitur — denuo hoc dico, εἷς γὰρ λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ τεράννυται, — idem significant κέν et ἄν, et eadem ratione adhibentur. Sed non ab iisdem adhibentur. Immo κέ(ν) Aeolicum esse satis superque constat, passim enim in Aeolicis monumentis reperitur, nec non in Thessalicis et Cypricis. Etiam Doricis gentibus in usu est, sed paulo aliter pronunciatum, nempe κά: comparaverim ἕνεκα — ἕνεκεν. Ionici vero et Attici utuntur vocula ἄν; neque nota est dialectus in qua permixtae fuerint hae particulae.

Nam nihil moror in hac re inscriptionem quandam Arcadicam satis recentem, quae in Collitzii collectione legitur nº. 1222.

---

1) Papyrus Bankesianus σοὶ μὲν ἐγὼ exhibet, idque praetulerim. — Vix opus est ut etiam versus A 301 hoc loco commemoretur; nam ibi non legendum esse quod optimi praebent codices:

τῶν οὐκ ἄν τι φέροις ἂν ἑλών,

sed id quod hodiernae editiones exhibent omnes ἀνελών, prorsus constat.

Digitized by Google

In qua cum ἄν (ἄγ, ἄμ) constanter more attico adhibeatur, quater scripta extat satis mira dictio EIKAN (lin. 2, 10, 15, 25). Quartum locum excribam: κατὰ αὐτὰ δὲ καὶ EIKAN [τι]ς πλέον ἢ δύο ἔργα ἔχῃ etc. Vides in his literis non posse cogitari de crasi voculae καί. Sed dudum, me iudice, verum indicavit Bergkius, εἴ καν legendo. Ex vetusta enim lingua haec formula, ut fit in iurisconsultorum verbis conceptis, permansisse videtur; et nihil prorsus haberemus quod aut miraremur aut dubitaremus, si deesset litera N, quae Dorico κα subiungi alioqui non solet. Multae vero causae excogitari possunt cur in hoc Arcadiae angulo aliquantulum fuerit deflexum a solita ratione loquendi, in formula praesertim quae ex civium ore dudum evanuisset. Certe non facile adducar ut Gustavo Meyer credam, in Grammat. Graec. p. 26 sic statuenti: „das Arkadische κάν, das man „auf der Bauinschrift von Tegea las, ist haltlos; die Inschrift „kennt nur ἄν (auch εἰ δ' ἄν), und darum ist ohne Zweifel κἄν (id est καὶ ἄν) zu lesen". Quod ei aliisque placuisse submiror; sed multo magis miror, quod vir doctus Bechtel ita Meyerum refutavit ut εἴ κ' ἄν potius legendum esse statueret. Cui Fickius (Iliad. p. XXIII) non solum adstipulatus est, sed praeterea inde effici posse contendit, in Homero ἄν κε vitio carere; quapropter vel novis locis invehere id conatus est (Α 205: τάχ' ἄν κ' ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃ; ζ 303: ὁπότ αν σε δόμοι κε κύθωσι).

Equidem neque Bechtelium verum vidisse credo, neque ex Tegeaticis istis ruderibus quidquam de Homeri sermone posse colligi. In quibus etiam τᾶς ζαμίαυ, τᾶς ἐσδοκαῦ, τᾶς ἐργωνίαυ legitur, et ἴνπασιν γαῦ οἰκίαυ (= γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν) nº. 1233; ita ut simili ratione contendere posset aliquis, ex Arcadum lingua apparere, genitivi terminum -αο, ex quo illud -αυ natum esse Cyprica monumenta testantur, non masculino solummodo sed feminino quoque generi olim proprium fuisse, neque igitur vitium fore si in Homero occurrat Ἰθάκαο vel Ἑλέναο. Mihi potius simile esse videtur Pseudartabae illud χαυνόπρωκτ' Ἰαοναῦ vel Triballicum βασιλιναῦ.

Sed etiamsi plurimum tribuas obscuris huius lapidis literis, negligere non licebit discrimen inter κ' ἄν, quod Arcades dixisse feruntur, et ἄν κε, quod in textu Homerico occurrit. Si quis perhiberet, ex Tegeatico lapide apparere, Homericum κεν sem-

Digitized by Google

per et ubique in κ' ἄν esse mutandum, sine dubio ψεῦδός κεν φαῖμεν καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον, sed intelligeremus saltem quo argumento uteretur; is vero qui sic statuit: Arcades aliquando κ' ἄν dixerunt, ergo Homerus ἄν κε dicere potuit, syllogismo utitur quatuor terminorum.

Non licet igitur dicere, *synonyma* esse κέν et ἄν, diversarum enim sunt dialectorum; et pro certo nobis statuendum est, poetas epicos non usos fuisse dialecto cui et ἄν et κέ(ν) esset proprium; nulla enim, si qua fides monumentis literatis, eiusmodi dialectus unquam fuit.

Dixerit fortasse aliquis „assumserunt igitur alteram utram particulam ex dialecto aliena." — Cui responderim, id credibile non esse. Verba, nomina, et propria praesertim nomina, aliunde haud raro ab iis fuisse petita, libenter credo; talem libertatem semper poetis concessam fuisse scio et concedendam censeo. Sed non pertinet illa licentia ad particulas, ad ipsos nervos igitur linguae. In his si quis usum communem parum observaret, sensu communi destitutus esse videretur; non poeticum, non ornatum, non exquisitum existimaretur quicquid in his recederet a more dicendi quotidiano, sed putidum, soloecum, ridiculum. Scatent hodiernae linguae, et nostratium in primis, vocabulis et dicendi generibus ex Germania, Gallia, Anglia, et unde non deductis; sed nemo umquam in vocibus quales sunt *si*, *ut*, *tum* imitatus est populos vicinos, aut si fecit, absurde fecit. Sic subridere vel etiam succensere solemus, quotiens in epistolis mercatorum aut puellarum *quod* more Anglorum omissum videmus, nec inventum iri censeo qui contendat poeticum et elegans esse tale genus loquendi. Itaque aut ostendat aliquis, magis poeticum sonare ἄν quam κέν, vel etiam κέν quam ἄν, aut concedat, non ex studio dictionis ornandae et variandae explicari posse utriusque particulae usum in carminibus Homericis.

„At metri causa fortasse modo hanc modo illam elegerint". Aliquanto plus me movet qui sic me interpellat, nam probe scio quam multa in lingua homerica nonnisi ex legibus hexametri aut explicari possint aut excusari. Paullo accuratius igitur videamus quam probabilis sit haec opinio. Fingamus nobis,

Digitized by Google

duas esse particulas, alteram epico sermoni propriam, alteram ab illa dialecto alienam; sed illam hexametro minus aptam, hanc aptissimam: — credibile est, fortasse verisimile, urgente metro poetas interdum assumturos fuisse vocabulum, quod versus posceret licet vix id admitteret lingua. Sed non haec est causa vocularum de quibus agimus. Utraque et metro heroico et cuivis metro aptissima est; monosyllaba enim et brevis est utraque. Altera aut elisione decurtari potest, aut adiecta litera paragogica produci; altera incipit a litera vocali, et vocabulis igitur elisis potest subiungi. Praeterea non certam aliquam habent sedem in sententia, ut τίς, οὐ, καί et talia, sed magna cum libertate prouti libitum fuerit caeteris vocabulis interseri possunt. Itaque ne metrica quidem causa poetas epicos movere potuit ut aut ἄν aut κέν aliunde adsciscerent.

Sed fac, homines esse tam duros et pervicaces, ut his, quae invicta mihi videntur, argumentis fidem denegent, et tamen poeticam nescio quam licentiam hic cerni contendere pergant, sive metri causa sive quacunque de causa admissam — ne sic quidem obmutescemus, sed provocabimus ad artem quae nostra aetate magno in honore esse coepit, artem dico „statisticam". Haec firmiora adhuc argumenta, ut quae non solum ponderari sed etiam digitis enumerari possint, ad refellendos quos modo dicebam homines nobis praebet.

Hi enim aut κέν per licentiam poeticam invectum esse statuant necesse est, aut ἄν.

Illud si contendant [1]), respondeamus longe longeque frequentius esse κέν in homericis quam ἄν; illam igitur licentiam, quam in ore habeant, poeticam tam late grassatam videri ut vix quinto quoque loco toleraretur legitima particula ἄν, quam communis dicendi usus flagitaret. Talis vero licentia libido potius esset dicenda et linguae intemperantia, quae exceptiones funderet tam innumeras ut ipsa regula inter eas veluti obruta delitesceret [2]). Eiusmodi monstra Alexandria fortasse genuit aut

1) Duentzerus revera contendebat, ut ex Ebelingi Lexico didici.

2) Libenter igitur mea facio doctissimi Monro verba *Homeric Grammar* p. 269: „that a Particle which is essential to the syntax in hundreds of passages should be „a mere piece of literary tradition or imitation seems impossible".

Digitized by Google

Byzantium, non procreavit vis vegeta recentis adhuc Graeciae, cum novus perflaret spiritus poeticus.

Sin ἄν potius poetarum voluntati deberi putent homines quibuscum nobis res est, nos obiciamus id minus etiam credibile esse. Nam ἄν in Ionia et Attica usu erat tritum, neque poterat igitur eleganti dictioni magis accommodatum videri quam κέν. Neque metro cogente invectum fuisse ἄν, id demum est certissimum, nam innumeris locis, ubi ἄν hodie legitur, substituere nobis licet κεν vel κε vel κ' sine ullo hexametri detrimento, et nonnisi perpaucis locis, de quibus postmodo agemus, id aut difficilius est aut fieri omnino nequit.

Nihil igitur hic explicari posse ex poetica licentia aut legibus metri, luculenter, ut spero, apparet.

Quapropter multo prudentius egit Augustus Fick, qui cum ea quae modo reputavimus bene perspexisset, sic statuendum censuit: κέν Aeolicum esse, ἄν Ionicum; in antiquissimis igitur partibus Iliadis et Odysseae, quae aeolica dialecto fuerint compositae, unum κέν admittendum esse; sed ἄν esse invectum a poetis qui recentiores partes composuerunt et cum antiquioribus conglutinarunt; hos enim Iones fuisse; neque igitur in partibus recentioribus ἄν sollicitari aut debere aut posse [1]).

Prudentius hunc virum doctum egisse ideo dixi, quia causam proposuit quae non ab arte poetica abhorreat; causam quae non indigna sit ingeniosis cantoribus quibus nostram Iliadem nostram-

1) Nuper demum ad hanc opinionem pervenit vir doctus; nam cum Odysseam ederet aliter adhuc iudicabat: „die homerische verbindung ἄν κε ... bezeugt dass „der altepische dialect beide wörter neben einander besass" (Odyss. p. 20); „die Aeo„lis zur zeit Homers kann sehr wohl noch wie Homer κε und ἄν ... neben ein„ander besessen haben" (ibid p. 30). Neque de abiciendo ἄν cogitasse videtur priusquam altera fere pars Iliadis typis esset perscripta. In Prolegomenis demum, quae editioni Iliadis perfectae adiecit, luculenter de hac quaestione disserit p XXII—XXXI. Quae edita sunt cum disputationem meam ad finem perduxissem, et non sine gaudio vidi de multorum versuum correctione mihi convenire cum viro sagaci, cuius audacia studiis homericis multum profuit atque ut spero proderit; nam

ἢν καινὸν ἐγχείρημα, κἂν τολμηρὸν ᾖ,
πολλῶν παλαιῶν ἐστι χρησιμώτερον.

Digitized by Google

que Odysseam debemus; causam igitur quae, per se spectata, vera esse possit. Veram tamen esse nego. Scilicet κέν non solum in iis partibus Iliadis et Odysseae reperitur quae ceteris antiquiores aut sunt aut censentur, sed per totum corpus homericum plane regnat, et ne a recentissimis quidem libris exulat. Reperitur in Nestoris narratiunculis prolixis atque taediosis; legitur in turpi illa θεομαχίᾳ, ubi Olympii pugnis et iurgiis se proscindunt; non abest a Dolonea neque ab ultimo libro Odysseae, nulla denique in particula ingentis operis frustra quaeritur [1]); longe feracissimi autem huius particulae sunt libri Iliadis I et Ω, quos inter recentiores carminis epici partes esse recensendos satis constat hodie. Neque vero κέν in iis partibus, quas antiquissimas esse omnes concedunt, aut unum reperitur aut facili negotio semper potest revocari; sed per has, ut per ceteras, satis aequabiliter dispersi sunt versus quibus ἄν ita inhaereat ut vix evelli posse videatur. Exemplo sit primus Iliadis liber, in quo legimus ἦν ποτε δασμὸς ἵκηται (vs. 166), τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ (vs. 205), ὅτ' ἄν μ' ἐρέθῃσιν (vs. 519), — qualia sine violentiore remedio ad normam revocari nequeunt. Eadem igitur sors fuit particulae κέν atque literae ϝ, quam prae ceteris aeolicam dicunt; nam haec quoque in recentissima quaque rhapsodia reperitur passim et vel in antiquissimis nonnumquam negligitur.

Denique, si κέν alienum fuisset a lingua recentiorum poetarum epicorum, fieri vix potuisset quin aeolismi huius, quem dicit Fickius, vestigia iis demum locis remanerent ubi salvo metro non poterant obliterari; et in Odyssea certe, quam ab Ionico poeta in hodiernam formam redactam fuisse vir ille doctus autumat, expectares fore ut κέν nusquam sine necessitate legeretur. Sed secus esse locos explorando comperi; non admodum quidem frequentes sed tamen minime rari sunt versus ubi κέν legitur licet metrum etiam ἄν admittat; et talium locorum in Odyssea vel maior est numerus quam in Iliade. Unum exemplum sufficiat π 297:

ὡς ἂν ἐπιθύσαντες ἐλοίμεθα· τοὺς δέ κ' ἔπειτα etc.

---

1) Nam quod in Catalogo navium non occurrit κε, id non esse recentis aetatis indicium quivis intellegit; hypotheticae scilicet particulae in eiusmodi recensione nullus est locus.

Digitized by Google

Confidenter igitur nego esse causam, cur in recentioribus nescio quibus partibus carminum homericorum ἄν toleremus utpote genuinum [1]), in antiquioribus vero κέν, quantum fieri possit, revocemus.

Quid igitur? Num relabimur in veterem opinionem, Homerum omnes dialectos Graeciae contaminasse, barbara quoque vocabula intermiscuisse, quinimo coelitum linguam interdum locutum fuisse? nihil non licuisse ei, nihil non libuisse? Num credimus, nihil hic ex sanae mentis praeceptis aut posse explicari aut debere, sed obtemperandum esse imperioso isti dicto „stet pro ratione voluntas" — quod servis tamen vexatis potius scriptum quam philologis, liberae artis asseclis?

Equidem novam causam quaerendam arbitror, vel potius in promptu eam esse contendo. Veteribus poetis epicis unum κέν in usu fuisse, id Fickio libenter concedo, sive cum illo aeolicum id appelles, sive vetustae potius graecitatis commune existimes. Sed addo, etiam recentioris aetatis poetas, quibus Ilias et Odyssea hodiernam suam formam et ambitum debent, unam voculam κέν adhibuisse. Quod ἄν quoque irrepsit, id non eorum voluntati sed mero casui tribuendum esse perhibeo, neque eorum aevo sed postea demum et sensim factum esse, cum recitarentur carmina homerica a rhapsodis, hominibus Ionicis vel Atticis,

---

1) Ad refellendam Fickii opinionem etiam Callini versus fr. 1, 8 aliquid valere mihi videtur. Fickius enim (Odyss. p. 8), ut probaret ab ionica dialecto literam digamma alienam semper fuisse, inter alia argumenta hoc quoque attulit „quod in „fragmentis carminum veterum poetarum Ionicorum Callini Mimnermi Archilochi „Hipponactis nulla huius literae reperiantur certa vestigia"; nostro igitur iure poscimus ut nobis eodem argumento uti liceat. Itaque cum inter paucos illos Callini versus qui aetatem tulerunt legatur:

θάνατος δὲ τότ' ἔσσεται ὁππότε κεν δὴ
Μοῖραι ἐπικλώσωσ',

in quibus verbis de eliminando κεν ne cogitari quidem potest, hinc sequitur, particulam κεν ab Callini dialecto non fuisse alienam, ionicam igitur olim fuisse. At Homerum imitatus fuerit Callinus? Equidem quominus sic statuat aliquis non intercedo, sed Fickius ipse sic opinari nos vetuit; nam post sexagesimam demum olympiadem a poetis Ionicis formas Homericas, vel ut ille loquitur Aeolicas, suis carminibus intermixtas fuisse contendit Iliad. pag. XXXVI.

Digitized by Google

qui particula κέν et ipsi non uterentur et canerent auditoribus eam non adhibentibus [1]).

Sensim irrepsit ἄν pro κέν, nulla lege cogente, nulla certa ratione ducente; neque igitur in omnes locos irrepsit quo per metrum licebat. Sensim irrepsit, neque igitur unquam fuit tempus quo prorsus constaret de singulis locis homericis, essetne ἄν traditum an vero κέν. Sine dubio omnium prima labefactata est locutio οὔ κεν, hodie in textu Homerico rarissima, in qua litera κ pelliciebat et vel imprudentes perducebat recitantes ut substituerent vitae communis sonos simillimos οὐκ ἄν [2]). Cito, opinor, secuta sunt ὄφρ' ἄν pro ὄφρα κ', et similia, in quibus nonnisi una literula erat mutanda. Brevi post pro ὥς κεν, πῶς κεν credibile est coeptum esse substitui ὡς ἄν, πῶς ἄν, quae nusquam non substitui metrum sinebat. Aliquanto diutius, ut arbitror, intacta perstiterunt ὅ κεν et similia, quae ut in ὃς ἄν etc. mutarentur bina vocabula erant sollicitanda. Sero demum invectas censeo voculas, ex contractione natas, et vel hac de causa in homerico sermone suspectas, ἦν et ἐπήν pro αἴ κ(ε) et ἐπεί κ(ε). Itaque illud dictum Achillis, a quo disputandi initium fecimus, diu adhuc post ipsorum poetarum aevum sic pronunciatum fuit:

ὄψεαι αἴ κε θέλῃσθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ,

et sero demum natum est illud ἦν ἐθέλῃσθα, quod ad nos pervenit.

Sero natum dico, et quamquam tempora accuratius definire nequeo, Platonis certe aevo genuinam huius loci lectionem aut

---

1) Simillimi erroris Aristophanes poeta manufestus tenetur; qui cum rusticum Thebanum in Acharnensium fabula induceret nativo sermone utentem, mero calami lapsu huic homini μέντἄν, quod Atticorum est, tribuit vs. 906:

λάβοιμι μέντἂν κέρδος ἀγαγὼν καὶ πολύ.

Non dubito enim quin ipse comicus sic scripserit. Si quis autem evinceret, non Aristophanis hunc esse errorem sed a posteris corrupta esse eius verba, vel sic egregie hic locus faceret ad tuendam nostram opinionem de homerico ἄν; minus enim nunc refert quis erraverit quam quomodo et cur erratum sit.

2) Tenemus igitur solutionem aenigmatis quod a viro docto Eberhard nobis propositum est in Ebelingi Lexico Homerico pag. 734 sq. In fine enim praelongae disputationis de particula κε, quae infinita cura elaborata et libri instar est, numeris subductis demonstrat, apud Homerum in sententiis affirmativis plane regnare κέ(ν), sed in negativis aliquanto magis usitatum esse ἄν quam κέν, illud enim 100 loci extare, hoc 88. Conf. infra pag. 100.

Digitized by Google

solam extitisse aut nondum intermortuam fuisse, demonstrari potest. Nam quod modo poscebam et olim lectum fuisse perhibebam, id quamquam in codicibus nostris homericis, uno Vindobonensi excepto, non reperitur, legitur tamen apud Platonem, quo loco hunc versum affert, in Hippia Minore pag. 370 b; nec non in Anonymi περὶ σχημάτων libello (Rhetor. Spengel III pag. 141, Walz. VIII pag. 649) sic citatur.

Luculentum igitur et minime dubium hoc est exemplum traditionis inter κέν et ἄν vacillantis. Itaque si sunt editores, iusto fortasse cautiores, quibus in veterum scriptis recensendis summa lex videtur „litera scripta maneto", ne hi quidem habent quod abhorreant in opinione quam commendare coepi, unum κέν Homericum esse, ἄν utpote posterioris aevi sordes esse removendum ex epico textu. Utrumque enim nostro versu traditum est, optio igitur nobis est facienda, quemadmodum olim facta est optio a criticis Alexandrinis, cum textum Homericum constituerent.

In quibus prae ceteris semper Aristarchus est nominandus. Quid igitur ille de hac quaestione iudicabat? Magis favebat particulae ἄν. Non totidem quidem verbis diserte id nobis est traditum, sed satis tamen apparet ex iis quae legimus in scholiis ad N 289:

οὐκ ἂν ἐν αὐχέν' ὄπισθε πέσοι βέλος οὐδ' ἐνὶ νώτῳ.

„οὕτως Ἀρίσταρχος οὐκ ἄν διὰ τοῦ ᾱ, αἱ δὲ κοιναὶ οὔ κεν."

Praetulit igitur ἄν, fortasse motus opinione sua, Homerum Atheniensem fuisse. Nam nisi sic censuisset, verum opinor, qua erat sagacitate, intellexisset ex locis, qualis est T 271 sq.:

οὐκ ἂν δή ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσι
Ἀτρεΐδης ὥρινε διαμπερὲς, οὐδέ κε κούρην
ἦγεν κτἑ.,

ubi vetus poeta epicus dederat οὔ κεν et οὐδέ κε, poeta Atticus vel ionicus οὐκ ἂν et οὐδ' ἂν inter se opposuisset, sed nonnisi casu et per errorem nasci potuit illud οὐκ ἂν .... οὐδέ κε. Aristarcho vero ἄν nativum videbatur, κέν poeticum, et hoc igitur metri causa secundo versu invectum esse, eum censuisse verisimile est.

Notabilis quoque est versus Z 113:

ὄφρ' ἂν ἐγὼ βήω προτὶ Ἴλιον,

Digitized by Google

quem cum in priore editione Aristarchus, testibus scholiis, dedisset optime; qualem ipse dederat olim poeta, *ὄφρα κ' ἐγὼ βήω*, in altera correxit *ὄφρ' ἂν* [1]), quod hodie legitur et hoc loco et viginti aliis.

Neque opinioni, quam protuli, obstat quod Aristarchus A 168 et H 5 defendit veram lectionem *ἐπεί κε κάμω* et *ἐπεί κε κάμωσιν*, cum vulgatum esset id, quod ad nostram usque aetatem permansit, *ἐπὴν κεκάμω* et *ἐπὴν κεκάμωσιν*. Scilicet non impugnavit vulgatam quia *ἐπήν* pro *ἐπεί κε* parum censeret Homericum, sed quia non *κεκαμεῖν* sed *καμεῖν* dicendum esse intelligeret; *ἵνα μὴ ᾖ διπλασιασμὸς ἐν τῷ ῥήματι*, ut legimus in scholiis, unde simul discimus fuisse etiam qui *ἐπήν κε* scriberent. Talis causa nisi intercessisset quominus *ἐπήν* his locis toleraret, id fovisset sine dubio. Sic etiam δ 494

ἐπεί κ' ἐὺ πάντα πύθηαι,

ubi scholia Harles. *ἐπὴν* potius scribendum esse autumant, ad Aristarchum illa opinio referenda esse videtur. Et dubites fere num in Scholio A^t ad M 465:

οὐκ ἄν τίς μιν ἐρυκάκοι ἀντιβολήσας

recte hodie tradatur: *Ἀρίσταρχος „οὔ κέν τίς μιν ἐρύκακεν."* Expectavisses enim haec potius: <*οὕτως*> *Ἀρίσταρχος* <*διὰ τοῦ ᾱ „οὐκ ἄν"*, *αἱ δὲ κοιναὶ*> *„οὔ κεν"*. Legitur autem hodie *οὔ κεν* in uno Vindobonensi, *οὐκ ἄν* vero in Syriaco, in Scholiis N 1, in Veneto A etc.

Quidquid id est, septem iam locos homericos indicavi, quibus inter *κέν* et *ἄν* variant libri. Sed multo plures afferri possunt. Nonnullos excripsi, nullus dubitans quin aliquanto amplior messis potuisset coacervari:

δ 223 et ψ 187 *οὔ κεν* vulgo,	*οὐκ ἂν* optimi.
P 398 *οὐδέ κ' ὔτις* omnes,	Eustathius *οὐδ' ἂν*.
Z 69 *ὥς κε* omnes,	Eustathius *ὡς ἂν*.
A 549 *ὃν δέ κ'* omnes,	Eustathius *ὃν δ' ἂν*.
B 391 *ὃν δέ κ'* omnes,	*ὃν δ' ἂν* Ambr., Vrat., Eustath.
Δ 306 *ὃς δέ κ' ἀνὴρ* vulgo,	*ὃς δ' ἂν* Eustath.
ρ 385 *ὅ κεν τέρπῃσιν* vulgo,	*ὃς ἂν* Eustath., Roman.
Θ 471 *αἴ κ' ἐθέλῃσθα* omnes,	Schol. A. *γρ. ἤν"*.

1) *διχῶς Ἀρίσταρχος, καὶ διὰ τοῦ „κε", ὄφρα κ' ἐγὼ, καὶ διὰ] τοῦ „ἄν"*.

Digitized by Google

μ 138 ἤ τ' ἂν ἔτ' plerique, Marc. n° 613 γρ. καί κεν ἔτ', item Vindob., Vrat. — Corrige ἤ κεν ἔτ', ut infra videbimus (pag. 113).

δ 443 τίς γάρ κ' εἰναλίῳ vulgo, τίς γὰρ ἂν Eustath.

ι 351 πῶς κέν τις σε plerique, πῶς ἄν τις σε Marc. n° 613, Eustath., Roman., August.

ζ 285 ἐμοὶ δέ κ' ὀνείδεα, ἐμοὶ δ' ἂν ὀνείδεα Eustath., Rom.

ρ 418 ἐγὼ δέ κέ σε κλείω plerique, ἐγὼ δ' ἄν σε κλείω Eustath., Vindob. n° 5.

χ 377 ὄφρα κ' ἐγὼ nonnulli, ὄφρ' ἂν ἐγὼ vulgo.

Alia exempla invenies θ 216, ξ 126, π 391, σ 183.

Quin interdum ἄν pro κεν occurrit repugnante metro, manifesto igitur vitiosum et ab ipso codicis scriba per errorem substitutum genuinae voculae κε. Sic υ 342: γήμασθ' ᾧ κ' ἐθέλῃ, Eustath. ᾧ ἂν ἐθέλῃ. Vel M 302 pro εἴ περ γάρ χ' εὕρῃσι in Vindob. reperitur εἴπερ γὰρ ἄν χ' εὕρῃσι.

Videmus, etiamsi transversum unum digitum a textu tradito discessisse nefas ducas, hodie tamen satis multis locis incertum esse, utri particulae magis faveant libri. Quorum locorum numerus egregie augebitur si addamus versus ubi legitur ἄν cum parallelis versibus κεν reperiatur.

Et hic denuo laudandum est, quamquam iam fere decantatum, illud ἦν ἐθέλῃσθα. Nam legitur id sane hodie in textu Homerico, loco quem saepius iam attulimus, I 359, nec non versu parallelo Δ 353, sed aliquanto tamen frequentius in Homericis est id, quod unice recte habere contendo, αἴ κ' ἐθέλῃσθα vel -λῃς: Θ 471, Σ 457, λ 105, μ 49, υ 233. Invenimus sane in omnibus codicibus ἦν ἐθέλῃσιν I 429 = 692, sed αἴ κ' ἐθέλῃσι extat Σ 278, 306, ι 520; item αἴ κ' ἐθέλωμι reperitur Φ 348, εἴ κ' ἐθέλοις τ 589, εἴ κ' ἐθέλων .... η 315. Nisi vero fallor, αἴ κε θέλῃσθα, θέλωμι etc. dicebatur olim, et sic potius ediderim.

Eadem ratione persanari potest Π 38 sq.:

ἀλλ' ἐμέ περ πρόες ὦχ', ἅμα δ' ἄλλον λαὸν ὅπασσον
Μυρμιδόνων, ἦν πού τι Φόως Δαναοῖσι γένωμαι.

Digitized by Google

Hic dubitaremus fortasse quomodo αἴ κεν esset revocandum, vel certe verum repertum in textum recipere gravaremur, nisi viam nobis indicatam inveniremus loco parallelo, ad quem Nauckius nos ablegat, Λ 796 sq.:

ἀλλὰ σέ περ προέτω, ἅμα δ' ἄλλος λαὸς ἑπέσθω
Μυρμιδόνων, αἴ κέν τι Φόως (vel potius Φάος) Δαναοῖσι γένηαι.

Leguntur haec in Nestoris cum Patroclo prolixa illa confabulatione, quae quin inter recentissimas Iliadis partes sit recensenda, vix cuiquam opinor adhuc dubium videtur. Fickio autem si credendum est, debentur haec poetae aut si mavis rhapsodo isti, quem Iliadem ex Aeolica dialecto in Ionicam convertisse et simul novis multis hexametris de suo auxisse contendit; ab hoc igitur diasceuasta, cui nomen Cynaetho, patriam Chium fuisse dicit, versus Λ 794—803 leviter mutatos (mit geringen änderungen) repetitos esse ex libri Π initio, vir ille doctus (Iliad. pag. 488) autumat; crassa Minerva e Patroclea evulsos et huc intrusos esse alibi (pag. 83) statuit. Quod verum esse minime negamus; sed quod dicit leviter mutatos esse hos versus, quo tendat videamus. Ecquid credibile est, rhapsodum illum, qui aeolica carmina in ionicam dialectum converteret, hoc loco mira quadam mentis perturbatione plane contrariam viam institisse, et ita mutavisse verba loci quem imitabatur, ut pro ionicis ἤν που, quae hodie certe ibi leguntur, restitueret in versibus a se fictis aeolica αἴ κεν? Plane absurda sic crederemus; itaque Fickius interrogatus responderet opinor, illo tempore αἴ κεν adhuc lectum fuisse in Patrocleae versu. Concedo sane; sed numquid igitur Cynaethus, aut quisquis fuit, aeolicum illud αἴ κεν indignum iudicavit quod toleraretur Π 39, sed dignum tamen quod reciperetur in novum locum a se confictum? Credat qui credere possit; neque Fickium, quo est mentis acumine, talis opinionis defensorem extiturum existimo. Sed nisi eam defendat, nobis concedat necesse est, post Cynaethi ergo tempora, id est postquam Ilias et Odyssea in hodiernam suam formam et ambitum sunt redactae, in Patrocleae locum (Π 39) irrepsisse ἤν που, et sic igitur delabimur ad illam opinionem, quam ego tueri conor, non ab Ionicis nescio quibus diasceuastis in textum Homericum invectum esse ἄν, sed sero demum, prouti casus ferret, in multos locos sensim irrepsisse.

Digitized by Google

Patrocli autem verba dum mente tenemus, confidenter refingimus alios quosdam locos, quos importunum illud *που* obsedit:

β 360 } ἦν που ἀκούσω,
γ 83 }
ε 417 ἦν που ἐφεύρω,

immo *αἴ κεν ἀκούσω, αἴ κεν ἐφεύρω.*

Consimilis est condicio versuum parallelorum Z 489 et θ 553:

οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται,

nam ut *ἐπεί κε πρῶτα* scribamus, deleto articulo, non solum suadet sana ratio, sed vel cogit versus homericus, ubi id ipsum extat, λ 221:

δάμνατ', ἐπεί κε πρῶτα λίπῃ λεύκ' ὀστέα θυμός.

Alio loco non *τὰ* sed *δὴ* irrepsit, id quoque quantocius resecandum, δ 414:

τὸν μὲν ἐπὴν δὴ πρῶτα κατευνηθέντα ῥίδησθε,

immo *ἐπεί κε πρῶτα.*

Neque magis dubium est quid fieri debeat de *ὅς ἄν*, quod uno loco Homerico Φ 294 reperitur:

βλάπτει ὅς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ μηδ' αἴσιμα πίνῃ,

nam *ὅ κεν* et hic restitui potest et legitur quatuor locis Γ 354, *α* 254, *π* 257, *ρ* 385; quorum locorum primo *ὅς κεν* metro invito exhibetur in Laurentiano D, ultimi varia lectio *ὅς ἂν* affertur, ita ut vitiosum *ὅς ἂν* ex genuino *ὅ κεν* veluti ante oculos nostros succrescere videamus.

Quoniam igitur homericum non est *ὅς ἄν*, non diu opinor manus abstinebimus ab *ὅς δ' ἂν*, sed *ὅς δέ κε* restituemus, solo nostro iudicio confisi. Quid quod ne requiritur quidem talis, si qua est, audacia; sufficiunt enim bini versus paralleli B 391 et Θ 10 inter se collati:

B 391: *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω,*
Θ 10: *ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω.*

Priore loco solus Ambrosianus praebet *ὃν δ' ἄν*, altero *ἂν* reperitur apud omnes; neutro vero loco vel per unum punctum temporis patienter est ferendum.

Quod vero Θ 10 analogia duce corrigere possumus, id si binis aliis locis O 348 et *τ* 332, ubi tali adminiculo destituti

Digitized by Google

sumus, intactum relinqueremus, non cauti sed ignavi potius et superstitiosi homines essemus dicendi:

O 348: ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἐτέρωθι νοήσω,

τ 332: ὃς δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ etc.

Immo his quoque locis ὃν δέ κ' ἐγὼν et ὃς δέ κ' ἀμύμων corrigatur quantocius.

Egregie quoque ad tuendam opinionem, quam lectoribus benevolis commendare conor, faciunt versus ex quibus, particulam κέν pro ἄν restituendo, alterum simul vitium eliminare licet. Multorum instar mihi videtur versus ρ 10:

τὸν ξεῖνον δύστηνον ἄγ' ἐς πόλιν, ὄφρ' ἂν ἐκεῖθι
δαῖτα πτωχεύῃ.

Scilicet κεῖνος, κεῖθι, κεῖσε etc. homerica sunt, formae vero quibus praefixa est litera ἐ- ab eius sermone sunt alienae, rarissime occurrunt, neque ullo loco me iudice ut genuinae sunt tolerandae; id quod in paginae calce ostendam [1]). Et ad ἐκεῖθι

---

1) Nonnisi perpaucis locis pronominis huius forma trisyllaba invenitur. Nostro autem iure I 646 pro ὀπτόθ' ἐκείνων legemus, literis aliter divisis, ὀπτόθε κείθων; neque maioris videtur audaciae, Σ 188 pro τεύχε' ἐκεῖνοι rescripsisse τεύχεα κεῖνοι, aut π 151 μετὰ κεῖνον pro μετ' ἐκεῖνον, aut γ 103 ἐνὶ κείνῳ pro ἐν ἐκείνῳ.

Compluribus locis ἐκεῖνος sequitur vocem trochaicam, in versus introitu positam; quibus igitur locis salvo metro recidi potest litera initialis ἐ-:

O 94, Σ 262, ο 212 οἷος (ἐ)κείνοο θυμὸς. Hic Aristarcho certe non invito sic scribemus; in scholiis enim ad primum locum legitur: Ἀρίσταρχος „κείνου" ἰαχῆς. Metrum tamen κείνου legere vetat, quia binae voces spondaicae non possunt versum aperire.

β 272, ξ 491 οἷος (ἐ)κεῖνος ἦεν.

β 171 καὶ γὰρ (ἐ)κείνῳ φημί.

ξ 70 καὶ γὰρ (ἐ)κεῖνος ἔβη.

Neque aliter iudicandum de ξ 122, ubi in medio versu legitur ἐκεῖνον:

ὦ γέρον, οὔ τις (ἐ)κεῖνον ἀνὴρ etc.

Verborum traiectione sanari potest ο 330:

οὔ τοι τοιοῖδ' εἰσὶν ὑποδρηστῆρες ἐκείνων,

immo:

κείνων οὐ τοιοῦτοι ὑποδρηστῆρες ἔασι.

Quae correctio vel ideo necessaria est quia vulgata significat *illis non tales* QUALIS EGO SUM *ministri ad manum sunt*, cum requiratur QUALIS TU ES.

Manifesto corrupti sunt duo loci qui sequuntur:

γ 113: ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖς 'πάθομεν κακά· τίς κεν ἐκεῖνα
πάντα γε μυθήσαιτο etc.

Digitized by Google

quod attinet, id non altero loco Homerico legitur praeter hunc unum. Numquid igitur dubium esse potest quin hoc loco poeta dederit *ὄφρα κε κεῖθι*, quemadmodum, exempli gratia *β* 124 legimus *ὄφρα κε κείνῃ*?

Contrarium, ut hoc in transitu commemorem, usu venit *θ* 147; ibi enim vitium prohibuit quominus alterum vitium nasceretur. Traditum est illo loco *ὄφρα κεν ἧσι*, sed dudum intellectum est ab editoribus, restituendam esse formam unice homericam *ἕῃσι*, et *ὄφρα κ' ἕῃσι* igitur poetae esse manum. Quae subiunctivi forma si olim intacta mansisset, sine dubio *ὄφρα κ'* hoc loco, ut passim alibi, abiisset in *ὄφρ' ἄν*.

Praeterea afferatur hic *λ* 17 sq.:

οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
οὔθ' ὅτ' ἂν ἀψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.

Hic enim, dum *κεν* revocamus, simul parallelismum binarum sententiarum restituimus:

οὔθ' ὅτε κε στείχῃσι,
οὔθ' ὅτε κ' ἂψ etc.

Et confidenter igitur aliis quoque locis *ὁπότ' ἂν* in *ὅτε κεν* mutabimus.

Qui versus satis ut spero probabiliter sic potest corrigi:

ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖσι πάθον κακά· τίς δέ κε κεῖνα etc.,

ut de se ipso Nestor loquatur solo.

ω 312: *δεξιοὶ, οἷς χαίρων μὲν ἐγὼν ἀπέπεμπον ἑκεῖνον.*

Eleganter sane Nauck *οἵσιν ἐγὼ χαίρων* correxit, sed *ἑκεῖνον* vix melioris est notae quam *οἷς*. Itaque versus aut recentissimus aut ultra spem sanandi corruptus esse videtur.

Hisce omnibus locis semotis, pauci versus restant qui sequuntur:

I 63: *ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἑκεῖνος* (spurius).

Λ 653: *οἷος ἐκεῖνος.*

β 183: *καταφθίσθαι σὺν ἑκείνῳ* (*ἅμα κείνῳ*?)

δ 819: *ἦ περ ἐκείνου* (*ἠέ περ αὐτοῦ*?)

ξ 163: *ὅς τις ἐκείνου* (in fine versus ut videtur spurii).

ξ 352: *θύρηφ' ἕα ἀμφὶς ἐκείνων.*

σ 147: *μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ.*

σ 239: *ὡς νῦν ἧμος ἐκεῖνος.*

τ 322: *ὅς κεν ἐκείνων* (*ὅς τέ κε κείνων*?).

ω 288: *ἀξείνισσας ἐκεῖνον.*

ω 437: *ἀλλ' ἴομεν, μὴ φθέωσι πεπαιωθέντες ἐκεῖνοι.*

Digitized by Google

Minime vero negligendi sunt nobis loci ubi ἄν (ἦν, ἐπήν) in graviore corruptela legitur, ita ut revocata sana lectione simul evanescat particula suspecta. Cuius rei exemplum, omnium luculentissimum ut arbitror, suppeditat sententia cuius pars est versus saepius iam excitatus, sed denuo proferendus. En igitur ea quae leguntur I 356 sqq.:

νῦν δ' ἐπεὶ οὐκ ἐθέλω πολεμιζέμεν' Ἕκτορι δίῳ,
αὔριον ἱρὰ Διὶ ῥέξας καὶ πᾶσι θεοῖσι,
νηήσας εὖ νῆας, ἐπὴν ἅλαδε προερύσσω,
ὄψεαι, ἢν ἐθέλῃσθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ,
ἦρι μάλ' Ἑλλήσποντον ἐπ' ἰχθυόεντα πλεούσας
νῆας ἐμὰς, ἐν δ' ἄνδρας ἐρεσσέμεναι μεμαῶτας.

Haec inde a pueritia legimus, vertimus, admirati sumus ut spero omnes, et memoriter tam penitus tenemus ut inter recitandum singula verba et sententiarum nexum perpendere negligamus. Alioquin vix potuisset fieri quin unusquisque nostrum dudum clamavisset: soloeca haec sunt et incomposite dicta; non cohaerent; plectitur syntaxis; nihil est participium illud, si dis placet, absolutum νηήσας, quod ad Achillem qui loquitur pertinere debet, sed, ut nunc habet contextus, ad unum quem alloquitur Ulyxem potest referri.

Quid igitur latet? Ipse indicabit Homerus. Non omnes suae classis naves Achilles ipse est oneraturus, sed unam illam quam incolit, in qua opes suas habet collectas. Hanc bene et accurate se impleturum esse dicit. Neque aliam Agamemnon spectaverat cum haec legatis mandaret (vs. 137):

νῆα ῥάλις χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ (-κόο) νηησάσθω,

quae iisdem deinde verbis Ulyxes Achilli retulit (vs. 279).

Hoc igitur promissum respicit Achilles, cum stomachosus retorquet: „nihil curo opes quibus Atridae meam navem cumulaturos se dicunt; ipse eam implebo; habeo quae imponam, dudum hisce meis manibus meoque sudore parta; plura non desidero; sufficiunt ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ (A 300). Cras navem meam, cunctis quae possideo oneratam, protraham in mare et domum redibo:

νηήσας εὖ νῆα ἐμὴν ἅλαδε προερύσσω". —

Et deinde novam addit sententiam, cum praecedentibus non coniunctam, quae a famosis illis „ὄψεαι ἢν ἐθέλῃσθα" incipit.

Digitized by Google

Vides quam levis sit correctio quam adhibui; nam Π et Μ inter se confundi solere, nemo nescit; vides, una opella et vocabulum parum Homericum ἐπὴν esse semotum, et sententiam, quae modo ridicule erat contorta, simplicem et perspicuam esse redditam.

Alterum exemplum ex eodem libro proferri potest I 304:

νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθῃ.

Sic in fine praeclarae allocutionis Ulyxes Achillem cohortatur; admodum tamen insulse, si quid in me est iudicii. Quis credat a Laertis facundo filio talia dici: „*nunc Hectorem potes occupare, si modo propius ad te accedat* — in quibus ridicule inter se pugnant illud *nunc* et illud *si*. Itaque, ut est apud Platonem, τοῦτον τὸν λόγον ἀμείνω ἂν γενέσθαι οἶμαι εἴ τις τὸ „εἰ" ἀφέλοι αὐτοῦ. Non dixit Ulyxes quod dixisse fertur, sed ἐπεί nostro loco significare debet *quoniam*, et aliena igitur a sententia est particula condicionalis ἄν vel κέν [1]). Poetam dedisse censeo:

νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοισθα, ἐπεὶ μάλα τοι σχεδὸν ἦλθε,

nunc Hectorem occupare licet, NAM *in proxima vicinia versatur* [2]).

Nunc videamus Odysseae versum υ 135:

οὐκ ἄν μιν νῦν, τέκνον, ἀναίτιον αἰτιόῳο (malim -άοιο).

Verba haec sunt Eurycleae, quam Telemachus sic in versibus qui praecedunt interrogavit: „numquid hospitem mater mea laute habuit me absente, an vero eum neglexit, ut assolet probos viros posthabere nequam homunculis?" Ancilla respondet indignata: „iniustus es erga matrem tuam, neque habes quod socordiae eam incuses; bibit hospes quantum libuit, dapes sibi oblatas recusavit, nunc dormit: quid poterat fieri amplius, etiamsi ipse adfuisses?"

Non video igitur quem sensum habeat negatio qua anus respondere incipit:

---

1) ἐπεὶ ἄν (⏑⏑⊥) nonnisi hoc loco et Z 412 legitur; alibi aut ἐπήν aut ἐπεὶ κε(ν). Illo loco εἰ κεν corrigendum videtur; cf. infra pag. 110.

Simili errori debetur ὄφρα κε pro ὄφρα X 88[illegible]. /2

2) Si quis magis probet: νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἦ μάλα τοι σχεδὸν ἦλθε, utpote aliquanto propius ad lectionem vulgatam accedens, non repugnem.

Digitized by Google

οὐκ ἄν μιν νυν, τέκνον, ἀναίτιον αἰτιάοιο [1]).

Immo restituamus id quod flagitat sana ratio:

ἦ κέν μιν νῦν, τέκνον, ἀναίτιον αἰτιάοιο.

Veram hanc esse et certam emendationem si mihi concedis, lector benevole, simul concedere non recusabis, hunc versum referri posse inter exempla manufesta particulae κέν a posterioribus in ἄν mutatae; nam ἦ ἄν nemo unquam ne per errorem quidem dicere potuit, sed ἦ κεν, quod poeta dederat, in οὔ κεν casu quodam corruptum est, quod deinde hoc loco, ut alibi passim, abiit in οὐκ ἄν. Videatur infra pag. 115 de I 167.

Porro hic commemoranda est elegantissima correctio, qua doctus Anglus Monro, de Homerica syntaxi bene meritus, persanavit versum M 41:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρητῆρσι
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων.

Vides ἄν cum praesenti indicativi iungi, et sine ullo igitur dubio vitiosum esse. Restituit Monro poetae manum scribendo (Hom. Synt. pag. 51):

ὡς δ' ὅτ' ἔναντα κύνεσσι etc.

Praeterea huc pertinet illud ἂν τιτὰ pro ἄντιτα, de quo infra pag. 114 videbimus. Neque hinc alienus est versus absurde depravatus Σ 192:

ἄλλου δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω,

de quo quamquam diverse fortasse iudicari potest, id vix a quoquam negari posse videtur, moleste abundare ἄν. Maxime arridet:

ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδ' ὅτεο κλυτὰ τεύχεα δύω,

quod in Nauckii apparatu critico propositum invenio, nisi quod ibi ϝοῖδα ὅτευ scriptum est, minus igitur ex usu homerico, ut alibi (vol. XIII p. 220) demonstravi.

Denique afferendus videtur in hac disputationis nostrae parte versus Φ 558, quem cum vicinis excribam:

---

1) Parum proderit contulisse versum dissimillimum, ad quem interpretatores nos ablegant, σ 414. Dici umquam potuisse οὐκ ἂν ποιοίης sensu μὴ ποιήσῃς vel οὐ μὴ ποιήσεις, cras credam; illud significat *facere non potes*, hoc *facere non debes*.

Digitized by Google

εἰ δ' ἂν ἐγὼ τούτους μὲν ὑποκλονέεσθαι ἐάσω
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆι, ποσὶν δ' ἀπὸ τείχεος ἄλλῃ
φεύγω πρὸς πεδίον Ἰλήιον, ὄφρ' ἂν ἵκωμαι
Ἴδης τε κνημοὺς κατά τε ῥωπήια δύω.

Agenor meditatur fugam in Idae saltus, ubi ad noctem usque delitescat et Achillis furorem effugiat. Illud vero πεδίον Ἰλήιον ubinam est? Iliacamne significat planitiem? at illuc se proripere qui possit, in qua hoc ipso temporis puncto incertus animi adstet? Et cur ad indicandam illam planitiem, quam omnes τὸ τρωικὸν πεδίον appellant, vocabulo utitur plane inaudito? nisi forte mentem ei adeo metu perculsam esse credimus ut verba fundat sine sensu. Correctum est Ἰδήιον, hoc vero est clavum clavo expellere, nihil enim sic lucramur nisi tautologiam prorsus non ferendam. Videamus an probabilius aliquid possit inveniri. Illud πεδίον, quo confugere se velle dicit, mox vs. 602 appellatur πυροφόρον; sunt igitur agri culti et, pacis certe tempore, obsiti; quos ut a collibus silvisque vicinis distingueret, quonam epitheto aptiore designare potuit quam adiectivo λεῖος? Audiamus poetam Ψ 359 de ipsa hac planitie loquentem:

'σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς
τηλόθεν ἐν λείῳ πεδίῳ.

Sic etiam ι 134 de Cyclopum insula:

ἐν δ' ἄροσις λείη· μάλα κεν βαθὺ λήιον αἰεὶ
εἰς ὥρας ἀμῷεν (ἀμάοιεν).

Conferantur praeterea hi versus: Δ 484 (εἱαμενὴ λείη), Ψ 330 (λεῖος ἱππόδρομος), ε 443 et η 282 (χῶρος λεῖος πετράων), κ 103 (λείη ὁδός).

Hoc igitur adiectivum satis confidenter substituo nugatoriae voci ἰλήιον. In voce ἂν vero latet ni fallor substantivum ἄγκεα, *saltus montium*, quae fere constanter a poeta ibi commemorari solent, ubi persecutio describitur, ut ostendent loci qui sequuntur:

Σ 321: πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν,
Χ 190: ὄρσας ἐξ εὐνῆς, διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας,

et inprimis loci gemini, propter coniunctionem vocabulorum κνημοί et ἄγκεα notabiles:

δ 337 et ρ 128: κνημοὺς ἐξερέῃσι καὶ ἄγκεα ποιήεντα.

Itaque nostri loci haec sincera scriptura esse videtur:

Digitized by Google

οὐκ ἄν μιν νῦν, τέκνον, ἀναίτιον αἰτιάοιο [1]).

Immo restituamus id quod flagitat sana ratio:

ἦ κέν μιν νῦν, τέκνον, ἀνχίτιον αἰτιάοιο.

Veram hanc esse et certam emendationem si mihi concedis, lector benevole, simul concedere non recusabis, hunc versum referri posse inter exempla manifesta particulae κέν a posterioribus in ἄν mutatae; nam ἦ ἄν nemo unquam ne per errorem quidem dicere potuit, sed ἦ κεν, quod poeta dederat, in οὔ κεν casu quodam corruptum est, quod deinde hoc loco, ut alibi passim, abiit in οὐκ ἄν. Videatur infra pag. 115 de I 167.

Porro hic commemoranda est elegantissima correctio, qua doctus Anglus Monro, de Homerica syntaxi bene meritus, persanavit versum M 41:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρητῆρσι
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων.

Vides ἄν cum praesenti indicativi iungi, et sine ullo igitur dubio vitiosum esse. Restituit Monro poetae manum scribendo (Hom. Synt. pag. 51):

ὡς δ' ὅτ' ἔναντα κύνεσσι etc.

Praeterea huc pertinet illud ἂν τιτὰ pro ἄντιτα, de quo infra pag. 114 videbimus. Neque hinc alienus est versus absurde depravatus Σ 192:

ἄλλου δ' οὔ τευ ϝοῖδα τεῦ ἂν κλυτὰ τεύχεα δύω,

de quo quamquam diverse fortasse iudicari potest, id vix a quoquam negari posse videtur, moleste abundare ἄν. Maxime arridet:

ἄλλον δ' οὔ τινα ϝοῖδ' ὅτεο κλυτὰ τεύχεα δύω,

quod in Nauckii apparatu critico propositum invenio, nisi quod ibi ϝοῖδα ὅτευ scriptum est, minus igitur ex usu homerico, ut alibi (vol. XIII p. 220) demonstravi.

Denique afferendus videtur in hac disputationis nostrae parte versus Φ 558, quem cum vicinis excribam:

1) Parum proderit contulisse versum dissimillimum, ad quem interpretatores nos ablegant, σ 414. Dici umquam potuisse οὐκ ἂν ποιοίης sensu μὴ ποιήσῃς vel οὐ μὴ ποιήσεις, cras credam; illud significat *facere non potes*, hoc *facere non debes*.

Digitized by Google

εἰ δ' ἂν ἐγὼ τούτους μὲν ὑποκλονέεσθαι ἐάσω
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆι, ποσὶν δ' ἀπὸ τείχεος ἄλλῃ
φεύγω πρὸς πεδίον Ἰλήιον, ὄφρ' ἂν ἵκωμαι
Ἴδης τε κνημούς κατά τε ῥωπήια δύω.

Agenor meditatur fugam in Idae saltus, ubi ad noctem usque delitescat et Achillis furorem effugiat. Illud vero πεδίον Ἰλήιον ubinam est? Iliacamne significat planitiem? at illuc se proripere qui possit, in qua hoc ipso temporis puncto incertus animi adstet? Et cur ad indicandam illam planitiem, quam omnes τὸ τρωικὸν πεδίον appellant, vocabulo utitur plane inaudito? nisi forte mentem ei adeo metu perculsam esse credimus ut verba fundat sine sensu. Correctum est Ἰδήιον, hoc vero est clavum clavo expellere, nihil enim sic lucramur nisi tautologiam prorsus non ferendam. Videamus an probabilius aliquid possit inveniri. Illud πεδίον, quo confugere se velle dicit, mox vs. 602 appellatur πυροφόρον; sunt igitur agri culti et, pacis certe tempore, obsiti; quos ut a collibus silvisque vicinis distingueret, quonam epitheto aptiore designare potuit quam adiectivo λεῖος? Audiamus poetam Ψ 359 de ipsa hac planitie loquentem:

σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς
τηλόθεν ἐν λείῳ πεδίῳ.

Sic etiam ι 134 de Cyclopum insula:

ἐν δ' ἄροσις λείη· μάλα κεν βαθὺ λήιον αἰεὶ
εἰς ὥρας ἀμῷεν (ἀμάοιεν).

Conferantur praeterea hi versus: Δ 484 (εἰαμενὴ λείη), Ψ 330 (λεῖος ἱππόδρομος), ε 443 et η 282 (χῶρος λεῖος πετράων), κ 103 (λείη ὁδός).

Hoc igitur adiectivum satis confidenter substituo nugatoriae voci ἰλήιον. In voce ἂν vero latet ni fallor substantivum ἄγκεα, *saltus montium*, quae fere constanter a poeta ibi commemorari solent, ubi persecutio describitur, ut ostendent loci qui sequuntur:

Σ 321: πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν,
Χ 190: ὄρσας ἐξ εὐνῆς, διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας,

et inprimis loci gemini, propter coniunctionem vocabulorum κνημοί et ἄγκεα notabiles:

δ 337 et ρ 128: κνημοὺς ἐξερέῃσι καὶ ἄγκεα ποιήεντα.

Itaque nostri loci haec sincera scriptura esse videtur:

Digitized by Google

εἰ δέ κ' ἐγὼ [1]) τούτους μὲν ὑποκλονέεσθαι ἐάσω
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆι, ποσὶν δ' ἀπὸ τείχεος ἄλλῃ
φεύγω πρὸς πεδίον λεῖον, ὄφρ' ἄγκε' ἵκωμαι
Ἶδης τε κνημοὺς, κατά τε ῥωπήια δύω.

Apparet, particulam τε post Ἶδης collocatam, quae hactenus inutilis erat, iam suam sibi obtinere vim. Cur denique literae ΚΕ exciderint, clarum est: cum semel prava verborum divisio ὄφρ' ἄν κε ἵκωμαι facta esset, necessario fere syllaba κε, utpote supervacanea, eici debuit.

Denique κε post ὄφρα sensu *donec* non requiri, licet plerumque a poeta addatur, ostendunt hi duo loci, ubi item ὄφρα idem valet quod ἕως ἄν:

Α 82: ἀλλά τε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ.
Μ 281: κοιμήσας δ' ἀνέμους κέει ἔμπεδον, ὄφρα καλύψῃ
ὑψηλῶν ὀρέων κορυφάς etc.

II.

Hactenus igitur quae probare studui, huc redeunt: alienam esse a lingua homerica particulam ἄν; delendam esse, si possit fieri, omnibus locis ubi hodie reperiatur genuinis; spuriis demum versibus, id est versibus diu post aetatem poetarum epicorum natis, patienter esse ferendam.

Superest ut omnes locos Homericos huc pertinentes percenseamus. Nolim tamen indigestam congeriem lectoribus obtrudere, probe mihi conscius talia nauseam parere, et paginas, meris numerorum figuris oppletas, non legi sed verti duntaxat, si modo verti, solere.

Quapropter summam rerum prius enarrabo, et deinde subiciam locorum catalogos aliquot, qui omitti non poterant si cavere vellem ne quis mihi fidem derogaret.

Primum igitur exponam, quam frequens sit particulae κέν usus apud Homerum, et quot qualibusque locis ἄν legatur.

---

1) Simillima est verborum compositio X 111.

Digitized by Google

I. κέν.			II. ἄν.		
			RESCRIBI POTEST κ(εν).	CORRECTIO DIFFICILLIOR AUT INCERTA.	SUMMA.
οὔ κε legitur locis . 7		16			
οὔ κεν 9			οὐκ ἄν . . . 61	0	61
οὐδέ κ(ε) 18		36			
οὐδέ κεν 18			οὐδ' ἄν . . 17	1	18
οὔτε κε(ν)	3				
πῶς κεν	3				
ὅππως κε(ν)	6				
ὁππότε κεν	17		ὁ(π)πότ' ἄν. 4	8	12
[ὁππότε κ' nusquam legitur.]					
οἵός κ'	1				
ὅσσα κεν	1		ὅσ' ἄν . . . 2	1	
ὅς κε(ν), ἥ κε(ν) etc. 151			ἄσσ' ἄν . . 1	0	5
ὅ κεν 4			ὅς ἄν . . . 0	1	
ὅτις κ' 3	181				
ὅς τίς κε 2					
ὅττι κεν 21					
ὅτε κεν	24		ὅτ' ἄν . . . 23	6	29
[εὖτέ κε nusquam legitur.]			εὖτ' ἄν . . 6	2	8
ὥς κ(εν)	41		ὡς ἄν . . . 28	0	28
εἰ κε(ν) 59		185			
αἰ κε(ν) 126			ἤν 7	26	33
			ἐπήν. . . . 14	32	
ἐπεί κ(ε)	26		ἐπεὶ ἄν . . 0	2	49
			ἐπειδάν . . 1	0	
εἰς ὅ κε(ν). 51					
ἧός κε(ν) 5		75	ὄφρ' ἄν . . 20	4	24
ὄφρα κ(εν) 19				(ὁφρ' ἄν . . . κε)	
τάχα κεν	4		τάχ' ἄν . . 0	2	2
ἄν κεν (NB)	6				
κέν variis modis, qui apte distingui nequeunt, sententiae insertum	525		ἄν variis modis, qui apte distingui nequeunt, sententiae insertum . 42	38	80
	1150		226	123	349

Digitized by Google

Itaque huc res redit. Circiter — nam perquam verisimile duco me aliquantulum in numeris erravisse, licet summopere caverim id ne fieret [1]), — circiter igitur

1150 locis *κέν* legitur,

226 locis *κέν* legi potest pro *ἄν*, ita ut nihil praeterea mutetur.

1376.

Sed locis 123 *ἄν* legitur ita collocatum ut *κέν* non possit pro eo substitui nisi simul vicina tententur.

Qui numerus satis exiguus est si confertur cum locis quibus *κέν* aut extat aut scribi potest, et magnopere praeterea decresceret si inde demamus versus crebros, quorum correctio aut sit facillima aut paullo quidem difficilior sed tamen certa.

Facillimas ex. gr. has nomino correctiones:

αἴ κέ περ pro *εἴ περ ἄν* B 597, Γ 25, E 224, 232.

---

1) In adnotatione excribam numeros quos praebet Lexicon Ebelingi pag. 734. Secundum virum doctum Eberhard, qui hanc lexici partem elaboravit,

κέ in sententiis affirmativis reperitur:

locis Iliadis 615
Odysseae 527
1142

et in sententiis negativis:

locis Iliadis 48
Odysseae 40
88

ita ut locis 1230 inveniatur Homericum *κέ*.

Nolim tamen putes, lector benevole, *octoginta* versus a me esse neglectos. Immo, ut investigando comperi, ab Eberhardo satis multi loci recepti sunt de quorum lectione ambigitur, quales locos consulto ego omisi. Ceteroquin, si praeferendus esset numerus quem statuit Eberhard, non minueretur probabilitas nostrae theseos, sed vel augeretur, ut vides.

Eodem viro docto auctore

ἄν in sententiis affirmativis reperitur:

locis Iliadis 106
Odysseae 74
180

et in sententiis negativis:

locis Iliadis 53
Odysseae 47
100

ita ut locis 280 apud Homerum extet *ἄν*.

His si addimus versus 80 ubi *ἤν* et *ἐπήν* leguntur, ad summam supra a me positam proxime accedimus, et parvum quod interest discrimen ex diversa quorumdam versuum lectione ortum esse intellexi; itaque illorum certe locorum, ubi *ἄν* in homericis occurrit, vix ullum a me praetermissum esse sperare licet.

Digitized by Google

ἦ κέ περ pro ἦ περ ἄν H 286, μ 81.
ὅς κέ περ pro ὅς περ ἄν ρ 586.
οὐδέ κε γάρ pro οὐδὲ γὰρ ἄν Ω 566.
ὅ κεν pro ὃς ἄν Φ 294 (vide supra pag. 89).
τό κεν pro τότ' ἄν Σ 397, X 108.
ἔνθα δέ κεν pro ἔνθεν δ' ἄν N 741.
ἤ κεν pro ἤ τ' ἄν E 201, X 103, Ψ 228, μ 138.
πῶς κεν pro πῶς δ' ἄν σ 31.

Certissimas quoque arbitror, quamquam paulo graviores:

ἐπεί κε κάμω pro ἐπὴν κεκάμω A 168 } Aristarchus verum vidit
ἐπεί κε κάμωσιν pro ἐπὴν κεκάμωσιν H 5 } (cf. supra pag. 86.)

ἐπεὶ γόου ἐξ ἔρον εἶην pro ἐπὴν Ω 227. Syntaxis respuit ἄν (cf. pag 93).

ἐπεί κε πρῶτα pro ἐπὴν τὰ πρῶτα Z 489, θ 553. Verum extat λ 221. (cf. pag. 89.)

ἐπεί κε πρῶτα pro ἐπὴν δὴ πρῶτα δ 414 } Otiosum δή ut deleamus suadent bini loci qui praecedunt.
ἐπεί κεν ταῦτα pro ἐπὴν δὴ ταῦτα α 293
ἐπεί κέν μοι pro ἐπὴν δή μοι ε 363
ἐπεί κεν πάντα pro ἐπὴν δὴ πάντα χ 440

ἐπεὶ πόλιός κ' ἐπιβήομεν pro ἐπὴν πόλιος ἐπιβήομεν ζ 262. Verum indicat metrum.

αἴ κέν τι Φάος pro ἤν πού τι Φάος Π 39. Emendationem indicatam habes Λ 797. (Cf. pag. 88.)

οὔ κέν τις pro οὐδ' ἄν τις τ 286. Otiosum est δέ, neque alio loco homerico ἄν post οὐδέ in arsi reperitur collocatum.

οὔθ' ὅτε κεν pro οὔθ' ὁπότ' ἄν λ 17. Sequitur alterum ὅτ' ἄν (ὅτε κ'). Vide pag. 91.

ἀλλ' ὅτε κεν pro ἀλλ' ὁπότ' ἄν Π 62, Φ 340, ζ 303, κ 508. } ὁπότε ut in ὅτε mutemus movet versus modo tractatus λ 17.
μηδ' ὅτε κεν pro μηδ' ὁπότ' ἄν T 316, Φ 375.

Tales igitur loci postquam deducti sunt, de numero illo centenario vicenario vix altera pars restat. In his quoque complures probabiliter possunt corrigi; nonnullorum emendatio ideo minus certa est quia plures corrigendi viae patent; — perpauci denique aut omnem medelam respuunt et resecandi potius quam sanandi esse videntur, aut acutiorem quam ego sum medicum expectant.

Digitized by Google

Ex ordine nunc omnes locos, quibus ἄν hodie extat, indicabimus diudicabimus.

1.) οὐκ ἄν.

οὐκ ἄν, quod numquam non in οὔ κεν mutari posse quivis intelligit, invenitur hisce locis, quos indicasse satis est:

A 301	Z 521	Ξ 126	β 184	380	τ 348
B 250	Θ 21	247	γ 227	517	υ 135
488	210	335	δ 78	ο 321 [Vid. pag. 95.]	
Γ 52	369	O 40	240	π 318	υ 322
54	451	P 489	347	400	392
223	455	T 271	ζ 57	ρ 138	χ 132
Δ 223	I 517	Υ 135	221	268	325
E 32	K 204	Φ 462	η 22	387	ω 435
85	Λ 387	Ω 263	293	497	
456	N 289	Ω 297	ι 241	σ 414	
Z 129	(var. οὔ κεν)	439	λ 328	τ 107	

2.) οὐδ' ἄν.

οὐδ' ἄν constanter ita adhibitum invenitur ut ἄν in thesi sit collocatum; itaque aut οὐδέ κε aut οὐδέ κ' potest substitui.

In οὐδέ κε mutetur: Λ 504, M 290, Ξ 344, Υ 247, σ 380.

In οὐδέ κ': Z 141, N 117, Φ 358, ε 177, ι 277, κ 342 (οὐδέ κ' ἐγώ),
I 375, Ξ 58, Π 638, Υ 426 (οὐδέ κ' ἔτι),
I 372 (οὐδέ κ' ἐμοί),
N 324 (οὐδέ κ' Ἀχιλλῆι).

Unus locus paulo difficilior, ubi ἄν invenitur in *arsi* collocatum, hic est, τ 285 sq.: (vid. pag. 101)

ὥς περὶ κέρδεα πολλὰ καταθνητῶν ἀνθρώπων
τοῖδ' Ὀδυσεὺς, οὐδ' ἄν τις ἐρίσσειεν βροτὸς ἄλλος.

Quid tamen sit corrigendum minime dubium est; dederat poeta:

τοῖδ' Ὀδυσεύς· οὔ κέν τις ἐρίσσειεν βροτὸς ἄλλος.

3.) δ(π)πότ' ἄν.

Quinque locis δπποτ' ἄν (⏑ ⏑ ⏑) invenimus, quorum quatuor nullo negotio sic possunt in integrum restitui:

Digitized by Google

α 41: *ὁππότε χ' ἡβήσῃ.*
θ 444: *ὁππότε κ' αὖτε.*
τ 410: *ὁππότε χ' ἡβήσας.*
τ 489: *ὁππότε κ' ἄλλας.*

Quintus legitur O 209:

ὁππότ' ἂν ἰσόμορον καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ
νεικείειν ἐθέλῃσι χολωτοῖσιν ϝεπέεσσι.

Restitui non potest digamma in *ϝισόμορον*, nisi *ἄν* aut corrigatur aut deleatur. Hoc praestat, nam sententiose haec sunt dicta, ita ut unus subiunctivus sufficiat; cum Bentleio igitur scribamus *ὁππότε ϝισόμορον.*

Paullo difficiliores sanatu sunt versus aliquot, quibus *ὁπότ' ἄν* (⏑⏑⊥) reperitur:

ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ Π 62, Φ 340, *κ* 508. (Vid. pag. 101)
ἀλλ' ὁπότ' ἄν σε *ζ* 303.
μηδ' ὁπότ' ἂν Τροίῃ Τ 316, Φ 375.
οὔθ' ὁπότ' ἂν. στείχῃσι *λ* 17.

Omnibus his locis corrigendum est *ὅτε κεν*, quod de ultimo versu vel ex contextu probari posse, supra pag. 91 demonstravimus [1]).

4.) *ὅς ἄν, ἄσσ' ἄν, ὅσ' ἄν.*

Cum permultis locis *ὅς κε, ὅτις κε* et similia legantur, nonnisi uno versu *ὃς ἄν* occurrit; quod perquam sane mirabile videri deberet, si homericam esse utramque particulam adhuc crederemus: nunc intelligimus metrum obstitisse quominus saepius irreperet. Locus, quem volo, unicus invenitur *φ* 294:

βλάπτει, ὃς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ,

ubi *ὅ κεν* corrigendum esse patet; vide supra pag. 89.

---

1) Aliam viam iniit Fickius in corrigendo versu *ζ* 303:

Ἥρωος· ἀλλ' ὁπόταν σε δόμοι κεκύθωσι καὶ αὐλή.

Nempe, cum *κεκυθεῖν* nonnisi hoc uno loco occurrat, censet diducendam potius esse hanc formam in *κε κύθωσι*, quemadmodum *γ* 16 extat *ὕπου 'κύθε γαῖα*. Quod si verum esset, praeterea *αὐτὰρ ἐπεὶ* legendum videretur, nam *ἄν ... κε* Homericum atque adeo Graecum esse nego. Sed sic novus potius versus pangendus esset, nam, Fickio si credimus, *Ἥρῷος* quoque vitiosum est. Quam tamen vocem immerito in suspicionem vocasse mihi videntur viri docti; vocalis enim ante vocalem in thesi correpta quid offensionis habet?

Digitized by Google

Nulla autem contextus requiritur correctio ad restituendum ἅσσα κ' pro ἅσσ' ἂν unico loco quo id invenitur ε 188:
ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω καὶ φράσσομαι ἅσσα κ' ἐμοί περ etc.

Tribus locis ὅσ' ἄν occurrit, quorum duo, qui unius instar sunt, paratum habent remedium:
ε 39 = ν 137: πόλλ' ὅσα κ' οὐδέ πστε etc.
Sed tertius conclamatus fere videtur:
δ 204: ὦ φίλ', ἐπεὶ τόσ' ἔτειπες ὅσ' ἂν πεπνυμένος ἀνὴρ
τείποι καὶ ῥέξειε.
Ecquid ἅ κε ν legendum est?

5.) ὅτ' ἄν.

Non rarum est ὅτ' ἄν, sed fere semper revocari potest ὅτε κ' (χ'), quod ipsum nusquam in textu recepto extat; nempe his locis:
B 397 (ὅτε κ' ἔνθα).
H 335, 459, Θ 373 (ὅτε κ' αὖτε). *Ad Θ 373 cf. Athen. XIII p. 561*
Θ 475 (ὅτε χ' εἶ).
ν 101 (ὅτε χ' ὅρμου).
K 5, Λ 269, O 80, 170, P 520, T 375, Ω 480, ε 394, κ 216, 410, χ 468, ψ 233 (ὡς δ' ὅτε κ').
[De M 41 vid. pag. 96.]
β 374, δ 477 (πρίν γ' ὅτε κ').
λ 18 (οὔθ' ὅτε κ' ἄψ).

Restant loci difficiliores hi:
A 519: Ἥρη, ὅτ' ἄν μ' ἐρέθῃσιν ὀνειδείοισι πέπεσσι. Contextum graviter aegrotare censeo; medelam desidero.
Δ 53: τὰς διαπέρσαι ὅτ' ἄν τοι ἀπέχθωνται περὶ κῆρι. Corrigendum esse τὰς διάπερθ' ὅτε κέν supra pag. 92 contendi.
Δ 164 = Z 448:
εὖ γὰρ ἐγὼ τόδε οἶδα κατὰ Φρένα καὶ κατὰ θυμόν·
ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.
Notissimus sane locus; corrigendum tamen censeo, metri quoque in gratiam:

Digitized by Google

ἦμαρ ἔσεσθ' ὅτε κέν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή [1]).

Θ 406: ὄφρα ἴδῃ γλαυκῶπις ὅτ' ἂν τῷ πατρὶ μάχηται.

Θ 420: ὄφρα ἴδῃς γλαυκῶπι ὅτ' ἄν σῷ πατρὶ μάχηαι.

Fortasse spurii sunt gemelli hi loci, quos quomodo corrigam non habeo; certe in vicinis complura suspecta sunt.

I 101: κρηῆναι δὲ καὶ ἄλλῳ ὅτ' ἄν τινα θυμὸς ἀνώγῃ
τειπέμεν' εἰς ἀγαθόν.

Ultimo loco admodum confidenter rescribo ὅ κεν, QUIDQUID *animus fert.*

6.) εὖτ' ἄν.

Rarum est εὖτ' ἄν, et plerumque in εὖτέ κ(ε) mutari potest, nempe his sex locis: A 242, T 158, α 192, ρ 320, 323, τ 194. Mero casui tribuendum esse quod genuinum εὖτέ κ(εν) nullo loco aetatem tulerit, id quemlibet mihi concessurum esse spero atque confido. Fortasse suspicari possit aliquis, ut olim ipse suspicabar, vestigia huius locutionis superesse η 201 sq.:

αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ Φαίνονται ἐναργεῖς (immo -γὲς)
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας,

sed εὖτέ κε non video quomodo probabiliter possit restitui; itaque aut scripserim, satis leni correctione:

ἄμμ', ὅτε κεν ῥέρδωμεν (cf. Vol. XIII p. 424),

aut, deleto pronomine, quod satis invenuste παρέλκειν mihi videtur:

ὁππότε κεν ῥέρδωμεν.

Simili remedio sanari possunt duo versus sequentes:

B 34: αἴρειτω, εὖτ' ἄν σε μελίφρων ὕπνος ἀνήῃ.

B 228: πρωτίστῳ δίδομεν, εὖτ' ἂν πτολίεθρον ἕλωμεν.

Utroque loco corrigendum videtur ὅτε κεν, quam tamen non plane certam esse emendationem fateor.

7.) ὡς ἄν.

Ubicumque occurrat ὡς ἄν, restitui posse ὥς κεν, id nemini non perspicuum esse puto. Legitur autem his locis, quibus immorari nihil attinet:

---

1) Digna sane quae commemoretur est Fickii coniectura, quam nonnulli praeferent fortasse:

ἔσται μὲν ὅτε κέν ποτ' ὀλώλῃ.

Conferri iubet Θ 373 ἔσται μὲν ὅτ' ἄν, cum var. lect. ἔσσεται ἦμαρ ὅτ'.

Digitized by Google

B 139, I 26, 704, M 75, Ξ 74, 370, O 294, Σ 297, μ 213, ν 179 (ὥς κεν ἐγὼ τείπω),
Π 84, 271, T 331, Ψ 339, β 376, δ 672, 749, θ 239, ν 402, ο 538, π 84, 169, 297, ρ 165, 362, τ 311, ω 360 (variis vocabulis praemissum).

8.) ἤν.

Non tam facili negotio expungi potest particula ἤν, illa tamen propter contractionem prorsus aliena ab indole sermonis homerici. Rara est sane, ut supra (pag. 99) vidimus; scilicet εἴ κε(ν) vel αἴ κε(ν) 185 locis invenitur, ἤν nonnisi 33.

Ex quibus septem facillime possunt corrigi:

A 90: οὐδ' ἤν Ἀγαμέμνονα lege οὐδ' αἴ κ' Ἀ.

Δ 353 | ἤν ἐθέλῃσθα lege αἴ κ' ἐθέλῃσθα, aut, quod malim,
I 359 | αἴ κε θέλῃσθα.

I 429 | ἤν ἐθέλῃσιν lege αἴ κ' ἐθέλῃσιν aut αἴ κε θέλῃσιν.
I 692 | De quatuor his versibus vide supra pag. 87.

Θ 482: οὐδ' ἤν ἔνθ' ἀφίκηαι. Immo οὐδ' εἴ κ' ἔνθ' ἀφίκηαι; iterantur enim verba proxime praecedentis versus 478:

οὐδ' εἴ κε τὰ νείατα πείραθ' ἵκηαι
γαίης καὶ πόντοιο.

σ 318: ἤν περ γάρ κ' ἐθέλωσιν. Sine dubio εἴ περ scribendum est (cf. pag. 77).

Otiosum vocabulum delendum est his locis, ut αἴ κεν possit reduci in pristinam sedem:

I 393: ἤν γὰρ δή με σαῶσι θεοὶ. Corrige: αἴ κ' ἐμὲ γὰρ σαόωσι θεοὶ.

Π 39: ἤν πού τι Φάος Δαναοῖσι γένωμαι. Corrige: αἴ κέν τι Φάος (cf. pag. 87).

Ξ 78: ἤν καὶ τῇ ἀπόσχωνται πολέμοιο. Corrige: αἴ κεν τῇ.

X 55: ἔσσεται, ἤν μὴ καὶ σὺ θάνῃς. Corrige: ἔσθεται, αἴ κεν μὴ σὺ θάνῃς.

O 504: ἦ τέλπεσθ' ἤν νῆας. Lege τέλπεσθ' αἴ κεν νῆας.

α 282: ἤν τίς τοι τείπῃσι βροτῶν | Corrige: αἴ κέν τις τείπῃσι
β 216: ἤν τίς μοι τείπῃσι βροτῶν | βροτῶν.

α 94: ἤν που ἀκούσῃ. Corrige: αἴ κεν ἀκούσῃ.

Digitized by Google

β 360 } ἦν που ἀκούσω. Corrige αἴ κεν ἀκούσω.
γ 83 }
ε 417 ἦν που ἐφεύρω. Corrige αἴ κεν ἐφεύρω.
φ 237 } ἦν δέ τις ἢ στοναχῆς ἠὲ κτύπου ἔνδοθ ἀκούσῃ. Corrige
φ 383 } εἰ δέ κέ τις στοναχῆς.

Aliis remediis probabiliter corrigi possunt hi versus:

A 166: ἀτὰρ ἦν ποτε δασμὸς ἵκηται. Lege ἀτὰρ εἴ ποτε [1]) aut ὁππότε.

T 32: ἦν περ γὰρ κῆταί γε. Lege εἴ περ γὰρ κῆται (κέεται) γε.

X 487: ἦν περ γὰρ πόλεμόν γε φύγῃ. Corrige εἴ περ.

π 276: ἦν περ καὶ διὰ δῶμα ποδῶν ἕλκωσι θύραζε. Corrige εἴ περ.

ε 120: ἀμφαδίην, ἦν τίς τε φίλον ποιήσετ' ἄκοιτιν. Corrige ἀμφαδὸν, αἴ κέν τίς τε etc. (cf. I 370).

μ 121: ἦν γὰρ δηθύνῃσθα. Suspicor εἰ δέ κε δηθύνῃσθα.

X 419: ἦν πως ἡλικίην αἰδέσσεται. Lege αἴ κε που ἡλικίην αἰδέσσεται.

μ 288: ἦν πως ἐξαπινὴς. Lege αἴ κέ που ἐξαπινὴς.

λ 159: πεζὸν ἐόντ', ἦν μή τις ἔχῃ ἐϋεργέα νῆα. Spurius iudicatur omnium fere consensu.

Quatuor adhuc restant loci:

H 39: ἦν τινά που Δαναῶν προκαλέσσεται οἰόθεν οἷος. Initium versus graviter corruptum esse arbitror, nam ἦν vel αἴ κε a contextu alienum est.

O 32: ὄφρα ἴδῃς ἦν τοι χραίσμῃ φιλότης τε καὶ εὐνή. Dubitanter propono εἴ τοι 'χραῖσμεν.

P 245: ἀλλ' ἄγ' ἀριστῆας Δαναῶν κάλει, ἦν τις ἀκούσῃ. Varia tentari possunt; e. g.

ἀλλ' ἄγ' ἀριστῆας καλέειν, αἴ κέν τις ἀκούσῃ,

sed maxime placet lenis correctio: ὅς τις ἀκούσῃ.

T 172: γλαυκιάων δ' ἰθὺς φέρεται μένει, ἦν τινα πέφνῃ
ἀνδρῶν ἢ αὐτὸς φθίεται πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ.

Fortasse:

γλαυκιάων δ' ἰθὺς φέρεται, αἴ κ' ἤ τινα πέφνῃ
ἀνδρῶν ἢ etc.

1) Conferatur A 340: εἴ ποτε ... γένηται. Plura exempla subiunctivi puri, particulae εἰ adiuncti, habes K 346, ε 221, 471, η 204, μ 96, ξ 373.

Digitized by Google

9.) ἐπήν, ἐπεὶ ἄν, ἐπειδάν.

Idem quod de ἤν, valet de ἐπήν; neque enim aequius hoc ferri potest in homericis, neque facilius inde prorsus extirpari. Sunt sane versus non pauci ubi ἐπήν in ἐπεί κ' (χ') potest mutari: K 63, M 369, N 753, O 147, Ω 155, 184, 717, ζ 297, ϰ 526, λ 192, ο 337, χ 219, 254; item I 358, ubi tamen aliud quiddam latere supra pag. 94 probasse me spero. Praeterea Ω 227 non ἐπὴν γόου ἐξ ἔρον εἶην sed ἐπεὶ legendum esse, docet syntaxis; itemque non ἐπὴν ... παραθεῖτο sed ἐπεὶ graecum est β 105, τ 150, ω 140; et δ 22 pro vulgatis ὃς τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη legendum est ἐπεὶ κρητῆρι μιγείη. Omnes hos locos supra pagina 93 tetigimus.

Probabiliter praeterea restitui possunt qui sequuntur:

A 168: ἐπὴν κεκάμω
H 5: ἐπὴν κεκάμωσιν
} Lege ἐπεί κε κάμ- cum Aristarcho. Cf. pag. 86.

Z 489
θ 553
δ 414: ἐπὴν τὰ πρῶτα
} Lege ἐπεί κε πρῶτα. Cf. pag. 89.

Ceteri loci hi sunt:

α 293: αὐτὰρ ἐπὴν δὴ ταῦτα τελευτήσῃς τε καὶ ἔρξῃς.
ε 363: αὐτὰρ ἐπὴν δή μοι σχεδίην διὰ κῦμα τινάξῃ.
μ 55: αὐτὰρ ἐπὴν δὴ τάς γε παρὲξ ἐλάσωσιν ἑταῖροι (var. ἐπεὶ δή, ἐπειδάν).
σ 269: αὐτὰρ ἐπὴν δὴ παῖδα γενειήσαντα ἴδηαι.
χ 440: αὐτὰρ ἐπὴν δὴ πάντα δόμον κατακοσμήσησθε (var. ἐπειδή).
γ 45: αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε καὶ εὔξεαι.
δ 412: αὐτὰρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται.
ε 348: αὐτὰρ ἐπὴν χείρεσσιν ἐφάψεαι ἠπείροιο.
ζ 262: αὐτὰρ ἐπὴν πόλιος ἐπιβήομεν, ἣν πέρι πύργος. cf pag. 101
λ 119: αὐτὰρ ἐπὴν μνηστῆρας ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσι | κτείνῃς.
ο 36: αὐτὰρ ἐπὴν πρώτην ἀκτὴν Ἰθάκης ἀφίκηαι.
τ 515: αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ ἔλῃσί τε κοῖτος ἅπαντας.
φ 159: αὐτὰρ ἐπὴν τόξου πειρήσεται ἠδὲ ἴδηται.
Δ 239: ἄξομεν ἐν νήεσσιν, ἐπὴν πτολίεθρον ἕλωμεν.
Π 95: ἀλλὰ πάλιν τρωπᾶσθαι (τροπάεσθαι) ἐπὴν Φάος ἐν νήεσσι | θῆῃς.

Digitized by Google

Ψ 76: *νίσσομαι εἰς Ἀΐδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε.*

T 208: *τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπὴν τισαίμεθα λώβην.* Verba haec sunt vitiosa et tantum non omni sensu carentia. Medelam frustra quaesivi.

θ 511: *αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι* (immo *ἦεν ὀλέσθαι*) *ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ.*

T 223: *ἄμητος δ' ὀλίγιστος, ἐπὴν κλίνῃσι τάλαντα.* In hoc dicto sententioso non dubium est quin *ἐπεὶ* sit corrigendum.

κ 411: *ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται.* Hic quoque grammatica tantum non flagitat *ἐπεί.*

ξ 130: *ἣ θέμις ἐστὶ γυναικὸς, ἐπὴν πόσις ἄλλοθ' ὅληται.* Verum servatum est in deterioribus quibusdam mss., *ἐπεὶ* praebentibus.

τ 206: *ἦν τ' εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν ζέφυρος καταχεύῃ.* Immo *ἐπεί.*

υ 202: *οὐκ ἐλεαίρεις ἄνδρας, ἐπὴν δὴ γείνεαι αὐτός.* Fortasse etiam hoc loco *ἐπεὶ* sufficit.

Quod quinque ultimis locis suasi, ut *ἐπεί* restituamus pro *ἐπήν*, quam vocem saepe in eius locum scimus irrepsisse, id feci fretus his testimoniis minime dubiis:

υ 86: *ἐπεὶ ἂρ βλέφαρ' ἀμφικαλύψῃ,*

Ο 363: *ὅς τ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα,*

Ο 680: *ὅς τ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρας συναείρεται ἵππους,*

Λ 478: *αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε δαμάσσεται ὠκὺς ὀϊστός,*

quorum primum in dicto sententioso legitur, cetera in comparationibus; talibus igitur in sententiis *ἐπεί* non adsciscere particulam *κε* apparet, idque ex Homerico more facile explicatur.

Sed admodum verisimile, ne certum dicam, mihi videtur, aliquanto latius valere hunc usum, et illis quoque locis, ubi *ἐπήν* cum subiunctivo aoristi legitur de rebus futuris, nudum *ἐπεί* sufficere. Quae non mera est coniectura, sed afferri potest exemplum, iam pagina 93 allatum, Π 453:

αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε λίπῃ ψυχή τε καὶ αἰών,

ubi in scholiis commemoratur altera lectio *ἐπὴν δή*, quam etiam Laurentianus D et duo Vindobonenses exhibent. Confidenter igitur ad huius versus exemplum refingo locos simillimos quos supra excripsi α 293, ε 363, σ 269, et ex deterioribus libris re-

Digitized by Google

voco veram lectionem versuum μ 55 et χ 440 [1]). Neque minus certa e. g. videtur correctio Δ 239 *ἐπεὶ πτολίεθρον ἔλωμεν*; idem denique valet de ceteris versibus quos modo recensui: γ 45, δ 412, ε 348, ζ 262, λ 119, o 36, τ 515, ϕ 159, θ 511, Π 95, Ψ 76.

Restant diudicandi duo versus, ubi *ἐπεὶ ἄν* (⏑⏑–) legitur. Quorum alter manifesto vitio, ut arbitror, laborat, quod supra (pag. 95) eximere studui:

I 304: *νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθῃ*, corrige: *ἕλοισθα, ἐπεὶ μάλα τοι σχεδὸν ἦλθε.*

Alter est Z 412:

οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλη
ἔσται θαλπωρὴ, ἐπεὶ ἂν σύ γε πότμον ἐπίσπῃς.

Satis certum duco, *εἴ κεν* esse scribendum, nam potius *si* quam *cum* in hac sententia requiritur, me iudice. Quodsi cui secus videatur, *ὅτε κεν* fortasse magis ei placeat.

Denique uno loco [2]) extat in libris manuscriptis *ἐπειδάν*, N 285:

ταρβεῖ ἐπειδὰν πρῶτον ἐσίζηται λόχον ἀνδρῶν.

Hic cum Bekkero et Nauckio *ἐπεί κεν* corrigere licet, sed quoniam praeterea displicet *ταρβεῖ* pro *ταρβέει*, nescio an paulo gravius corruptus sit versus; fortasse igitur scripsit poeta quod vir doctus Menrad nuper proposuit:

ταρβέει, αἴ κε πρῶτον etc.

10.) *ὄφρ' ἄν.*

Omnibus locis, quibus *ὄφρ' ἄν* reperitur, ita est collocatum ut restitui possit *ὄφρα κ'* sine versus detrimento; nusquam scilicet *ἄν* in arsi reperitur, neque in thesi producitur usquam. Vel me tacente intelligitur, opinor, quam firmum hinc argu-

1) Idem valet de versu Hesiodeo Theog. 799, quem Laurentianus optimus sic exhibet:
αὐτὰρ ἐπεὶν νοῦσον τελέσῃ μέγαν εἰς ἐνιαυτόν.
Non *ἐπὴν*, ut edi solet, ibi est corrigendum, sed delenda est litera *ν*, ex dittographia ut videtur nata; verum extat in libris VC et in Olomucensi.

2) Recurrit in var. lect. Λ 478, μ 55.

Digitized by Google

mentum possit elici ad magis etiam stabiliendam nostram sententiam, ἄν non esse homericum. En locos cunctos:

A 509, O 232 (ὄφρα κ' Ἀχαιοὶ).

Z 113, H 193, Θ 375, P 186, Σ 409, X 387, γ 353, ν 412, χ 377 (ὄφρα κ' ἐγώ). Ultimo loco nonnulli libri veram lectionem exhibent.

K 325, O 23, T 24, ζ 304, η 319 (ὄφρα χ' ἵκωμαι, ἵκηαι, ἵκηται, ἵκησθε. — Aliter corrigendus est versus Φ 558, ubi item ὄφρ' ἄν ἵκωμαι legitur, vid. pag. 97).

ρ 10 (ὄφρα κε κεῖθι, vulg. ὄφρ' ἂν ἐκεῖθι, vid. pag. 90).

ρ 298 (ὄφρα κ' ἄγοιεν).

σ 364 (ὄφρα κ' ἔχῃς).

Non ὄφρα κ' sed ὄφρα κε restituendum esset quatuor versibus qui sequuntur, nisi gravius mendum subesset:

Λ 187 = 202: ὄφρ' ἂν μέν κεν ὀρᾷς.

ε 361: ὄφρ' ἂν μέν κεν δούρατ'.

ζ 259: ὄφρ' ἂν μέν κ' ἀγροὺς ἴομεν.

Sed ἄν...κεν nihil esse, et ἦος μὲν igitur corrigendum videri, libenter concedo Nauckio; vid. pag. 77.

11.) τάχ' ἄν.

Binis locis extat τάχ' ἄν. Uterque versus corrigendus est, et probabiliter corrigi potest, me iudice:

A 205: τῇσ' ὑπεροπλίῃσι τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ. Immo:

τῇ ὑπεροπλίῃ τάχα κεν etc.

β 76: εἴ χ' ὑμεῖς γε φάγοιτε, τάχ' ἄν ποτε καὶ τίσις εἴη. Vitiosa haec esse patet ex εἴ κε ... φάγοιτε, in quibus κε turpiter abundat. Verum arbitror:

εἴ γε φάγοιθ' ὑμεῖς (ὔμες), τάχα κεν etc.

De toto hoc loco, in quo plura sunt corrupta, videatur infra pag. 115. Tertius locus huc pertinens N 676 tractabitur pag. 113.

12.) ἄν variis vocabulis adiunctum.

Tandem ad illos locos pervenimus, quos quomodo apte distribuerem cum non viderem, per saturam proferre optimum duxi.

Prius illos recensebo, ubi κεν, κε, vel κ' salvo metro potest restitui:

A 232, B 242: ἦ γάρ κ' Ἀτρεΐδῃ (γὰρ ἂν).

Digitized by Google

A 271: κείνοισι δέ κ' οὔ τις (δ' ἂν).
Φ 329: ἤμιν δέ κ' ἐλέγχεα (δ' ἂν).
Ω 437: σοὶ δέ κ' ἐγὼ πομπὸς καί κε κλυτὸν Ἄργος ἱκοίμην (δ' ἂν). Vid. pag. 77.
ι 17: ἐγὼ δέ κ' ἔπειτα (δ' ἂν).
Φ 560: γεσπέριος δέ κ' ἔπειτα (δ' ἂν).
π 85: κεῖσε δέ κ' οὐ (δ' ἂν).
σ 22: ἡσυχίη δέ κ' ἐμοὶ (δ' ἂν).
γ 232: βουλοίμην δέ κ' ἐγὼ (δ' ἂν).
Γ 288: εἰ δέ κέ μοι (δ' ἂν ἐμοὶ).
Σ 273: εἰ δέ κ' ἐμοῖσι (δ' ἂν).
Φ 556: εἰ δέ κ' ἐγὼ (δ' ἂν).
Θ 10, Ο 348: ὃν δέ κ' ἐγὼ (δ' ἂν).
τ 332: ὃς δέ κ' ἀμύμων (δ' ἂν).
Ι 417, 684: καὶ δέ κε τοῖσ' (δ'. ἂν).
Χ 505: νῦν δέ κε πολλὰ (δ' ἂν).
Ι 437, Κ 243, Ρ 327, α 65, θ 352: πῶς κεν (πῶς ἂν).
Ρ 711, Τ 209, π 196: πώς κεν (πῶς ἂν).
Ι 444: ὥς ἂν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκος, οὐκ ἐθέλοιμι | λείπεσθ'.
Per metrum nihil sane obstat quominus ἂν in κεν mutemus. Sed subdubito num apto loco legatur particula hypothetica. Nonne praestat:
ὥς ἄρ' ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκος, οὔ κε θέλοιμι | λείπεσθ'?
Μ 69, Π 687, Τ 205, Χ 49, Ψ 275, α 288, β 62, 219: ἤ τέ κ' aut ἤ τέ κε (ἤ τ' ἂν). Sed ut abiciatur potius inutilis litera τ' auctor sum; compluribus enim locis, mox afferendis, ubi item ἤ τ' ἂν legitur, metrum respuit ἤ τέ κ(ε), unum ἤ κεν admittit, quod his quoque versibus igitur rescribendum censeo.
Χ 20: ἤ σέ κε τισαίμην (σ' ἂν).
ο 513: ἄλλως μέν σέ κ' ἐγὼ (σ' ἂν).
ρ 186: ἤ σέ κ' ἐγώ γε (σ' ἂν).
Π 747: πολλούς κεν (ἂν).
Ω 654: αὐτίκα κ' ἐκπέποι (αὐτίκ' ἂν. Veri vestigia servat Papyri lectio αὐτίκα δ').
ι 211: τότε κ' οὐ (τότ' ἂν).
ρ 455: οὐ σύ γέ κ' ἐκ τοίκου σῷ ἐπιστάτῃ οὐδ' ἄλα δοίης (γ' ἂν).
Versus horridiore metro scriptus et Alexandrinorum nugis

Digitized by Google

famosus. Poetam dedisse *οὐ σύ γέ κ' ἐκ τοίκοιο ἐπιστάτῃ* verisimile duco.

Nunc afferamus versus quibus κ(εν) pro ἄν non potest revocari nisi simul vicina levius graviusve mutentur:

B 597, Γ 25, E 224, 232: *αἴ κέ περ* pro *εἴ περ ἂν* est legendum. Legitimum ordinem particularum sic non turbari sed restitui, testatur versus H 387: *αἴ κέ περ ὔμμι φίλον καὶ ἡδὺ γένοιτο.*

H 286, μ 81: *ᾗ κέ περ* pro *ᾗ περ ἂν.*

ρ 586: *ὅς κέ περ* pro *ὅς περ ἂν.* cf ρ. 101

Ω 566: *οὐδέ κε γὰρ φυλακοὺς λάθοι οὐδέ κ' ὀχῆα* pro *οὐδὲ γὰρ ἂν.* Possis etiam *οὐ γάρ κεν.* Difficilis est optio.

E 201, X 103, ι 228, μ 138: *ἦ κεν* pro *ἦ τ' ἄν.* Ultimo loco affertur altera lectio *καί κεν.* — Vide quae pag. praecedenti sunt observata.

Hi omnes satis leni remedio in integrum possunt restitui, ut vides. Aliquanto gravius aegrotant qui sequuntur:

E 362, 457: *ὃς νῦν γε καὶ ἂν Διὶ πατρὶ μάχοιτο.* Scripserim *ὃς νῦν καί κεν*, deleto *γε.*

Z 329: *ῥάστυ τόδ' ἀμφιδέδηε· σὺ δ' ἂν μαχέσαιο καὶ ἄλλῳ.* — Maxime arridet *ἀμφιδέδηˈ· ᾗ κεν μαχέσαιο.* Quamquam et alia conici posse video.

N 676: *τάχα δ' ἂν καὶ κῦδος Ἀχαιῶν | ἔπλετο.* Lege *τάχα κεν*, deleto δ', quod molestum potius quam necessarium est.

O 69: *ἐκ τοῦ δ' ἄν τοι ἔπειτα* etc. Abundat δ', itaque *ἐκ τοῦ κεν* verum videtur.

ε 100: *τίς δ' ἂν ἑκὼν τοσσόνδε διαδράμοι ἁλμυρὸν ὕδωρ.* Aut digamma Homero denegemus necesse est, aut haec correctione indigere concedamus. Quis non corrigat *τίς κε τεκὼν*? Conf. pag. 92.

σ 31: *πῶς δ' ἂν σὺ νεωτέρῳ ἀνδρὶ μάχοιο*; Hic quoque quin δ' superfluum sit, minime dubium esse arbitror; scribatur igitur *πῶς κεν σὺ* etc.

Σ 397: *ἦ μ' ἐθέλησε | κρύψαι χωλὸν ἐόντα· τότ' ἂν πάθον ἄλγεα θυμῷ, | εἰ μὴ* etc. Admodum confidenter rescribo: *τό κεν πάθον* etc.: QUAPROPTER *multa perpessus fuissem.*

Digitized by Google

X 108: ἐμοὶ δὲ τότ' ἂν πολὺ κέρδιον ἦεν. Eodem remedio hunc quoque versum persanari posse puto: τό κεν πολὺ κέρδιον ἦεν, quemadmodum P 417 legimus τό κεν ἦμιν ἄφαρ πολὺ κέρδιον εἴη. Emendationem occupatam repperi in Nauckianae editionis adnotationibus criticis.

N 127: ἃς οὔτ' ἄν κεν Ἄρης ὀνόσαιτο μετελθών. Cum doctissimo van Herwerden importunum illud ἄν in ἄρ mutaverim; cf. pag. 77.

X 66: αὐτὸν δ' ἂν πύματόν με ... ϝερύουσιν. Corrige αὐτὸν δ' ἄρ. Conf. pag. 92.

Ω 367: τίς ἂν δή τοι νόος εἴη. Simili ratione hic versus videtur emendandus; propono τίς ἄρ κέν τοι (vel τίς ἄρ κε τεῖν) νόος εἴη.

N 741: ἔνθεν δ' ἂν μάλα πᾶσαν ἐπιφρασσαίμεθα βουλήν. Quidni ἔνθα δέ κεν. Vides, et *hinc* et *hîc* aptum in hac sententia habere locum. Recordari iuvat emendationis Bentleianae H 472: ἔνθ' ἄρα ϝοινίζοντο pro vulgato ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο.

θ 208: ξεῖνος γάρ μοι ὅδ' ἐστί· τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο; Hic resecare licet ὅδ' sine ullo sententiae detrimento. Verum igitur arbitror:

ξεῖνος γάρ μ' ἐστίν· τίς κεν φιλέοντι μάχοιτο;

Ω 213: ἐσθέμεναι προσφῦσα· τότ' ἂν τιτὰ ϝέργα γένοιτο. Sic hodie editur ex Apollodori et Callistrati auctoritate. In libris tamen est τότ' ἄντιτα ϝέργα γένοιτο, cui lectioni ita favet Odysseae versus ρ 51 = 60:

αἴ κέ ποθι Ζεὺς ἄντιτα ϝέργα τελέσσῃ,

ut satis appareat temere sollicitatum fuisse adiectivum ἄντιτα. Non tamen credo, optativum purum in Iliadis loco explicari posse, sed suspicor legendum esse:

τοῦ ἐγὼ μέσον ἦπαρ ἔχοιμι
ἐσθέμεναι προσφῦσα, ἵν' ἄντιτα ϝέργα γένοιτο.

ζ 300: ῥεῖα δ' ἀρίγνωτ' ἐστὶ, καὶ ἂν πάϊς ἡγήσαιτο. Loco insolito collocatum est ἄν, deest vero σοι, quo aegre caremus; verum igitur arbitror:

ῥεῖα δ' ἀρίγνωτ' ἐστί· πάϊς κέ σοι ἡγήσαιτο.

β 77: Huic quoque versui, quem cum vicinis excribam, proderit ut spero medela quam praecedenti loco adhibuimus:

Digitized by Google

εἴ χ' ὑμεῖς (ὔμες) γε Φάγοιτε, τάχ' ἄν ποτε καὶ τίσις εἴη·
τόφρα γὰρ ἂν κατὰ ῥάστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ,
χρήματ' ἀπαιτίζοντες, ἕως κ' ἀπὸ πάντα δοθείη.

In his Telemachi verbis complura sunt vitiosa. In primo versu χ' male abundare, supra pag. 111 vidimus. In tertio non ferendum esse ἕως pro ἧος, dudum constat; correxerim:

ἀπαιτίζον θ', ἧος,

nam de se et matre sua Telemachus loquitur. Secundo autem versu κε γὰρ pro γὰρ ἂν corrigendum videtur [1]). Totum igitur locum sic rescribamus:

εἴ γε Φάγοιθ' ὔμες, τάχα κέν ποτε καὶ τίσις εἴη·
τόφρα κε γὰρ κατὰ ῥάστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ,
χρήματ' ἀπαιτίζονθ', ἧός κ' ἀπὸ πάντα δοθείη.

I 167: εἰ δ' ἄγε, τοὺς ἂν ἐγὼν ἐπιόψομαι, οἳ δὲ πιθέσθων.

De hoc versu quid suspicer, supra pag. 92 innui, nunc exponam. Vitiosum esse in Homericis futurum cum ἄν, constat hodie, ut opinor. Quod qui lucide ostendit, vir doctus van Herwerden, ita hunc locum defendi posse statuit, ut pro subiunctivi forma habeatur ἐπιόψομαι; aoristum enim aliquando, etiam in Attica, extitisse ὠψάμην; alterum in Homero superesse huius formae exemplum E 212; quin et imperativi formam ὄψεσθε Ω 704 huc pertinere [2]). Fateor, nondum satis mihi persuasum esse, ὄψασθαι genuinam esse formam, certe inter Homericas vix retulerim. Nam ex imperativi forma ὄψεσθε non magis probari posse videtur, extitisse olim aoristum ὄψασθαι, quam ex βήσετο et similibus apparet, βήσασθαι aliquando in usu fuisse; neque E 212 in verbis

εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι ὀφθαλμοῖσι

pro subiunctivi forma necessario habendum videtur ἐσόψομαι. Sed de his locis penes alios esto iudicium; neque enim impugnare neque defendere aoristum ὄψασθαι nunc mihi in animo est; id unum contendo, nostro certe loco nullum isti aoristo locum esse, sed vitiosum esse ἄν. Hunc enim in Nestoris verbis

1) Fuit cum suspicarer gravius corruptum esse versum et sic restituendum: τῆος γάρ κ' ἀνὰ ῥάστυ. Sed non necessaria videtur haec correctio, nam τόφρα ... ἧος non uno loco Homerico invenitur, et κε γὰρ pro γάρ κε dici potuisse censeo, quamquam exempla desidero.

2) Vid. Révue de Philologie 1882 pag. 22.

Digitized by Google

sensum requiro: *quin age ego eos eligam, illi vero dicto obedientes sunto;* itaque non ἄν vel κεν sed μὲν a poeta fuisse datum contendo:

εἰ δ' ἄγε (vel potius εἶ' ἄγε), τοὺς μὲν ἐγὼν ἐπιόψομαι, οἳ δὲ πιθέσθων.

Quod si recte conieci, inter illos locos referendus est hic versus, quibus non solum verisimile reddi sed vel probari potest, natum esse ἄν ex vetustiore κεν. Vides enim μὲν in κεν corrumpi potuisse facillime, vix vero potuisse in ἄν. Conferantur quae pag. 95 de υ 135 sunt observata.

Etiam ex versu qui sequitur removendum videtur ἄν, quamquam prorsus alia de causa:

T 230: ὅσσοι δ' ἂν πολέμοιο περὶ στυγεροῖο λίπωνται.

In promptu est remedium:

ὅσσοι δὲ πτολέμοιο,

nam subiunctivus post ὅσσοι, etiamsi non addatur ἂν vel κεν, nihil habet quod mireris. Restat tamen περὶ suspectum.

Pauci adhuc indicandi restant versus, sed illi quo magis manifesto corrupti eo difficiliores sanatu.

H 231: ἡμεῖς δ' εἰμὲν τοῖοι οἳ ἂν σέθεν ἀντιάσαιμεν.

Versus horrido metro perscriptus, in quo syllaba -οι bis deinceps correpta miram sane poetae infantiam proderet, si revera ita cecinisset. Quapropter hodie totus a quibusdam damnatur. Corrigendus tamen potius videtur quam delendus; rescribamus:

ἦ μὲν ἔτι τοῖοι οἵ κεν σέθεν ἀντιάσαιεν (-ειαν)
καὶ πολέες· ἀλλ' ἄρχε μάχης ἠδὲ πτολέμοιο.

Male lectae sunt literae EMEN, et voculae ἔτι perniciosum fuit vicinum τοῖοι. Nunc demum, postquam revocata est vera lectio, illud καὶ πολέες, quod post ἡμεῖς mire languebat, aptum sensum praebet: *succensens Achilles desidet in tentorio, sed tamen sunt adhuc multi qui tecum confligant.*

I 76 sq.: ὅτι δήιοι ἐγγύθι νηῶν
καίουσιν πυρὰ πολλά· τίς ἂν τάδε γηθήσειε;

Certum praestare nequeo; dare poterat sane poeta

ὅτι πολλὰ πύρ' ἐγγύθι νηῶν
καίουσιν δήιοι· τίς κεν τάδε γηθήσειε,

sed quis dicat quid revera dederit?

Digitized by Google

Ξ 244 sq.:

ἄλλον μέν κεν ἐγώ γε θεῶν αἰειγενετάων
ῥεῖα κατευνήσαιμι, καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ etc.

Tentavi:

ῥεῖα κατευνήσαι μ' ἠ καὶ.

ι 334: οἳ δ' ἔλαχον τοὺς ἄν κε καὶ ἤθελον αὐτὸς ἑλέσθαι.

Vitiosa esse ἄν κε vix quisquam neget, sed quid legendum? Cf. pag. 77.

κ 573: ῥεῖα παρεξελθοῦσα· τίς ἂν θεὸν οὐκ ἐθέλοντα
ὀφθαλμοῖσι ἴδοιτ' ἠ ἔνθ' ἠ ἔνθα κιόντα;

Haec si genuina sunt, quod vix credo, corrigendum videtur: θεὸν τίς κ' οὐκ ἐθέλοντα etc.

σ 26 sq.: ὦ πόποι, ὡς ὁ μολοβρὸς ἐπιτροχάδην ἀγορεύει,
γρηῒ καμινόϊ ἶσος· ὃν ἂν κακὰ μητισαίμην.

Hunc versum indicasse sufficiat; frustra quaesivi hactenus quod probabiliter posset reponi. Venit sane in mentem ἶσ'· ὄν κεν, et a Fickio id quam maxime probari nunc video; sed parum id et olim mihi placebat et nunc placet. Veri videtur similius, olim sic incepisse hanc sententiam: ὃν εἰ κακὰ μητισαίμην.

III.

Ad finem longioris neque admodum amoenae viae pervenimus. Vidimus, multis locis, quibus occurrit ἄν, ne posse quidem ferri; vix ullo loco ferri debere; fere semper pristinam lectionem ultro se offerre restituendam; nec nisi perpauci hi versus excipiendi videbantur:

A 519 (cf. p. 104).
H 39 (" " 107).
Θ 406 / 420 (" " 105).
I 77 (" " 116).
Ξ 245 (" " 116).
Τ 208 (cf. p. 109).
Υ 172 (" " 107).
δ 204 (" " 104).
ι 334 (" " 117).
σ 27 (" " 117).

Digitized by Google

Nunc fortasse expectaverit aliquis, etiam locos, quibus κ(εν) in textu recepto invenitur, a me indicatum iri; res sane eo deducere nos videtur, neque aliter facere mecum constitueram cum primum hanc disputationem aggressus sum. Sed abuterer profecto patientia lectorum, qui hactenus per aspera et densa me comitari non fuerint dedignati, si praelongos catalogos, qui haec scribenti mihi ad manum erant, illorum oculis subicerem; neque post ea, quae observavimus, tales indices multum adhuc prodessent. Itaque ad epitomen, quam pag. 99 exhibui, ablegatos velim lectores benevolos; et si cui nimis curta haec videatur supellex, adire licebit immensa horrea Eberhardi, quae vel Erysichthonis famem explere valeant.

Ad finem igitur perventum est. Et quoniam hominis est errare, non dubito quin complura aut minus recte statuerim aut parum feliciter emendare tentaverim; ὅτι γὰρ πολὺ καὶ πολλᾷ ῥέπει ὀρθᾷ διακρίνειν φρενὶ μὴ παρὰ καιρὸν δυσπαλές [1]). Id tamen non vereor ne de summa rei falsum iudicium me tulisse appareat. Consulto autem abstinui ab Hymnis, quia in his recentissima quaeque intermixta iacent vetustae poeseos fragmentis; restituendum tamen in his quoque est κεν quatenus per numeros liceat. Neque magis particulae ἄν locus est in carminibus Hesiodeis; in quibus et multo rarius occurrit quam in Homericis et facillimo negotio potest deleri. In Theogonia semel et iterum invenitur, sed ita collocata ut currente calamo rescribi possit κεν; in Scuto neque ἄν neque κεν ni fallor occurrit. Neque multo maiores molestias parant Opera; pauca vero quae reperiuntur recentioris aevi vestigia, vs. 258 ὁπότ᾽ αν τις, vs. 291 ἐπὴν ... ἵκηαι et similia, facillime pleraque possent oblini, si in musivo opere, quale est Hesiodeum, satis tutae viderentur eiusmodi correctiones; sed quis non sentit quanto intervallo ab Homerica dictione distet e. g. versus qualis hic est (339):

ἠμὲν ὅτ᾽ εὐνάζῃ καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ,

pro εὐνάζηαι et ὅτε κεν.

Talia igitur ἀκίνητα ἀμείνω sunt. In homericis vero carminibus unum κε ferendum esse utinam aliis tam penitus persuadere

1) Pind. Ol. 8, 30.

Digitized by Google

possem quam mihi persuasum est ipsi: sic non frustra me huic operi incubuisse putarem, neque perditum ducerem tempus quod ei impendi. Ὑμεῖς δὲ, viri docti in quorum manus haec quae scripsi sunt perventura, ὁ τῶν εὖ φρονούντων ἔργον ἐστὶ, μᾶλλον πιστεύετε τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν ὀφθαλμοῖς ἢ τοῖς ἐμοῖς λόγοις.

AD ARISTOPHANIS NUBIUM VS. 1065.

Nubium versus 1065 vix cuiquam integer videri potest:

Ὑπέρβολος δ', οὐκ τῶν λύχνων, πλεῖν ἢ τάλαντα πολλὰ εἴληφε διὰ μοχθηρίαν.

Absurde haec sunt dicta. Ῥᾳδίως γάρ τινες, ut cum Lysia oratore XIX 49 loquar, τολμῶσι λέγειν ὡς ὁ δεῖνα ἔχει τάλαντα πολλὰ ἐκ τῆς ἀρχῆς, sed πλεῖν ἢ πολλὰ τάλαντα ab eo surrepta vel dolo malo civibus sociisque extorta esse, id contendere non maledici est hominis sed male sani.

Nihil igitur est illud *plus quam multa talenta*, licet G. Hermannus huius lectionis patrocinium suscipere non sit dedignatus. Certus quidam numerus debet indicari, et satis magnus quidem numerus. Excidit igitur numerale aliquod, id est numeri sigillum, nam sic demum cur exciderit intelligitur; et πολλὰ adiectum est ab homine imperito, trimetrum utcunque explente. Quot vero talenta Hyperbolum lucri fecisse dicit orator iniustus? Quid excidere potuit inter vocabula

ΠΛΕΙΝΗ ... ΤΑΛΑΝΤΑ?

Duplica literam ἦτα, et scies:

ΠΛΕΙΝΗΗΤΑΛΑΝΤΑ,

πλεῖν ἢ ἑκατὸν τάλαντα.

Ingens sane numerus est, et longe distans a probabilitate, ne veritatem dicam; talia enim non serio dicuntur. Cavendum tamen ne prorsus absurdum et incredibilem dicamus, et manifestam, quae mihi quidem videtur, emendationem ideo respuamus. Quapropter allatus esto Vesparum versus 669:

κἄτ' οὗτοι μὲν δωροδοκοῦσιν κατὰ πεντήκοντα τάλαντα,

et Thesmoph. 811:

Digitized by Google

οὐδ' ἂν κλέψασα γυνὴ ζεύγει κατὰ πεντήκοντα τάλαντα ἐς πόλιν ἔλθοι τῶν δημοσίων.

Postea de Demosthene idem contendit Timocles comicus (apud Athenaeum VIII 341):

Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει.

Illi autem demagogi, qui quinquagena solent simul furari talenta, non longum sane requirunt tempus ad corradendas opes, centum talentorum summam excedentes. Sic curta peculia satis cito crescunt.

Quamquam ad argumentationes et computationes quid confugio. Praesto enim est locus apud Lysiam (Or. XIX § 45 sqq.), ubi id ipsum legitur quod nostro versu legendum esse contendo. Orator in eo versatur ut demonstret, Atheniensium plebeculam, quo sit pauperior ipsa, eo libentius de magnis opibus garrire solere; multos ab iis Croesos fuisse nuncupatos, qui Iri potius cognomine digni essent; et identidem ingentium rapinarum insimulatos esse duces, qui tamen post mortem vix quicquam liberis propinquisve relinquerent, aut in ius vocati iudicibus probarent nullam omnino a se fraudem esse perpetratam. Ultimum autem hoc profert exemplum luculentissimum maledicentiae suorum popularium: οἶμαι ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι Ἀλκιβιάδης τέτταρα ἢ πέντε ἔτη ἐφεξῆς ἐστρατήγει ἐπικρατῶν καὶ νενικηκὼς Λακεδαιμονίους, καὶ διπλάσια ἐκείνῳ ἠξίουν αἱ πόλεις διδόναι ἢ ἄλλῳ τινὶ τῶν στρατηγῶν, ὥστ' ᾤοντο εἶναί τινες αὐτῷ πλεῖν ἢ ἑκατὸν τάλαντα. ὁ δ' ἀποθανὼν ἐδήλωσεν ὅτι οὐκ ἀληθῆ ταῦτα ἦν· ἐλάττω γὰρ οὐσίαν κατέλιπε τοῖς παισὶν ἢ αὐτὸς παρὰ τῶν ἐπιτροπευσάντων παρέλαβεν.

Fictane igitur an vera fuerit haec fabella de Alcibiade ab insulanis mirifice ditato, equidem nunc non rogo; sufficit enim oratoris verbis ostendisse, id ipsum, quod de Hyperbolo per iocum dicit Aristophanes, postea serio de Alcibiade fuisse perhibitum. Etiam Themistocles, si fides Critiae apud Aelianum in Var. Hist. X 17, κατεφωράθη ἑκατὸν ταλάντων πλείω οὐσίαν ἔχων, et Cleon eodem auctore μετὰ τὸ παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινὰ πεντήκοντα ταλάντων τὸν οἶκον ἀπέλιπεν. — Sed χρὴ περὶ τῆς οὐσίας τῆς ἀλλήλων μὴ τοῖς αἰτιωμένοις εἰκῇ πιστεύειν, quae sunt Isocratis verba XV 157.

J. v. L. Jr.

Digitized by Google

SERVIANA.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii. Recensuerunt G. Thilo et H. Hagen.

Editionis Servianorum commentariorum, cuius titulus supra est inscriptus, *consilium* — mutuabor mutatis mutandis verba Ciceronis (pro Murena. c. XXIX) ad Catonem — *propter singulare animi mei de* eius *virtute iudicium, vituperare* non modo *non audeo* sed vehementer etiam atque ex animi sententia laudo: *nonnulla forsitan conformare et leviter emendare possim.* Perpaucas quasdam, ut initium faciam, ad hoc argumentum pertinentes observationes praemittam, plures fortasse posteriore tempore emissurus.

Ad Aeneidos l. III. vs. 211, post lemma IONIO IN MAGNO in Servio Danielis haec adnotantur: *quidam sane Ionium ab Io Inachi filia dictum volunt, quod amata hoc mare tranaverit, quod in* VII [*vs.* 790], *ubi de scuto Turni loquitur, plenius invenies.* Manifestum est verbum *amata* non sic nude et absolute a commentatore scribi potuisse. Quaedam excidisse videntur, v. g. haec: *quod amata ab Iove et propter timorem Iunonis in bovem mutata hoc mare tranaverit*, ita ut superior versus finem faciens in vocabulo *amata*, inferior vero in *mutata*, aberrantibus scribae oculis, omissionis causa fuerit. Fortasse Codex F (*Floriacensis* Danielis, nunc *Bernensis*) legens *amatata* vestigium veteris scripturae servavit. Suspicionem nostram confirmare videntur ea, quae adscripta sunt libri VII versui 790: *haec Inachi filia Argivorum fluminis fuit. hanc amavit Iuppiter. et dum cum ea esset, Iuno supervenit. timens ille ne deprehenderetur Ionem mutavit in vaccam* e. q. s. Alterum testimonium est locus Lactantii a Ladevico ad VII. 790 citatus, Instit. I. 11. *Io, Inachi filiam, quae ut iram Iunonis effugeret, iam saetis obsita, iam bos, tranasse dicitur mare.*

Digitized by Google

Ad III. 374. NATE DEA *ordo est* ᶜ*nate dea pauca tibi expediam dictis; prohibent nam cetera parcae scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno*ᵓ: *omnia, inquit, vates novit, sed non omnia permittitur dicere, fatis prohibentibus; etiam ex his quae novi, multa me vetat dicere Iuno Saturnia.* Hunc in modum si interpunxeris, ea quae enarrantur enarrationi non respondebunt; nam si cetera parcae scire Helenum prohibent, non, id quod interpres contendit, *omnia* vates novit. Interpungendum vero est post *scire*, ut legatur ᶜ*prohibent nam cetera parcae scire* (*sc. te*), *Helenum farique vetat Saturnia Iuno*ᵓ. De vera interpretis sententia dubium facere possunt lectorem verba: *etiam ex his quae novi, multa me vetat dicere Iuno Saturnia;* expectabas enim iis praecedere: non omnia novi, etiam ex his quae novi multa dicere vetor. In stilo vero impedito et parum eleganti horum Commentariorum *etiam* refertur ad *fatis*: non tantum *fata* mihi impedimento sunt, quominus omnia quae novi aperiam, sed etiam *Iuno* non sinit me omnia dicere, quae fata me revelare non prohibent. Scribendum igitur: *etiam, ex his quae novi, multa me vetat dicere Iuno Saturnia*, vel utroque commate sublato: *etiam ex his quae novi multa* e. q. s. Commentatorem re vera nostrum locum, quamvis perverse, ita esse interpretatum, ipse disertis verbis ostendit ad III vs. 379 PROHIBENT NAM CETERA SCIRE *hic distinguendum; et est sensus* ᶜ*cetera te scire non sinunt fata, Helenum vero Iuno prohibet dicere etiam ea quae audire poteras*ᵓ. Post pauca: *Male autem sentiunt qui distingunt* ᶜ*scire Helenum*ᵓ *cum legerimus in Lucano* (V. 177) *venit aetas omnis in unam congeriem miserumque premunt tot saecula pertus, item alibi* (V. 176) *nec tantum prodere vati quantum scire licet. et adeo repletus numine novit omnia sacerdos, ut refrenetur ad certa dicenda: nam dicendo* ᶜ*Helenum farique vetat Saturnia Iuno*ᵓ *ostendit praemissum ad Aeneam pectinere; aliter suum non interponeret nomen.* Ceterum interpres ad III vs. 712 alteram interpunctionem sequi videtur, namque ad lemma NEC VATES HELENUS adscribit: *quia dixerat prohibent nam cetera parcae scire Helenum.*

Ad III. 407. ET OMINA TURBET in fine adnotationis; ex Servio

Digitized by Google

Danielis *sane quidam dicunt absurde, ab Heleno Diomeden suppressum, sed intellegendum est de industria factum, ne terror iniceretur Aeneae.* Narrant interpretes Diomedem multis casibus adflictum, oraculo iussum esse Palladium Troianis reddere. Cui cum Diomedes obtemperare vellet, quaesisse Aeneam, eumque sacrificantem invenisse. *Hostilem faciem* quae memoratur vs. 407, alii Diomedem, alii Ulixem interpretantur (cf. scholium ad 406). *Quidam*, opinor, *dicunt* HAUD *absurde, ab Heleno Diomeden suppressum;* (i. e. Helenum de Diomede reticuisse) *sed* (sequitur reticentiae excusatio) *intellegendum est de industria factum* e. q. s.

Ad III. 585. (ex Servio Danielis) NAM NEQUE ERANT ASTRORUM IGNES *bene ᶜignesᵓ quia de Aetna loquebatur, ut magis flammae eius manifestae fierent coelo lucente.* Haec dicere videtur commentator: bene poeta usus est vocabulo ᶜ*ignes*ᵓ, quia *ignes* Aetnae non obscurabantur, ut ita dicam, lumine siderum: *ignes coeli* non officiebant *ignibus montis.* Scripsit autem, ni fallor: *ut magis flammae eius manifestae fierent*, QUAM *coelo lucente.*

Ad III. 624. RESUPINUS. *magnitudo virtutis ostenditur* (quae sequuntur ex Servio Danielis sunt) *quod una manu, quod resupinus, quod frangeret, velut exprimeret elidentem non in terram, sed ad saxum sublimiter quatientem.* Pro: *velut* scribe: *vel ut.*

Ad III. 121. PULSUM REGNIS CESSISSE PATERNIS *non dicit quare. sed talis historia est: Idomeneus de semine Deucalionis natus* (verba currenti scriptura expressa sunt Servii Danielis) ᶜCretensium rex, cum post eversam Troiam reverteretur, in tempestate devovit sacrificaturum se de re, quae ei primum occurrisset. contigit ut filius eius primus occurreret: quem cum, ut alii dicunt, immolasset, ut alii *vero* immolare voluisset *et post orta esset pestilentia*, a civibus pulsus regno Sallentinum Calabriae promunctorium tenuitᵓ e. q. s. Equidem pestilentiam ortam esse suspicor non quod Idomeneus filium immolare *voluerat*, sed sive quod filium immolarat, eaque re nefarium facinus perpetrarat, sive quod filium immolare *noluerat*, i. e. votum non solverat deosque debito destituerat. Scribo igitur: *immolare Noluisset.*

Harlemi, Nov. 1886.

Digitized by Google

I. N. MADVIGIUS.

Tristis ad nos nuntius affertur de obitu Iani Nicolai Madvigii. Qui casus, etsi non praematurus, tamen dolore afficiet quotquot litteris antiquis bene volunt. Annum agebat amplius octogesimum et caligantes dudum oculi non ei permittebant ut suos ipse auctores inspiceret; sed tamen vita illi sine litteris nulla erat, nec destituerunt Musae illum, quem puerum iam „non torvo oculo" aspexerant. Robustum corpus, ferax ingenium, indefessa industria doctrinam ei singularem et iustam fiduciam pepererant. Interpres acutus, scrutator sagax, criticus felix paene omnem antiquitatem Romanam luce sua illustraverat. Explicavit libros de Finibus sic ut magis diligere veritatem quam auctorem suum videretur, in cuius consuetudinem sic se insinuaverat, ut errorem in demonstrando, male ex fontibus Graecis rivulos deductos acute odoraretur, sermonem eius ipse scribens libere locupletaret, non tamen ut sordes recentiorum admitteret, rei linguam, non linguae res submittens. Tam pensiculate singula ponderans facile dignoscebat quae librariis, quae ipsi auctori essent imputanda. Mirum dictu quam mediocri apparatu quanta sit assecutus. Ac fortasse illud ipsum, quod non obruebatur copia librorum manu scriptorum, effecit ut ad illam viam et rationem criticae factitandae pervenerit, quam iure omnibus commendavit, ut sepositis minus probatis subsidiis omnis acies intenderetur in pauca sed eadem optima. Farraginem illam male collatorum subinde manuscriptorum, quae solebat olim ex una in alteram editionem migrare, donec in indigestam molem nemini profuturam excrevisset, cum aliis omittendam censuit, sed

Digitized by Google

nemo hanc rationem cum efficacius commendavit, tum certiore iudicio eo quidem tempore ad crisin adhibuit. Nunc maiore cum labore singula, etiam minus probata adiumenta excutiuntur, num forte ex pulvisculo scintillae quaedam auri residant, nec male, sed ut hoc sine periculo fieret, prius bonum erat fundamentum ponendum, falx autem ante omnia inferenda in agrum, unde amplissima messis erat speranda. At ille ut in codicibus, sic in scriptoribus quoque eligendis optima quaeque sectabatur, quamquam, si Plautum excipias, nullus est in probatioribus, qui non illi aliquot emendationes debeat. Atque ei etiam, quos brevius attigit, quamvis dicendi genere a reliquis diversi, velut Iuvenalis et Lucretius, tamen ab hoc maculis purgati, quas et indagavit et perspecta proprietate poetarum sic sanavit, ut viam contextus recte constituendi aliis praeiret. Scilicet certissimam adhibebat criticae obrussam penitus perspectum sententiarum nexum, in quo si quid hiabat, facile sentiebat et veluti habitans in mente auctorum rem et verba felicissime divinabat, de insolentia verbi alicuius subinde satis securus. In quo si quid forte intellegebat offensioni futurum, ipse subinde praedicebat, sed addidit aliquando: „parebunt aures veritati". Et paruerunt saepe. Felix audacia, eadem epigonis periculosa, qui si nimis audent in hoc genere, magnis ausis turpiter excident.

In antiquitate Romana interpretanda procul ab armorum strepitu quasi in recessu suam rationem sequebatur, quid alii sentirent parum sollicitus; procul erat ab exterorum contentione, nec scire volebat quaecunque nova et inaudita de re publica et privata Romanorum excogitata essent; non quo plane ea neglegeret, sed primum sibi et praecipuum proposuerat, ut veterum testimonia probe perspecta contexeret sine ambitiosa difficultatum exaggeratione; res clara in luce ponere malebat quam disceptare de controversiis non tam natis ex veterum locis ipsis, quam aliunde ex doctissimorum hominum ingeniis laete pullulantibus. Quod etsi non sine causa subinde reprehensum est, hoc tamen habuit boni, quod tanti viri incorruptum iudicium sine praeiudicata opinione conceptum eximiam vim et πειθανάγκην habere debet. Quanta diligentia, doctrina, subtilitate materiam conquirere, auctoritates perpendere, implicata evolvere, difficilia expedire, contraria componere potuerit, norunt qui eius

Digitized by Google

disputationes de Coloniis et Equitibus Romanis lectitarunt, quae post multos annos suum etiamnunc momentum retinent. Erat haec eius ratio, quod non tam ex abditis fontibus nova haurire solebat, quam probe nota testimonia recte adhibere, vitia sagaciter odoratus quae aliis subinde imposuerant, et interpretandi facultate, id est linguae voluntatisque auctorum notitia, egregie instructus, numquam tamen perverso instituto rerum expositionem interpretationi subiungens.

Non poterat Madvigius dicere se ἡδέως ἔχειν πρὸς ἅπαντας, quamvis solebat χρῆσθαι τοῖς βελτίστοις. Nimis praefracte iudicare, nimis fastidiose tacere visus est. Nunc tamen Germani, ex laqueis et anfractibus tortuosis abstrusae philosophiae liberati, aequius de eius „odiis" iudicabunt quam aequales solebant ante hos quadraginta fere annos. Tollet sepulcrum aut leniet dissensum. Nos quidem Batavi quantum debeamus Madvigio probe sentimus, nec unquam equidem optare desinam, ut discrimina nationum et dissensus e campo philologiae magis magisque evanescant.

Scrib. Traiecti ad R. d. 19 m. Decembris 1886. C. M. FRANCKEN.

Biennio ante Madvigio, cum celebraret diem natalem octogesimum, gratulatus sum et responsum ab eo accepi quod fortasse nunc erunt qui scire curent. Eius exemplum infra expressum, unde lectores candidum et modestum senis venerandi animum cognoscent. Nihil equidem retracto ex iis quae scripsi, sed poterant minus calide enuntiari: ad octogenarium scribens non anxie laudem pensitavi.

Digitized by Google

IANO NICOLAO MADVIG

AETATIS ANNUM UNUM ET OCTOGESIMUM INGRESSO

S. D. C. M. FRANCKEN.

Quod paucis contingit mortalium, ut octogesimum natalem celebrent, Tibi potissimum concessum esse, quo cultore litterae nostrae carere posse vix videntur, grati agnoscunt ii quibus solida doctrina cordi est. Tu enim multum aberas ut quieti quamvis iustae et ab omnibus concessae senex te dares: nullus iuvenis tuum ardorem aequiparabat, sic omnes ingenii vires intendebas ac si nulla hora annis peractis accessura, unus quisque dies Tibi postremus esset. Quod vix ipse sperare videbare, larga manu Tibi deus paravit.

Non Tibi solum vixisti et vivis sed aliis vitam impertis; Musae si possent loqui, Tibi se novae vitae beneficium debere testarentur; Tu Latium nobis restituis, tuum meritum est, quod generis humani laetissima iuventus, Graecis Latinisque litteris illustrata, animos nostros recreat; per Te ipsa antiquitas non senescit sed sordibus purgata, quas incuria aut tempora aut hominum perversa iudicia alleverunt, splendet vigetque; tua opera locum illustrem in choro disciplinarum etiamnunc tuetur philologia Latina.

Non facile ullius senectus beatior fingi potest quam tua, qui ea mentis acie etiamnunc fruare, eis ingenii viribus excellas, ut non tantum explorare et corrigere aliorum inventa, strenueque praeeuntes assequi possis, sed praeire etiam aliosque exemplo tuo instigare.

Ex animo igitur Tibi, Madvigi, gratulor, quod hunc diem videre Tibi contingit. Non possum tanquam debitum a natura multos pro Te annos orare, tamen non defetigabor optando. Tu fortasse non audes exspectare longam vitam, amici quidem tui audacia vota suscipere non dubitant. Per magnam saeculi partem philologiam ornasti; utinam totum expleas. Contingat longa etiam et vegeta senectus, ut amicos monere, patriae prodesse, studia doctrinae emendare possis et illustrare. Nomen quidem tuum vivet, quamdiu humanitati suus honor constabit.

D. ad Aquas B. Mariae in Bohemia

M. Iulio extremo a. 1884.

Digitized by Google

C. M. FRANCKENIO V. C.
IO. NIC. MADVIG S.

Mirari te opinor, vir clarissime, vel potius scio, quod nondum suavissimæ tuæ epistolæ amantissimæque gratulationi e Bohemia mihi missæ responderim. Huius tarditatis causa fuit, quod illis ipsis diebus, quibus mihi Ussingius meus litteras tuas tradidit, absolutum iri putabam Adversariorum meorum criticorum volumen tertium, quod tamquam grati animi pignus epistolæ adiuncturus eram. Sed dum me rusticante operæ typographicæ tardius agunt, prope viginti dies effluxisse cum pudore animadverto nec tamen libri sane non magni extremas paginas prelo liberatas. Itaque ne diutius in supinæ oblivionis et negligentiæ crimine hæream, hanc chartulam simul et grati animi testem et munusculi prænuntiam mitto. Ex laudibus, quibus me epistola tua onerat, ceteras nimias esse et benevolentia exaggeratas intelligo sentioque, unam agnosco accipioque, quod indefessum litteras nostras tuendi iuvandique studium mihi tribuis, nec felicitatis prædicationem, nisi impius sim, repudiare liceat, quod mihi et longum operæ navandæ spatium natura deusque concesserit nec vires senectus etiam longe provecta prorsus subtraxerit. Sed tamen a philologia me sensim et oculi prope novem iam annos sic caligantes, ut et in legendo et in scribendo alieno auxilio utar, removent et animus vitam actam respiciens et, quod instat adventatque, prospiciens ad alia meditanda avocat. Itaque studiorum communium, quæ amare non desinam, tutelam et amplificationem vobis, qui me æqualesque meos antiquitatis humanitatisque amore æquatis, viribus et ætatis robore superatis, trado commendoque tuisque propriis laboribus lætum successum precor, sive tu Lucilium ceterosque scriptores Latinos sive Romanorum instituta tractare perges.

Vale mihique porro quoque fave.

Datum e villula „Jægerhuset"
tria milliaria Haunia distante
a. d. X Cal. Sept. a. 1884.

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 47.)

II.

DE OSTRACISMO.

§ 1. *Ostracismum instituit Clisthenes propter suspicionem fraudis in qua essent demagogi nobiles.*

Ostracismus inventus propter metum Pisistratidarum.

Quaerentibus nobis, quo consilio ostracismum instituerit Clisthenes, non desunt optimi auctores, et ei quidem Androtion, Philochorus, Heraclides [1]), quorum nemini non pernotas fuisse cum res Athenienses universas, tum ipsam hanc rem de qua agamus, ne levissima quidem est suspicio, quorum vero consensus omnem tollit dubitationem. Clisthenes autem, ita fere scribunt, post tyrannos eiectos, cum etiam metueret ab amicis et cognatis Pisistrati, ne forte partium reliquiis adiuti et gratia nominis Pisistrati freti regnum instaurarent, hoc institutum in ius publicum Atheniense introduxit et legem de ostracismo ferri curavit, ut pos-

1) Heraclides auctor fragmentorum notissimorum utrum sit Ponticus an, ut nunc a plerisque acceptum est, Lembus, nunc in medio relinquo.

Digitized by Google

set ab insidiis praecaveri et relegarentur homines ambitiosi [1]). Primum autem Hipparchum Charmi filium Pisistrati cognatum ex urbe eiecerunt cives [2]), qui cum facundiae populari et gratiae adderet dignitatem praetoriam, si fide plebis abuti et regno instare coepisset, iam lege et iure communi ab inceptis retineri non posse videretur [3]). — Haec vero quamquam cognovisse gratum nobis est, nondum tamen quod diligentius cognoscere velimus nihil superest. Utrum enim invenit ostracismum Clis-

Ostracismus non aliunde translatus.

thenes, an aliunde transtulit? Nam hoc si factum est, fieri potest ut eum ideo transtulerit Clisthenes, quod cum in universum utilis ei videretur, tum etiam ad hanc specialem causam, metum Pisistratidarum, aptissimus, sed tamen ut alibi alio consilio primum sit inventus et adhibitus. Hoc autem verum esse affirmavit Curtius [4]), sed nimis confidenter is quidem. Novimus ostracismo usos esse Argivos, Milesios, Megarenses [5]), Syracusanos, Athenienses. Quorum ullis praeter Athenienses cur huius inventionis primitias attribuas, nulla causa est; cur vero Atheniensibus, haud paucae sunt rationes. Primum enim iure expectes auctores illos verbo monituros fuisse si aliunde rem desumpsisset Clisthenes. Deinde Syracusani traduntur imitati esse Athenienses, quod vix recte dictum esset si inventionis decus penes alios fuisset. Praeterea cum haec fuit

---

1) Androtion fr. 5 (Müller fr. h. gr. 1. p. 371): (Ἵππαρχος) *πρῶτος ἐξωστρακίσθη, τοῦ περὶ τὸν ὀστρακισμὸν νόμου τότε πρῶτον τεθέντος διὰ τὴν ὑποψίαν τῶν περὶ Πεισίστρατον, ὅτι δημαγωγὸς ὢν καὶ στρατηγὸς ἐτυράννησε.* — Philochorus fr. 79b (Müller fr. h. gr. 1. p. 396): *μετὰ τοῦτον* (Ὑπέρβολον) *δὲ κατελύθη τὸ ἔθος, ἀρξάμενον νομοθετήσαντος Κλεισθένους, ὅτε τοὺς τυράννους κατέλυσεν, ὅπως συνεκβάλῃ καὶ τοὺς φίλους αὐτῶν.* — Heraclides fr. Ath. 7 (Müller fr h. gr. 2. p. 209): *Κλεισθένης τὸν περὶ ὀστρακισμοῦ νόμον εἰςηγήσατο, ὃς ἐτέθη διὰ τοὺς τυραννιῶντας.*

2) Hipparchus archon eponymus fuit a. 493. Post hunc annum eum relegatum esse statuit Duncker, 6. p. 593 adn. 1. —

3) Androtion fr. 5: *ὅτι δημαγωγὸς ὢν καὶ στρατηγὸς ἐτυράννησε.* — Apparet illud *ἐτυράννησε* proprie dictum non esse, nam fieri non potest ut qui vere tyrannus sit, suffragio populi relegetur. Videtur haec esse vis huius vocis, ut iam eo pervenerit Hipparchus ut tyrannidem, si opportuna occasio se offerret, constituere posse videretur. Sed fortasse ipsa vox, vel haec vocis forma, debetur Harpocrationi qui illud fragmentum servavit. — Plut. Nic. 11. —

4) Curtius Gr. Gesch. (ed. 5, 1879) 1. p. 377: „es wurde also nach dem Vorgange anderer Demokratieen ein Verfahren eingeführt ...." u. s. w.

5) Schol. Aristoph. Eq. 855; Aristot. Pol. 5. 2. p. 1302b.

Digitized by Google

semper Atheniensium praecipua laus, apud eos leges (nempe democraticas) inventas esse, qualem laudem nemo illis civitatibus neque aliis umquam tribuit; tum libertatis et imperii popularis quasi nutrix inter civitates Graecas extitit Attica, ipsa suo exemplo alias allexit civitates, neque ulla certe ex illis prior quam Athenae ab aristocratica reipublicae forma ad legitimum imperium populi et democratiam bene ordinatam pervenit [1]). Praesertim, ut mox ostendam, ostracismi ratio nititur *certa* quadam *de tyrannidis origine doctrina*, quae, quamquam sane apud alios quoque cognita et accepta fuit, maxime tamen apud Athenienses civium animos tenuit atque ipsum iuris publici democratici caput et principium visa est; ea doctrina vix

1) Brevi ostendam, in illis civitatibus quae ostracismum habuisse tradantur, nullum etiam ostracismum fuisse tempore Clisthenis. — Megaris post Theagenem mortuum, post gravem deinde dominatum oligarchorum (Plut. Q. Gr. c. 18), aliquamdiu imperium fuit penes plebem, donec in patriam redierunt Theognis et reliqui exules. In illo brevi temporis spatio, cum pauperes cives et demagogi dominarentur (fere 530—515), multi quidem optimates ejecti sunt, sed nullo certe illi ostracismo, ut dilucide docet Aristoteles (Polit. 5. 4. p. 1304b): *οἱ γὰρ δημαγωγοί, ἵνα χρήματα ἔχωσι δημεύειν, ἐξέβαλλον πολλοὺς τῶν γνωρίμων, ἕως πολλοὺς ἐποίησαν τοὺς φεύγοντας*. Post exulum nobilium reditum autem Megarenses in fidem Spartanorum se dedisse credibile est (cfr. Duncker Gesch. d. Alt. 6. p. 439 adn. 6); atque tunc non ab exulibus introductus est ostracismus. — Apud Argivos vero imperium populare certe ortum non est ante bellum Cleomenicum (Her. 6. 83; Arist. Pol. 5. 2. p. 1303a), quod fere a. 496 gestum est (Grote, H. of Gr. 4. p. 247 adn. 1; Busolt, die Lakedaimonier und ihre Bundesgenossen, Leipzig 1878, p. 832 adn. 66; Duncker, G. d. Alt. 7. p. 72 adn. 2), et ab eo demum tempore paulatim crevit. — Mileti denique neque reipublicae optima temperatio, quam post perditissimas civium seditiones constituerunt nobiles ex insula Paro acciti fere a. 565 (Her. 5. 28, Duncker 6. p. 292), neque sane regnum Histiaei, quod multis annis ante a. 513 initium cepit, ullum locum praebuit ostracismo introducendo; certe Clisthenes cum leges Athenis scriberet, non petivit instrumentum quo arceret tyrannos ex ipsa ea urbe quae tum iam diu tyranno (Histiaeo) obediret. — Haec omnia confirmant quod etiam per se maxime verisimile est, in illis urbibus multo demum post, ut videtur medio fere quinto saeculo a. C., accidisse ut partes populares, ipsorum Atheniensium auctoritate et exemplo perductae, quorum auxilio fretae nitebantur contra optimatium opes, in suas urbes transtulerint ostracismum (cfr. Aristot. Polit. 5. 7. p. 1307b: *οἱ μὲν γὰρ Ἀθηναῖοι παντα χοῦ τὰς ὀλιγαρχίας κατέλυον*; cfr. Isocr. 12 § 54). — — Nam id certe nemo mihi obicere voluerit, quod scribit Orator adv. Alcib. (Andoc. 2) § 6: *μόνοι γὰρ αὐτῇ τῶν Ἑλλήνων χρώμεθα, καὶ οὐδεμία τῶν ἄλλων πόλεων ἐθέλει μιμήσασθαι*. Prior pars huius sententiae manifesto falsa est, et altera diluitur exemplo Syracusanorum; nisi fortasse tota sententia id tempus solum respicit, quo oratio habita esse fingitur, et docet tum Megaris et Mileti et Argis abolitum iam fuisse ostracismum sicut Syracusis abolitus esset.

Digitized by Google

in ulla alia civitate tantum valuit ut ad ostracismum excogitandum ducere posset. Licet igitur statuere, ostracismum Athenis esse inventum ob hanc specialem causam ut praecaveretur a Pisistratidis. Hac speciali causa ductus Clisthenes legem Atheniensibus dedit generalem, etiam in posterum providens ut eo telo uti possent.

Clisthenes igitur ideo ostracismum excogitavisse dici possit, ut esset quo relegarentur a civibus ei qui essent in suspicione tyrannidis affectatae. Revera Heraclides scripsit, legem factam esse διὰ τοὺς τυραννιῶντας; Philochorus tradidit relegationis causam ante Hyperbolum fuisse suspicionem tyrannidis[1]). — Sed hac voce cum utimur, statim a magno errore cavendum est; „suspicio" enim est vox ambiguae et duplicis significationis. Suspicio esse potest aut rei alicuius confectae et ad praeteritum tempus pertinentis, vel certe iam susceptae et inchoatae, aut futurae necdum factae. Si furtum alicui factum est, si is suspicatur famulum suum id admisisse, eum habet „in suspicione furti", facti scilicet. Sin forte in eo est, ut rem aliquam pretiosam servandam tradere debeat alicui, quod eam non possit in itinere secum ferre, si eam rem famulo suo relinquere non vult, quod non satis eius integritati confidit, etiam sic famulum habet „in suspicione furti"; sed furti infecti, futuri, quod nondum paratum neque inchoatum, ne mente conceptum quidem sit. Sic Spartani Helotas semper habuerunt in suspicione seditionis, etiam tum cum omnia apud eos quam maxime quieta erant. — Constat autem, τὴν ὑποψίαν τυραννίδος, quae a Philochoro dicatur causa fuisse ostracismi, esse eius generis quod secundo exemplo tetigi. Non contra eos democratiam defendere voluit Clisthenes, qui iam insidiis mente conceptis et clam inchoatis, libertatem evertere conari crederentur. Sane ostracismus ad eos omnino non pertinuit, quippe qui certo anni tempori affixus sit. Nullius omnino utilitatis esse potuisset suffragium populi quod semel quoque anno certo tempore haberetur, si contra eos solos comparatum esset, quos iam aliquid clam praeparavisse vel molitos esse ad popu-

Suspicio tyrannidis quid sit.

1) Heraclid. fr. Ath. 7 (Müller fr. h. gr. 2. p. 209) (supr. p. 130 n. 1). — Philoch. fr. 79: μόνος Ὑπέρβολος ἐξοστρακισθῆναι (δοκεῖ) — — — οὐ δι' ὑποψίαν τυραννίδος.

Digitized by Google

lum emanavisset, cum fama, indicio leviore ut assolet vehementer arrepto, subito percrebuisset et repentinum terrorem incussisset animis civium. Quasi huiusmodi terror, haec „suspicio", sub finem hiemis tantum apud cives oriri posset! Quasi, si alio tempore orta esset, otiosos expectare et omnia pati cives voluisset Clisthenes, dum appropinquaret tempus legitimum suffragii, cum iam futurum esset ut aut falsum fuisse rumorem apparuisset, aut ut iam nulla suffragia populi libere haberi possent. Qui hoc argumentum afferre conati sunt contra fidem Philochori et Heraclidis, hi telo coniecto misere aberrante aëra vacuum percusserunt, quia non intellexerunt vim vocis „suspicio" [1]). Suspicio tyrannidis (quam dicit Philochorus et quam persecutus est Clisthenes) est metus quem plebi incusserint cives aliqui sive unus sive plures, ne forte possent aliquando in futuro tempore ad insidias contra libertatem struendas se conferre et incepta sua perficere; etiamsi illi cives nulla etiamnunc eiusmodi consilia animo volverint, et prorsus innocentes sint. Ostracismus institutus est ut feriret homines qui etiamtum prorsus innocentes essent, sed qui ne postea forte aliquando noxii fierent metueret plebs. Neque poenas ab insidiatoribus exigere, neque insidias inchoatas disturbare, sed praevenire insidias voluit Clisthenes. — Quod ex ipso instituto clarum est, diserte etiam affirmat Diodorus: *καὶ τοῦτ' ἔπραττον οὐχ ἵνα τῶν προγεγενημένων ἀδικημάτων λάβωσι τιμωρίαν, ἀλλ' ὅπως τοῖς δυναμένοις παρανομεῖν ἐξουσία μὴ γένηται κατὰ τῆς πατρίδος ἐξαμαρτεῖν* [2]).

Iamvero contra hanc interpretationem, quamquam sola vera est, argumentum afferre libet quod gravissimum videatur. Quid tandem Clisthenes, inquis, si haec vera est interpretatio suspicionis, in ostracismo cives persecuturos esse putavit? Nonne ad omnes cives eiusmodi suspicio pertinet? Nonne in omnes hoc cadit, posse aliquando in futuro tempore ab eis consilia contra

1) Lugebil, über das Wesen und die historische Bedeutung des Ostrakismos in Athen, (Jahrb. f. Class. Phil. 4ter Suppl.) p. 188: „ist nun diese beschränkung der anwendung des Ostrakismos (auf einmal jährlich) nicht ganz zweckwidrig, wenn dieses institut wirklich den zweck hatte die freiheit und gleichheit im staate zu garantieren? Oder hat man die tyrannis nur zu einer bestimmten zeit des jahres zu fürchten?" u. s. w. —

2) Diod. 19. 1. 3.

Digitized by Google

libertatem iniri et cum bono eventu perfici? Certe si (ex. gr.) omnes cives relegare velles, qui cum innocentes nunc essent, ne postea aliquando furtum essent facturi posset metui, nemo non tibi esset relegandus. Sic si verum est omnes cives posse aliquando ad regnum affectandum se conferre, et fortuna favente consilia sua perficere, nemo non fuit relegandus Atheniensibus. Cur illum potius testis notarent, hunc vero et tertium et tot alios minus? Nulla ratio ita superest qua duci possint cives in adhibendo ostracismo, itaque absurdum est hoc voluisse Clisthenem.

In democratia ea suspicio in nobiles solos cadit,

Argumenti speciosi diluendi copiam nobis praebent optimi auctores. Hi enim nos docent verum non esse, democratiam a quolibet everti posse. Docent contra, in democratiis antiquis a nullis hominibus institui potuisse tyrannidem praeterquam a nobilibus. Et addunt, de ea re numquam dubitatum esse ab Atheniensibus. — De ea re quid veteres Graeci senserint tradit Diodorus. Παλαιός τις, inquit, παραδέδοται λόγος ὅτι τὰς δημοκρατίας οὐχ οἱ τυχόντες τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οἱ ταῖς ὑπεροχαῖς προέχοντες καταλύουσιν [1]).

---

1) Diod. 19. 1. 1. — Animadvertendum est, nos hoc loco agere de rebus et conditionibus sexti et quinti saeculi, quas etiam respicere solet Aristoteles, ut apparebit ex locis mox laudandis. Tertio fere saeculo longe aliae conditiones existebant; has respicere solet Polybius cum de origine et causis tyrannidis agit, et qui eum expresit Cicero in libris de Republica; et ita factum est ut de his rebus longe dissentiant cum Aristotele Polybius et Cicero; sed non ea est causa, quod alteruter erraverit vel nimium affirmaverit, sed quod de rebus et conditionibus diversis scribant. Ad ea accuratius explicanda, longiore disputatione opus est, quae ad nostram Quaestionem non pertinet; caput rei hoc est, ineunte quinto saeculo et antea *duos* tantum fuisse ordines in civitatibus, nobiles et plebem; tertio vero saeculo *trifariam* esse divisas civitates, cum essent praeter homines divites et primarios, primum medius aliquis ordo civium (cuius principatum democratiam dicere solet Polybius), deinde infima quaedam et pauperrima plebs, quae democratiam spernens, a monarchia et tyrannide salutem expectaret. Huic accedunt aliae differentiae, quarum non levissima est frequens usus militum conductitiorum. Necesse est autem, causas tyrannidis longe alias fuisse saeculo tertio quam quinto. — Diodorus, qui utrinsque saeculi memoriae cognitione imbutus est, non sine aliqua dubitatione tamquam antiquam traditionem (παλαιόν τινα λόγον παραδεδομένον) eam regulam memorat, quam tertii saeculi rebus aptam non esse sentiat; et eam ob causam an potius praeiudicium aliquod vanum et opinio magis consensu omnium quam veritate et historia confirmata dicenda sit dubitat. Nobis vero, postquam recte distinximus inter res quinti et tertii saeculi, eas dubitationes iam omittere licet.

Digitized by Google

Iam Solon (cuius versus aptissime citat Diodorus) hanc sententiam ab initio civium animis impressit:

ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται· εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀιδρίῃ δουλοσύνην ἔπεσεν [1]).

Aristoteles vero copiam praebet et materiem ut explicemus causam et rationem huius sententiae. — Nempe in oligarchia et aristocratia, cum plebs imperio gravi optimatium subiecta, ira et odio diu agitata, liberatorem circumspicit, nulli fere homini, cui faveat fortuna neque desit audacia et sollertia, tyrannis clausa est. Ibi enim ipsa plebs (quae est longe maior pars civitatis) novarum rerum cupida est; et eam ob causam aeque licet homini alicui nobili, cum satis ostenderit se capitali odio a ceteris nobilibus dissidere, et cum hunc sensum verbis et factis satis plebi probaverit, aeque vero etiam homini alicui de plebe, commendare se plebi et tamquam liberatorem ab ea in fidem recipi [2]). Plerisque autem hoc fuit initium tyrannidis, postquam ex nobilium odio gratiam et fidem plebis sibi comparaverant, ut a plebe peterent et impetrarent ut armatos circa se habere sibi liceret; eis armatis deinde usi sunt ad tyrannidem instituendam [3]); aliis vero ultro vim inferre placuit et cum paucis amicis locum munitum occupare, sperantibus fore ut plebs auxilio eis veniret [4]). Ita in aristocratia sive oligarchia tyrannis pertinet cum ad nobiles tum ad plebeios [5]), ad omnes cives igitur. — Verum longe aliter res nata est in democratiis, ubi plebs, rebus suis contenta et novarum rerum minime cupida, nihil magis cupit quam conservare bona quae nacta sit, libertatem et imperium. Hanc ob causam in democratia auctores rerum novarum non existere ex plebe, sed

---

1) Solon fr. 9, Bergk poet. lyr. Gr. (1866) 1. p. 421.

2) Aristot. Polit. 5. 5. p. 1305a: *πάντες δὲ τοῦτο (τὸ τυραννίδι ἐπιτίθεσθαι) ἴσμεν ὑπὸ τοῦ δήμου πιστευθέντες, ἡ δὲ πίστις ἦν ἡ ἀπέχθεια ἡ πρὸς τοὺς πλουσίους.* Exempla idem deinceps affert Pisistrati, Theagenis Megarensis, Dionysii Syracusani.

3) Hoc est „*αἰτεῖν τὴν φυλακήν*", quod Dionysium, Pisistratum, Theagenem fecisse tradit Aristoteles Rhetor. 1. 2. p. 1357b.

4) Hac spe nisus esse videtur Cylon Atheniensis, quae tamen male eum fefellit.

5) Orthagoras (sive Andreus) Sicyonius fuit homo de infima plebe, Diod. 8. 24; et alii fuerunt. — Cfr. Aristot. Polit. 5. 6. p. 1305a: *αἱ δ' ὀλιγαρχίαι μεταβάλλουσι — ἐὰν ἀδικῶσι τὸ πλῆθος, πᾶς γὰρ ἱκανὸς γίγνεται προστάτης.* —

Digitized by Google

ex nobilibus solis, docet Aristoteles [1]). — Verum ne ad omnes quidem nobiles hoc pertinet, in democratia instituere tyrannidem. Nam nullus ibi locus est tumultibus repentinis, armis et violentiae subitariis. Huiusmodi enim consilia, quae sine ulla spe favoris plebis, sine ullis publicis suppetiis, privatis opibus et vi nituntur, si forte ab insano homine umquam struerentur, multo facilius opprimi possent quam inchoata essent; sufficiebant contra ea magistratuum vis et ipsa plebs, quae universa sine ulla dubitatione et ingenti consensu surgens libertati periclitanti subventura erat; omnino cum ulla spe in democratia iniri non poterant huiusmodi insidiae, neque erat cur contra eas excogitaretur ostracismus aliquis [2]). — Longe alia via eis ingredienda fuit qui in democratia ad tyrannidem pervenire studerent, quae multo longior et difficilior esset, et quae paucis tantum nobilibus pateret. Eo non perveniebatur nisi per longinqua consilia, per lentos progressus, blandimentis et auctoritate sopita incorrupta plebe, per gratiam et favorem. Plebs, cum non posset armis subici, debebat fide induci et decipi, quod in democratia multo difficilius erat quam in eis civitatibus in quibus plebs odio et ira flagrabat. Antiqua doctrina ferebat, neminem hoc assequi posse praeter eum qui concilium populi auctoritate perpetua et fide regere soleret, *demagogum* [3]). Et ne hoc quidem sufficit; is qui ad tyrannidem in democratia pervenire vellet, cum demagogia coniungeret necesse erat artis imperatoriae peritiam et famam bellicam. Sed olim utraque res arte coniuncta erat, ut docet Aristoteles; cum nondum esset vulgata ars publice verba faciendi,

neque in omnes nobiles ea suspicio cadit, sed in demagogos rei militaris peritos;

---

1) Aristot. Polit. 5. 8. p. 1303b: *στασιάζουσι δ' ἐν μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις οἱ πολλοὶ ὡς ἀδικούμενοι, ὅτι οὐ μετέχουσι τῶν ἴσων — ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις οἱ γνώριμοι, ὅτι μετέχουσι τῶν ἴσων οὐκ ἴσοι ὄντες.*

2) Fieri quidem potest ut vis privata in democratia struatur a paucis quibuslibet nobilibus, si prope abest exercitus sive classis hostilis, cui urbem prodere cuiusque ope uti insidiatores possint; neque desunt exempla in memoria rerum Atheniensium (Herod. 6. 109 et 115 et 121; Plut. Arist. c. 13; Thuc. 1. 107 cfr. Plut. Cim. 17 Per. 10; eodem iam pertinet Herod. 5. 72). Sed manifestum est hanc rem magis pendere a rebus externis fortuitis quam a conditionibus intestinis, neque eius rei rationem habere potuisse eum qui ostracismum instituerit.

3) Aristot. Polit. 5. 5. p. 1305a (agit de causis democratiae eversae): *σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀρχαίων τυράννων ἐκ δημαγωγῶν γεγόνασιν.*

Digitized by Google

ad veram demagogiam et summam in concilio auctoritatem vix quisquam pervenire potuit quin praetorio munere functus esset [1]). Hae duae res igitur necessariae fuerunt. Peritiam militarem qui acquisiverat, ei non solum obedire assueti erant multi cives qui sub eo militaverant, sed ipse etiam imperare et praeesse et ad obedientiam homines cogere et armatis uti didicerat, praeterea ei fidere et civitatis gloriam bellicam aut salutem ab eo expectare assueverant cives et ex eo pendere credebant. Demagogus vero is est, cuius auctoritati obsequi soleat populus in concilio, sive ipse sua voce cum populo agit, sive per oratores quos circa se habeat [2]). Ad eum locum pedetemptim perveniri potest partim per magnas clientelas et amicorum multitudinem, partim per eloquentiam popularem et ad persuadendum aptam, partim denique per consilia publica constanter data et sollerter inventa quae fidem auditorum concilient et cives ad aures denuo praebendas propensos faciant; sed ad eam fidem comparandam omnium maxime valet, ut diximus, magna rerum bello gestarum fama [3]). Is autem qui utramque rem in se coniunxerit, eo pervenisse vere dici potest ut tyrannidem possit instituere in democratia; hoc est quod docet Aristoteles: *ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων, ὅτε γένοιτο ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ στρατηγός, εἰς τυραννίδα μετέβαλλον (αἱ δημοκρατίαι* [4]); et eandem doctrinam idem respicit cum scribit: *ὅταν τις ἢ τῇ δυνάμει μείζων, ἢ εἷς ἢ πλείους, ἢ κατὰ τὴν πόλιν*

hi enim soli in eo sunt, ut fide populi abuti possint,

1) Aristot. Polit. 5. 5. p. 1305a: *αἴτιον δὲ τοῦ τότε (ἐπὶ τῶν ἀρχαίων) μὲν γίγνεσθαι, νῦν δὲ μὴ* (scilicet ut tyranni fierent ex demagogis), *ὅτι τότε μὲν οἱ δημαγωγοὶ ἦσαν ἐκ τῶν στρατηγούντων, οὐ γάρ πω δεινοὶ ἦσαν λέγειν, νῦν δὲ τῆς ἱστορικῆς ηὐξημένης οἱ δυνάμενοι λέγειν δημαγωγοῦσι μέν, δι' ἀπειρίαν δὲ τῶν πολεμικῶν οὐκ ἐπιτίθενται τῇ τυραννίδι.* — Cfr. Isocr. Panath (12) § 143; id. De Pace (8) § 54: *τοσοῦτον δὲ διαφέρομεν τῶν προγόνων, ὅσον ἐκεῖνοι μὲν τοὺς αὐτοὺς προστάτας τε τῆς πόλεως ἐποιοῦντο καὶ στρατηγοὺς ᾑροῦντο, κ. τ. λ.* — Cfr. Gilbert, Beiträge p. 1—4.

2) Cfr. Plut. Arist. c. 3 med.; Plut. Per. c. 7 s. f.; Plut. Per. c. 14: *οἱ περὶ τὸν Θουκυδίδην ῥήτορες.*

3) Quantum valuerit gloria bellica recens reportata ad augendam auctoritatem hominis alicuius, saepe apparet, cfr. ex. gr. Herod. 6. 132; conferendum etiam quod de auctoritate et potentia totius ordinis vel imperii alicuius per recentem gloriam confirmata scribit Aristot. Polit. 5. 4. p. 1304a: *μεταβάλλουσι δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν καὶ εἰς δῆμον καὶ εἰς πολιτείαν ἐκ τοῦ εὐδοκιμῆσαί τι ἢ αὐξηθῆναι ἢ ἀρχεῖον ἢ μόριον τῆς πόλεως.*

4) Aristot. Polit. 5. 5. p. 1305a. — Μετέβαλλον i. e. *μεταβάλλειν εἰώθεσαν*; non

Digitized by Google

καὶ τὴν δύναμιν τοῦ πολιτεύματος· γίγνεσθαι γὰρ εἴωθεν ἐκ τῶν τοιούτων μοναρχία ἢ δυναστεία [1]). — Causa cur demagogia (cum arte militari coniuncta) ad tyrannidem viam aperuerit quae omnibus aliis civibus clausa sit, haec est (si rem amplam et multiplicem brevi delineare mihi licet): Tyrannidem capere non potest insidiator, nisi antea, πολιτεύμασι suis callide ad consilium suum directis, et rogatione aliqua fallaci aut serie rogationum fallacium perlata (sive per eam legibus quibusdam solvatur, sive potestate aliqua extraordinaria ornetur, sive qualibet alia ratione supra reliquorum civium communem normam evehatur), occasionem nactus sit impune et cum publica auctoritate ea parandi sive faciendi quibus urbem ut sibi dedant cives cogere aut perducere possit [2]). Ad huiusmodi rogationis fructus percipiendos opus est peritia bellica; ad eam perferendam opus est fide et obsequio civium; his autem solus utitur demagogus et solus igitur eis abuti potest; is enim quam maxime demagogus est, qui maxima a populo impetrare potest. — Verum utramque rem coniungere, demagogiam et praeturam, cadebat Athenis ante medium saeculum quintum [3]) in homines magnis

---

significat, necesse fuisse ut tum tyrannis oreretur, sed tum tyrannidem oriri potuisse, et saepe factum esse ut ex eo statu rerum tyrannis oreretur. In sententia deinceps laudanda ea voce εἴωθεν usus est Aristoteles.

1) Aristot. Polit. 5. 2. p. 1302b.

2) Aristoteles docet (Polit. 5. 4. p. 1304b), τὸ κινεῖν τὴν πολιτείαν δι' ἀπάτης fieri duobus modis: καὶ γὰρ ἡ ἀπάτη διττή· ὅτὲ μὲν γὰρ ἐξαπατήσαντες τὸ πρῶτον ἑκόντων μεταβάλλουσι τὴν πολιτείαν, εἶθ' ὕστερον βίᾳ κατέχουσιν ἀκόντων — · ὅτὲ δὲ ἐξ ἀρχῆς τε πείσαντες καὶ ὕστερον πάλιν πεισθέντων ἑκόντων ἄρχουσιν αὐτῶν. — Rogationum fallacium quibus tyrannis parata sit notissimum exemplum est τὸ φυλακὴν αἰτεῖν, Aristot. Rhetor. 1. 2. p. 1357b (cfr. supr. pag. 135 adn. 3), quae etiam extra democratiam usurpata est. — Aliorum exemplorum magnam copiam praebet memoria rerum Graecarum; vid. Polyaen. 1. 28. 2; 3. 8; 5. 1. 1; 5. 37; 5. 45; 6. 45; 6. 51; cfr. Diod. 19. 6. 1. — Eadem *fraude* nonnumquam etiam usi sunt ei quibus non ut tyrannidem, sed ut oligarchiam instituerent propositum esset; quamquam ut oligarchia instituatur etiam alia ratione fieri potest, nempe *vi* (Aristot. l.l. ὁτὲ μὲν διὰ βίας ὁτὲ δὲ δι' ἀπάτης), quae sine suppetiis peregrinis adhiberi non potest ad tyrannidem instituendam. Sic fraude et rogatione fallaci usi sunt oligarchi Athenienses a. 411, cfr. Thuc. 8. 53 et 54 § 1 et 3; 8. 67 § 1 et 2; Aristot. l.l.: οἷον ἐπὶ τῶν τετρακοσίων τὸν δῆμον ἐξηπάτησαν, φάσκοντες τὸν βασιλέα χρήματα παρέξειν πρὸς τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Λακεδαιμονίους, ψευσάμενοι δὲ κατέχειν ἐπειρῶντο τὴν πολιτείαν.

3) Sed etiam postea praetores pauperes (ut Lamachus, qui annis 424 et 416 praetor fuit; Plut. Alcib. 21; Plut. Mor. (reip. ger. praec. c. 31.) p. 822; Aristoph.

Digitized by Google

et hi omnes sunt ex nobilitate.

divitiis exornatos solos; et tempore Clisthenis certe, in nobiles. Insignis exceptio, quam praebet memoria rerum Atheniensium, Themistoclis, magis confirmat hanc regulam quam diluit. Themistocles quidem fuit humiliore loco natus [1]); sed eum singulare ingenium eo divitiarum et laudis bellicae provexerat, quo nemo alius eiusmodi loco natus eis temporibus pervenire ullo modo potuisset. Nobis vero, si conferimus id quod ex auctoritate Aristotelis constat, in democratia ad tyrannidem pervenire non potuisse nisi eos qui demagogi simul et praetorii essent, cum illa antiqua et pervulgata doctrina quam nobis servavit Diodorus, democratias non posse everti a plebeis hominibus, apparet unam eandemque sententiam ab utroque variis modis esse enunciatam. — Ad illustrandam autem sententiam Aristotelis, animadvertendum est Hipparchum Charmi filium tum fuisse demagogum et praetorem, cum propter suspicionem tyrannidis relegaretur.

Qui autem eo pervenerunt, ut in se coniunxerint demagogiam et famam bellicam, non sunt ipsi tyranni, sed fieri possunt.

Non sunt ipsi tyranni, sed fieri possunt.

Tyrannos enim nullos dicere oportet nisi qui vi et armis freti, voluntatem suam pro lege civibus imponant. Et fieri potest ut vir nobilis praepotens, summa auctoritate et obsequio civium sponte oblato contentus, ad abutendum fide plebis, ad manum armatam conducendam et arcem occupandam omnino se conferre nolit. Talis fuisse videtur Hipparchus eo tempore; cum ostracismo circumveniretur; ad eos Pericles quoque referendus est. Perperam Hipparchum tyrannum dixit sive Androtion sive Harpocration [2]); male etiam Pericles a nonnullis tyrannus dictus est. Is enim quamquam

---

Acharn. 597, 608, 619) vel ex plebe orti (ut Phrynichus qui a. 412 praetor factus est, (Lys.) 20 § 11) rari fuerunt Athenis, et magnae divitiae plerumque necessariae fuerunt ad ambitum faciendum (Xen. Memor. 3. 4. 1), gravitas quaedam et amplitudo ad regendos milites parum modestos (Xen. Memor. 3. 5. 19); diu etiam ipsum qui gessit et eius posteros quasi ad nobilitatem aliquam provexit praetura (Aesch. Tim. § 27); cfr. Eupolis fr. Mein. 2. 466:

ἀλλ' ἦσαν ἡμῖν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοί
ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν πλούτῳ γένει τε πρῶτοι κ. τ. λ. —

1) Id Herodotus cum candore et simplicitate ut assolet uno verbo lectorum animis inculcavit (7. 143): ἐς πρώτους νεωστὶ παριών — παῖς δὲ Νεοκλέος ἐκαλέετο. — Cfr. Plut. Them. 1.

2) Vid. sup. p. 130 adn. 3.

Digitized by Google

fuit demagogus praepotens [1]) et praetor fere perpetuus, quamquam aliquando potentia sua usus est ad impediendam legem publicam quae erat de convocandis populi conciliis et ex qua pendebat potestas populi, et ita maxime irrisit imperium popolare quod ipse nutriverat [2]), quamquam revera dominatus est in democratia [3]), nihilominus cum a vi armata semper abstinuerit, tyrannus dicendus non est ut sunt qui faciant [4]), siquidem huius vocis significationem prorsus corrumpere non libet [5]). Multo melius Diodorus hos viros, qui eo pervenerint ut iam tyranni fieri possent, dixit τοὺς δοκοῦντας μάλιστα δύνασθαι τυραννεῖν, τοὺς δυναμένους παρανομεῖν [6]).

Satis demonstravimus, suspicionem tyrannidis, sicuti eam supra interpretati simus, non ad omnes cives pertinuisse sed ad demagogos nobiles rei militaris peritos solos; itaque Clisthenes, siquidem ostracismum paraverit contra viros *innocentes* qui ne postea aliquando ad tyrannidem affectandam se conferrent metui posset, eum contra illos demagogos nobiles paraverit necesse est. Nunc autem, si cum testimonio, quod de ratione ostracismi dederunt Heraclides (διὰ τοὺς τυραννιῶντας) et Philochorus (δι' ὑποψίαν τυραννίδος), composuerimus formulam qua ad causam relegationis significandam utitur Thucydides, apparebit hanc formulam prorsus cum eo convenire. Thucydides enim [7]) scripsit, omnes praeter Hyperbolum relegatos esse διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον, propter metum quem civibus incussissent potentia et fastus. Is quoque igitur ad nobiles solos, et ad potentissimos quidem, refert

Contra eos solos etiam ostracismum paravit Clisthenes.

1) Thuc. 2. 65. 8 sq. — Isocr. de pace § 126: Περικλῆς ὁ πρὸ τῶν τοιούτων δημαγωγὸς καταστάς.

2) Thuc. 2. 22. 1.

3) Thuc. 2. 65 9: ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. Cfr. Plut. Per. c. 15 sq.

4) Cratinus (ap. Plut. Per. c. 3): στάσις δὲ καὶ πρεσβυγενὴς Κρόνος ἀλλήλοισι μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον. — Val. Max. 8. 9 extr. 2: „Pericles — liberis Athenarum cervicibus iugum servitutis imposuit —. Quid enim inter Pisistratum et Periclem interfuit, nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit? —"

5) Ne hoc quidem verissime dictum est quod scribit Nepos (Milt. 8. 3): „omnes autem et dicuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est."

6) Diod. 11. 87. 1; 19. 1. 3.

7) Thuc. 8. 73.

Digitized by Google

ostracismum; et pro voce „suspicio tyrannidis" substituit vocabulum „metus", quo confirmatur interpretatio quam dedimus, nam metus pertinet ad res futuras, nondum factas, et ad homines qui etiam tum *innocentes* sunt. — Ostracismum ad nobiles solos et eos potentissimos pertinuisse, gravissima praeterea sunt testimonia; primum Demetrii Phalerei [1]): *οὐδενὶ γὰρ τῶν τενήτων, ἀλλὰ τοῖς ἐξ οἴκων μεγάλων καὶ δι' ὄγκον ἐπιφθόνων ἔστρακον ἐπιφέρεσθαι*; deinde notus ille Platonis Comici de Hyperbolo versus [2]):

οὐ γὰρ τοιούτων εἵνεκ' ὄστρακ' εὑρέθη. —

Apertum autem videtur, Clisthenem, siquidem ostracismum ad nobiles solos pertinere voluit, eidem illi rationi fidem habuisse, quam Aristotelis verbis supra exposui, tyrannidem institui non posse in democratia nisi per fraudem demagogi.

Huic doctrinae ut tantum tribueretur ab Atheniensibus, effecit memoria insidiarum Pisistrati.

Sed parum verisimile videri possit, Clisthenem tantum tribuisse *doctrinae*; quae hausta quidem est ex rebus vere factis, et ex experientia maiorum; sed tamen ex parvo rerum factarum numero [3]), et ex experientia brevi. Publicae autem res tam multiplices sunt, tot habent vicissitudines, tantum in eis pendet ex rebus fortuitis vel ignotis, ut eas vix in doctrinam aliquam vel doctrinarum seriem includere liceat. Quam facile fieri potest ut in doctrina etiam sagacissime inventa paucae res omissae sint, quae faciant, ut tota deficiat, et ut ipse rerum usus graviter disturbet spem eius qui ei confidat. Quam multae res exiguae et fortuitae casu quodam accedant et adiuvent necesse est, ut possit id ipsum quod nonnumquam aliquot civitates perdiderit, prorsus eodem modo in futuro tempore denuo accidere. Praeterea haec doctrina unum tantum tangit de periculorum et calamitatum ingenti copia, quae cuique civitati impendent et quae averruncanda deo relinqui debent. Parum credibile videtur, tantum tribuisse Atheniensis doctrinae alicui de malis demagogorum dolis, quae an numquam Athenis esset effectum editura valde dubitari posset, ut propter eam fecissent legem singula-

1) Apud Plut. Arist. 1.

2) Apud Plut. Alcib. 13.

3) Exempla rogationum fallacium quae attuli pag. 138 adn. 2, pleraque ad tempus Clisthene posterius pertinent.

Digitized by Google

rem, ut annua suffragia instituissent, ut bene hac lege saluti democratiae consuluisse sibi visi essent. Sic quis homo, cum audierit nonnumquam esse homines in via publica occisos cum tegula de proximo tecto forte vento deturbata in eos incidisset, deinde ita totam vitam moderatus ut ne umquam cum ventus fieret foras egredi sibi opus esset, putet se salvum esse neque subitae morti obnoxium? At nonne eiusmodi aliquid egissent Athenienses? — Verumenimvero minus sane mirabilis esset talis venti formido in homine, qui forte ipse aliquando tegula decidente ictus, male vulneratus vix mortem effugisset. Sic Athenienses quoque non doctrinae meditatione conformatae vel aliunde petitae tantum tribuerunt, sed ipsi experti quemadmodum demagogus posset abuti fide plebis et obsequio concilii, huic doctrinae *fidem* omnes habuerunt ex animi sententia et cum vehementi persuasione. Ita Athenis potuit accidere quod in alia civitate nullo modo fieri potuit, ut ostracismus excogitaretur et acciperetur non ad cavendum id quod ut caveretur moneret frigida doctrina, sed ad ipsum metum civibus semper praesentem deleniendum. Omnes calamitates quae democratiae accidere possent, imprimis omnis metus tyrannidis, ad unam speciem ultro ab Atheniensibus referebantur, nempe ad malos dolos et fallacias demagogorum. Quae quantum apud eos valere debuerint tempore Clisthenis, apparebit si contuleris quantum etiam apud eos valuerint post centum annos. Etiam tum una tantum democratiae clades ab eis cogitabatur: tyrannis Pisistratidarum; una tantum tyrannidis origo: dolus Pisistrateus. Ἐπιστάμενος γὰρ ὁ δῆμος, ait Thucydides, ἀκοῇ τὴν Πεισιστράτου τυραννίδα, ἐφοβεῖτο ἀεί [1]). Nihil est quod melius hanc sententiam illustret, quam ipse ostracismus. Doctrina non fuit causa metus, sed metus fuit causa doctrinae et instituti quod ea niteretur. Sic verissime Nepos ostendit quomodo animati fuerint Athenienses tempore Clisthenis: „namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante fuerat, omnium civium suo-

1) Thuc. 6. 53. 3 (ad ann. 415): ἐπιστάμενος γὰρ ὁ δῆμος ἀκοῇ τὴν Πεισιστράτου καὶ τῶν παίδων τυραννίδα χαλεπὴν τελευτῶσαν γενομένην καὶ προςέτι οὐδ' ὑφ' ἑαυτῶν καταλυθεῖσαν, ἀλλ' ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ἐφοβεῖτο ἀεὶ καὶ πάντα ὑπόπτως ἐλάμβανεν.

Digitized by Google

rum potentiam extimescebant" [1]). Huius metus, neque solum doctrinae frigidae, Clisthenes fuit quasi interpres, cum instituret ostracismum; huic metui obsecuti sunt Athenienses, cum legem eius acciperent. — — Verum fuitne hic metus vanus, qui paullo post a. 509 tenuit Athenienses? An vero haud temere metuerunt insidias inimicorum democratiae, tyrannorum artes, demagogorum fallacias? — Forte accidit ut memoria rerum a. 411 Athenis gestarum praebeat responsum ad hanc quaestionem non quidem plenum — nam fuit tum alia democratia, quam a. 509, et quae odia excitaret multo acerbiora et inimicos haberet multo plures; ab altera parte gentes nobilium tum fere extinctae erant, et qui tum novam democratiam respuebant erant homines bono quidem loco nati plerique, sed nequaquam praedivites; praeterea nemo tum fuit qui tyrannidem affectaret —; sed tamen ad unam quaestionis partem. Docet enim, numquam frustra nec temere ab eis qui democratiam colant, metui demagogorum fallaciam. Tum enim imperium plebis eversum est per rogationem fallacem; eam pertulit Pisander [2]) demagogus [3]); excogitaverat Antiphon [4]), qui fuit vir praetorius quidem [5]), verum non fuit demagogus [6]). —

§ 2. *A demagogis nobilibus, sive unus in civitate esset sive plures, nihil metui posse visum est Clistheni praeterquam ne plebem fraude deciperent.*

Manifestum est, fieri non potuisse ut nobiles tam potentes ut plebis fide abuti possent, permulti eodem tempore in civitate essent. Iam ipsa natura demagogiae prohibet, quin multi simul sint demagogi. Ad summum fastigium huius auctoritatis tantum pervenisse dici potest, qui solus eam teneat. Hoc si accidit, ut unus sit qui regat concilium populi, cui aut inviti cedant aut

1) Nepos Miltiad. 8. 1.
2) Vid. supr. p. 138 adn. 2.
3) Lys. 25. 9; Xen. Symp. 2. 14: Πείσανδρον τὸν δημηγόρον.
4) Thuc. 8. 68. 1: ὁ μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς ὅτῳ τρόπῳ κατέστη ἐς τοῦτο καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς Ἀντιφῶν ἦν.
5) (Plut. Mor. p. 833) Orat. Vit. 1. 9.
6) Thuc. 8. 68. 1.

Digitized by Google

gratia et auctoritate victi suffragentur reliqui nobiles, tum maxime valet illud quod Aristoteles docet, fieri potuisse ut tyrannis oreretur [1]); sed etiam cum plures sint id fieri posse, idem Aristoteles auctor est [2]). Et saepius accidit, ut plures simul essent demagogi nobiles.

Neque tamen, etiamsi plures simul sunt, quidquam aliud est quod a demagogo metuere possit populus, praeter fraudem et dolum. Ipsum discidium demagogorum et factionum nobilium, quamvis acres earum sint contentiones, nullum periculum affert libertati, quia bella civilia ex eis nulla oriuntur. — Quodsi vero aliquis contra me arguat, id ipsum planissime refelli rebus quas ante Clisthenem Athenis evenisse noverimus, iam coactus sum (quia nunc longius repetere res Athenienses antiquas non licet) brevi ad testimonium Aristotelis provocare.

Status rerum enim qui fuit ante Clisthenem, is est in quo doceat Aristoteles, duobus bellorum civilium (*στάσεων*) generibus locum esse, quorum alterum genus contineat bella nobilium et factionum inter se aemulantium, alterum seditiones plebis legibus non contentae [3]). Nam forma reipublicae a Solone instituta non quidem fuit oligarchia; sed cum parum valeret concilium populi, quod a senatu totum penderet, et cum senatorum creatio, phyletis quatuor antiquarum phylarum commissa, minime libera esset [4]), imperium (*τὸ κράτος*) quod

Democratia nondum constituta, oriri possunt cum bella civilia inter nobiles, quibus varie operam praestent plebei, tum seditiones plebis.

1) Vid. supr. p. 137 adn. 4.

2) Supr. p. 138 adn. 1 (*ἢ εἷς ἢ πλείους*).

3) Aristot. Polit. 5. 1. p. 1302a: *ὅμως δὲ ἀσφαλεστέρα καὶ ἀστασιαστος μᾶλλον ἡ δημοκρατία τῆς ὀλιγαρχίας. Ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἐγγίγνονται δύο, ἥ τε πρὸς ἀλλήλους στάσις καὶ ἔτι ἡ πρὸς τὸν δῆμον, ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις ἡ πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν μόνον· αὐτῷ δὲ πρὸς αὑτόν, ὅτι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, οὐκ ἐγγίγνεται τῷ δήμῳ στάσις.*

4) Senatores centenos phyletas creatos esse non solum ex phylis, sed etiam ab ipsis phyletis neque ab universo populo, quamquam memoriae traditum non est, tamen rei natura satis probare videtur. Nam senatores phyletae centeni, si ab universo populo creati essent, nequaquam suam phylen repraesentare eiusque commoda et voluntates persecuturi esse dici possent, sed repraesentavissent universum populum; at quid ita attinebat, eligendi libertatem temere circumscribere, et difficultatem populo obicere in conquirendis et eligendis eis qui ipsius commoda recte essent persecuturi. Hoc si voluisset, etiam electionem liberam reliquisset. Sed id ipsum voluisse Solonem apertum esse videtur, senatum non repraesentaturum esse universum populum (i. e. maiorem partem), sed partes populi diversas.

Digitized by Google

specie magis quam revera plebi dederat Solon, non sufficiebat ad superandam potentiam nobilium, et adhaerebant illi Solonis „democratiae" multa mala quae ad oligarchiam proprie pertinent. Etiam post regnum Pisistratidarum, quasi democratia nulla esset, in impotenti aemulatione perseverabant nobiles, factiones se constituere pergebant [1]); ordines plebis duo opulentiores, agricolae (γεώμοροι, ἄποικοι) qui in regione Pediaea inprimis habitabant, et ordo mercatorum et opificum (δημιουργῶν) quorum multitudo in Paralia praeponderabat, pro his factionibus nobilium varie optabant, ut iam diu facere solebant; sed infima plebs cuius longe maior erat multitudo, quae per omnes regiones sparsa in illis duabus regionibus contra ditiores eniti non poterat, cuius ira adversus divites in tertia solum regione, Diacria, nullo opulentioris ordinis plebei pondere oppressa neque compensata, libere sed frustra grassabatur, segniter horum certaminum participem se faciebat, et novam libertatem circumspiciebat. Plebs tum nondum in unum composita erat, neque ipsa erat pars politica. Itaque se allici patiebatur a nobilibus ut pro horum commodis certaret, quoniam duce carebat [2]) qui ipsius plebis vera commoda suscipiens, aut ad seditionem aut ad novas leges se vocaret.

Ita facile fieri potuit, et factum est, ut princeps alterius factionis, si fortuna adversa usus non diu sustentare posset factionis adversariae potentiam increscentem, ad novum consilium

---

1) Herod. 5. 66: (Athenis post tyrannos pulsos) δύο ἄνδρες ἐδυνάστευον. — οὗτοι οἱ ἄνδρες ἐστασίασαν περὶ δυνάμιος. — 5. 70: οἱ Ἀλκμαιωνίδαι καὶ οἱ συστασιῶται αὐτῶν. — 5. 72: τριηκοσίοισι δὲ τοῖσι Ἰσαγόρεω στασιώτῃσι.

2) Herod. 5. 69 tradit Clisthenem initio a suscipiendis commodis plebis longe alienum fuisse. Cum viro d. Stein legendum mihi videtur: ὡς γὰρ τὸν Ἀθηναίων δῆμον πρότερον ἀπωσμένον, τότε πάντα πρὸς τὴν ἑωυτοῦ μοῖραν προςεθήκατο. — Busolt (Lakedaimonier p. 310) tuetur lectionem traditam: τότε πάντων, quam corrigit, ut videtur, inserendo vocem μεταδιδούς; sententia fere eadem manet. — Grote (H. of Gr. ed. London 1869) 4 p. 55 et qui cum in aliis multis rebus tum in hac re ab eo pendet Duncker (6. p. 563) optaverunt lectionem: δῆμον πρότερον ἀπωσμένον πάντων, τότε πρὸς τὴν κ. τ. λ. — Sed operam perdiderunt si crediderunt, ita evitari posse quod parum sibi placeret, Clisthenem antea a commodis plebis alienum fuisse: id enim ipsum iam satis inest in vocibus: τότε πρὸς τὴν ἑωυτοῦ μοῖραν προςεθήκατο τὸν δῆμον. Ab altera parte novam sententiam in narrationem Herodoti intulerunt, quae parum apta esse videatur; quomodo enim plebs tum „omnibus rebus quas antea habuisset privata fuisse" dici potest?

Digitized by Google

subito se conferens, in suas partes vocaret plebem, et novae partis, democraticae, princeps factus, huius vires adhiberet ad profligandam aemulorum ambitionem. Sed ea res magnae erat molis et multae consilii constantiae. Nam non sufficiebant usitatae nobilibus blanditiae; ut adversae factioni subito subtraheretur plebis et clientium ipsius omnis favor, ut magnas vires suas dispersas adhuc et abditas tota plebs sponte offerret novo duci, huic omittenda erant propria commoda, plebis commoda ex animi sententia suscipienda, imperium non suae factionis sed ipsius plebis constituendum. Hoc plene fecit Clisthenes [1]); neque adversata est Areopagitarum, civium ditiorum et ipsorum nobilium potentissimorum, maior pars, sive quod in Areopago etiam superior erat factio Alcmaeonidarum, sive quod absterreretur metu plebis, cuius ingens seditio futura esset si prohiberetur nova spe. Ita plenam victoriam reportaverunt consilia Clisthenis; plebs, in unum subito composita, iam non facta est nova quaedam pars politica et factio, sed ipsum factum est reipublicae caput et dominus; factiones nobilium, a clientibus et plebe subito desertae, post brevem et irritam luctationem se victas esse confiteri debuerunt, constituta est nova democratia [2]).

Hic est novus rerum status in quo unum tantum bellorum civilium genus locum habere statuit Aristoteles. Ὅμως δέ, ait, ἀσφαλεστέρα καὶ ἀστασίαστος μᾶλλον ἡ δημοκρατία τῆς ὀλιγαρχίας. Novus dominus civitatis, ipsa plebs, (nam civitas administratur per libera suffragia populi, in quo plebs numero longe maior est), quandoquidem una est et communia persequitur commoda, ut discordiis intestinis laceretur quae ad seditionem et bella civilia adducere possint, sine novis et singularibus causis fieri non potest; αὐτῷ δὲ πρὸς αὐτόν, ὅτι καὶ ἄξιον

Democratia constituta, nobilium quidem seditiones oriri possunt, sed nulla bella civilia inter nobiles.

1) Herod. 5. 66: ἐσσούμενος ὁ Κλεισθένης τὸν δῆμον προσεταιρίζεται. — 5. 69: τὸν δῆμον — πρὸς τὴν ἑωυτοῦ μοῖραν προσεθήκατο — ἦν τε τὸν δῆμον προσθέμενος πολλῷ κατύπερθε τῶν ἀντιστασιωτέων.

2) Herod. 6. 131: ὁ τὰς φυλὰς καὶ τὴν δημοκρατίην Ἀθηναίοισι καταστήσας Κλεισθένης. Cfr. Herod. 5. 78. — Isocr. 7 (Areopag.) § 16; Isocr. 15 (de permutat.) § 232 et § 306; Isocr. 16 (de bigis) § 26 sq.

Digitized by Google

εἰπεῖν, οὐκ ἐγγίγνεται τῷ δήμῳ στάσις [1]). Deinde ipsi nobiles privata bella inter se gerere nunc prorsus prohibiti sunt. Primum enim, cum omnes subiecti essent imperio populari, quid boni eiusmodi bellis erant assecuturi? Quomodo inter se armis erant certaturi de summa aliqua potestate, quae iam a nullo eorum attingi posset, quia iamdudum occupata esset a novo domino, plebe? Deinde, cum plebs libera facta per se staret, cum clientes nulli possent permoveri auctoritate et beneficiis ut litium privatarum participes fierent, unde petendae eis erant armatorum copiae? nisi forte ipsi cum paucis servis armatis in aciem descendere vellent. Denique quomodo bella privata nobilium tolerari potuissent a populo, qui novi et longe praestantis roboris compos factus, per exercitum civilem, per magistratus, per iudicia, facile opprimere et punire posset audaciam nobilium, si qui ob privatas iras civitatem turbare conarentur. Has ob causas τὴν πρὸς ἀλλήλους στάσιν nobilium in oligarchia sola ponit Aristoteles, in democratia ne memorat quidem [2]). Quae sola in democratiam cadit, est seditio universorum nobilium, et bellum populo contra eam gerendum, ἡ πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν στάσις; fieri potest ut tota nobilitas, cum novum rerum statum diutius non ferat, neque desiderio dominationis amissae stimulata quiescere possit, ad hanc recuperandam et democratiam evertendam exurgat [3]). Sed eiusmodi eventus (quem ex. gr. Megaris fere a. 515 accidisse supra memoravi [4]) quo melius ordinata est democratia, quo firmiores sunt leges, quo diligentius cautum est ut potentia sua adversus nobiles ne abuti possit plebs, eo minus metuatur necesse est. Et modice victoria sua usam esse plebem Atheniensem duce Clisthene notum est. Nulla saevitia plebs in nobiles grassata est. Bona nulla publicata, exules non temere facti, iudicia non per avaritiam corrupta. Quin etiam

Democratia Atheniensis ad seditionem non cogit nobiles.

1) Regula generalis, plebem unam esse neque in se recipere bella civilia, exceptiones admittit quae singularibus causis nituntur. De exceptionibus huius regulae et de earum causis diligenter egit Aristoteles; nos eas postea etiam tangemus.

2) Supr. p. 144 adn. 3.

3) Idem dicit Aristot. Polit. 5. 8. p. 1308b: ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις οἱ γνώριμοι (στασιάζουσι) ὅτι μετέχουσι τῶν ἴσων οὐκ ἴσοι ὄντες.

4) Supr. p. 131 adn. 1.

Digitized by Google

nobilibus relicta est auctoritas aliqua quae sufficeret ad impotentes iras prohibendas, et Areopagus qui aliquamdiu etiam mansit nobilium et ditiorum civium consessus, custodiam legum et ipsius democratiae retinuit. Revera, quod solum belli intestini genus etiam impenderet ut Athenis omnino ortum non sit, effecit temperantia et prudentia qua introducta et constituta est nova reipublicae forma; fuerunt fortasse qui singuli moleste tulerint democratiam [1]), universi nobiles eam acceperunt. Coaluit civitas; iura et potestas populi ab utroque ordine sunt agnita et comprobata; pax stabilita est.

Huius novae pacis autem et ordinum concordiae certissimum documentum ibi adest, ubi aemulatio et excellendi cupido, omnibus nobilibus (vel certe optimo cuique) natura insita, novam sibi aperire potuit viam, ab antiquis moribus prorsus diversam, qua salvis pace, legibus, democratia, tute ingredi et libere exultare possit. Hoc est salutis reipublicae quasi certissimum aliquod pignus, quo vix aliud firmius cogitare possis; nobilium aemulationes si per leges eis copia facta est incedendi via legitima (modo ne nimis arti sint circumscripti fines, neve aditus ad commune curriculum interdictus sit hominibus novis) aeque magnae saluti sunt civitatibus, ac detrimento et perniciei esse solent cum hac libertate careant. Illud sensit Roma, quae quantum creverit per liberam nobilium et hominum novorum aemulationem, h. l. monere nostrum non est. Neque sane Athenis defuit ea libertas — priore saltem quinti saeculi parte. — — Primam autem aemulationem et maxime vulgatam, quae est in re familiari promovenda, in augendo clientium numero, mox consequitur, in democratia bene ordinata, secunda iam ad pauciores pertinens, quae versatur circa petitionem magistratuum; tertia vero asperrima est et maxime ad accendendos animos apta; ea agitur de concilio populi (si fieri potest etiam de senatu) regendo et de auctoritate publica in democratia comparanda. Iam eam quam secundo loco posui, pauci tantum sunt qui sine aliorum ope suis ipsorum viribus unice nisi, gerere possint; plerique qui non sint tam magnis

sed liberam eis concessit aemulationem, partim in petitione honorum, partim in comparanda auctoritate publica.

1) Cfr. supr. p. 136 adn. 2.

Digitized by Google

Ad petendos honores nobiles coire solent;

auxiliis a fortuna praediti sive divitiarum et natalium splendoris sive ingenii ut soli eniti possint, ad id se conferre solent quod ipsa rei natura suadeat, scilicet ut commodis suis consociatis et opibus ita duplicatis vicissim operam sibi praestandam spondeant; *coitiones* ineuntur et coniurationes ad capessendos honores, quibus quo quis debilior est vel ex paullo inferiore loco surgens maiores difficultates habet, eo diligentius utitur [1]). — Circa eos autem, qui rebus praeclare gestis fidem populi nacti sunt, *factiones* consistere solent, quae sunt consociationes amicorum privatae,

circa demagogos amicorum factiones solent oriri.

sive nobilium sive etiam humiliorum; quibus propositum est ut, adiuvando et fulciendo potentiam primarii viri, modestiores certe aliquot fructus auctoritatis ipsi ex ea percipiant [2]); nisi forte demagogus aliquis a tali auxilio alienus, per se stare et liberum se servare in republica gerenda maluerit, sicut fecit Aristides [3]). — Fieri potest ut unus vincat, potest vero etiam ut plures sint qui aequis fere opibus instructi summum locum aequaliter ambiant; ab temporibus et fortuna hoc pendet, et ex numero virorum excellentium qui forte quoque tempore simul in civitate sint. Neque necesse est, si plures sunt factiones, ut perpetua sit inter eas litigatio. Noti sunt demagogi, qui non solum multa inter se pace, sed etiam mutuo assensu et auxilio usi sint [4]). Verum

Inter factiones sive demagogos facile oriuntur contentiones.

accidit etiam, si forte duo vel plures essent demagogi, ut acriter contenderent, et ex levissimis etiam causis novas semper discordias necterent,

1) Cfr. Plut. Aristid. c. 2: Ἀριστείδης δὲ Κλεισθένους ἑταῖρος γενόμενος. — Thuc. 8. 54. 4: ξυνωμοσίαι — ἐπὶ τῶν ἀρχῶν. — Cfr. Liv. 7. 32. 12: „non per coitiones, usitatas nobilibus, sed hac dextra mihi tres consulatus — peperi." — Liv. 9. 26. 9: „et coitiones honorum adipiscendorum causa factas adversus rempublicam esse"; ibid. § 11: „universi simul negare nobilium id crimen esse, — sed hominum novorum". — Coitiones, si nulla accedit largitio, per se vix est cur reprehendas. Romae cum floreret libera respublica, viri patricii cum plebeis coire solebant ad omnes honores una petendos praeter tribunatum plebis. Cfr. Plut. Cat. mai. c. 8.

2) Plut. Arist. c. 2: ὁ μὲν οὖν Θεμιστοκλῆς, εἰς ἑταιρείαν ἐμβαλὼν ἑαυτόν, εἶχε πρόβλημα καὶ δύναμιν οὐκ εὐκαταφρόνητον. Cfr quoque supr. p. 137. adn. 2.

3) Plut. Aristid. c. 2. s. f.: Ἀριστείδης δὲ καθ' ἑαυτὸν ὥσπερ ὁδὸν ἰδίαν ἐβάδιζε διὰ τῆς πολιτείας, πρῶτον μὲν οὐ βουλόμενος συναδικεῖν τοῖς ἑταίροις ἢ λυπηρὸς εἶναι μὴ χαριζόμενος, ἔπειτα τὴν ἀπὸ τῶν φίλων δύναμιν οὐκ ὀλίγους ἰδὼν ἑταίρους ἀδικεῖν ἐφυλάττετο.

4) Sic Ephialtes (demagogus Diod. 11. 77. 6) et Pericles; et multi alii.

Digitized by Google

quin etiam ut tanta esset utriusque cupiditas, ut accipi aliquid a populo vix toleraret alter, quod alter rogasset, ut nihil probaret alter quod ab altero fieret. Multum ad has discordias publicas nutriendas valet inimicitia et invidia demagogorum privata quae accedat, nonnumquam iam a pueritia suscepta; plurimum inprimis valent differentiae quaedam naturales, si alter ab humiliore loco fortasse surgens offenditur fastu adversarii aristocratico, alter contemnit inimici sui levitatem et mores dissolutos; haec omnia discidio illi Aristidis et Themistoclis subfuisse notum est [1]). — Verum hae factionum et demagogorum contentiones quae in democratiis haud rarae sunt, quamvis sint asperae, iam habent naturam multo mitiorem et placidiorem quam antiqua illa discidia violenta et saepe cruenta quae fiebant inter nobiles cum nondum satis constituta esset necdum coaluisset respublica. Nam summus nunc adest iudex aliquis in civitate, populus scilicet, cuius favorem non armis et minis, non seditione nec vi, sed blanditiis et fide conciliare oportet; neque hoc agitur a singulis factionibus ut per violentiam adversarii pellantur, sed ut acquiratur suffragiorum populi maioris partis assensus. Etiamsi ita forte aliquando odio et invidia denuo exardescunt animi nobilium, ut factio aliqua alteram factionem in republica adesse iam tolerare nequeat, neque alio exitu satiari possint odia quam adversariorum interitu, tamen etiam sic victoriam suam et adversarii interitum non ab armis et bello expectabit nobilis praepotens, sed a legibus et a suffragiis legitimis, sive populi et concilii, sive iudicum [2]). Populus ipse non est pugnae particeps, sed est summus pugnae *iudex*, et tamquam certaminis praefectus (ἀθλοθέτης) dat vel abnuit victoriam ei cui dare vel abnuere sibi placeat. Libertas popularis et salus democratiae omnino nullum periculum capit ex his contentionibus. Quid enim tandem vel quale periculum ex his iurgiis nobilium oriri posset, quod obstaret imperio populi, quandoquidem nobiles

Harum contentionum iudex est populus.

1) Plut. Arist. c. 2; Them. c. 8.

2) Sic Miltiadem Xanthippus proculcavit non acie neque bello, sed accusatione legitima et suffragiis condemnantibus, Herod. 6. 136 (cfr. 6. 104). — Alia eiusmodi Plut. Arist. c. 4 (Themistocles defert Aristidis nomen de furto publico); id. Arist. c. 25 et alibi.

Digitized by Google

intra legum et iuris publici terminos se continere coacti sunt? Nonne qui inter se pugnant, ideo pugnant ut accipiant a populo aliquid quod sibi optatum sit? Nonne igitur tum ipsum, cum acerrime pugnant, maxime et plenissime se subiciunt imperio populari? Is autem qui totum se subicit imperio et arbitrio populi, qui omnia facit ut persuadeat, ut placeat, ut suffragia optata eliciat, quomodo is dici possit obesse vel periculum minari libertati et potestati populi? Si persuadere non potuit maiori parti, et adversario cedere cogitur, summum iudicium ea ipsa re apud populum esse apparuit; sin vero persuasit et vicit, etiam sic summa potestas est apud plebem, quae libere optat. Utracumque sententia vicit, ea sententia est *voluntas populi*. Is autem qui sententiam suam perferre nequit, iam in ea re acquiescere debet, nam si perseveraret, non contra adversarium feliciorem, sed contra populum pugnandum ei esset.

Ex his contentionibus bella civila oriri posse, frustra coniecit Grote.

Sed magnum periculum esse visum est viro d. Grote, ne demagogus qui adversario cedere per suffragia populi coactus sit, ad vim et arma se conferat; et tam evidens hoc esse credidit, ut Clisthenem quoque hanc doctrinam in ostracismo secutum esse statueret; rationem ostracismi hanc fere esse coniecit: Ex contentionibus nobilium oriri bella privata nobilium, ex bellis privatis oriri tyrannidem victoris, itaque ostracismum esse institutum ut tempore tolleret demagogorum lites antequam ad arma ventum esset [1]). Verum nos doctrinam Aristotelis exposuimus, in democratia non posse oriri bella privata nobilium; causas cur ea probabilis videatur doctrina, addidimus. Grote eam neglixit, et aliam doctrinam contrariam constituit, quam doctrinam etiam Clisthenem secutum esse statuit. At quid secutus sit Clisthenes, alio loco demonstravimus ex auctoritate scriptorum; hoc loco animadvertere volui, etiam doctrinam quam de suo Clistheni supponere conatus sit Grote, non solum testimoniis gravissimis

1) Grote H. of Gr. (ed. London 1869) 4. p. 80 sq.: „Moreover, when any two candidates for power, with such reckless dispositions, came into a bitter personal rivalry, the motives to each of them, arising as well out of fear as out of ambition, to put down his opponent at any cost to the constitution, might well become irresistible, unless some impartial and discerning interference could arrest the strife in time."

Digitized by Google

repugnare, sed etiam per se manifestam et evidentem non esse, et totam ex divinatione aliqua viri d. ortam esse.

Sed confitendum est, illam demagogorum aemulationem habere aliquid, quod *aliam ob causam* facile displiceat homini severo et constanti, et quod saluti civitatis parum utile esse videri possit, non quia per eam potestas populi in discrimen ducatur, sed quia efficiatur ut non optime consulatur veris populi commodis. Demagogi nihil possunt sine suffragiis populi, sine favore et persuasione; hoc summum praemium propositum eis est, nec quidquam potius uterque habet quam ut alterum favore superet; facile autem fieri potest ut demagogi, nimis huic rei tribuentes, consilia sua publica (*τὰ πολιτεύματα*) ad eam normam solam dirigere, et minus quid verum et utile sibi videatur exquirere quam quo adversario nocere possint apud populum, persequi incipiant. Hanc ob causam aliquando illud dictum Aristidi excidit, cum acerrima ei esset et perpetua et ad omnes res publicas permanans cum Themistocle contentio: *ὡς οὐκ ἔστι σωτηρία τοῖς Ἀθηναίων πράγμασιν, εἰ μὴ καὶ Θεμιστοκλέα καὶ αὐτὸν εἰς τὸ βάραθρον ἐμβάλοιεν* [1]); significabat enim cum se tum Themistoclem, quamvis uterque bene fortasse reipublicae praeesse et saluti civium satis consulere potuisset si liber fuisset ad persequendum quod ipsi optimum ex animi sententia videretur, utrumque nunc aemulatione impotenti corruptum esse, et studio perferendi aliquid et evincendi ad mala neque sibi ipsi valde probata consilia suadenda perduci solere, quod fieri non posset sine magno patriae detrimento [2]). Sed manifestum est de hac re varie posse sentiri et iudicari. Nam si quis ita arguat, volun-

Magis in promptu est vereri, ne demagogi aemulatione occaecati neglegant quod patriae vere conducat,

1) Plut. Arist. c. 3.

2) Hoc dictum Aristidis Grote primus (4. p. 80 sq.) ita interpretatus est, quasi significaret, *potestati populari* magnum periculum afferri ex Aristidis et Themistoclis contentione; itaque eo usus est argumento ad confirmandam doctrinam a se fictam, quam modo tetigi, de privatis nobilium bellis. — Certe hoc dictum aliquam exilem argumenti speciem praebere posset, nisi dilucida esset vera interpretatio ex eis, quae praemisit Plutarchus: *τέλος δέ ποτε τοῦ Θεμιστοκλέους πράττοντός τι τῶν δεόντων ἀντικρούσας καὶ περιγενόμενος οὐ κατέσχεν, ἀλλ' εἶπεν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἀπιών, ὡς κ. τ. λ.* — Themistocles igitur aliquid quod necessarium erat ad populum tulerat; Aristides partium studio ductus ei obstiterat et evicerat; deinde ipse malam suam victoriam aegre ferens, exclamat se corruptum esse studio et aemulatione, et patriae se oneri esse. Haec omisit Grote.

Digitized by Google

tatem populi per se esse caecam, eamque totam pendere ex ductu et instigatione demagogorum, ita ut mala sit si mali sint ductores, bona si boni, tum Aristidi facile concedet aemulationem magnum esse malum quia per eam non habeat populus quod tute sequatur, et anceps haereat. Sin vero quis putet populo nihil magis opus esse quam ut res propositae ab omnibus partibus illustrentur earumque occulta vis clare patefiat, deinde populum modo rem bene cognoverit ipsum satis valere ad dispiciendum quid saluti patriae expediat, ad reiciendum quod noceat, non credet magnum periculum civitati afferri ex demagogorum contentione, quin etiam eam saluberrimam esse et utilem. Athenis autem haec sententia quam secundo loco posui maxime praevaluit [1]). — Praeterea facile etiam hanc ob causam demagogorum aemulationem civitati periculosam esse aliquis arguere possit, quod semper parati sint homines ambitiosi, modo vincantur competitores et ipsi superent, id impenso studio persequi quod gratum sit plebi (*καθ' ἡδονὴν πολιτεύεσθαι*); et addere possit aliquis, nihil magis detrimento, quin etiam perniciei, fuisse sibi videri reipublicae Atheniensi quam demagogorum quorumdam cupiditatem, qui ut soli dominarentur in populo, malis consiliis corruperint plebem. — Sed de his omnibus in varias sententias disputari potest; qui putet, voluntatem populi per se esse bonam et summae semper legi esse debere, illis argumentis non assentietur; utram autem de ea re sententiam tenuerint cives Athenienses, dubium sane non est. Nescimus quid senserit Clisthenes. Sed hoc omnium maxime constat, etiamsi putavisset gravissimum ex aemulatione demagogorum a republica posse capi detrimentum, id omnino apud eum non valuisse cum institueret ostracismum. Ostracismus enim ad eam rem curandam non sufficit. Ostracismus enim regitur *voluntate populi*.

Sive etiam, ne nimis indulgeant studio, favoris eorum captandi.

Sed ad ostracismum haec omnia pertinere non possunt.

1) Plutarch. de aud. poetis (Mor. 1. p. 20 C.): *ὁ μὲν οὖν Μελάνθιος εἴτε παίζων εἴτε σπουδάζων ἔλεγε, διασώζεσθαι τὴν Ἀθηναίων πόλιν ὑπὸ τῆς τῶν ῥητόρων ἰσχυστασίας καὶ ταραχῆς· οὐ γὰρ ἀποκλίνειν ἅπαντας εἰς τὸν αὐτὸν τοῖχον, ἀλλὰ γίνεσθαί τινα τοῦ βλάπτοντος ἀνθολκὴν ἐν τῇ διαφορᾷ τῶν πολιτευομένων.* — Cfr. Aesch. Tim. § 2: *καὶ ὡς ἔοικεν, ὦ Ἀθηναῖοι, οἱ εἰωθότες λόγοι λέγεσθαι ἐπὶ τοῖς δημοσίοις ἀγῶσιν οὐκ εἰσὶ ψευδεῖς· αἱ γὰρ ἴδιαι ἔχθραι πολλὰ πάνυ τῶν κοινῶν ἐπανορθοῦσι.*

Digitized by Google

Quae demagogorum aemulationem toleret et nutriat est eadem *voluntas populi*. Itaque alter adhiberi non potest ad alteram corrigendam sive tollendam. Praeterea, demagogus qui vicit, nihil aliud fecit quam consilium dare, suadere. Quomodo eum relegaturus est populus ob consilium quod dederit, siquidem eius consilium a populo probatum et eius voluntati populi voluntas similis facta est? Alter autem demagogus, qui non vicit, non potuit persuadere populo; eum sane cives relegaturi non sunt propter consilium quod iam in concilio irritum esse apparuerit.

Verum superest etiam quod nondum tetigerim. Sunt enim in populo varia hominum genera et status, sunt ditiores, sunt pauperes; sunt alii agricolae alii mercatores, alii artifices, et si quid aliud his addere libet. Fieri potest ut horum omnium voluntates et commoda differant, quin etiam ut contraria sint. Atqui licet quidem semper loqui de *voluntate populi* quae una sit, quandoquidem semper in omnibus suffragiis est maior pars vincens, cuius voluntas est voluntas populi. Sed tamen fieri potest ut divisiones illae quas dixi, inprimis ea quae est inter pauperiores cives et ditiores, ita crescant et tam late permanent, ut oriantur in populo *partes politicae*; ut utraque pars, cum illa quam „democraticam" dicam (quae inferioris plebis commoda se tueri prae se ferat), tum altera „aristocratica" (ut graecis verbis utar) alteram vincere studeat et sibi contingere cupiat ut sua voluntas fiat voluntas populi i. e. maioris partis. Tum vero utrique parti opus est demagogo suo, qui commoda partis commendet et comprobet civibus, qui auctoritate sua quam rebus bello egregie gestis nactus est, et eloquentia sua, utatur ad perferendas rogationes parti utiles et optatas, qui quod revera uni parti maxime conducat ita civibus proponat et probabile faciat, ut toti populo et ipsi patriae potissimum hoc utile esse aut appareat aut utile saltem videatur. — Ab altera parte vero, si forte simul sunt demagogi aemulantes, facile fieri poterit ut hi in has varias partes discedentes, partium studio inservire parati sint; quin etiam saepius hoc accidat, et omnes demagogi (siquidem forte accidit ut plures simul adsint) alii „aristocratici" alii „democratici" fiant necesse videtur. Hoc autem si factum erit, ut demagogi aemulantes ad partes politicas contrarias se

In populo si adsunt partes politicae, demagogi si duo vel plures adsunt, in has partes discedunt.

Digitized by Google

contulerint, iam prorsus mutabitur natura eorum discidii. Factiones, quae antea de *personarum* tantum dignitate et potentia contendebant, nunc prae se ferent consilia *politica* diversa. Aemulationi nobilium quae habebat causas privatas antea, nunc substituitur vel additur diversitas consiliorum, quae habet speciem multo magnificentiorem — nam licet id quod longis iurgiis revera subsit, etiam sic idem esse facile credi possit quod antea, scilicet singulorum cupiditas et ambitio privata, tamen id magis occultum nunc est et speciosis argumentis fere involutum; et, quod plurimum valet, uterque demagogus nunc nititur parte aliqua populi, quae tamquam patronum et propugnatorem se colat, et a qua nihil fere non possit impetrare. — Atqui, si ita demagogi inciderint in gravem et vehementem contentionem, nonne haec contentio revera ab ipsis civibus geretur? Cum ipsorum forte adeo ira exardescunt animi demagogorum, ut libenter, si fieri possit, ad arma provocent ipsi et praelio disceptent, nonne hoc certum signum est quod ostendat aeque exarsisse civium animos, et cives quoque odio et furore impotenti flagrare, et mox futurum esse ut arma proferantur et discordiae civiles cruentae existant? — At ita, siquidem hoc verum est, inviti rursus pervenisse videmur ad illa bella intestina quae supra ex discidio demagogorum oriri posse negaverim; ita confitendum esse videtur, bella *civilia* ex contentione demagogorum oriri posse, neque id solum, sed etiam facillime ab eis ad tyrannidem delabi posse civitatem; quis enim demagogum vincentem, elatum ingenti favore partis populi quam ad victoriam duxerit, ab hoc rerum gestarum praemio arcebit?

Ex discordiis civilibus oriri posse tyrannidem, coniecit Duncker: quod ne fieret, institutum esse ostracismum.

Haec autem, sive huiusmodi, est doctrina quam ostracismi rationi subfuisse docet Duncker [1]), quam coniunxit cum sententia viri d. Grote. Duncker quoque hanc suam doctrinam tam

1) Duncker 6. p. 603—609; 7. p. 180; Neue Folge 1. p. 116 (2 p. 185): „Als — der Rath die Frage an die Gemeindeversammlung richtete, ob Grund vorhanden sei, Abstimmung mit den Scherben eintreten zu lassen, d. h. ob ein dem Geordneten Gange des Staatslebens gefährlicher Parteikampf zu fürchten stehe, mit anderen Worten, ob dem obwaltenden Streite durch Entfernung eines der mit einander ringenden Parteiführer ein Ziel zu setzen sei, wurde diese Frage bejaht."

Digitized by Google

evidentem esse putavit, ut satis haberet vividis coloribus depingere periculum quod libertati afferret partium discordia, et imprimere animis lectorum, aliis argumentis nullis additis; quin etiam tam evidens hoc periculum esse ei visum est, ut non dubitet quin id ipsum ad ostracismum instituendum perduxerit Clisthenem. — Quamquam ego libenter crediderim, vix futurum fuisse ut tam manifestum hoc periculum videretur viro d. Duncker, nisi explicanda fuisset ostracismi ratio sane difficilior, et si aliam ostracismi interpretationem invenire potuisset quae magis placeret et quae rebus memoriae traditis adoptari posse visa esset. Verum necesse est ut brevi eas rationes afferam, quae sufficere mihi videantur ad diluendam — non quidem ipsam sententiam de ratione ostracismi, eam enim alibi potius ex scriptorum auctoritate refutabo, sed — hanc doctrinam quam de bellis civilibus ex aemulatione demagogorum orituris teneat Duncker.

Sed bella civilia ne oriantur, ita demum metuendum est, si minor pars populi opprimitur ab altera parte.

Ac primum quidem hoc pernego, vehementiae qua certent demagogi in concilio aequalem esse concitationem quae teneat animos civium. Immo multum abest. Qua ex re pendet, quaeso, ira quae de rebus publicis in cives possit incidere? Pendet certe ex gravitate commodorum de quibus agatur; ex necessitate rerum et decretorum quae flagitentur; ex inopia et molestia qua prematur pars populi cum nondum satis sibi publice consultum sit, cum nondum decretum sit quod sibi expediat. Sic gravissimas iras suscepit plebs Romana ex agris nondum assignatis, ex iure nexi nondum sublato, ex aliis eiusmodi [1]). — Num. ex eadem re pendet vehementia qua certent demagogi? Parum sane gnarus sit rerum quae in nostris quae dicuntur „conciliis repraesentatorum populi" aguntur, qui affirmet. Sed ut hoc mittam; demagogis certantibus praemia quaedam victoriae proposita sunt longe aliena a salute patriae vel partis politicae, scilicet ambitio satiata, auctoritas publica confirmata, potentia aucta; addenda videtur, mens officio peracto quieta; haec omnia ad summam virium contentionem demago-

1) Cfr. Aristot. Polit. 5. 4. p. 1303*b*: *γίγνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν, ἀλλ' ἐκ μικρῶν, στασιάζουσι δὲ περὶ μεγάλων.*

Digitized by Google

gos stimulant et pungunt, quibus stimulis prorsus carent ipsi cives. Num credis, cum de rebus futilibus [1]) certarent Aristides et Themistocles, eas res tanti visas esse civibus, ut de eis armis decertare voluissent? Absurdius est quam ut cogitari possit. Si quando demagogi acri certamine dissident, fieri potest quidem ut verum ipsius populi discidium, commoda contraria, odium civile, huic certamini subsint; potest vero etiam, ut magna sit in populo concordia. Certatio demagogorum nequaquam certum est signum discordiae in populo. Dissensiones politicae in populo non creantur a demagogis contendentibus, sed nituntur causis naturalibus [2]). Nolim quidem negare, a demagogis posse aliquatenus animos civium in concilio populi concitari etiamsi non agatur de gravissimis et contrariis commodis duarum partium; sed quis non videt, quantum spatium intersit inter animorum brevem concitationem et partis populi seditionem? Ne longus sim: discordiae civiles, quae cum contentione vulgari demagogorum nihil commune habent, tum demum oriri possunt, cum gravissima aliqua partis populi commoda per longum tempus sint neglecta et spreta, et cum frustra diu mutationem aliquam sive decretum aliquod efflagitaverit ea pars populi ab altera populi parte, quae cum etiam maiorem suffragiorum partem in concilio teneat, et in civitate dominetur, avaritia vel malignitate vel superbia mota concedere nolit quod aequum sit.

In tali vero civitatis conditione, relegatio demagogi non modo non potest prohibere seditionem, sed etiam aptissima est ad bellum concitandum.

Itaque talem civitatis conditionem nunc cogitemus, in qua pars populi eo irae pervenerit, ut vix a seditione prohiberi posse videatur. Videamus quid omnium maxime aptum sit, si ullo modo fieri possit, ad iras etiamnunc cohibendas. Hoc solum, opinor, esse aliquem qui commoda minoris partis, angustias quo pervenerit, consilii inopiam qua prematur, noverit, tueatur, publice defendat; patronum, qui in concilio populi eius partis causam agat; qui ostendat, iam salva pace et salute patriae non amplius posse sperni partis civium voluntatem; qui moneat populum ne ad extremum discrimen permanare sinat odia, qui aut minis aut precibus pro

1) Cfr. supr. p. 152. adn. 2.
2) Cfr. supr. p. 147 adn. 1.

Digitized by Google

sua parte politica excitet maiorem partem suffragiorum sive (quod idem est) voluntatem populi. Contra eum demagogum verba facturus est princeps partis adversariae; acerrime utrimque contendent; sed quo maior est auctoritas publica eius qui tueatur commoda minoris partis, eo potius fieri potuerit ut aliquid certe accipiatur a populo quod possit iras in tempus saltem placare et a civili sanguine et ab interitu retinere civitatem. Ita in desperata conditione insignem utilitatem praebebit opera demagogi, vox patroni et defensoris, si quid a populo impetrare potuerit. Sed etiamsi parum aut nihil a populo impetrare potuerit demagogus, etiamsi frustra forte contra adversarium enixe contenderit, tamen ipsa eius vox eiusque praesentia habet aliquid quod possit seditionem differre, fortasse prohibere, quia certiorem facit partem minorem, esse aliquem qui commoda ipsius publice tueatur. Ei enim, quibus copia data sit certandi legitima ratione, deliberatione publica, suffragiis civium, longius absint necesse est a vi et a certamine armorum suscipiendo, quam ei qui noverint sua commoda ne audiri quidem, nedum curari. — Verum nunc attendamus ad effectum quem in tali condicione habiturus sit ostracismus. Populus vocabitur, ut voluntate sua disceptet. Monere vix opus est, cum alterutrum demagogum releget populus, non ipsam simul tolli discordiam, i. e. *causam* discidii. Id si fieri posset, quis non agnosceret et laudibus efferret utilitatem quam haberet ostracismus in discidio partium? Verum demagogi non sunt auctores discordiae; ea pendet a causis naturalibus, a commodis contrariis, quae eadem manent etiamsi omnes demagogi ad silentium vi rediguntur. Putasne autem fore ut demagogus maioris partis relegetur? Fieri fortasse poterit; incredibile non est, causam inferioris partis tandem vincere apud populum, maiorem partem in extremo tandem discrimine aurem praebere aequitati potius quam cupiditati. Sed ita non video quae sit ostracismi utilitas, neque video quidni *in ipso concilio populi* id fecerit vel faciat populus quod in ostracismo eum facturum esse speremus. Certe si ita bellum civile prohibebitur, non prohibitum erit relegatione alterius demagogi neque ostracismo, sed sapientia populi. Ipse ostracismus nihil effecerit ad seditionem differendam et tyrannidem prohibendam. Sed multo verisimilius est, alterum dema-

Digitized by Google

gogum relegatum iri. Quod si factum erit, iam unica spes pacis erit eversa, et id quidem per ipsum ostracismum; copia certandi legitima ratione, verbis et suasione, cum sublata sit vi, nunc certe nihil superest civibus oppressis quam ut fortunae armorum rem committant; tum valebit id quod dicit Aristoteles: πᾶς ἱκανὸς γίγνεται προστάτης [1]), et tyrannis (ut principiis disputationis nostrae convenienter concludamus) parata erit, per ipsum ostracismum. Atqui si etiam sic, duce relegato, nondum ad vim se contulerint cives, id ostendit periculum belli civilis non tam magnum fuisse, neque certe bellum oriturum fuisse si nemo relegatus esset. — Ego autem, quo magis ea omnia refelli non posse credam — et mire confirmantur rebus Romanis; numquam sane senatus putavit se plebem inopia furentem ad pacem et quietem reducere posse relegando tribunos plebis — eo magis miror doctrinam viri d. Duncker, qua statuerit ostracismum necessarium visum esse Clistheni, ut possent relegatione demagogi alterius partis politicae prohiberi bella civilia. Ei doctrinae enim subest error manifestus. In acri partium politicarum contentione sane magnam praebere possit utilitatem ostracismus: non quidem *reipublicae* nec *paci*, verum alteri parti superiori; neque hanc, ut prohibeatur bellum civile, sed hanc, ut prorsus proculcetur pars adversaria et e publicis deliberationibus excludatur, ut tollatur molesta vox adversarii, qui moneat et auctoritate sua et fama fretus pugnet pro commodis inferioris partis, et interdum compenset sua gravitate nimium pondus alterius demagogi. Ita altera pars funditus evertere conatur alteram, relegato eius principe; quod non facit ut bellum civile prohibeat, nam huius periculi ne rationem quidem ullam habet; sed ut ipsa vincat. Neque sponte hoc facit populus — nam voluntas populi libera est neque opus ei est alterutram partem politicam diluere, — sed iussu et impulsu demagogi alterius partis. Huius enim, magis quam reipublicae, interest relegari adversarium; quo relegato facile ipse dominabitur in populo, levatus innumeris molestiis quas antea sibi parabat aemulatio inimici. — Thucydidem relegavit plebs ur-

Neque ullam tam utilitatem praebet ostracismus, nisi ut victoriam tradat alteri parti.

1) Supr. p. 135. adn. 5.

Digitized by Google

bana et Piraea, cui praeerat Pericles [1]), quae cum iam diu maiorem suffragiorum partem et voluntatem populi regere soleret, hac ratione prostravit plebem rusticam cum nobilibus plerisque et multis civibus ditioribus coniunctam, ne forte posset Thucydides auctoritate sua et consiliis in illam partem interdum vocare voluntatem populi. Certe ea res (quae num fuerit verae saluti reipublicae utilis et necessaria, nunc quaerere nolim) acta non est, ut bellum civile prohiberetur. Quin etiam, si omnino licet illo tempore de bello civili cogitare, potius dixerim bellum civile esse excitatum relegatione Thucydidis quam prohibitum. Apparuit certe a. 411, cum oligarchi everterunt imperium plebis urbanae (inter quos fuit Melesias quidam, filius Thucydidis [2])), quanta contraxisset odia dominatio plebis urbanae, quantopere et quam multorum civium exasperavisset animos. Quid autem, si non ab initio a deliberationibus publicis exclusa fuisset pars adversaria? Quid, si fuisset qui commoda eius apud populum defendere potuisset? Qui a consiliis publicis neglegi defensionem agri Atheniensis, bello vastari agros, commoda rusticorum et agricolarum non satis respici, apud populum conqueri potuisset? Quid, si a via legitima et certatione incruenta non esset prohibita ea pars populi? Nonne potuisset effici, nisi relegatione Thucydidis omne pondus inferiori parti detractum esset, ut amplioribus consiliis et multiplici cura aliter administrata esset respublica, ut concordia ordinum esset restituta? Fortasse non potuit, et iam sero fuit postquam semel sublata erat Areopagi auctoritas. Sed hoc utique constat, partem politicam, cum turpiter et perverse abuteretur ostracismo ut ipsa dominaretur [3]), non consuluisse paci intestinae, neque ostracismi iudicio tantum esse tribuendum, ut, relegatione demagogi molesti, discordias civiles potuerit sedare et ita tyrannidem prohibere. — Ego vero in tam gravem errorem incidisse Clisthenem cum pararet ostracismum, ut putavisset periculum aliquod tyrannidis quod ex contentione partium politicarum oriturum esset,

1) Cfr. fragm. Cratini (Plut. Per. c. 3): *στάσις δὲ καὶ πρεσβυγενὴς Κρόνος ἀλλήλοισι μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον.*

2) Thuc. 8. 86. 9; cfr. Curtius Gr. G 2 p. 725; Gilbert Beiträge (1877) p. 313.

3) Cfr. Aristot. Polit. 3. 13, p. 1284*b*: *οὐ γὰρ ἔβλεπον πρὸς τὸ τῆς πολιτείας τῆς οἰκείας συμφέρον, ἀλλὰ στασιαστικῶς ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς.*

Digitized by Google

per ostracismum posse tolli, nolim contra omnium scriptorum auctoritatem credere, quamvis affirment viri docti recentiores.

Verum talis civitatis conditio omnino non cadit in democratiam, nisi accedunt causae singulares; eas nullas Athenis vidit Clisthenes.

Verumenimvero eiusmodi conditio civitatis, in qua tam vehementer inter se dissideant cives et populi partes, ut bellum intestinum futurum sit, qualem modo descripserim, caditne omnino in democratiam? Affirmare videtur Duncker; negavit (nisi singulares quaedam causae adessent) Aristoteles. Ὅμως δέ, ait, ἀσφαλεστέρα καὶ ἀστασίαστος μᾶλλον ἡ δημοκρατία τῆς ὀλιγαρχίας. — Αὐτῷ πρὸς αὐτόν, ὅτι καὶ ἄξιον εἰπεῖν, οὐκ ἐγγίγνεται τῷ δήμῳ στάσις [1]). Bellorum civilium causae in plebe non oriuntur. — Exceptiones addidit Aristoteles cum alias [2]), tum hanc: si ex locorum diversitate fieret, ut non eadem commoda essent huic parti plebis, quae illi [3]). Commoda contraria enim apta esse ad odia excitanda et iurgia crebra; ex his autem paullatim oriri discidium perpetuum, et quasi fissuram aliquam tenuissimam, in populo; quae quamvis levis esse initio videretur et minuta, cum latius semper permanaret, idonea nihilominus esset quae ad discordias intestinas et ad bellum civile duceret civitatem; sive ut ipse pulcra imagine usus dicit, quae similis esset lacunae tenui per currum hostilem in militum acie factae, quae rupto militum tenore satis valeret ad perdendum totum exercitum [4]). — In ipsa quoque republica Atheniensi eiusmodi tenuissimam fissuram, qualis oriri posset ex locorum diversitate, revera aliquando extitisse deinceps addit Aristoteles. Nos de ea re paullo post acturi sumus; nunc satis est animadvertere, id discidium non ante pugnam Salaminiam ortum esse, et paulo ante 460 demum longius penetravisse, quo fieret ut ab eo tempore primum partes politicae adversae in populo essent quae vehementi contentione dissidentes in duas partes quasi distraherent civitatem. — Verum tantum abest ut

1) Aristot. Polit. 5. 1. p. 1302*a* (supr. p. 144 adn. 3). — Cfr. 5. 3. p. 1303*b*: ἡ δὲ ταῖς δημοκρατίαις οἱ γνώριμοι (στασιάζουσι).

2) Veluti (p. 1303*a*): στασιωτικὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ.

3) Aristot. Polit. 5. 3. p. 1303*b*: στασιάζουσι δὲ ἐνίοτε αἱ πόλεις καὶ διὰ τοὺς τόπους, ὅταν μὴ εὐφυῶς ἔχῃ ἡ χώρα πρὸς τὸ μίαν εἶναι πόλιν.

4) Ὥστερ γὰρ ἐν τοῖς πολέμοις αἱ διαβάσεις τῶν ὀχετῶν, καὶ τῶν πάνυ σμικρῶν, διαστῶσι τὰς φάλαγγας, οὕτως ἔοικε πᾶσα διαφορὰ ποιεῖν διάστασιν.

Digitized by Google

tale discidium necessario et semper in civitate inesse dici possit, ut etiam eiusmodi aliquid futurum esse praesentire nullo modo potuerit Clisthenes, cum causae discidii futuri eo vivo nondum essent natae. Eam ob causam, etiamsi forte (quod ipsum nego) aptus ei visus esset ostracismus ad tyrannidem prohibendam si in acri partium contentione adhiberetur, nequaquam tamen ea ratio eum adducere potuisset ad ostracismum instituendum; persuasum enim ei erat *αὐτῷ πρὸς αὐτὸν τῷ δήμῳ οὐκ ἐγγίγνεσθαι στάσιν.*

Concludimus, duo fuisse pericula quae democratiae novae impendere intellegeret Clisthenes. Quorum primum erant arma et vis (*τὸ κινεῖσθαι τὴν πολιτείαν διὰ βίας*). Sed ea moveri non posse intellegebat nisi ab universa nobilitate, itaque ad *oligarchiam* tantum, non vero ad monarchiam ea ducere posse [1]); nam si omnes nobiles simul seditionem movissent et bello pervicissent, eos non esse victoriae fructus temere ad unum delaturos. Ipsi autem civitati esse videndum quomodo prudentia et temperantia hoc periculum a se arceret et prohiberet seditionem nobilitatis (*τὴν πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν στάσιν* [2]), quae si semel erupisset, non fore a legibus et suffragiis populi, sed a militibus civilibus et ab armorum fortuna salutem sperandam. — Singulis vero nobilibus seditiones et insidias prohibitas esse censuit Clisthenes, quia nemo esset suscepturus quod invita cum cetera nobilitate tum plebe tota contra tot hostes nullo modo perfici posset [3]). — Alterum periculum vero quod longe gravius esset, existere noverat ex fraude (*τὸ κινεῖσθαι τὴν πολιτείαν δι' ἀπάτης*), si ipsum populi concilium (cum senatu) eo perduceretur ut decerneret quod inermem rempublicam uni homini in manus daret. Has autem insidias ad demagogos solos pertinere, qui cum nobiles essent et rei militaris periti, maxime ob eam causam essent metuendi. Quodsi dolis caveri posset a populo, nihil praeterea esse quod a singulis, sive nobilibus sive plebeis, impenderet reipublicae. Ipsam demagogorum aemulationem aptissimam esse ad eos magis etiam populo populique potestati subiciendos. Sed tamen ne invidiam quidem neque

1) Vid. supr. pag. 138 adn. 2.
2) Cfr. supr. pag. 147.
3) Cfr. supr. pag. 186.

Digitized by Google

obtrectationem mutuam demagogorum sufficere ad arcendam fraudem; eos dolos enim maxime esse metuendos qui quam maxime secretis consiliis essent parati. Aeque igitur hoc periculum instare intellexit sive unus forte esset demagogus in civitate, sive plures [1]). Itaque hoc consilio ostracismum excogitavit Clisthenes, ut esset aliquid certe in legibus, quod hoc gravissimum periculum defenderet a democratia.

§ 3. *Demagogos nobiles, qui in suspicione tyrannidis omnes essent, tum relegari voluit Clisthenes, cum placeret populo.*

Clisthenes, etsi omnes demagogos relegationem meruisse statuit, non omnes relegari volunt.

Doctrinam exposuimus quam aeque tenuerunt legislator Atheniensis, aeque summus philosophus, aeque tota antiquitas, quae est haec, omnes demagogos nobiles qui artis militaris periti sint et fama bellica floreant (sed in omnes demagogos nobiles ea peritia cadere intellegitur) eo pervenisse ut aliquando si velint, abuti fide plebis et tyranni fieri possint; omnes demagogos nobiles esse in suspicione tyrannidis. Ea doctrina usus, contra eos omnes ostracismum paravit Clisthenes; eis nihil iniqui accidere putavit, si per suffragia annua populi et testarum iudicium subito, nulla accusatione prolata, nulla defensione audita, innocentes, in decem annos patria privarentur, ob id solum quod demagogi essent; omnes demagogos nobiles relegationem meruisse statuit. Ea sententia fueritne iusta et aequa, vix quaerere licet. Ad eam excusandam facile arguere potuit Clisthenes, non id se nunc quaesivisse quod maxime aequum esset, sed id quod maxime aptum esset ad democratiam defendendam; cum ageretur de salute et libertate totius populi, rationem haberi non potuisse iuris paucorum hominum; populum cum hanc legem sanciret, non esse iustitiae cupiditate, sed sui conservandi studio ductum; studium autem sui conservandi populo leges sancienti magis cordi esse licere quam curam iustitiae, salutem publicam esse supremam legem.

Sufficeret fortasse haec ratiocinatio, studium sui conservandi

1) Aristot. Polit. 5. 2. p. 1302: — ἢ εἷς ἢ πλείους —· διὸ ἐνιαχοῦ εἰώθασιν ὀστρακίζειν.

Digitized by Google

esse fundamentum ostracismi, si constanter et simpliciter eam facto persecutus esset Clisthenes. Consequens est enim ei ratiocinationi, ut *omnes* demagogi nobiles, cum primum in publicum prodierint, relegentur, itaque nullos esse sinat populus. Sed hoc Clisthenes perficere noluit. Talem cogitationem subfuisse ostracismi rationi, argui quidem fortasse possit ex eis quae Diodorus scripsit; is enim postquam dixit, imperandi cupidinem innatam esse omnibus hominibus, et in nobilibus etiam magis quam patriae amorem valere videri [1]), addit hanc fuisse rationem ostracismi, ut eis qui essent in suspicione tyrannidis praeriperetur copia libertatis evertendae [2]). Hoc si rectissime dictum esset, et ad verbum esset accipiendum, consequens esset omnes demagogos nobiles esse relegandos. — Sed quamquam revera apud plebem Syracusanam aliquando haec opinio praevaluisse videtur [3]), Clisthenem tamen non ita sensisse constat. Is enim non id lege sua praescripsit, sed rem commisit suffragiis et arbitrio populi; non solum civibus copiam dedit *eiciendi*, sed etiam, si forte mallent, *in civitate retinendi* eos qui essent in suspicione tyrannidis.

Ea ipsa autem est calx Achillea, quae infirmat inventum Clisthenis; cum populi libidini rem commiserit, ipse illam ratiocinationem, quam modo exhibui, prorsus evertit. Nam quod attinet ad suspicionem, omnes demagogi sunt similes et in eadem causa. Si putavisset Clisthenes, suspicionem esse causam adaequatam cur relegarentur demagogi, non debuisset *populo* concedere ut aliis parceret, alios ea relegatione qua omnes digni essent, afficeret. Aliud certe fuisset, si *fortunae* et *sorti* rem commisisset Clisthenes. Sic dux Romanus, postquam totam militum cohortem ob turpem fugam capite condemnavit, si decimum quemque quem sors indicaverit supplicio destinat, reliquis vitam

Ita nova causa ad suspicionem accederet, ut aliquis relegaretur, necesse erat.

1) Diod. 19. 1. 2 sq.: *σύνεγγυς γὰρ ἡ μετάβασις εἶναι δοκεῖ τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ μένουσιν ἐπὶ τὴν πατρίδος καταδούλωσιν, καὶ δυσχερὲς ἀποσχέσθαι μοναρχίας τοῖς δι' ὑπεροχὴν τοῦ κρατήσειν ἐλπίδας περιπεποιημένοις· ἔμφυτον γὰρ εἶναι τὸ πλεονεκτεῖν τοῖς μειζόνων ὀρεγομένοις καὶ τὰς ἐπιθυμίας ἔχειν ἀτερματίστους.*

2) Diod. 19. 1. 3: *καὶ τοῦτ' ἴπραττον οὐχ ἵνα τῶν προγεγενημένων ἀδικημάτων λάβωσι τιμωρίαν, ἀλλ' ὅπως τοῖς δυναμένοις παρανομεῖν ἐξουσία μὴ γένηται κατὰ τῆς πατρίδος ἐξαμαρτεῖν.*

3) Diod. 11. 87. 4; cfr. 19. 1. 5.

Digitized by Google

condonat, nihil facit quod repugnet primariae sententiae, omnes aeque supplicium meruisse; nam nulla nova causa, nullo novo stimulo in condemnando utitur, nullam novam culpam quaerit apud eos a quibus supplicium sumat. Verum cum de ostracismo iudicium populi libidini relinqueret Clisthenes, voluit ita tantum demagogum aliquem relegari posse, si ad tyrannidis suspicionem qua omnes laborarent accessisset novum aliquid; salutem demagogorum credidit et commisit novo alicui stimulo, qui ad relegandum instigaturus esset cives, qui non ipse esset suspicio tyrannidis, *neque quidquam cum ea commune haberet;* ita demum demagogum relegari voluit, si forte accessisset, ut, sine ulla culpa ipsius, plebi displicere coepisset demagogus, ut forte apud plebem offendisset, vel iram aliquam sive taedium plebi moveret. Clisthenes cum nollet totam nobilium demagogiam abolere, neque sine ea democratiam vigere posse crederet, revera relegationem separavit a suspicione tyrannidis, et eam pendere voluit a re prorsus ab ea aliena, nempe ab ira vel taedio plebis et a levi animorum concitatione. Sed ita aliquid instituit quod ego quomodo aequum et probabile esse dici possit non video. Operam perderet me iudice si quis ita ostracismi rationem defendere et aequam eam esse contendere conaretur, ut diceret a salute patriae et libertatis hoc postulatum esse ut omnes demagogi essent omni tempore relegationi obnoxii; id enim sublatum est, cum omnibus facta sit salutis vana spes, num forte contingeret ut taedium plebis evitarent. — Libet brevi ad comparationem citare institutum illud notissimum Spartanorum, quod κρυπτεία dicitur, quod cum ostracismo ab una parte habet maximam similitudinem. Apud Spartanos semper sunt in suspicione seditionis omnes Helotae, tum etiam cum innocentes sunt [1]). Ob eam causam omnes Helotas supplicium meruisse statuerunt Spartani; et quotannis Helotis bellum solemni edicto indici

Hoc aequitatem detraxit ostracismo;

1) Thuc. 4. 80. 3: *φοβούμενοι αὐτῶν τὴν σκαιότητα καὶ τὸ πλῆθος· ἀεὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα Λακεδαιμονίοις πρὸς τοὺς Εἵλωτας τῆς φυλακῆς πέρι μάλιστα καθεστήκει.* — Aristot. Polit 2. 9. p 1269a: *τοῖς Λάκωσιν οἱ Εἵλωτες (πολλάκις ἐπέστησαν)· ὥσπερ γὰρ ἐφεδρεύοντες τοῖς ἀτυχήμασι διατελοῦσιν.* — Aristot. Polit 2. 10. p. 1272b: *οἱ δ' Εἵλωτες ἀφίστανται πολλάκις.* — Athen. p. 657c. — Theop. fr. 15.

Digitized by Google

curant, ut liberum sit unicuique eos interficere [1]). Frustra autem Spartanis obieceris hoc iniustum et crudele esse, tot homines innocentes capite condemnare. Nam si arguant, suam salutem id postulare, neque se posse salvos esse sine vi et sanguine, confitendum tibi sit hoc Spartanis ipsis esse videndum quid ab eis exigat studium sui conservandi, neque iustitiae rationem posse sistere contra illius studii postulata, neque ad silentium ea redigere posse; ut sit durum omnes Helotas interfici, non possis tamen ob eam causam condemnare Spartanos. — Verum nunc vides longe aliud aliquid agere Spartanos; tantum abest ut interficiant omnes Helotas, et una magna caede facta ab eis se liberent, ut etiam eorum opera et labore carere non possint, siquidem ipsi ut otiosi vivant futurum sit et liberalibus nobilium artibus se dedant. Itaque immittunt quotannis Helotis filios suos, iuvenes lectos; hos iubent Helotarum fortissimum quemque, si solis et indefensis obviam fiant, vel si clam corripiendi copia detur, sive noctu sive interdiu, in agro aut domi, pugione occidere [2]). Manifestum est, sicut in ostracismo, hoc tum unice factum esse, cum innocentes esse crederentur Helotae; nam si vim iam eos molitos esse crederent Spartani, certe alia arma paraturi essent, neque iuvenes nobiles singulos certae perniciei oblaturi. Quis autem Spartanus, si ad cadaver viri miserabiliter necati eum adduceres, nefarium scelus ita excusare posset ut diceret: „hic homo interfectus est ob suspicionem seditionis, in qua omnes sunt Helotae, et ut ita cum eis agamus nos cogit salus nostra?" Responderes sane, si verum esset suspicionem seditionis eos cogere ut tollerent Helotas, necesse fuisse ut iamdudum nullus Helota in agro Spartano superesset; verum hoc crudele [3]) et iniquum esse, Helotas semper ad spem vivendi, ad liberos procreandos, ad labores reservare, deinde hic illic singulos pro libidine occidere; neque hunc hominem

---

1) Aristot. (ap. Plut. Lyc. 28): *τοὺς ἐφόρους ὅταν εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῶσι πρῶτον, τοῖς Εἵλωσι καταγγέλλειν πόλεμον, ὅπως εὐαγὲς ᾖ τὸ ἀνελεῖν.*

2) Plut. Lycurg. 28: *οἱ δὲ μεθ' ἡμέραν μὲν εἰς ἀσυνδήλους διασπειρόμενοι τόπους ἀπέκρυπτον ἑαυτοὺς καὶ ἀνεπαύοντο, νύκτωρ δὲ κατιόντες εἰς τὰς ὁδοὺς, τῶν Εἱλώτων τὸν ἁλισκόμενον ἀπέσφαττον. Πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀγροὺς ἐπιπορευόμενοι τοὺς εὐμαλεστάτους καὶ κρατίστους αὐτῶν ἀνῄρουν.* Cfr. Plato de legg. l. p. 633.

3) Plut. Comp. Lyc. et Num. c. 1: *ὠμότατον ἔργον καὶ παρανομώτατον.*

Digitized by Google

necatum esse quod esset in suspicione seditionis, sed quod ei non contigisset ut evitaret percussorem clam circumeuntem. — Eodem modo, cum Clisthenes non omnes demagogos nobiles primo statim anno quo prodierint relegari iusserit (quo factum esset ut demagogi nobiles nulli essent, sicut usuvenit Syracusis [1]), sed cum populi libidini concesserit ut si mallet, etiam semper aut aliquamdiu in patria eos retinere posset, ut eorum consilio uteretur domi, eorum fortitudine in bello, deinde si placeret subito opprimeret, effecit ut iam ad „suspicionem tyrannidis" provocari non posset tamquam ad iustam causam relegationis.

Sed non de aequitate ostracismi potissimum nobis quaerendum est, verum de consilio Clisthenis. Apparet autem, in ratione ostracismi quam exposuerimus aliquid inesse quod non prorsus consequens sit neque rectissime sibi constet. Clisthenes ostracismum instituit quod verebatur, ne in demagogorum multitudine, qui in posterum Athenis essent extituri, esset aliquis qui aliquando innatae imperandi cupidini succumbens, copia abusus quam sibi daret demagogia, et ipsa fortasse occasione permotus, libertatis evertendae consilia esset moliturus: hos igitur testis notari *cupere debuit*; sed an ulli futuri essent qui hoc facturi essent, et qui tandem essent qui hoc facturi essent, id positum erat extra cognitionem humanam cum Clisthenis tum populi cui committebat ut quotannis de ostracismo decerneret. Quod autem instituto suo *effecit* Clisthenes, hoc fuit ut alios demagogos populus relegaturus esset, alios in civitate retenturus, prout sibi placeret. Atqui poteratne cum ulla veri similitudine sperari, fore ut populus cum ira aliqua motus ostracismum adhiberet, eos ipsos relegaret qui forte postea essent peccaturi, et eos in civitate retineret, quorum innocentia constans esset futura? Minime certe hoc potuit expectari, quin etiam absurdius erat quam ut cogitari posset. Sic constabat Helotam quem pugione percussurus esset iuvenis Spartanus non eum esse qui, si vixisset, postea seditionem fuisset moturus. Neque in pugione stringendo Spartanum, neque in testa inscribenda civem Atheniensem, nisi divino quodam inflatu et in-

utilitas vero ostracismo aliqua manet; non quidem haec, relegari eos ipsos qui postea essent insidias molituri,

1) Supr. p. 164 adn. 3.

Digitized by Google

stinctu directus esset, ita fatum praeventurum esse manifestum erat. Sed quaerendum superest, quae tandem ita manserit ostracismi utilitas ad tyrannidem praeveniendam. Fieri poterat ut, quem testae ferirent, is innocentiam constanter servaturus fuisset, et ut cui parcerent, is ipse ad malas insidias postea esset iturus; quid igitur attinebat, iudicium tam caecum instituisse, telum quod certe aberraturum esset, parare?

Responsum quod ad hanc quaestionem detur in promptu est, neque tacent de ea re gravissimi auctores. Scilicet utilitas ostracismi, quae maneret quamvis caecus esset, eadem fuit quam e κρυπτείας instituto percipere sibi videbantur Spartani; nam ut essent pauci quos ferirent, terrorem incutiebat omnibus. Haec utilitas autem magis cerni debebat in longo tempore, et in eis nobilibus qui non sive nondum testis notati essent, quam in ipsis relegatis. Etiam κρυπτείας utilitas non in ea re cernebatur, quod homo aliquis infelix, misere confectus, uxori et liberis et labori surreptus, exanguis iaceret — quid enim nobilibus Spartanis prodesse potuit unius servi innocentis interitus? — sed in terrore quo repentina et fortuita vicini vel amici vel fratris mors reliquos Helotas esset repletura, quo futurum erat ut hi dominos suos agnoscerent, et Spartanis animos subicerent, et se omnes capite damnatos esse meminissent. Sic demagogos populo subiecturus erat ostracismus, et fracturus erat superbiam, et moniturus erat eos omnes tamquam demagogos in suspicione esse et relegationi obnoxios, necnisi beneficio populi eos adhuc in civitate relictos esse.

sed haec, terrorem incuti reliquis demagogis, eorumque animos subici plebi;

Licet fortasse eam utilitatem ostracismi etiam paullo diligentius persequi. Incredibile non esse putavit Clisthenes, talem fore effectum ostracismi in reliquis demagogis, ut ab initio ex animo uniuscuiusque eorum retineretur et excluderetur omnis cogitatio tyrannidis. Nihil enim magis aptum esse ad excitandam in mente hominis alicuius praepotentis cogitationem dominandi, quam confidentiam eam quae nasceretur ex magna et diuturna auctoritate publica. At hanc ipsam confidentiam, hunc fastum, si a demagogo ostenderetur, facillime iram illam vel taedium plebis movere posse, quae ad relegationem decernendam

fortasse etiam haec, demagogos eas res evitaturos esse, quae maxime aptae essent ad cupidinem regni excitandam.

Digitized by Google

sola sufficerent. Itaque postquam semel demagogus innocens aliquis ob hanc causam relegatus esset, fore ut reliqui ab ea confidentia caverent, neque tam facile ita in periculum malae cupiditatis inciderent. — Deinde aptissimam esse ad excitandam in mente hominis adhuc innocentis notionem principatus et regni, magnam factionem sive copiam amicorum officiosorum qui comitarentur, deducerent, colerent, qui in conviviis laudibus extollerent et adularentur; fieri posse ut longam amicorum adulationem eum corrumperet et vanum faceret, et cupiditatem iniceret potestatis nunc a favore populari mobili pendentis stabiliendae et perpetuae faciendae. At hanc ipsam πολυφιλίαν in demagogis non toleraturam esse plebem [1]). Idem valere de magna divitiarum ostentatione, de luxuria et magnificentia regali, hanc quoque plebem offendere; is autem qui ea delectaretur, ne semper animum civilem et modestum non servaret, ne illecebris dominationis aliquando succumberet, periculum esse. Ita expectare potuit Clisthenes fore, ut ostracismus cogeret demagogos, aliorum infortunio monitos, a confidentiae et arrogantiae signis, ab amicorum nimia consuetudine et conviviorum celebratione, a divitiarum ostentatione et ab aliis eiusmodi rebus diligenter cavere; quod hanc utilitatem praebiturum erat, ut eas ipsas res evitaturi essent quae maxime aptae essent ad excitandam in eorum animis cupiditatem regni. — Sed monere vix opus est, hanc utilitatem qua directe demagogos a tyrannidis cogitatione puros servaturus esset ostracismus, non nimis esse premendam, quod

1) Revera demagogi πολυφιλία non raro fuit causa irae plebis quae ad eum relegandum instigaret. Aristot. Polit. 3, 13, p. 1284a: τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει διὰ πλοῦτον ἢ πολυφιλίαν ἢ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἰσχύν. — Cfr. Aristoph. Equit. 850—857: Fartor fingit Cleonem testarum iudicium metuere non quod regni affectati criminis sibi conscius sit, sed quod nimis impudenter amicorum adolescentium manu stipatus in publicum prodiens, hoc fastu apud plebem offenderit. — Utilitatem ostracismi etiam magis directam in hac re quaerere possit aliquis; nempe, factionem necessariam esse ei qui tyrannidem paret (cfr. Herod. 5. 71: Κύλων ἐπὶ τυραννίδι ἐπήμησε· προεποιησάμενος δὲ ἑταιρηίην τῶν ἡλικιωτέων κ. τ. λ.); populum autem cum factiones non toleret, id ipsum prohibere quod ad tyrannidem parandam necessarium sit. — Verum quod non toleret populus, non est ipsa factio, sed factionis et amicorum turbae nimia ostentatio (sic Pericles qui omnia alia cavit, a factione numquam abstinuit, cfr. Plut. Per. c. 13 et 16); praeterea factio nequaquam est certum signum regni affectati, ut docet idem Periclis exemplum; denique nimium certe sit affirmare, non posse sine factione tyrannidem parari.

Digitized by Google

etiam magis apparebit cum mox percensebimus causas irae quas revera aliquando ad ostracismum adduxisse plebem memoriae traditum est. Manifestum est eam utilitatem non posse cerni in ipso eo demagogo, qui revera ad maximum discrimen adducturus sit libertatem, scilicet in eo qui ab initio firmo et constanti consilio persequatur dominationem; is enim facile potuerit has offensiones evitare, et nihilominus in proposito perseverare. Et ita fecit Pericles.

Haec omnia igitur quantum utilitatis habuisse credat quisque ad tyrannidem prohibendam ipsi videndum est. Verum sive multum, sive minus, sive nihil utilitatis ea habuisse aliquis putaverit (eodem modo etiam de κρυπτείας utilitate in varias partes disputare licet), constat aliquam utilitatem eis tribuisse Clisthenem; gravissimum onus sibi visus est iniecisse demagogis, quod fieri non posset quin utile foret democratiae, et prohibiturum esset tyrannidem. Verumenimvero quantum hoc onus esset, quod demagogis iniceret, ne ipsum quidem Clisthenem prorsus praesensisse crediderim, etiamsi in universum de ea re opinionem aliquam habuerit neque longe a vero aberraverit. Sed fieri fere non potest ut ipse nulladum rei experientia edoctus, cum rem nonnisi ex meditatione cognoscere posset, plene eam perspexerit. Quid demagogis cavendum foret vix plene mente comprehendere potuit Clisthenes, cum nondum accurate sciret, quales res aptae essent ad taedium populi movendum, ad excitandum testarum iudicium. Nam ex omnibus demagogis nobilibus, quos priore parte quinti saeculi Athenis fuisse memoriae traditum est, *nemo* fere fuit qui rem plene perspexerit, licet eis certe aliquot exempla iam essent quae monere possent; nemo enim fuit qui taedium populi et ostracismum evitare potuerit, uno excepto. Pericles solus (quantum novimus) ita cavit, ut per totam vitam magna pars curarum et cogitationum suarum circa eam rem versata sit, et ipse sponte quasi firmissimis vinculis obstrinxerit vitam suam privatam [1]). — Hanc ob causam id quod memoriae mandatum

Quantum onus demagogis iniecerit ostracismus, ipse non plene perspexit Clisthenes.

1) Plut. Pericl. c. 7: ἀλλ' ὡς ἔοικε δεδιὼς μὲν ὑποψίαι περιπεσεῖν τυραννίδος — εὐθὺς καὶ τέλος περὶ τὴν δίαιταν ἑτέραν τάξιν ἐπέθηκεν, — et adde omnia quae sequuntur.

Digitized by Google

est, ipsum Clisthenem aliquando suo telo percussum, testis relegatum esse, quamvis auctoritate non optima nitatur, scilicet unius Aeliani [1]), tamen ipsa rei natura et similitudine veri mirifice confirmari censeo. — Noverat quidem Clisthenes, se omnes demagogos cum praesentes tum futuros lege sua innocentes relegatione condemnasse, noverat se libidini populi concessisse ut condemnatos beneficio suo quamdiu placeret in civitate retinere posset; noverat nihil magis igitur demagogo esse curandum quam ut hoc populi beneficium retineret. Sed quid hoc esset quod nosset, tum primum *sensit*, si vera est traditio Aeliani; ipse tum expertus est quid significaret, esse quo homines innocentes circumvenirentur qui nihil commisissent nisi quod demagogi essent et essent ob eam causam in suspicione tyrannidis, et tum quidem circumvenirentur, cum primum levissimam aliquam offensionem dedissent, sive etiam dedisse viderentur tantum, populo. Qualis autem fuerit offensio, quam dederit Clisthenes, id prorsus ignotum est [2]).

(*Continuabitur*).

---

1) Ael. V. H. 13. 24: Κλεισθένης δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὸ δεῖν ἐξοστρακίζεσθαι πρῶτος εἰσηγησάμενος, αὐτὸς ἔτυχε τῆς καταδίκης πρῶτος. Dubitationem inprimis movet illud πρῶτος, quod refutatur auctoritate Androtionis et Plutarchi, vid. supr. p. 130 adn. 1 et 3. Sed fieri potest ut Aelianus id quod vere traditum acceperat, ipse hac voce addita corruperit, ut censet Bergk (vid. adn. prox.).

2) Traditionem Aeliani plerique vv. dd. reiecerunt, primus quantum novi Grote (i. pag. 87 sq.), deinde Lugebil (p. 130), Duncker (7. p. 42) alii. Eam accepit Curtius (Gr. G. 1. p. 383), sed confiteor me ab eius sententia longissime abesse. „War es, inquit, ein unbegründeter Verdacht, welcher dem Enkel des Sicyonischen Tyrannen folgte? — So wird also die Ausweisung des Kleisthenes wohl keine ungerechtfertigte gewesen sein." — Equidem non credo umquam a civibus ullum demagogum ideo esse relegatum, quod eum magis quam reliquos omnes demagogos in suspicione tyrannidis haberent; credo contra omnes qui relegati sint, ideo esse relegatos quod ob aliquam causam levissimam, a tyrannide et suspicione quam maxime alienam, plebi displicere coeperint; sed cur Clisthenem excipiam, prorsus nihil est, quia nihil de eo traditum est. — Sin vero *revera* regnum affectasset Clisthenes (ut affirmat Curtius), incredibilis stultitiae me iudice fuisset, qui per suum Ostracismum et suffragia annua se circumveniri passus esset. — — Praeterea fidem Aeliani defendit Bergk (zur Aristot. Politie der Athener, Rhein. Mus. 36. 1881 p. 105), et Aristotelem auctorem ei fuisse coniecit; ex Aeliano etiam fragmentum Aristotelis supplere conatus est.

Digitized by Google

PLATONICA.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Platonis opera ed. M. SCHANZ.

Continuantur his studiis observationes criticae in Platonem, quas scripsi in libro cui titulus *Lectiones Rhenotraiectinae* (Lugd. Batav. E. J. Brill. 1882) pag. 21—60.

Hippias Mai. p. 283 D. Mirari se simulans Socrates antiquiorum sapientium εὐήθειαν nullam umquam mercedem poscentium, τούτων δὲ, inquit, ἑκάτερος (Gorgias et Prodicus) πλέον ἀργύριον ἀπὸ σοφίας εἴργασται ἢ ἄλλος δημιουργὸς ἀΦ' ἥστινος τέχνης· καὶ ἔτι πρότερος τούτων Πρωταγόρας. Cui Hippias respondet: Οὐδὲν γάρ, ὦ Σώκρατες, οἶσθα τῶν καλῶν περὶ τοῦτο. εἰ γὰρ εἰδείης, ὅσον ἀργύριον εἴργασμαι ἐγώ, θαυμάσαις ἄν et deinde narrat quantam in Sicilia ipse pecuniam collegerit. Cum sententia elliptica οὐδὲν — τοῦτο significet: „Nec mirum, o Socrates, te collectas ab illis divitias admirari, quia plane ignoras quae eximia sunt in hoc argumento", expectabam potius sequi „non mirareris enim (illa scil.), si quantas ego pararim novisses" quam „si enim quantas ego fecerim novisses, mirareris", cum praesertim ita malles ob praegressa: οὕτω δὴ (tum demum) θαυμάσαις ἄν. Quare videndum an non Plato scripserit: εἰ γὰρ εἰδείης ὅσον ἀργύριον εἴργασμαι ἐγὼ, <οὐ> θαυμάσαις ἄν. Nihilominus quod volgatur defendi posse concedo.

Digitized by Google

P. 284 E. *Hipp.* τῷ μὲν ἀκριβεῖ λόγῳ — οὕτως ἔχει· οὐ μέντοι εἰώθασιν ἄνθρωποι ὀνομάζειν οὕτω. *Socr.* Πότερον — οἱ εἰδότες ἢ οἱ μὴ εἰδότες; *Hipp.* Οἱ πολλοί. *Socr.* Εἰσὶν δ' οὗτοι οἱ εἰδότες [τὸ ἀληθές], οἱ πολλοί; *Hipp.* Οὐ δῆτα. Admodum mihi suspectum est inutile additamentum τὸ ἀληθές. Satis enim intellexisse Hippiam quid sibi vellet in Socratis quaestione οἱ εἰδότες manifestum est, sed quod par esset respondere nolebat.

P. 287 A. Ἀτὰρ μή τι κωλύω μιμούμενος ἐγὼ ἐκεῖνον, ἐάν σου ἀποκρινομένου ἀντιλάβωμαι τῶν λόγων κτἑ. Stallbaum „numquid ego *illum imitans tibi impedimento futurus sum*, si dum tu respondentis partes agis, rationem tuam impugnavero cett." Nescio an potius sit structura personalis pro impersonali hac: ἀτὰρ μή τι κωλύει, ἐὰν ἐγὼ μιμούμενος ἐκεῖνον σοῦ ἀποκρινομένου (ἀποκρινουμένου?) ἀντιλάβωμαι τῶν λόγων, ut Graeci δίκαιός εἰμι ποιεῖν ponere amant pro δίκαιόν ἐστιν ἐμὲ ποιεῖν et similia. Verterim igitur: *Numquid obstat quominus* cett.

P. 288 B. *Socr.* Ὡς γλυκὺς εἶ, φήσει, ὦ Σώκρατες. θήλεια δ' ἵππος καλὴ οὐ καλόν, ἣν καὶ ὁ θεὸς ἐν τῷ χρησμῷ ἐπῄνεσεν; τί φήσομεν, ὦ Ἱππία; ἄλλο τι ἢ φῶμεν καὶ τὴν ἵππον καλὸν εἶναι, τήν γε καλήν; πῶς γὰρ ἂν τολμῷμεν ἔξαρνοι εἶναι τὸ καλὸν μὴ καλὸν εἶναι; *Hipp.* Ἀληθῆ λέγεις, ὦ Σώκρατες· ἐπεί τοι καὶ ἐμοῖς αὐτὸ ὁ θεός εἶπεν· πάγκαλαι γὰρ παρ' ἡμῖν ἵπποι γίγνονται.

Vidit Heindorfius respici ad oraculum datum Megarensibus, quod servavit Schol. Theocr. XIV 48:

Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον,
Ἵπποι Θρηίκιαι, Λακεδαιμόνιαι δὲ γυναῖκες,
Ἄνδρες δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης,
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶνδ' εἰσὶν ἀμείνονες οἵτε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες, κέντρα πτολέμοιο.
Ἡμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

In hoc oraculo, quod totum pertinet ad *Peloponnesum*, nam Syracusas Corinthiorum coloniam esse constat, permirum est celebrari Thracum, populi ne Graeci quidem, equos. Neque olim de

Digitized by Google

illa lectione constitisse inde apparet quod a Tzetze Chil. IX 291 pro Thraciis Θετταλαὶ ἵπποι commemorantur. Insuper vero offensioni est omissa particula δέ post ἵπποι. Nisi vero egregie fallor, apparet e verbis Hippiae Eleënsis dicentis h. l. πάγκαλαι ΓΑΡ παρ' ἡμῖν ἵπποι γίγνονται in antiquo oraculo fuisse:

Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον,
Ἵπποι δ' Ἠλεῖαι, κτέ.

Cave vero apud Platonem corrigas, quod erat cum placeret, Ἠλεία δ' ἵππος κτέ. Nam quod prima facie mireris laudari potissimum *equae*, non *equi*, pulchritudinem, id facile inde explicatur quod Hippiae *virginis* non *pueri* formam (quae Graecis vel magis quam illa placere solebat) laudare placuerat, ut taceam oraculi auctorem feminino genere usum esse, licet in plurali numero eo genere mares non excludi constet.

Homerus Od. φ 347 Elidem vocat ἱπποβότον et imprimis huc pertinet locus Iliadis Λ 680 sq., ubi Nestor in praeda ab ipso ex Elide avecta recenset

ἵππους ... ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα
πάσας θηλείας, πολλῇσι δὲ πῶλοι ὑπῆσαν.

P. 297 B. Εἰ ἄρα τὸ καλόν ἐστιν αἴτιον ἀγαθοῦ, γίγνοιτ' ἂν ὑπὸ τοῦ καλοῦ τὸ ἀγαθόν. Requiro <τοῦ> ἀγαθοῦ, ut supra p. 296 extr. recte legitur: Τοῦ ἀγαθοῦ ἄρα αἴτιόν ἐστι τὸ καλόν. Articulum absorpsit cauda praegressi vocabuli.

Hippias minor.

P. 363 C. Καὶ γὰρ ἂν δεινὰ ποιοίην, ὦ Εὔδικε, εἰ Ὀλυμπίαζε μὲν εἰς τὴν τῶν Ἑλλήνων πανήγυριν [ὅταν τὰ Ὀλύμπια ᾖ] ἀεὶ ἐπανιὼν οἴκοθεν [ἐξ Ἤλιδος] εἰς τὸ ἱερὸν παρέχω ἐμαυτὸν καὶ λέγοντα — καὶ ἀποκρινόμενον κτέ. Non tantum cum Nabero ut suspecta deleverim verba ὅταν — ᾖ, sed praeterea ἐξ Ἤλιδος, ut interpretamentum adverbii οἴκοθεν. Nam Eleensem esse Hippiam quis illa aetate ignorabat? Insuper scriptum malim ἀεὶ ἀνιὼν οἴκοθεν κτέ.

P. 364 C. ἃ λέγω καὶ περὶ τούτων καὶ ἄλλων. Omnino probanda videtur Marciani codicis lectio καὶ περὶ ἄλλων, nec

Digitized by Google

dubito quin p. 370 E, quem locum confert Schanz, corrigendum sit aut: ὁπότερος ἀμείνων εἴη [καὶ] περὶ ψεύδους καὶ ἀληθείας καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς aut καὶ <περὶ> τῆς ἄλλης ἀρετῆς. Nam suapte natura duplex καί postulat duplicem praepositionem. Quis, ut hoc utar, mox pag. 365 C scriptum ferret: τοιοῦτον γὰρ πεποίηκε τὸν Ὀδυσσέα Ὅμηρος πολλαχοῦ καὶ ἐν Ἰλιάδι καὶ Ὀδυσσείᾳ?

P. 366 E. εἴ τίς σε ἔροιτο, τὰ τρὶς ἑπτακόσια πόσα ἐστί, πότερον σὺ ἂν μάλιστα ψεύδοιο καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ψευδῆ λέγοις περὶ τούτων, βουλόμενος ψεύδεσθαι καὶ μηδέποτε ἀληθῆ ἀποκρίνεσθαι, ἢ ὁ ἀμαθὴς εἰς λογισμοὺς δύναιτ' ἂν σοῦ μᾶλλον ψεύδεσθαι βουλομένου; Molestissima est et prorsus otiosa ultima vox. Nec tamen delenda videtur sed corrigendum βουλόμενος. Sequitur enim ἢ ὁ μὲν ἀμαθὴς πολλάκις ἂν βουλόμενος ψευδῆ λέγειν τἀληθῆ ἂν εἴποι ἄκων, εἰ τύχοι, διὰ τὸ μὴ εἰδέναι, σὺ δὲ ὁ σοφός, εἴπερ βούλοιο ψεύδεσθαι, ἀεὶ ἂν κατὰ ταὐτὰ ψεύδοιο;

P. 368 B. ἔφησθα δὲ ἀφικέσθαι ποτὲ εἰς Ὀλυμπίαν ἃ εἶχες περὶ τὸ σῶμα ἅπαντα σαυτοῦ ἔργα ἔχων· πρῶτον μὲν δακτύλιον — ἐντεῦθεν γὰρ ἤρχου — ὃν εἶχες σαυτοῦ ἔχειν ἔργον [ὡς ἐπισάμενος δακτυλίους γλύφειν], καὶ ἄλλην σφραγῖδα σὸν ἔργον, καὶ στλεγγίδα καὶ λήκυθον, ἃ αὐτὸς εἰργάσω. Permiror hucusque latere potuisse criticos tam inficetum emblema quale hoc est ὡς — γλύφειν. Monitus, ut arbitror, nemo defendet.

P. 376 C. ἐγὼ περὶ ταῦτα ἄνω καὶ κάτω πλανῶμαι. Malim ἄνω κάτω, ut apud Aristophanem in Avium initio est ἄνω κάτω πλανύττομεν.

Ion.

P. 530 C. ἐμοὶ γοῦν τοῦτο πλεῖστον ἔργον παρέσχεν τῆς τέχνης, καὶ οἶμαι κάλλιστα ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου, ὡς οὔτε Μητρόδωρος ὁ Λαμψακηνὸς οὔτε Στησίμβροτος ὁ Θάσιος οὔτε Γλαύκων οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν πώποτε γενομένων ἔσχεν εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου ὅσας ἐγώ. Non fero hiatum, sed dubito verius ne sit κάλλις' ἀνθρώπων, an

Digitized by Google

κάλλις᾽ ἂν ἀνθρώπων, ut Ion dicat se omnium mortalium optime de Homero dicere *posse*, nisi pro illa lectione pugnet locus p. 533 C ἀλλ᾽ ἐκεῖνο ἐμαυτῷ σύνοιδα ὅτι περὶ Ὁμήρου κάλλις᾽ ἀνθρώπων λέγω κτἑ. Deinde non tantum haereo in nomine Γλαύκων, pro quo vere Sydenham coniecisse videtur Γλαῦκος, sed etiam in omisso nomine gentili. Si igitur Glauci nomen substituendum est, nescio an vera lectio fuerit οὔτε Γλαῦκος ὁ Ῥηγῖνος οὔτε ἄλλος κτἑ.

P. 536 B. οἱ δὲ πολλοὶ ἐξ Ὁμήρου κατέχονταί τε καὶ ἔχονται, ὧν σύ, ὦ Ἴων, εἷς εἶ [καὶ κατέχει ἐξ Ὁμήρου], καὶ ἐπειδὰν μέν τις τι ἄλλου του ποιητοῦ ᾄδῃ, καθεύδεις κτἑ. Deleatur manifestum emblema καὶ — Ὁμήρου. Nec si quis deleverit verba τε καὶ ἔχονται moleste feram.

P. 537 E. καὶ εἴ σε ἐγὼ ἐροίμην, εἰ τῇ αὐτῇ τέχνῃ γιγνώσκομεν [τῇ ἀριθμητικῇ] τὰ αὐτὰ ἐγώ τε καὶ σὺ ἡ ἄλλη, Φαίης ἂν δήπου τῇ αὐτῇ. Insipidum emblema quantocius reddatur interpreti.

Menexenus.

P. 235 B. καὶ οἷα δὴ τὰ πολλὰ [ἀεὶ] μετ᾽ ἐμοῦ ξένοι τινὲς ἥκουσι καὶ ξυνακροῶνται κτἑ. Sive ἀεὶ iungimus cum praegressis, sive cum sequentibus (ut voluit Stallbaum) pugnat cum verbis οἷα δὴ τὰ πολλά, *ut plerumque*. Vitio natum crediderim.

P. 236 B. ὅτε μοι δοκεῖ συνετίθει τὸν ἐπιτάφιον λόγον, ὃν Περικλῆς εἶπεν, κτἑ. Tralaticio librariorum errore ΔΟΚΕΙ pro ΔΟΚΕΙ ita scriptum est. Corrigatur δοκεῖν et aliis locis bene multis, ubi ὡς non additur.

P. 236 D. ἐπειδή γε μόνω ἐσμέν. Ex Atticorum consuetudine expectabam αὐτώ ἐσμεν. Sic tamen legitur etiam Clitoph. p. 406 A: ἐπειδὴ καὶ μόνω τυγχάνομεν ὄντες. At Clitophontem Platonis nomen mentiri certum est. Sed vid. Phaedr. p. 236 C ἐσμὲν δὲ μόνω ἐν ἐρημίᾳ.

P. 239 A. ἀλλ᾽ ἡ ἰσογονία ἡμᾶς ἡ κατὰ Φύσιν ἰσονομίαν

Digitized by Google

ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον. Perinepte dictum. Quasi vero alia cogitari possit ἰσογονία quam ἡ κατὰ φύσιν, aut alia ἰσονομία quam ἡ κατὰ νόμον. Noli tamen putare ista verba esse interpretum emblemata. De industria ea Plato addidisse videtur ut rideret vanum oratorum antithesium studium. Sed ea ipsa de causa nescio an dederit ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν <τὴν> κατὰ νόμον.

P. 239 CD. Ineptissime orator Phrynichi, Aeschyli, Choerili, aliorum immemor Atheniensium in bello Persico facinora nondum πρεπόντως τῶν πραξάντων cantata esse dicit. Sed significare volebat Plato oratores verborum blandimentis et lenociniis unice intentos rerum veritatem parum curare solere. Moneo propterea quod Stallbaumius tam in notis quam in prolegomenis ad Menexenum lectu dignissimis rem silentio praetermisit.

P. 241 D. αὐτὸς δὲ ἠγγέλλετο βασιλεὺς διανοεῖσθαι ὡς <ἐπιστρατεῦσαι> ἐπιχειρήσων πάλιν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας. Melius Schanzius recepisset leniorem et suavius sonantem Cobeti coniecturam: πάλιν <ἰέναι> ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας. Thuc. VII 21, 3 ξυνανέπειθε δὲ καὶ ὁ Ἑρμοκράτης οὐχ ἥκιστα ταῖς ναυσὶ μὴ ἀθυμεῖν [ἐπιχειρήσειν] πρὸς τοὺς Ἀθηναίους insiticium est ἐπιχειρήσειν.

P. 242 A. ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, ὃ δὴ φιλεῖ [ἐκ] τῶν ἀνθρώπων τοῖς εὖ πράττουσι προσπίπτειν, πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος Suspecta mihi praepositio, quae, licet per grammaticam stare possit, durissime additur. Fortasse dittographia nata est ex ΦΙΛΕΙ. — ἐν πολέμῳ τοῖς Ἕλλησι κατέσησε. Utroque modo dicitur, aut sic aut εἰς πόλεμον.

P. 245 A. αἰσχυνομένη τὰ τροπαῖα τά τε Μαραθῶνι καὶ Σαλαμῖνι καὶ Πλαταιαῖς. Immo Πλαταιᾶσι.

Clitophon.

P. 407 A. φεύξομαι κατὰ κράτος. In hac iunctura veteribus usitatius est ἀνὰ κράτος. Idem valet de verbis ἐλαύνειν et διώκειν. Sed spurium dialogum esse satis constat.

Digitized by Google

PHAEDRUS.

P. 229 B. Ἐκεῖ σκιά τ' ἐστιν καὶ πνεῦμα μέτριον, καὶ πόα καθίζεσθαι ἢ ἂν βουλώμεθα κατακλινῆναι. Malim ἐγκαθίζεσθαι — ἐγκατακλινῆναι.

P. 234 D. Εἶεν· οὕτω δὴ παίζειν. Schanzius scripsit δεῖ, vereor ut recte.

P. 235 D. ὑπὸ δὲ νωθείας αὖ καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐπιλέλησμαι ὅπως τε καὶ ὧν τινων ἤκουσα. Fortasse praestat ὅπου. Nam rogaverat Phaedrus: Τίνες οὗτοι; καὶ ποῦ σὺ βελτίω τούτων ἀκήκοας;

P. 235 E. Φίλτατος εἶ καὶ ὡς ἀληθῶς χρυσοῦς, ὦ Φαῖδρε, εἴ μοι δοκεῖ λέγειν ὡς Λυσίας τοῦ παντὸς ἡμάρτηκεν, καὶ οἷόν τε δὴ παρὰ πάντα ταῦτα ἄλλα εἰπεῖν. Cur propterea *carissimum* sibi dicat Socrates Phaedrum non exputo. Expectes fere: Γλυκύτατος εἶ καὶ ὡς ἀληθῶς χρυσοῦς. Nam γλυκύς ut χρηστός et quod hic sequitur χρυσοῦς noto usu cum ironia dicitur pro ἁπλοῦς, ἀφελής, εὐήθης, ἄτοπος, *ineptus, subabsurdus.*

P. 242 A. ἀλλὰ περιμείναντες, καὶ ἅμα περὶ τῶν εἰρημένων διαλεχθέντες, τάχα ἐπειδὰν ἀποψυχῇ ἴμεν. Veram lectionem ἄπιμεν, quae propter praegressum ἀποψυχῇ capite truncata est, servavit Bekk. Anecd. I 26. Ceterum expectabam αὐτίκα ἐπειδὰν vel ἐπειδὰν τάχιστα.

P. 242 C. σαφῶς οὖν ἤδη μανθάνω τὸ ἁμάρτημα. ὡς δή τοι, ὦ ἑταῖρε, μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή· ἐμὲ γὰρ ἔθραξε μέν τι καὶ πάλαι λέγοντα τὸν λόγον· — νῦν δ' ἥσθημαι τὸ ἁμάρτημα. Verba ὡς δή τοι κτέ. merito in suspicionem vocavit Badhamus. In optimo codice Oxoniensi est ὡς δε ποιω, ὦ ἑταῖρε, κτέ. Conieci: οἶσθα δέ που, ὦ ἑταῖρε, μαντικόν γέ τι καὶ ἡ ψυχή.

P. 245 E. ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτόν τις λέγων οὐκ αἰσχυνεῖται. Cicero Tusc. disp. I 23, 53 vertens: *cum pateat igitur aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est qui hanc natu-*

Digitized by Google

ram animis esse tributam negeî? legisse videtur: ψυχῆς οὐσίαν (sine causa *Φύσιν* coniecit Naberus) τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτὸν τίς λέγων αἰσχυνεῖται; quod mihi quidem melius dictum videtur. Cum TIC male habitum esset pro pronomine indefinito, negationem additam esse nemo mirabitur.

P. 246 B. πᾶσα [ἡ] ψυχὴ παντὸς ἐπιμελεῖται τοῦ ἀψύχου, πάντα δὲ οὐρανὸν περιπολεῖ, ἄλλοτ' ἐν ἄλλοις εἴδεσι γιγνομένη, Primum articulus, cui incerta est in libris sedes (Venetus: ἡ πᾶσα ψυχή) et ab Eusebio Praepar. evang. 15, 9 omittitur (πᾶσα γὰρ ψυχή), contra sententiam additus (ita enim significaretur *totus animus*) expungendus est. Deinde *coelo* locum non esse bene perspiciens Badhamus οὐρανὸν tribuit interpretibus. Cum tamen nemo facile de eiusmodi supplemento cogitare potuisse videatur, equidem potius crediderim librarium voculam OTN male habuisse pro noto substantivi οὐρανὸν compendio et Platonem scripsisse: πάντα δὲ οὖν περιπολεῖ, ἄλλοτ' ἐν ἄλλοις εἴδεσι γιγνομένη.

P. 247 AB. ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτα καὶ ἐπὶ θοίνην ἴωσιν ἄκραν ὑπὸ τὴν ὑπουράνιον ἀψῖδα [πορεύονται] πρὸς ἄναντες ἤδη, τὰ μὲν θεῶν ὀχήματα ἰσορρόπως εὐήνια ὄντα ῥᾳδίως πορεύεται, τὰ δὲ ἄλλα μόγις. Bene editor Astium secutus delevit verbum πορεύονται. In reliquis solus Proclus Theol. Plat. IV 16 p. 217 veram Platonis manum servasse mihi videtur scribens: ὅταν δὲ δὴ πρὸς δαῖτα καὶ θοίνην ἴωσιν ἄκραν ἐπὶ τὴν ὑπουρανίαν ἀψῖδα κτἑ. Male enim praepositio ἐπί ante θοίνην abundat praegresso πρὸς δαῖτα, eadem vero rectissime mox habet pro ὑπό, vide mox ἡνίκ' ἂν πρὸς ἄκρῳ γένωνται. Ceterum nescio an ex quatuor lectionibus ὑπουράνιον, ὑπερουράνιον, ἐπουράνιον, οὐράνιον ultima praeferenda sit reliquis. Lectio ὑπερουράνιον originem debere videtur verbis (sub C) τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον οὐδέ τις ὕμνησέ πω κτἑ.

P. 247 E. ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ ὃ ἔστιν ὄν ὄντως ἐπιστήμην οὖσαν. Malim: ἀλλὰ τὴν ἐν τῷ ὃ ἔστιν ὄντως ἐπιστήμην οὖσαν, i. e. ἐν τῷ ὄντι ὄντως.

P. 251 A. θύοι ἂν ὡς ἀγάλματι καὶ θεῷ τοῖς παιδικοῖς. Merito

Digitized by Google

καὶ θεῷ suspectum est Schanzio, sed fortasse eadem litura delenda sunt verba τοῖς παιδικοῖς, quia θεοειδὲς illud πρόσωπον nondum, cum primum aspexit, sic dici potuit. Mox sub littera C ζεῖ τε καὶ ἀγανακτεῖ καὶ γαργαλίζεται [φύουσα τὰ πτερά] verba otiosa deleverim. Cf. praegressa.

P. 253 E. ὅταν δ' οὖν ὁ ἡνίοχος ἰδὼν τὸ ἐρωτικὸν ὄμμα, πᾶσαν [αἰσθήσει] διαθερμήνας τὴν ψυχήν, γαργαλισμοῦ τε καὶ πόθου κέντρων ὑποπλησθῇ, ὁ μὲν εὐπειθὴς τῷ ἡνιόχῳ τῶν ἵππων — ἑαυτὸν κατέχει μὴ ἐπιπηδᾶν τῷ ἐρωμένῳ· ὁ δὲ οὔτε κέντρων ἡνιοχικῶν οὔτε μάστιγος ἔτι ἐντρέπεται, σκιρτῶν δὲ βίᾳ φέρεται καὶ πάντα πράγματα παρέχων τῷ σύζυγί τε καὶ ἡνιόχῳ ἀναγκάζει ἰέναι τε πρὸς τὰ παιδικὰ καὶ μνείαν ποιεῖσθαι τῆς τῶν ἀφροδισίων χάριτος. Praeter αἰσθήσει merito suspectum Heindorfio duplici vitio haec verba laborare mihi videntur. Primum enim requiro γαργαλισμοῦ τε καὶ πόθου πτερῶν ὑποπλησθῇ, cl. p. 251 C ζεῖ τε καὶ ἀγανακτεῖ καὶ γαργαλίζεται φύουσα τὰ πτερά. Nam etsi ibidem DE voces κεντεῖν et κέντρον sensu translato usurpantur, multum tamen abest ut κέντρα illa τε καὶ ὠδῖνας, a quibus liberatio illic vocatur ἡδονὴ γλυκυτάτη, auriga ποθεῖν recte dici possit, ut taceam tam in iis quae loco quem tractamus proxime praecedunt quam in iis quae statim secuntur vocabulum κέντρα proprio sensu usurpatum esse. Deinde requiro inserto articulo τῷ σύζυγί τε καὶ τῷ ἡνιόχῳ, ut est sub C ὑπὸ τοῦ χαλινοῦ τε — καὶ τοῦ πτώματος et τόν τε ἡνίοχον καὶ τὸν ὁμόζυγα. Quod ad verba πᾶσαν διαθερμήνας τὴν ψυχήν attinet, ne quis requirat διαθερμανθείς, conferat p. 254 C ὁ μὲν ὑπ' αἰσχύνης τε καὶ θάμβους πᾶσαν ἔβρεξε τὴν ψυχήν, ubi, ut illic de auriga, de altero equo sermo est. Nam auriga et uterque equus tres animi partes repraesentant: τὸ νοητικόν, τὸ θυμικόν et τὸ ἐπιθυμητικόν.

P. 255 C. καὶ οἷον πνεῦμα ἢ τις ἠχὼ ἀπὸ λείων τε καὶ τερεῶν ἀλλομένη πάλιν ὅθεν ὡρμήθη φέρεται, οὕτω τὸ τοῦ κάλλους ῥεῦμα κτέ. Quid in ea re valeat *levitas* aut asperitas, non perspicio. Expectabam ἀπὸ σκληρῶν τε καὶ τερεῶν.

P. 255 E. ἐν οὖν τῇ συγκοιμήσει τοῦ μὲν ἐραστοῦ ὁ ἀκόλαστος

Digitized by Google

ἵππος ἔχει ὅ,τι λέγει πρὸς τὸν ἡνίοχον. Bekkero praeeunte Schansius edidit λέγῃ. Nisi fallor, Graece dici solet: οὐκ ἔχει ὅ,τι λέγῃ, sed ἔχει ὅ,τι λέξει, quod nescio an Platoni reddendum sit.

P. 257 A. τά τε ἄλλα καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἠναγκασμένη τοιητικοῖς τισιν διὰ Φαῖδρον εἰρῆσθαι. Deleto εἰρῆσθαι Naberus pro ἠναγκασμένη coniecit κεκασμένη. Mihi haud displiceat ἠγλαϊσμένη. In praegressis quod legitur κυλινδουμένην forma est merito suspecta Cobeto. Verius autem ibi videtur ΚΑλινδουμένην quam κυλινδΟμένην.

P. 258 A. Οὐ μανθάνεις ὅτι ἐν ἀρχῇ ἀνδρὸς πολιτικοῦ συγγράμματι πρῶτος ὁ ἐπαινέτης γέγραπται. Editor auctore Madvigio expunxit ἀρχῇ. Multo melius me iudice Bergkius in Herme a. 1883, p. 517 coniecit ἐν ἀρχῇ πολιτικοῦ συγγράμματος, recte monens ἐπαινέτην dici qui aliquid comprobet, populum vel senatum. In apographis est ἐν ἀρχῇ ἀνδρὸς πολιτικοῦ συγγράμματος. Cf. sub litt. D.

P. 239 extr. πατρὸς γὰρ καὶ μητρὸς καὶ ξυγγενῶν καὶ Φίλων αἰρεσθαι ἂν αὐτὸν (sc. τὸν ἐρώμενον) δέξαιτο, διακωλυτὰς καὶ ἐπιτιμητὰς ἡγούμενος τῆς ἡδίσης πρὸς αὐτὸν ὁμιλίας. Vereor ne δέχεσθαι sit hic nimis debile verbum et longe praetulerim quod praecessit et subsequitur (p. 240 A) εὔξαιτο.

P. 257 D. Schol. ad h. l. ἔνιοι δὲ τάττουσιν αὐτὴν (proverbium γλυκὺς ἀγκὼν) ἐπὶ τῶν εὐθυμούντων, παρ' ὅσον τὸν ἀγκῶνα οἱ εὐφραινόμενοι τιθέασι. Suspicor οἱ εὐωχούμενοι.

P. 259 C. ἐξ ὧν τὸ τεττίγων γένος μετ' ἐκεῖνο Φύεται, γέρας τοῦτο παρὰ Μουσῶν λαβόν κτέ. Abundat et nescio an interpretis sit μετ' ἐκεῖνο. An delere sufficit praepositionem μετά? Apud Stobaeum est μετ' ἐκείνων.

P. 260 D. τόδε δ' οὖν μέγα λέγω, ὡς ἄνευ ἐμοῦ τῷ τὰ ὄντα εἰδότι οὐδέν τι μᾶλλον ἔσαι πείθει τέχνη. Fortasse praestat scribere τόδε δ' οὐ μέγα λέγω, aut, quod eodem fere redit τόδε δ' οὖν μέγα λέγω posito pro puncto signo interrogandi, ut sit sententia:

Digitized by Google

haec vero non est iactantia, si dico sine mea ope cett., aut *num igitur rem exaggero dicens* cett.? Notae sunt locutiones *μηδὲν μέγ' εἴπῃς*, *μὴ μέγα* (*μεγάλα*) *λέγε*. Cf. Heindorfius ad Hipp. Mai. p. 295 A, qui attulit Phaedon. p. 95 B, Apol. p. 20 E, Sophist. p. 238 A. Adde Soph. Ai. 386, Ar. Ran. 835, Isocr. p. 196, Verg. Aen. X 547 *dixerat ille aliquid magnum*. Idem valet ac *μεγαληγορεῖν*.

P. 261 B extr. *ἃς ἐν Ἰλίῳ σχολάζοντες συνεγράψάτην*. Miror editorem non recepisse verissimam correctionem in apogr. Coisliniano 155 *σχολάζοντε*, deleto C ex sequenti verbo temere repetito a librariis. — In sequentibus necessario statuenda est lacuna. Nam ubi quaerenti Socrati Ἀλλ' ἦ τὰς Νέστορος καὶ Ὀδυσσέως τέχνας μόνον περὶ λόγων ἀκήκοας, ἃς ἐν Ἰλίῳ σχολάζοντε συνεγραψάτην, τῶν δὲ Παλαμήδους ἀνήκοος γέγονας; Phaedrus respondet Καὶ νὴ μὰ Δία ἔγωγε τῶν Νέστορος, εἰ μὴ Γοργίαν Νέστορά τινα κατασκευάζεις, ἢ τινα Θρασύμαχόν τε καὶ Θεόδωρον Ὀδυσσέα, tam ex quaestione quam ex ipso responso apparet Phaedrum respondisse se non tantum de Nestoris sed non magis de Ulixis artibus quidquam inaudivisse. Supplendum igitur: Καὶ νὴ μὰ Δία ἔγωγε τῶν Νέστορος <καὶ Ὀδυσσέως>, εἰ μὴ κτἑ.

P. 264 E. *καί τοι συχνά γε ἔχειν μοι δοκεῖ παραδείγματα πρὸς ἃ τις βλέπων ὀνίναιτ' ἄν, μιμεῖσθαι αὐτὰ ἐπιχειρῶν μὴ πάνυ τι*. Coniecturis commemoratis ab editore longe praestare mihi videtur Heindorfii suspicio inserentis *μὲν* post *βλέπων* et *δὲ* (malim *δ'*) post *μιμεῖσθαι*, qua omnis loci difficultas evanescit.

P. 267 C. *τὸ τοῦ Χαλκηδονίου σθένος*. Corrige Καλχηδονίου. Cf. me *Lap. de dial. Att. test.* pag. 18 sq.

P. 276 B. *πότερα σπουδῇ ἂν θέρους εἰς Ἀδώνιδος κήπους ἀρῶν χαίροι θεωρῶν καλοὺς ἐν ἡμέραισιν ὀκτὼ γιγνομένους* κτἑ. Tam egregie de hoc loco disputavit Heindorfius ut nihil habeam quod mutem aut addam, nisi audacter pro *ἀρῶν* substituendum esse *σπείρας*, quia nulli alii vocabulo locus est, licet vitii originem ostendere nequeam. Fieri tamen potest ut olim genuina vox exciderit et pessime suppleta sit quae hodie legitur.

Digitized by Google

E repetita Phaedri lectione accedant haec:

P. 227 D. ἔγωγ' οὖν οὕτως ἐπιτεθύμηκα ἀκοῦσαι, ὡς' ἐὰν βαδίζων ποιῇ τὸν περίπατον Μεγαράδε —, οὐ μή σου ἀπολειφθῶ. Permire haec sic scripta secuntur, posteaquam Socrates dixit parum sibi, quippe pauperi et seni, expedire Lysiae orationem: ὡς χαριστέον μὴ ἐρῶντι μᾶλλον ἢ ἐρῶντι. Sequi enim debuerat non *igitur*, sed *vel sic tamen*, aut *etiam nunc* (cum res aliter se habet). Suspiceris igitur ἐγὼ δὲ καὶ νῦν οὕτως κτέ, vel ἔγωγε μέντοι οὕτως aut aliquid simile.

P. 232 A. Locum non intellego nisi sic suppletum: Ἔτι δὲ τοὺς μὲν ἐρῶντας πολλοὺς ἀνάγκη πυθέσθαι καὶ ἰδεῖν ἀκολουθοῦντας τοῖς ἐρωμένοις καὶ ἔργον τοῦτο ποιουμένους, ὥστε, ὅταν ὀφθῶσι διαλεγόμενοι ἀλλήλοις, τούτους οἴονται ἢ γεγενημένης ἢ μελλούσης ἔσεσθαι <τῆς ἀποπληρώσεως> τῆς ἐπιθυμίας συνεῖναι· τοὺς δὲ μὴ ἐρῶντας οὐδ' αἰτιᾶσθαι διὰ τὴν συνουσίαν ἐπιχειροῦσιν, εἰδότες ὅτι ἀναγκαῖόν ἐστιν ἢ διὰ φιλίαν τῷ διαλέγεσθαι ἢ δι' ἄλλην τινὰ ἡδονήν. Insuper non infitior pro verbis ultimis me expectasse ἢ δι' ἄλλην τινὰ χρείαν, sed quod volgatur ferri fortasse potest.

P. 233 B. πρῶτον μὲν οὐ τὴν παροῦσαν ἡδονὴν θεραπεύων συνέσομαί σοι, ἀλλὰ καὶ τὴν μέλλουσαν ὠφελίαν ἔσεσθαι. Requiro aut μὲν οὐ <μόνον> aut quod etiam facilius ob praecedentes litterarum ductus elabi potuit μόνην insertum post ἡδονήν. Contra μόνον interpolatum est contra mentem oratoris p. 233 E: ἀλλ' ἴσως προσήκει οὐ τοῖς σφόδρα δεομένοις χαρίζεσθαι, ἀλλὰ τοῖς μάλιστα ἀποδοῦναι χάριν δυναμένοις· οὐδὲ τοῖς προσαιτοῦσι [μόνον] ἀλλὰ τοῖς τοῦ πράγματος ἀξίοις. Cf. tam praegressa quam sequentia.

P. 234 C. ἐγὼ μὲν οἶμαι οὐδ' ἂν τὸν ἐρῶντα πρὸς ἅπαντάς σε κελεύειν τοὺς ἐρῶντας ταύτην ἔχειν τὴν διάνοιαν. οὔτε γὰρ τῷ λαμβάνοντι λόγῳ χάριτος ἴσης ἄξιον, οὔτε σοὶ βουλομένῳ τοὺς ἄλλους λανθάνειν ὁμοίως δυνατόν. Loci difficultatem eludit editor omittendo λόγῳ cum codice Veneto, sed cum legatur in optimo Bodleiano, longe est probabilius eam vocem, cuius interpolandae nulla causa fuit, depravatam esse, licet incerta sit emendatio.

Digitized by Google

Badham γ' οὕτω coniecit, Madvig πολλοστῷ; mihi μὴ μόνῳ Lysias scripsisse videtur. Hoc saltem mihi constat eiusmodi notionem, ut satis clara sit sententia, abesse non posse.

P. 235 D. ἕτερα ὑποσχέσει εἰπεῖν. Optime Schanzius ἐπιχείρει, quod ipsum me olim coniecisse, cl. p. 236 B, ex vetustis meis ad hunc dialogum annotationibus laetus animadverto. Causa erroris fuit sequens ὑπισχνοῦμαι.

P. 243 D. Τοῦτόν γε τοίνυν ἔγωγ' αἰσχυνόμενος — ἐπιθυμῶ ποτίμῳ λόγῳ ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι, συμβουλεύω δὲ καὶ Λυσίᾳ ὅτι τάχιστα γράψαι, ὡς χρὴ ἐρᾶσῇ μᾶλλον ἢ μὴ ἐρῶντι ἐκ τῶν ὁμοίων χαρίζεσθαι. Heindorfius comparans ἐκ τῶν παρόντων, ἐκ τῶν ἐνόντων, ἐκ τῶν δυνατῶν interpretatus est *si cetera paria sint*. Confitendum tamen est locutionem nusquam alibi eo sensu usurpari, sed prorsus ut ἐκ τοῦ ὁμοίου significare solere ὁμοίως, nec quia Lysias in oratione scripta ὡς χρὴ μὴ ἐρῶντι μᾶλλον ἢ ἐρῶντι χαρίσασθαι illud *ceteris paribus* curavit, probabile videtur Platonem palinodiae quam ei suadet argumento tale quid addidisse. Ne multa: verba ἐκ τῶν ὁμοίων alieno loco legi suspicor et transponendum suspicor συμβουλεύω δὲ καὶ Λυσίᾳ ἐκ τῶν ὁμοίων ὅτι τάχιστα γράψαι, ὡς χρὴ ἐραστῇ μᾶλλον ἢ μὴ ἐρῶντι χαρίζεσθαι.

P. 242 B. Σιμίαν [Θηβαῖον] ἐξαιρῶ λόγου. Nomen gentile ab ipso Platone additum esse dubito.

P. 244 A. ὡς ὁ μὲν πρότερος ἦν λόγος Φαίδρου τοῦ Πυθοκλέους Μυρρινουσίου [ἀνδρός]· ὃν δὲ μέλλω λέγειν, Στησιχόρου τοῦ Εὐφήμου, Ἱμεραίου. Spurium videtur, quod praegresso patris nomine demoticis addi non solet, substantivum ἀνδρός.

P. 244 C. οὐ γὰρ ἂν τῇ καλλίσῃ τέχνῃ, ᾗ τὸ μέλλον κρίνεται, αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα ἐμπλέκοντες μανικὴν ἐκάλεσαν. Participium sanum esse dubito.

P. 244 E. ὅθεν καθαρμῶν τε καὶ τελετῶν τυχοῦσα ἐξάντη ἐποίησε (scil. ἡ μανία) τὸν ἑαυτῆς ἔχοντα πρός τε τὸν παρόντα καὶ τὸν

Digitized by Google

ἔπειτα χρόνον. Scribendum puto τὸν ἑαυτῆς μετέχοντα, ut est infra p. 249 E ταύτης μετέχων τῆς μανίας et similia saepe alibi reperiuntur.

P. 245 C. μόνον δὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν. Huius loci est τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν, ut scribendum est coniunctis utriusque codicis BT lectionibus. Cf. mox sub D et E p. 246 C al., ubi eadem locutio recurrit.

P. 250 B C. κάλλος δὲ τότ' ἦν ἰδεῖν λαμπρόν, ὅτε — ἑπόμενοι μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλου θεῶν, εἶδόν τε καὶ ἐτελοῦντο τῶν τελετῶν ἣν θέμις λέγειν μακαριωτάτην, ἣν ὠργιάζομεν ὁλόκληροι μὲν αὐτοὶ ὄντες καὶ ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ περιέμενεν, ὁλόκληρα δὲ καὶ ἁπλᾶ καὶ εὐδαίμονα Φάσματα μυούμενοί τε καὶ ἐποπτεύοντες ἐν αὐγῇ καθαρᾷ, καθαροὶ ὄντες καὶ ἀCήμαντοι τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιφέροντες ὀνομάζομεν, ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. Heindorfius ad verba καθαροὶ ὄντες καὶ ἀσήμαντοι κτέ. conferri iussit Phaedonem p. 64 D sqq., unde tamen neutiquam apparet cur Plato dixerit ἀσήμαντοι τούτου. Vix corpus vocari potuit, opinor, *animi signum*, *sigillum sive nota*, itaque potius, si locus sanus est, alludi putaverim ad vetus dictum *corpus animi esse sepulcrum*: Cratyl. 400 B καὶ γὰρ σῆμά τινές φασιν αὐτὸ εἶναι τῆς ψυχῆς et Gorg. 493 A τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα. Nihilominus multum vereor ut vel ea interpretatio ferri possit, cum quia ita sermonis proprietas postularet ἄσημος, tum quod obstare videtur sequens comparatio ὀστρέου τρόπον δεδεσμευμένοι. Hae igitur rationes me movent ut levem corruptelam locum invasisse suspicer et Platonem dedisse: καθαροὶ ὄντες καὶ ἀΠήμαντοι τούτου, ὃ νῦν σῶμα περιΦέροντες ὀνομάζομεν, i. e. *non affecti eo malo* (ea calamitate) *quod* (quam) *nunc circumferentes corpus vocamus*. Sic correcta haec optime respondent praegressis ἀπαθεῖς κακῶν, ὅσα ἡμᾶς ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ περιέμενεν, ut verissime Hirschigius correxit pro ἐπέμενεν, et egregie illustrantur Phaedonis loco, quem Heindorfius attulit. Poeticum vocabulum ἀπήμαντος poeticae Platonis in hoc mytho orationi accommodatissimum esse non est quod moneam. Similiter supra 248 C dixerat μέχρι τε τῆς ἑτέρας περιόδου εἶναι ἀπήμονα.

Digitized by Google

P. 251 C. ὅταν μὲν οὖν (ἡ ψυχὴ) βλέπουσα πρὸς τὸ τοῦ παιδὸς κάλλος, ἐκεῖθεν μέρη ἐπιόντα καὶ ῥέοντα, ἃ δὴ διὰ ταῦτα ἵμερος καλεῖται, δεχομένη ἅρδηταί τε καὶ θερμαίνηται, λωφᾷ τε τῆς ὀδύνης κτἑ. Cum manifesto Plato ἵμερος derivarit a tribus vocabulis ἰ(έναι), μέρ(ος) et ῥέ(ειν), nescio an scripserit: ἐκεῖθεν μέρη ἄττ' ἰόντα καὶ ῥέοντα.

P. 252 C. ἀθάνατοι δὲ Πτέρωτα διὰ πτεροφύτορ' ἀνάγκην. Platone hunc versum οὐ σφόδρα τι ἔμμετρον vocavit ob neglectam positionem litterarum πτ? Idem tamen sibi permisisse Homerum novimus in Αἰγύπτιος et Σκαμάνδριος. Sed enim omnino poetis in nominibus propriis plus concedi libertatis constat. Peius est quod in πτεροφύτορα producitur vocalis natura brevis Τ, siquidem in φύτωρ et φυτόν et omnibus huius stirpis vocabulis ypsilon corripitur. Sed valde incerta est haec quam auctore Heindorfio ex Stobaeo Schanzius recepit lectio, cum in optimis libris B et T sit πτερόφυτον et quod olim edi solebat πτερόφοιτον, cui lectioni nisi forte acquiescendum est, cogitari poterit de substituendo mutatione paene nulla πτεροΦΙτον (a stirpe vocabuli φῖτυ) aut, si opus sit, πτεροΦΙτΤν (a φῖτυς parente), idque eo magis, si recte Heindorfius ἔμμετρον non ad metri formam trahendum sed *modestum* significare contendit. Cum confusione litterarum $\bar{\nu}$ et $\bar{\rho}$ nihil sit frequentius, mero librarii errori Stobaei lectionem tribuerim.

P. 253 D extr. ἄπληκτος, κελεύσματι μόνον καὶ λόγῳ ἡνιοχεῖται. Nollem Schanzius formae unice probae et antiquae, quam uterque codex (BT) servavit quamque Dindorfius merito ubique restituit poetis scenicis, substituisset κελεύCματι, quam formam ex sequiorum usu plerisque locis invexerunt librarii. Pro ἡνιοχεῖται longe praetulerim, quod concinnitas postulat, ἡνιοχούμενος, ut mox opponitur μάστιγι μετὰ κέντρων μόγις ὑπείκων.

Scholiasta ad Philebum p. 56 E. τευταζόντων· — σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἡσυχαζόντων, καὶ ἔτι τὸ σκευωρουμένων, ἢ στραγγευομένων, ὅ ἐστι CΚΟΛΙΩC διακειμένων κτἑ. Immo vero CΧΟΛΑΙΩC, σχολαίως.

(*Continuabitur*).

Scribebam m. Decembri a. 1886. *Traiecti ad Rhenum.*

Digitized by Google

AD LUCIANUM.

SCRIPSIT

K. G. P. SCHWARTZ.

(*Continuantur ex Tom.* XIV. *pag.* 233).

Series annotationum, quibus per hos duos annos Luciano prodesse studuimus, nos perduxit ad *Asinum* illum spurcissimum et salacissimum, quo non alius unquam dignior fuit qui *Priapo* immolaretur, siquidem, ut est apud Ovidium, 'haec est

Hellespontiaco victima grata deo'.

Quae Milesia fabula si re vera, ut quibusdam videtur, ipsum Lucianum auctorem habet, uno eodemque tempore omnem et *morum* et *sermonis* puritatem exuisse censendus est. Non enim facile dixeris quid in his paginis peius vapulet, utrum linguae *sinceritas* an morum *integritas* et utrum quem haec scribere non puduerit plus *infamiae* contraxerit an *infantiae* prodiderit. At meum non est Catonem agere vel Appium; videndum potius an hic illic vulnus a librariis vel ab Editoribus inflictum curare aut certe indicare mihi contingat. More meo breviter singula excutiam.

Cap. 2. *καὶ μάλις μὲν καὶ βραδέως, ὑπήκουσε δ' οὖν* [*ἡ*] *γυνή.* Articulo nullus est locus, et in *Marciano* recte omittitur. Non enim Hipparchi *uxor* ostium aperuerat, quae mox una cum marito in triclinio mensae accubans inducitur. Accedit quod tale ministerium *ancillae* potius erat relinquendum.

Digitized by Google

Ibid. τὰ γράμματα ἐπέδωκα. Repone quod de litteris *reddendis* usitatum est: ἀπέδωκα. Cf. e multis Thucyd. VII. 10: τὴν ἐπιστολὴν ἀπέδοσαν; Eur. Iph. T. vs. 745:

τοῖς σοῖς φίλοισι γράμματ' ἀποδώσω τάδε,

et iterum vs. 791:

ἰδού, φέρω σοι δέλτον ἀποδίδωμί τε.

Cap. 3. ταῦτ' εἰπόντος τὸ παιδισκάριον [ἡ Παλαιστρα]. Satis multae insunt huic libello interpolationes, quarum praecipuas sub unum aspectum subiicere libet. C. 4: περιήειν τὴν πόλιν... ὅμως δὲ [περιήειν]; C. 5: εἰσήειν οἱ καδε· τὸν μὲν οὖν Ἱππαρχον οὐ κατέλαβον [ἐν τῇ οἰκίᾳ]; C. 8: καὶ [σκόπει] ὅπως εὐχερῶς ... τὰ παλαίσματα ἔσται; C. 16: καταδήσαντες [ἔνδον, errore repetitum ex praegressis] ἐν τοῖς δωματίοις; Cap. 18: ἀνέκραγε λῦσαι τοὺς κύνας ἐπ' ἐμοί· οἱ δὲ [κύνες] πολλοί τε ἦσαν καὶ μεγάλοι; Cap. 21: [ἐν τῷ συμποσίῳ τῶν ἀνδροφόνων]. Relege locum et videbis pessime abundare nec non in Cap. 22: [ἐκείνῃ τῇ καλῇ παρθένῳ]; Cap. 27: καὶ ἦγεν ἡμᾶς [τὴν ἀγέλην] εἰς νομόν; Cap. 31: ἐξ ἑτέρου χωρίου εἰς ἕτερον [χωρίον] μετενεγκεῖν; et: οὕτω [λοιπὸν] ἐβάδιζον τῆς ὁδοῦ τὸ ἐπίλοιπον; Cap. 33: ὁ μὲν οὖν ἀκάθαρτος παῖς [ὁ ἐμὸς ὀνηλάτης]. Nihil eiusmodi additum in init. C. 32; C. 35: γέρων ἦν τούτων [εἷς] τῶν τὴν θεὸν τὴν Συρίαν περιφερόντων καὶ [τὴν θεὸν] ἐπαιτεῖν ἀναγκαζόντων; C. 39: τὸ μέρος μὲν ἐκεῖνο [τὸν μηρὸν] ἀποτεμὼν; C. 45: κομίζουσιν ἄνω... κἀκεῖ με [ἄνω] συγκλείουσι; C. 46: ὁ κηπουρὸς [ὁ ἐμὸς δεσπότης]; C. 54: ἀπανθιζόμενος [ἀπ' αὐτῶν τῶν ἀνθέων] τὰ ῥόδα.

Cap. 3. πότος ἦν καὶ λόγος οἷος ἐπὶ δείπνου ξένου. Recte sic diceretur de *cibis noviciis et insuetis*, quales epulantibus non vulgo apponuntur; sed de *coena hospitali* requiro: δείπνου ξενικοῦ. Quod mox reponunt: ὁπόσαις ταῖς ἡμέραις pro εἰ πάσαις, admonet me loci similiter affecti in libro de Imaginibus, ubi haec leguntur (in fine Cap. 15): ἀλλ' αἱ πᾶσαι τῆς ψυχῆς ἀρεταὶ καθ' ἑκάστην εἰκὼν μία γεγράψεται πρὸς τὸ ἀρχέτυπον μεμιμημένη. Si haec non cohaerere intellegis, et priorem partem sententiae tanquam in aëre ac vacuo suspensam esse, facile nexum restitues mecum: ὁπόσαι τῆς ψυχῆς ἀρεταὶ reponendo; quo facto nihil difficultatis supererit. *Quotquot ingenii sunt dotes, singularum imago delineabitur.*

Digitized by Google

Cap. 4. Recte conieceram προόδου esse scribendum in hisce: εὐπορουμένην, ὅσον ἦν ἐκ τῆς ὁδοῦ συμβαλεῖν (vd. Mnem. XIII. p. 213), quod tamen, ut nunc demum intellego, iam occuparat Courierius. In sqq. supplendum existimo: ἐγὼ Ἀβροιά εἰμι, εἴ τινα τῆς σῆς μητρὸς φίλην (Ἀβροιαν) ἀκούεις; nam nomen proprium quod prorsus necessarium est vix ex antecedente repeti posse videtur. Cf. quod simillimum est, initium Pseudologistae: τὸ δὲ τοῦ Ἀρχιλόχου ἐκεῖνο ἤδη σοί λέγω... εἴτε τινὰ ποιητὴν ἰάμβων ἀκούεις Ἀρχίλοχον. Flagrantius peccatur in sqq. αἰδοῦμαι δ' οὐδὲν ἀνδρὶ φίλῳ ἐγκαλῶν ἔπειτα φεύγων τὴν ἐκείνου οἰκίαν, nam manifestum est haec dici non posse nisi ab eo, qui *re vera* domum amici fugit eiusque fugae se pudere fatetur; cum tamen sensus sit eum eiusmodi rusticitatem et ingrati animi indicium *aversari et se indignum putare*. Quamobrem necessario corrigendum: ἔπειτα Φεύγειν. Contrarium errorem Herwerdenus procuravit in Amor. C. 28: αἰσχύνομαι καὶ λέγων reponens pro λέγειν.

Bifariam erratum est in proximis in verbis: καὶ εἰ μή τις ὑπακούσῃ αὐτῇ, τοῦτον τῇ τέχνῃ ἀμύνεται. Etenim εἰ μή τις pro εἴ τις μή in tali sententia non magis ferendum quam si quis Latine pro *si quis ei non obsecundaret, hunc arte ulciscebatur, si nemo* scribere voluisset, et in εἰ cum *coniunctivo iunctum grammatica* plectitur. Neque hoc fugerat Ludovicum Dindorfium, qui tamen minus recte *Futurum Indicativi* restituit, cum *Optativum* ὑπακούσειεν deberet, quo etiam ducit quod Reitziana exhibet: ὑπακούσει. Eodem remedio utendum in fine Cap. 11 pro eo quod in libris apparet: ἐπιτρέψοι sive ἐπιτρέψει scribendo: ἐπιτρέψειε. Exempla huius constructionis, qua de re *usitata* vel *iterata* εἰ cum *Optativo* iungitur, apud Lucianum sunt frequentissima; v. c. Prom. C. 10: εἰ δὲ καὶ πάνυ ὀργισθεῖεν κονδύλους ἐνέτριψαν; D. M. XXX. 2: εἰ τοίνυν ἀναγκασθείς τις ὑπ' ἄλλου φόνευσειέ τινα... τίνα αἰτιάσει τοῦ φόνου; Iupp. Confut. C. 18: εἴ τις ἀκούσιόν τι δεινὸν ἐργάσαιτο, κολάζεσθαι καὶ τοῦτον δικαιοῖ; alia sexcenta, quae unusquisque nullo negotio sibi colliget. Post pauca inserendum: καὶ πολλοὺς [μὲν] μετεμόρφωσεν εἰς ζῷα, τοὺς δὲ [καὶ] τέλεον ἀπώλεσε.

Cap. 6. Quod initio huius capitis legitur, Homericum: ἔνθεν ἰλών (pro quo Bergkius ἑλών requirebat) hic illic apud sequi-

Digitized by Google

ores usurpatur, quod Plutarchi causa memoro, in cuius suavissimo libello 'Quomodo Adulator ab Amico internoscatur' eadem locutio latet, sed vitio scribarum obscurata. Locus est ex Cap. XIII. (57 B). 'Adulator saepe levibus et falsis criminibus confictis' — utor Xylandri versione, a Wyttenbachio emendata — 'tamquam has ex aliorum habeat dictis, studiose ad dominum accedit, ac interrogat, ubinam tale quippiam egisti aut dixisti?' Pergit deinde Plutarchus: *ἀρνούμενον δέ, ὡς εἰκός, αὐτόθεν ἔχων, ἐμβέβληκεν εἰς τοὺς ἐπαίνους τὸν ἄνθρωπον* ctt. Ubi cum *αὐτόθεν ἔχων* nihil omnino significet, equidem punctum temporis non dubito Plutarchum, leviter immutatis Homericis, *αὐτόθεν ἐλών* dedisse, ut indicaret adulatorem summo cum ardore et tamquam pleniş manibus e ficticiis illis criminibus hausisse quo maioribus laudibus 'regem' suum extolleret. In fine capitis pro *δεῖρε* ex proxime praegressis: *σφάττειν καὶ δέρειν* restitue: *δέρε*, et scribe: *συγκαθευδήσῃ* pro *καθευδήσῃ*.

Cap. 7. *τῶν δὲ στρωμάτων ῥόδα πολλὰ κατεπέπαστο, τὰ μὲν οὕτω [γυμνά, καθ' ἑαυτά], τὰ δὲ λελυμένα, τὰ δὲ στεφάνοις συμπεπλεγμένα.* Glossematis speciem referunt quae uncinis inclusi. Vide de hoc usu adverbii annotationem meam ad Catapl. Cap. 28 (Mnem. Vol. XIII. p. 436). Pro *συμπεπλεγμένα* naturae rei accomodatius videtur *ἐμπεπλεγμένα*, ut est v. c. apud Theocritum (III. 23) de corona quam amator Amaryllidi suae destinaverat

ἐμπλέξας κυλίκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.

Cap. 10. *σκόπει δέ, μὴ οὐκ ἐν κόσμῳ τὰ παλαίσματα ὑποβάλλῃς· ἄλλα γὰρ ἐξ ἄλλων ἐπιτάττεις.* Quoniam sensus est: sed vide, *num* non ordine luctationes praescribas, neque ulla *cavendi* aut *metuendi* notio his verbis subest, necessario *Indicativus* reponendus: *ὑποβάλλεις*.

Cap. 11. Non mediocriter offendor in vulgatae lectione: *ἐπεὶ ἐμὲ* (lg. pro *με*) *τὸν πάλαι ἀδαμάντινον ... συλλαβοῦσα τῇ τέχνῃ ταύτῃ αἰχμάλωτον ἔχεις ἐρωτικῷ πολέμῳ ψυχαγωγοῦσα.* Nonne 'frontibus adversis' secum pugnant *πόλεμος* et *ψυχαγωγία*? quorum alterius omne est momentum in cogendo et violando, alterius in persuadendo et mulcendo et deliniendo? Quid igitur inconcinnius cogitari potest quam

Digitized by Google

πολέμῳ ψυχαγωγοῦσα? Nam *oxymoro* hic quidem nullus est locus. Omnia salva erunt et sana ubi verba: τῇ τέχνῃ ταύτῃ et: ἐρωτικῷ πολέμῳ inter se transposueris, quemadmodum etiam locum intellexit interpres Germanus, Theodorus Fischer, ita convertens: „hast du durch diese deine Kunst gefesselt und in dem Liebeskriege zu deinem Gefangenen gemacht".

Ibid. οὐδὲ γὰρ γράμματα ἔμαθον. Confirmatur h. l. Hartmanni suspicio in Rhet. Praec. C. 14: οὐδ' ἦν, τὸ καινότατον, μηδὲ γράφειν τὰ γράμματα εἰδῇς verbum quod est γράφειν proscribentis, nisi quod una opera expunctum opertuerat *articulum*, qui in hac locutione admitti non videtur. Cf. ex plurimis Cratinum (Mein. Com. II. p. 86):

ἀλλὰ μὰ Δί' οὐκ οἶδ' ἔγωγε γράμματ' οὐδ' ἐπίσταμαι.

Eodem modo Philemon (Ibid. IV. p. 51):

Μάγας, κακόδαιμον, γράμματ' οὐκ ἐπίστασαι;

et in Γνώμαις Μονοστίχοις:

γράμματα μαθεῖν δεῖ καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν.
ὁ γράμματ' εἰδὼς καὶ περισσὸν νοῦν ἔχει.
διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Adde ipsum Lucianum in Dial. Meretr. X. 2: οἶσθα γὰρ δή που γράμματα.

Cap. 12. Quid sibi vult nulla probabili causa iteratum adverbium in hisce: νῦν, ἔφην, ὁ καιρός, ὦ Πάλαιστρα, τῆς εἰς ἐμὲ χάριτος, ἣ νῦν ἔχεις τὸν σεαυτῆς ἱκέτην ἀναπαῦσαι πολυχρονίου ἐπιθυμίας? Non tamen, quantum ego iudico, alterum νῦν eiiciendum, sed potius importunum ἣ, de quo ne constat quidem, cum Codd. aliquot non ἣ exhibeant, sed ἅ. Nihil attinet exempla afferre eiusmodi *anaphorae*; omnium instar sit Xenophontis exhortatio: ἄνδρες, νῦν εἰς τὴν Ἑλλάδα νομίζετε ἀμιλλᾶσθαι, νῦν πρὸς τοὺς παῖδας καὶ τὰς γυναῖκας, νῦν ὀλίγον τυπήσαντες χρόνον ἀμαχεὶ τὴν λοιπὴν πορευσόμεθα (Anab. III. 4. 46). Et hoc quidem loco talis exclamatio, plena gaudii et expectationis, Lucio vel maxime convenit propter votum tandem aliquando expletum laetitia gestienti. Similiter ἣ se insinuaverat in Dial. Mort. XIV. C. 5: [ἣ] καὶ ὁ Ἄμμων γόης καὶ ψευδόμαντις ἠλέγχετο, ubi expulsum est a Fritzschio, qui tamen neglexit *participium* addere: ψευδόμαντις [ὤν]. Cf. Apolog. C. 6: ἠλέγχθης πίθηκος ὤν.

Digitized by Google

Ibid. Hipparchi uxor in corvum conversa ὅσα ὀρνίθων κτήματα καὶ σύμβολα πάντα εἶχε. Ubinam quaeso hae sunt avium *opes* et *facultates*,

οὗ πρῶτα μὲν δεῖ ζῆν ἄνευ βαλλαντίου?

Melius intellegam: σήματα, *notae*, *indicia*, *insignia*.

Ibid. κρώξασα δεινὸν καὶ οἷον ἐκεῖνο οἱ κόρακες ἀναστᾶσα ᾤχετο πετομένη διὰ τῆς θυρίδος. Hic primum repone: οἷον ἐκεῖνοι, expuncto quod sciolus adscripserat: οἱ κόρακες. Deinde pro ἀναστᾶσα, quod de muliere iam in corvum mutata risum movet, aut ἀναπτᾶσα corrigendum erit aut ἀνῴξασα; sed hoc praefero et propter sequens πετομένη et quod minus vulgatum ἀνῴξασα facilius corrumpi poterat — calamitosum est verbum ᾄττειν et in alia omnia detorqueri solet — et quod de avi sublime pinnis elata ἀνῆττειν est verbum legitimum, ut apud Homerum de Minerva (Od. 22. 239):

αὐτὴ δ' αἰθαλόεντος ἀνὰ μεγάροιο μέλαθρον
ἵζετ' ἀναΐξασα, χελιδόνι εἰκέλη ἄντην.

Et omnino ἀΐσσω de *volantibus* est pervulgatum; cf. Hom. Il. XIV. 320; XV. 150; XXI. 247; XXIII. 868 ctt.

Cap. 13. Miror omnes Editores intactum reliquisse manifesto vitiosum: ἐγὼ δὲ σπεύδων ἤδη ἀποδύσας χρίω ὅλον ἐμαυτόν pro ἀποδυσάμενος. Ne forte ἀποδύς requirat aliquis, notandum auctorem huius fabulae cum recentioribus omnibus his formis Aoristi Secundi, quae Atticis solae in usu fuerunt, constanter abstinere. Cf. C. 8: ὥστε ἀπόδυσαι; C. 9: ἡ δὲ ἀποδυσαμένη τὴν ἐσθῆτα; C. 20: ἀποδυσάμενοι ἠλείφοντο; C. 51: ἀποδυσαμένη παρέστη τῷ λύχνῳ. Mox pro: καὶ τούτους οὐδὲν ἄλλο ἢ ὅπλας verius puto: οὐδὲν ἀλλ' ἤ, ut apud Aristophanem:

οὐδὲν γάρ ἐστ' ἀλλ' ἢ κόαξ

et multis aliis locis a Kockio indicatis ad Eqq. vs. 780. Perraro haec intacta evadunt. In extr. virgula transponenda in verbis: ἐπεὶ δὲ περιεσκόπουν, ἐμαυτὸν ἑώρων ὄνον: *cum me ipsum circumspicerem*, *videbam me asinum esse*; itaque post ἐμαυτὸν distinguendum.

C. 16. De vitio constat, non item de emendatione in verbis: ἐγὼ δὲ ἀνυπόδητος ἀσυνήθης ἀπιὼν πέτραις ὀξείαις ἐπιβαί-

Digitized by Google

ναν ... ἀπωλλύμην. Tento: ἀνυπόδητος, ἀσυνήθης ἔτι ὤν, πέτραις ὀξείαις ἐπιβαίνων.

Cap. 17. τὰ δὲ ῥόδα ἐκεῖνα οὐκ ἦν ῥόδα ἀληθινά, τὰ δ' [ἦν] ἐκ τῆς ἀγρίας δάφνης φυόμενα. Alterum ἦν, ex priore invectum, melius aberit; quod si retines, addendus erit articulus: τὰ ἐκ τ. ἀ. δ. φ. In fine miror: κακὸν ἄριστον ὄνῳ τοῦτο παντὶ καὶ ἵππῳ, quod prorsus superfluum videtur. An fortasse: πάνυ?

Cap. 18. καὶ τὰ ὦτά μου κατέκλασε. Nimium hoc videtur et praetulerim fere: κατέθλασε. Notum est ὠτοθλαδίας et cf. Alexidis fragmentum apud Athen. XI. p. 784ª (Mein. Com. III. p. 510), quo poculum describitur

παλαιόν, ὦτα συντεθλασμένον σφόδρα

et Theocriteum illud (XXII. 45) de pugile:

δεινὸς ἰδεῖν, σκληρῇσι τεθλασμένος οὔατα πυγμαῖς.

Ibid. ἐμὲ δὲ παίοντες οὐ πρότερον ἀφῆκαν πρὶν ἢ ὑπὸ τῆς ὀδύνης πάντα τὰ λάχανα κάτωθεν ἐξεμέσαι. Notum est perpetuo a librariis ἀνιέναι et ἀφιέναι permutari et est ubi ambigas; sed hoc quidem loco sine dubio ἀνιέναι reponendum, nam sensus est: *verberandi finem non fecerunt*, et ἀφιέναι cum *participio* non iungitur. Cf. Eur. Iph. Taur. vs. 318:

ἡμεῖς δ' οὐκ ἀνίεμεν πέτρους
βάλλοντες, ἄλλος ἄλλοθεν προσκείμενοι;

Icaromen. C. 21: οὐδὲν ἀνιᾶσι διασπαράττοντές με; Conv. C. 36: οὐκ ἀνῆκε καρτερῶς ἀντεχόμενος, ctt. Contrarium errorem tollebam pro ἀνῆκεν ἐκ τῶν ὀνύχων in Toxaridis Cap. 16 rescribens: ἀφῆκεν.

Cap. 21. Quod initio huius capitis occurrit: πλεῖστα ὅσα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ facit ut reminiscar loci in libello 'de Imaginibus', quem de eo agens corrigere neglexi. Legitur ibi in Cap. 5 de Stratonica Seleuci uxore: φαλακρὰ ἐτύγχανεν οὖσα καὶ οὐδὲ ὅσας ὀλίγας τὰς ἑαυτῆς τρίχας ἔχουσα; sed nihil certius quam verbis transpositis: ὀλίγας ὅσας esse legendum, ut init. Alexandri: ὀλίγους ὅσους τῶν κοφίνων ἐκφορήσας; Iupp. Trag. C. 8: ὀλίγον ὅσον τοῦ χρυσοῦ ἀποστίλβοντες; et passim. Mox ex F. recipe: ἐλούσαντο καὶ αὐτοί pro οὗτοι et corrige: τῶν ἔνδον ἄρτων ἡσθίον pro ἄρτον.

Cap. 22. Subdubito num recte dictum sit quod hoc capite legitur: συμπεσόντες οἱ λῃσταὶ τοῖς ὀχήμασι; putabam enim

Digitized by Google

de *solis animantibus* συμπίπτειν usurpari; praetulerim certe: ἐμπεσόντες.

Ibid. Vitium a tralaticiis apparet in verbis: ῥίψωμεν αὐτὸν ἀπὸ τοῦ κρημνοῦ pro κατά. Apud optimum quemque scriptorem sic peccatur, ut saepe ostenderunt et Cobetus et alii. Cf. Pisc. C. 44: κατὰ τῶν κρημνῶν ἁλλόμενοι; Apol. C. 10: κατὰ κρημνῶν ἡλιβάτων ῥιπτεῖν; Phal. I. C. 12: κατὰ κρημνῶν ἄταφον ῥιπτεῖν; Amor. C. 16: κατὰ πετρῶν ἐνεχθέντα. In C. 39 emenda: κάτω ποι ἐς κρημνὸν ἄφες pro που.

Cap. 23. τὸν δὲ ἄθλιον τοῦτον ὄνον ... τί ἐπάγομεν; Nemo in Graecia natus, cum *secum ducere* exprimere vellet, unquam ἐπάγειν dicebat aut scribebat pro ἐπάγεσθαι. Sexcenties apud Lucianum hoc sensu ἐπάγεσθαι reperitur, cf. Tox. C. 61: ἐπαγόμενος καὶ γυναῖκα καὶ παιδία δύο; Iud. Voc. C. 7: ἐπηγόμην τὸ κράτιστον ῥᾳ̃; Sacrif. C. 2: ἐπαγόμενος καὶ τοὺς ἄλλους θεούς; Gall. C. 3: ἐπάγεσθαι καὶ τὸν Ἀλεκτρύονα; Piscat. C. 17: ἐπάγωμαι καὶ τὼ θέραπαινιδίω; Scyth. C. 8: Σόλωνα ἐπαγομένω Ἀθήνηθεν; Amor. C. 10: σύμπλους αὐτοὺς ἐπηγόμην; Deor. Concil. C. 4.: τὸν χόρον ἐπαγόμενος, multis aliis locis. Non tamen h. l. ἐπαγόμεθα rescripserim, sed potius: ἔτι ἄγομεν sicut continuo sequitur: τὸν ἵππον ἄγοντες et C. 26: ἦγεν οἴκαδε et C. 35: τῷ δεσπότῃ εἰπόμην ἄγοντι et C. 43: ἦγέ με πάλιν ἐς τὸν κῆπον ctt. Post pauca aptius videtur προελθοῦσα quam quod vulgo legitur: προσελθοῦσα; virgo captiva vetulae clamore excitata ex praedonum receptaculo *prodibat*.

Cap. 25. τί ποιοῦμεν, ἔφη τις αὐτῶν, τὴν δραπέτιν; Etsi idem vitium recurrit in Iove Tragoedo versus finem: ἡμεῖς δὲ τί ποιοῦμεν ἐπὶ τούτοις; et alibi fortasse, attamen innumeris paene locis evincitur in talibus *Coniunctivum* esse restituendum, sicut recte sequitur: τί δ' ἄλλο ἢ τῇ γραῒ ταύτῃ κάτω ἐπιρρίψωμεν αὐτήν; Prorsus eandem constructionem habemus in Cap. X Piscatoris: τί ποιῶμεν .... τί δ' ἄλλο ἢ βαδίζωμεν ἐπὶ τὸ δικαστήριον; In sqq. pro τὸ νεκρῷ ὄνῳ συνοικεῖν malim fere ἐνοικεῖν, ut supra: τὴν ἀγαθὴν ταύτην παρθένον τῷ ὄνῳ ἐγκατοικίσωμεν. Permire etiam dictum videtur: τὴν μὲν κεφαλὴν ἔξω τοῦ ὄνου πρόχειρον; expectaveris: προὔχουσαν.

Cap. 27. Supplendum: ὡς (ἐς) ὄνον με καὶ οὐ κύνα τῇ τέχνῃ

Digitized by Google

μεταθεῖσαν. Post pauca praetulerim: πολλὰ καὶ οἷα pro ὅσα, ne bis idem dicatur.

Ibid. ὁ πατὴρ ἐκέλευσεν ἐλεύθερον ἀφιέναι ὑπαίθριον καὶ σὺν ταῖς ἀγελαίαις ἵπποις νέμεσθαι. Si non per se satis pateret copulam loco motam et ante ὑπαίθριον ponendam esse, duo hi loci collati facerent fidem, alter in Cap. 24: ἐλεύθερόν σε ταντὸς ἔργου ἀφήσω, alter in Cap. 28: οὔτε ὑπαίθριος νεμόμενος. Mox *particula* excidit in verbis: καὶ αὕτη δικαιοτάτη ἀμοιβὴ [ἂν] ἐδόκει τότε, εἰ ἦν τὰ πράγματα ἐν ὄνῳ δικαστῇ.

Cap. 28. ἐχρῆν δ' ἄρα κἀνταῦθα ὥσπερ Κανδαύλῃ κἀμοὶ γενέσθαι. Interpres Germanus hic haerere se fatetur; nec mirum; periit enim vocabulum ad sententiam prorsus necessarium, quod facile ex Herodoti narratione (I. 8) suppletur, scil. κἀμοὶ (κακῶς) γενέσθαι. Tamquam alteri Candauli infortunium in mundo sibi fuisse queritur. Paullo infra: ἀεὶ γάρ με μοιχὸν ὑποπτεύοντες εἶναι .... ἐδίωκον ἀμφοτέροις εἰς ἐμὲ ὑπολακτίζοντες. Pro ἀεί, quod misere languet, propono: ἅτε et ἀπολακτίζοντες pro ὑπολακτίζοντες. Cf. C. 18: ἀπολακτίσας ἀμφοτέροις et C. 33: ἀπολακτίσας ἵεται δρόμῳ.

Cap. 29. ὑψηλὸν ὄρος ἀναβαίνειν ἔδει, ὀρθὴν δεινῶς ὁδόν. Potestne ὀρθός eodem sensu adhiberi quo ὄρθιος? Desidero exemplum.

Ibid. καὶ ἀεὶ ἔπαιεν ἐς τὸ αὐτὸ τοῦ μηροῦ, ὥστε ἀνέῳκτό μοι κατ' ἐκεῖνο ὁ μηρὸς τῇ ῥάβδῳ. Usus *Plusquamperfecti* potius ducit ad ἕως vel ἕστε.

Cap. 30. Sanum non videtur: ὑπὸ τῶν ξύλων ἀπωλλύμην, εἰ δὲ φεύγοιμι τὸ ξύλον, τότ' ἤδη τὸ δεινὸν ὄπισθεν ὀξὺ προσέτιττε. Quotiescunque enim miserrimus asellus 'fuste dolatur' — et erat, si quis alius, 'plagigerulus' — *singulari* numero scriptor utitur, non *plurali*. Sic in C. 16: ἔπαιε ξύλῳ et C. 18: συνέκοψε τῷ ξύλῳ et C. 19: ξύλῳ παίοντες; C. 22: τῷ ξύλῳ τυπτόμενος; C. 24: τὸ ξύλον εἵπετο, ctt. Et pluralis numerus h. l. eo minus ferendus, quod statim singularis subsequitur. Suspicor fere incommodum ξύλων ex proximo τὸ ξύλον originem duxisse et scriptum fuisse: ὑπὸ τῶν πληγῶν.

Cap, 31. τὸ στυππεῖον [τὸ] πολὺ συνενεγκὼν κατέδησεν ἐπ' ἐμέ. Articulum, quem in editione mea iampridem obelo notaveram, nunc video in parte librorum omitti. Rectissime; nam sensus

Digitized by Google

est: *magna vi stuppae coacervata.* Cf. de Luctu C. 9: ἐπειδὰν συναλισθῶσι πολλοί. Mox supplendum: καὶ δινῶν καὶ στρέφων ἑμαυτὸν (ἐν) τῷ πηλῷ. Eadem praepositio intercidit in C. 53, ubi lege: τὸν οἶνον ἡμῖν (ἐν) χρυσίῳ διακονούμενοι.

Cap. 32. ἐπὰν γυναῖκα ἢ παρθένον ἴδῃ ἢ παῖδα, ἀπολακτίσας ἴεται δρόμῳ ἐπ' αὐτούς, ὡς εἴ τις [ἐρᾷ] ἄνθρωπος ἄρρην ἐπὶ ἐρωμένῃ γυναικὶ κινούμενος. Genuinum non videtur ἐρᾷ, sed additum ab eo qui non perspiceret ad εἴ τις verbum quod est ἴεται subaudiri debere. Sententia enim manifesto haec est: asinum in feminas et pueros irruere tamquam si ab eo ᶜcui inguina tument impetus fiatᵉ in amores suos.

Cap. 33. Necessario supplendum: καὶ ἦν ἔρηταί (τις) πῶς οὗτος ἀπέθανε, λύκου τοῦτο καταψεύσασθε.

C. 34. Morte peius castrationem asinus timens potius quam eunuchus fieret, de saxo praecipitem se dare decrevit, ut quamvis misera morte integer tamen et sincerus occumbat. Ut huic sententiae Graeca respondeant, supplendum arbitror: ἔνθα ἐκπεσὼν θανάτῳ (μὲν) οἰκτίστῳ, ὁλόκληρος (δ') ἔτι καὶ ἀκέραιος νεκρὸς τεθνήξομαι.

Cap. 36. ᶜFatumᵉ, inquit, ᶜmihi dominum immisit *qualem non optavissem*ᵉ. Hoc Graece dicendum erat: οἷον οὐκ ἂν εὐξάμην, non ut editur: εὐξαίμην. In praegressis melius scribetur: οἱ δὲ προσιόντες ἰδεῖν ἤθελον τὰ στόματα ἡμῶν καὶ ἀνοίγοντες τὴν ἡλικίαν ἐν τοῖς ὀδοῦσιν ἔβλεπον quam ἀνοίγοντες καὶ τὴν ἡλικίαν.

Cap. 38. καί ποτε εἰς κώμην τινὰ αὐτῶν εἰσβαλόντων ἡμῶν. Verius putaverim: ἐμβαλόντων, eadem ratione dictum qua tritissimum illud: ἐμβάλλειν εἰς ἀγοράν. Certe Cobetus in Cap. 12 Alexandri ἐμβαλὼν ... ἐς τὴν πατρίδα correxit pro ἐσβαλών; quam correctionem in textum recepit Hartmannus.

Mox pro absurdo φλια quantocyus reponatur: φλα, quod Reitziana exhibet. Post pauca, ut tollatur asyndeton h. l. minime aptum inserenda copula: γέλως ἐκ τῶν ἐπεισελθόντων πολὺς γίγνεται (καὶ) ἔξω ἐκδραμόντες ὅλῃ τῇ κώμῃ τῷ λόγῳ διέδωκαν τῶν ἱερέων τὴν ἀσέλγειαν.

Ibid. οἱ δὲ αἰδούμενοι δεινῶς ταῦτα ἐληλεγμένα τῆς ἐπιούσης νυκτὸς ἔνθεν ἀπήλασαν. Ne Graecum quidem videtur: αἰδοῦμαι ταῦτα ἐληλεγμένα pro [ἐπὶ] τούτοις ἐλη-

Digitized by Google

λεγμένοις. Repone quod iamdudum correctum oportebat: ἐληλεγμένοι. Cf. Dem. VIII. 9: ταῦτα μὲν ἐξελέγχοντες; XVIII. 81: καὶ περὶ τῶν ἄλλων μηδὲν ἐξελέγχεσθαι; Eur. El. vs. 36: οὐ δὴ τοῦτό γ' ἐξελέγχομαι. In extr. supplendum: καὶ μὴν καὶ ἀποσφάξαι [με] μετὰ τὰς μάστιγας ἐβουλεύσαντο, quod quo modo perierit vides.

Cap. 39. ἐνθάδε οἶδα μέγαν κίνδυνον αὐτὸς ὑποστάς. Quemadmodum in Amor. C. 51 αὖθις pro αὐτὸς corrigebam, hoc quoque loco haec vocabula a librariis confusa videntur. Mox libri variant inter: καὶ σκευάσας (τὸν μηρόν, scil.) τῷ δεσπότῃ ἀπῆλθες et: καὶ κατασκευάσας. Jacobitius hoc probavit; sed illud verum esse his locis arguitur: οὐ γὰρ μόνα ταῦτα τὰ ῥᾴδια ἐδώδιμα σκευάζω (C. 5); καὶ τὰ κρέα δὲ ὑμῖν τὰ ἄγρια τετευάσασα ἔχω (C. 20); κἀκεῖνος τοῦτο ἐσκευατμένον ἄριστον (C. 25); τοῦτον ὁ μάγειρος σκευάσαι λαβών (C. 39); τὰ ὄψα τῷ δεσπότῃ ἐσκεύαζε (C. 46); τράπεζα ἡμῖν παρέκειτο καὶ πολλὰ ἐσκευασμένα ἐπ' αὐτῇ ἔκειτο (C. 53).

Ibid. ἄριστα, ἔφη, σοι, γύναι, ταῦτα. Ratio et usus requirunt: τοι. Cf. Tim. C. 53: ἀπίθανά σου καὶ ταῦτα; V. Auct. C. 23: γενναῖά σου ταῦτα καὶ δεινῶς ἀνδρικά; Pisc. C. 24: γενναῖά σου ταῦτα; Anach. C. 19: εὐγνώμονά σου ταῦτα, et ita passim.

Cap. 40. κἀγὼ μὲν ᾤμην κομψόν τι τοῦτο πρὸς σωτηρίαν ἐμὴν εὑρηκέναι, καὶ τὸν δεσπότην τῶν ἀγρῶν κελεύειν ὡς ἀγέρωχον ἤδη ἐμὲ κατακλεισθέντα φυλάττεσθαι. Quid evidentius quam futurum requiri: κελεύσειν? Quod versus finem legitur: κοιμηθήσεσθαι ἔμελλον librario potius quam scriptori imputandum; cf. C. 3: ἐπὶ ταύτης τῆς κλίνης κοιμήσει, et C. 56: μικρὰν ἀπελθὼν κοιμήσει.

C. 41. Galli deam Syriam circumferentes, postquam in pagum satis amplum et frequentem devenerunt, ut novis praestigiis credulos ductarent, miri aliquid et portentosi hariolantur: τὴν θεὸν μὴ μεῖναι ἐν ἀνθρώπου οἰκίᾳ, τῆς δὲ παρ' ἐκείνοις μάλιστα τιμωμένης ἐπιχωρίου δαίμονος τὸν ναὸν οἰκῆσαι. Hoc igitur hominibus prodigiosum et prorsus inauditum videbatur, deae signum non in privatis aedibus, sed in templo positum fuisse? Quidni deus ad deum deverteret? Ita demum admirationi et stupori locus fuisset, si dea ipsa haec sibi placere significasset; sicut olim — si modo credimus — Veiis captis Iuno regina se

Digitized by Google

Romam commigrare velle — utrum nutu an voce inter scriptores discrepat — haud dubie indicavit et post duo fere saecula Magnae Matris simulacrum, cum a legatis Romanis peteretur, regem Attalum his verbis compellavit:

'Ipsa peti volui. Ne sit mora. Mitte volentem.
Dignus Roma locus, quo deus omnis eat'.

Eodem modo, opinor, deae Syriae imago voluntatem declaraverat, quam contemnere nefas erat habendum. Itaque sine dubio supplendum: *τὴν θεὸν μὴ μεῖναι* [*ἐθέλειν*] *ἐν ἀνθρώπου οἰκίᾳ.*

In Cap. 42 oppositio postulat: *ἐγὼ δὲ ἠπιστάμην* [*μὲν*] *ὅπως χρὴ ἀλεῖν, προσεποιούμην δὲ ἀγνοεῖν.*

Cap. 44. *ἔπαιεν οὕτω καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ λίθῳ τῷ ἐκ τῆς ὁδοῦ.* Evidens mendum est in *τῷ*, pro quo sane in promptu esset rescribere: *τῳ*, nisi magis placeret: *τῶν*, ut sit genetivus Partitivus, quem vocant.

Cap. 45. Qui alteri hortum *tradit* colendum, rectene dicitur *τὸν κῆπον ἐπιδοῦναι*? Vix crediderim, et cum in fine huius capitis codices fluctuent inter *παρέδοσαν*, *παρέδωκαν* et *ἐπέδωκαν*, eo magis adducor ut *παρέδωκε* corrigendum existimem.

Cap. 46. *ὁ δὲ στρατιώτης πωλήσειν με ἔγνω.* Ubicunque *γιγνώσκειν* et *διαγιγνώσκειν* cum *Futuro* coniuncta leguntur, locum vitiosum esse pronuntiabimus; nam non aliter quam cum *Praesente* aut cum *Aoristo* copulantur. Quam legem si scriptor Asini h. l. violare videtur, librarius, non ipse, deliquit, nam ubique religiose eam observat, quod loci a me collati demonstrant, quos adscribere non gravabor. Sunt decem hi: C. 16: *ἔγνων κερδαίνειν*; C. 18: *ἔγνων καταπεσεῖν*; C. 20: *ἔγνων φέρειν*; C. 33: *ἀποσιτῆσαι ἐγνώκειν*; C. 34: *ἔγνωσαν μηκέτι μένειν*; C. 35: *ἔγνωσαν ἱδρῦσαι*; C. 39: *ἔγνω κρεμάσαι ἑαυτόν*; C. 42: *πιπράσκειν ἔγνωσαν*; C. 43: *ἔγνων πωλῆσαι*; C. 53: *εἰσάγειν ἔγνωσαν.*

Cap. 47. *ὁρῶντες τὰ κριθίδια μὴ δαπανώμενα, ἀλλ' ἐν ταὐτῷ μέτρῳ ὄντα.* Immo vero: *μένοντα.* Sequitur: *ἔπειτα τὰς θύρας συγκλείσαντες, προσβαλόντες ὅπῃ τινὶ τὰ ὄμματα τῆς θύρας ἐσκοποῦντο τἄνδον.* Eiiciendum est *τῆς θύρας* et inepto loco interpositum et post *τὰς θύρας* prorsus supervacuum.

Ibid. Novum exemplum sollemnis paene confusionis inter *ἐν*

Digitized by Google

et σύν apparet in hisce: καὶ μέγα ἐν γέλωτι ἀναβοήσας εἰστρέχει εἴσω. Quid vulgatius apud omnes quam σὺν γέλωτι? Noli provocare ad C. 56; nam quod ibi legitur: τὴν ἐμαυτοῦ ἐν γέλωτι συμφοράν idem valet ac γελοίαν. Pergit: κἀγὼ σφόδρα ἠχθόμην ἐπὶ τοῦ δεσπότου κλέπτης ἅμα καὶ λίχνος ἐαλωκώς. Cum tamen non *coram* domino, sed *ab ipso domino*, qui per foramen ianuae conclave introspexerat, prandium interventens deprehensus esset, vix dubito ὑπό in archetypo fuisse.

Ibid. ἔπειτα τράπεζάν μοι παραθεῖναι εἶπε καὶ εἶναι ἐπ' αὐτῇ πολλὰ τῶν ὅσα μὴ δυνατὸν ἄλλῳ (an fortasse ἀληθινῷ? cf. C. 15 et C. 34) ὄνῳ καταφαγεῖν, κρέα λοπάδας (immo: λιπάδας) ζωμοὺς ἰχθῦς. Absurde imperasse dicitur ut obsonia illa confestim in mensa modo apposita *adessent*; quemadmodum praestigiator ex pileo tamquam ex sartagine placentas subitarias depromit. Una literula periit et θεῖναι est reponendum. Cf. ex C, 53: καὶ τράπεζα ἡμῖν παρέκειτο καὶ πολλὰ ἐσκευασμένα ἐπ' αὐτῇ ἔκειτο.

Cap. 48. Imperfecta, quibus medium interponitur, necessarium faciunt: ἐπεβαλλόμην pro ἐπιβάλλομαι.

Cap. 49. καὶ οἱ μὲν ἄνδρες τῆς μάχης ἤδη ἦσαν ἐν παρασκευῇ, καὶ ἀΦῖκτο ἡ πορεία. Quis homo sanus unquam dixit aut scripsit: *Iter sive profectio sive expeditio venerat* pro *tempore*, *hora*, *occasione itineris*, *profectionis*, *expeditionis*? Nemo, opinor. Ne una quidem litera mutata pro πορεία rescribe: πορεῖα. Scilicet hoc iter ex parte *rhedis* factum est, ut luculenter apparet ex proxime sequentibus: κἀγὼ τὸν δεσπότην ἔΦερον εἴποτε χωμίον εἴη τῆς ὁδοῦ τραχὺ καὶ τοῖς ὀχήμασιν ἐπιβαίνειν χαλεπόν. Itaque expectandum erat, dum satis magnum numerum curruum et plaustrorum undique contraxissent. Tandem omnia aderant: καὶ ἀΦῖκτο τὰ πορεῖα. Vox rarior eo sensu πορεῖον a Cobeto restituta apud Dion. Hal. p. 1607, legi iubente: ζεύγη τε ὀρικὰ καὶ ἁμάξας καὶ τἄλλα πορεῖα, *vehicula* pro vulgata Φορεῖα, *lecticae*.

Cap, 51. κἀγὼ οὐδέν τι τοῦ παρακαλέσαντος εἰς τοῦτο δεόμενος. Ne cogitari quidem potest pro: παρακαλέσοντος, quae forma apud hunc scriptorem nihil habet offensionis.

Ibid. ἡ γὰρ γυνὴ πολλοῖς τοῖς Φιλήμασι, καὶ τούτοις ἐρωτικοῖς, προκαλουμένη ὡς εἶδεν οὐ κατέχοντα, ὥσπερ ἀνδρὶ παρακει-

Digitized by Google

μένη περιβάλλεταί με καὶ ἄρασα εἴσω ὅλον παρεδέξατο. Vertunt: *cum me iam non continere videret.* Quod tamen cum totius loci ratione vehementer pugnat. ‘Asinus’, legimus in praegressis, ‘metuebat ne immani suo membro mulierem diffinderet et tamquam homicida poenas daret’. Et etiam post blanditias illas et contrectationes plenus erat timoris et amplexibus subducere se conabatur: κἀγὼ μὲν ὁ δειλὸς ἐδεδοίκειν ἔτι καὶ ὀπίσω ὑπῆγον (ita legere malim pro ἀπῆγον) ἐμαυτὸν ἀτρέμα κ. τ. λ. Unde satis apparet eum potius *trepidum* et *frigidum* amatorem fuisse quam cupidum et morae impatientem et ‘qui iam continere non posset’. Non poterat uno eodemque tempore et *ardere* et *pavere*. Itaque ὡς εἶδεν οὐ κατέχοντα stare non poterit; cum tamen sexcenties παρά et κατά in libris Mss. confundantur, non dubito reponere quod huic loco aptissimum est: ὡς εἶδεν οὐ παρέχοντα. Satis notum quid sit παρέχειν in re venerea. Ubi mulier libidinosa *non morigerum* videbat, et blanditias suas sperni, iam vi agere coepit et segnem amatorem ad se trahere et ‘εἴσω παραδέχεσθαι’. Sed satis superque de his immunditiis!

Cap. 54. ἱκέτευον αὐτὸν λαβόντα ἔχειν με ἐν φρουρᾷ ἕστ' [ἂν] αὐτὸν πείσαιμι. Non recte, ubi ἕστε cum Optativo iungitur, adiicitur *particula*. Idem vitium procurandum in libro De Saltatione (Cap. 5): ἕστε [ἂν] δασὺς εἴην τὰ σκέλη. In C. 55 legendum: κἀκ τοῦ δίφρου ἀναπηδήσας pro καί.

Cap. 56. κἀγὼ ἐπειθόμην νεμέσεως ἄξιον εἶναι νομίζων τὸν ὄνον [τὸν] ἀγαπηθέντα νῦν γενόμενον ἄνθρωπον ὑπερτρυφᾶν. Rectissime Codd. aliquot *articulum* omittunt, qui vel contra omnes eiiciendus erat. Sensus enim est: qui, *cum asinus esset*, amabatur, quod Graece dicendum erat: ὁ ὄνος ἀγαπηθείς, non: ὁ ὄνος ὁ ἀγαπηθείς.

Qui sequitur libellus: *Iuppiter Confutatus* levioribus tantum vitiis est inquinatus et quibus medicina plerumque est parata.

Fortasse non spernendum quod in Cap. 1 Parisinus C et vulgata offerunt: ἅπερ εὐκταιότατα τοῖς πολλοῖς pro τοῖς ἄλλοις. Non enim *ad unum omnes* ‘divitias et aurum et regna’ a dis immortalibus precantur, verum ‘bona pars hominum decepta cupidine falso’. Facit huc etiam Nigrini locus haud absimilis ex Capite quarto: πλούτου καὶ δόξης καὶ βασιλείας καὶ τιμῆς, ἔτι

Digitized by Google

τε χρυσοῦ καὶ πορφύρας καὶ τῶν (ἄλλων τῶν, ita ego supplevi) πάνυ περιβλέπτων τοῖς πολλοῖς.

Cap. 3. ἀκούω γοῦν ἁπάντων λεγόντων [καὶ] μηδὲν εἶναι Τύχης καὶ Εἱμαρμένης δυνατώτερον. Quod *nihil omnino* significat, recidere non dubitabimus. *Gorlicensis* auctoritas Editori imposuisse videtur; sed plus valet sana ratio et id quod cuique loco aptum est et consentaneum.

Cap. 4. ἀνεμνήσθην ἐκείνων τῶν Ὁμήρου ἐπῶν, ἃ πεποίησαι αὐτῷ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῶν θεῶν δημηγορῶν, ὁπότε ἠπείλεις αὐτοῖς ὡς ἀπὸ σειρᾶς τινος χρυσῆς ἀναρτησόμενος τὰ πάντα. Utendum erat hoc loco ad emendandum quod in Iove Tragoedo, ubi haec eadem Iovis magniloquentia suaviter ridetur, vitiose editur: καὶ μάλιστα ὁπότε ἀπειλοίης ἀνασπάσειν ἐκ βάθρων τὴν γῆν. Semper enim et ubique, sine ulla exceptione, ubi de re *semel* facta agitur, ὁπότε (quo contra usum Atticorum pro ὅτε abutitur) apud Lucianum cum *Indicativo* coniungitur, ubi de *iterata* cum *Optativo*. Si quis aliter sentit, 'δειξάτω, κἀγὼ στέρξω καὶ σιωπήσομαι'. Et re vera in loco Iovis Tragoedi genuina lectio: ἠπείλεις in libris aliquot servatur et sine mora est restituenda. Saepius Lucianus haec Homerica exagitat, ante omnia in Dialogo Deorum uno et vicesimo, ubi Martem inducit multa cum irrisione Iovis minas Mercurio enarrantem. Rex deorum ita locutus dicitur: ἐγὼ μὲν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ σειρὰν καθήσω, ὑμεῖς δ' ἀποκρεμασθέντες κατασπᾶν βιάσεσθέ με, ἀλλὰ μάτην πονήσετε· οὐ γὰρ δή κα θελκύσετε. Magnopere miror neminem quod sciam, offendisse in forma vitiosissima et Graeculorum indoctissimis relinquenda: καθελκύσετε pro καθέλξετε. Sed salva res est; quis nescit δή et ἄν perpetuo a scribis confundi? et hoc quidem loco pars librorum ἄν servavit. Itaque sine ullo dubio Lucianus scripserat: οὐ γὰρ ἂν καθελκύσαιτε; nam nostri arbitrii est ubicunque ε pro αι et αι pro ε reponere. Accedit quod Optativo revocato accuratius haec respondent ipsius poëtae verbis:

ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε.

Cap. 6. καὶ ὅπως ἀσφαλέστερον ἀποκρίνῃ. Scribae antiquum obtinent, quotiescunque ὅπως et ὅπως μή cum Futuro Indicativi inveniuntur, Coniunctivos temere substituentes. Librarius Codicis F, constructionem non expediens, ὅρα δέ de suo addi-

Digitized by Google

dit. Sed neque ab hoc neque ab illis transversos agi nos patiemur, sed hoc quoque loco reponemus quod unice verum esse poëtarum loci evincunt: ἀποκρινεῖ.

Cap. 7. ὑμῖν δὲ δυνατὸν ἀλλάττειν ταῦτα; Ad haec in margine: ‘an δ' οὐ?’ adscripseram, nescius hoc ipsum in Editione Principe exstare. Et sane melius ita scribetur; respiciuntur enim quae initio capitis quarti quamvis invitus Iuppiter concesserat, *deos omnes a filo Parcarum pendere*. Mox cum Hartmanno expunge: ταῖς Μοίραις.

Cap. 8. In fine huius capitis, ubi Cyniscus Iovem et ceteros deos ita alloquitur: ‘alii vestrum beati sunt, alii vero miseri; spoliamini a sacrilegis; ex divitibus pauperes puncto temporis interdum fitis’ non potuit subito, quasi de diis disputaret non ipsos alloqueretur, *tertiam* personam pro *secunda* inferre in verbis πολλοὶ δὲ καὶ κατεχωνεύθησαν ἤδη χρυσοῖ ἢ ἀργυροῖ ὄντες, οἷς τοῦτο εἵμαρτο δηλαδή, sed sine dubio perrexit ut coeperat: πολλοὶ δὲ καὶ κατεχωνεύθητε ἤδη. Scribae inconsiderate post πολλοί *tertiam* personam induxerunt. Eodem modo natus est error, quem indicavi in libro De Imaginibus (C. 9): ὁ δὲ ταῦτα εἰπὼν ὑπὲρ αὐτὸν τὸν οὐρανὸν ἀναβιβάζει τὴν γυναῖκα pro eo quod loci ratio postulat: ἀναβιβάζεις.

Cap. 14. Iusta causa erat, cur Apollo Croeso succenseret, διότι ἐπείρα ἐκεῖνος αὐτὸν ἄρνεια κρέα καὶ χελώνην ἐς ταὐτὸ ἕψων. Risum movet: ἐπείρα αὐτὸν; quod quo sensu ab Atticis adhibeatur, nemo Graece sciens est docendus. Neque aliter Lucianus. Cf. D. D. VI. 1: μῶν οὖν ἐπείρα τινά; et XXIII. 2: ἐπείρα σε, Διόνυσε; Vera lectio servata est in Marciano: ἐπειρᾶτο αὐτοῦ, sicut de hac ipsa re Herodotus (I. 46): διέπεμπε δὲ πειρεόμενος τῶν μαντηΐων.

Ibid. πλὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἐξαπαταθῆναι τῷ Λυδῷ ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ ἐπέπρωτο, οἶμαι, καὶ ἄλλως τὸ μὴ σαφῶς ἀκοῦσαι τὰ μέλλοντα ἡ Εἱμαρμένη ἐπέκλωσεν. Hic primum offensioni est absurda verborum traiectio, cui facile medeberis verba: τῷ Λυδῷ et ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ inter se transponendo. Deinde pro ἄλλως, quod varie tentatum est, repone quod sententiae quam maxime congruit: ὅλως, *omnino*, *in universum*.

Sequitur dialogus *Iuppiter Tragoedus* inscriptus, meo quidem

Digitized by Google

iudicio propter festivitatem et argumenti varietatem et dictionis elegantiam optimis Luciani operibus adnumerandus. Quem pro nostris viribus paullo emendatiorem reddere conabimur, initio facto a Capite secundo, ubi aliquid peccatum videtur in verbis: εἶτα βουλεύεσθαι (Iovem, scil.) ταῦρον ἢ σάτυρον ἢ χρυσὸν γενόμενον ῥυῆναι διὰ τοῦ ὀρόφου εἰς τὸν κόλπον τῆς ἀγαπωμένης. Non enim video quam explicationem haec verba admittant praeter eam, qua absurdius nihil cogitari possit, Iovem sub imagine *tauri* vel *satyri* per tegulas in Danaës gremium defluxisse! Manifestum est post σάτυρον nonnulla excidisse, αὖθις γενέσθαι vel simile aliquid.

Cap. 4. καὶ ὁ μὲν Δᾶμις οὔτ' εἶναι θεοὺς ἔφασκεν οὔτε ὅλως τὰ γιγνόμενα ἐπισκοπεῖν ἢ διατάττειν. Cum haec primum legerem, suspicabar ὅλως non suo loco positum fuisse, itaque locos cossimiles conquirere coepi, qui cum omnes suspicionem meam confirmarent, iam non dubito: οὔτ' εἶναι θεοὺς ἔφασκεν ὅλως rescribere. En locos a me collatos: ex hoc ipso dialogo C. 17: οὔτε προνοεῖν ἡμᾶς ἔφασκε τῶν ἀνθρώπων οὔτ' ἐπισκοπεῖν τὰ γιγνόμενα παρ' αὐτοῖς οὐδὲν ἄλλο ἢ μηδὲ ὅλως ἡμᾶς εἶναι λέγων; C. 18: ἢ μηδὲ ὅλως εἶναι ἡμᾶς ἢ ὄντας ἀπρονοήτους εἶναι σφῶν αὐτῶν; C. 19: διαιρούντων περὶ ἡμῶν ὡς οὐδὲ ὅλως ὄντων; Icaromenipp. C. 9: οὐδὲ τὴν ἀρχὴν εἶναι θεούς τινας ἐπίστευον; Tim. C. 10: μηδὲ ὅλως εἶναι ἡμᾶς τοὺς θεούς.

Ibid. ὁρᾶτε [τὸν κίνδυνον], ὡς ἐν στενῷ παντάπασι τὰ ἡμέτερα, ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ κινδυνευόμενα; Obversabatur Luciano haec scribenti Thucydideum illud: μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι; sed omne nimium nocet, et resecandum erit, quod sententiam non ornat, sed onerat, otiosi lectoris additamentum: τὸν κίνδυνον. Sequitur: καὶ δυοῖν θάτερον, ἢ παρεωρᾶσθαι ἀνάγκη ὀνόματα εἶναι μόνον δόξαντας ἢ τιμᾶσθαι ὡς πρὸ τοῦ. Licet affirmare non ausim formam Perfecti παρεωρᾶσθαι pro παρῶφθαι, qua veteres sane abstinuisse videntur, Luciano esse abiudicandam, hoc tamen loco nullus dubito, quin scribae idem peccaverint atque in duobus locis Demosthenis (II. 18 et XXIII. 105) παρεωρᾶσθαι pro παρεῶσθαι socordia invehentes. Etenim et Iovem, ut magnitudinem periculi declararet, *acriore* verbo usum esse credibile est et παρωθεῖσθαι

Digitized by Google

de diis neglectis et honore privatis Nostro est familiare, non item παρορᾶν. Cf. C. 9: ἀνέχεσθαι οὖν χρὴ παρεωσμένον; C. 20: τὴν πρόνοιαν ἡμῶν παρωθοῦνται; Iupp. Confut. C. 10: τῆς ἐπιμελείας παρωσάμενοι τὴν Εἱμαρμένην; Deor. Conc. C. 14: παρωσάμενοι τοὺς παλαιοὺς καὶ ἀληθεῖς θεούς; Tim. C. 4: παρωσάμενοί σε τῆς τιμῆς, alibi fortasse.

Cap. 5. Quod initio legitur: ἐν ταράχῳ τοσούτῳ in memoriam redigit locum ex Plutarchi libello de Exilio, ubi satis absurde editur (p. 602 E): φεύγοντα πολιτικὰς ἀρχὰς καὶ στάσεις καὶ συκοφαντίας ἐρινυώδεις; immo vero: ταραχάς. Poteritne ferri quod mox apud Lucianum legitur: τί δ' οὖν, ὦ Ἑρμῆ καὶ Ἥρα καὶ Ἀθηνᾶ, πράττοιμεν ἄν; ξυνευρίσκετε καὶ αὐτοὶ τὸ μέρος pro πράττωμεν, *quid faceremus* pro *quid faciamus?* Cras credam neque quidquam me movet quod in C. 48 Hermotimi non minus vitiose legitur: ἐπί τινα δὴ αὐτῶν πρῶτον ἔλθοιμεν ἄν, et in Imaginum C. 7: παρακαλέσαιμεν δὴ τοὺς γραφέας; nam sine dubio verum est quod priore loco restituit Cobetus, frustra obloquente Fritzschio: ἔλθωμεν et posteriore Herwerdenus: παρακαλέσωμεν. Ubi ex locis paene infinitis et ex ipsa linguae indole et analogia de lege dicendi constat, non curamus scribarum alucinationes. Mox melius scribetur: κἀμοὶ ταὐτὰ ξυνδοκεῖ ἅπερ καὶ τούτῳ quam: ταῦτα, et cum parte librorum: ἐν φανερῷ ἐσομένης τῆς ἕριδος τοῖς φιλοσόφοις quam γενομένης, quod quomodo adhiberi possit de disputatione propediem *futura*, me quidem latet.

Cap. 11. εἰ μὲν γὰρ ἐς τὴν ὕλην ἀποβλέποιμι, χαλκός ἐστιν, εἰ δὲ λογιζοίμην ἀΦ' ὁπόσων ταλάντων κεχάλκευται, ὑπὲρ τοὺς πεντακοσιομεδίμνους ἂν εἴη. Iniuria spernitur optima librorum A et F scriptura: χαλκοῦς, nam quae opponuntur ostendunt de *ipso colosso* hoc praedicari, *aureum* eum esse, non de *materia*. Idem vitium commissum in Epist. Saturn. C. 20 in verbis: αὐτοὺς ἐκείνους Φασὶ τοὺς ἀνθρώπους χρυσοῦς εἶναι ... ἡμεῖς δ' αὐτοὶ μὲν οὐδὲ μολυβδοὺς ἂν εἰκότως δοκοίημεν. Immo vero: μολυβδοῖ. Mox cum Vulgata legendum: ἔνθ' ἂν ἕκαστος ἐθέλῃ pro soloeco ἐθέλοι; sicut supra in C. 7 corrigendum: ὡς ἂν ὕλης ἢ τέχνης ἔχῃ pro ἔχοι.

Cap. 13. τὰ κοινὰ καὶ [τὰ] καθ' ἡμέραν ταῦτα βοῶντες. Articulum male abundare vel inde apparet quod in C. 50, ubi

Digitized by Google

haec eadem verba recurrunt, recte omittitur. In Cap. 14 inserendum: εὖ [γε], λέγεις ἐπίτομόν τινα ῥητορείαν.

Cap. 15. καὶ ταῦτα ἑκατόμβας ὅλας ὑπισχνούμενος ὁπότε ἡ ναῦς ἤδη πρόσεφέρετο τῷ σκοπέλῳ. Cum sensus sit: idque cum hecatombas totas *vovisset*, praeferenda videtur Codicum nonnullorum lectio: ὑποσχόμενος. Sequitur: ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἐννοῶν γίγνομαι καὶ κατὰ τὴν Ποικίλην, ubi καί, quod sensu vacat, dittographia ex κατά repetitum sine mora inducendum. Mire quam καί et κατά in omnibus libris confunduntur. In libro Plutarchi de Mulierum Virtutibus narratur (p. 248 F) urbe Salmatica in Hispania ab Hannibale expugnata, Salmaticos cum victore pactos fuisse, ut liberis corporibus ex urbe discedere cum singulis vestimentis liceret: συνεχώρησαν ἐξελθεῖν ἐν (ἑνὶ fortasse addendum) ἱματίῳ τοὺς ἐλευθέρους, ὅπλα καὶ χρήματα καὶ ἀνδράποδα καὶ τὴν πόλιν καταλιπόντας. Hoc scilicet Hannibali erat cavendum, ne per portas exeuntes *ipsam urbem* secum asportarent!! Dederat: κατὰ τὴν πόλιν καταλιπόντας. Aliud vitium in vicinia non minus manifestum ἐν παρέργῳ tollere libet. Salmatici, praesidio Poenorum trucidato, *universi* [ἀθρόοι] ex urbe aufugiunt. Deinde πυθόμενος ὁ Ἀννίβας καὶ διώξας τοὺς μὲν καταλειφθέντας εἶλεν, οἱ δὲ τῶν ὀρέων ἐπιλαβόμενοι παραχρῆμα μὲν διέφυγον, ὕστερον δὲ πέμψαντες ἱκετηρίαν εἰς τὴν πόλιν ὑπ' αὐτοῦ κατήχθησαν. Quid evidentius quam καταληφθέντας ἀνεῖλεν esse scribendum? Nulli omnino in urbe *relicti* erant, sed eorum, qui fugerant, partim quos milites ab Hannibale immissi *consecuti* erant, obtruncabantur, partim qui in montes evaserant, postea venia impetrata in urbem redierunt. Sed ad Lucianum revertor.

Cap. 17. ἀπῆλθον οὖν ἐς τὴν ὑστεραίαν ξυνθέμενοι ἐς τέλος ἐπισκοπῆσαι τὸν λόγον. Mirum in modum hic variant libri Mss, quorum in aliis est: ἐπισκοπήσειν, in aliis: ἐπεξελεύσεσθαι τὸ σκέμμα. Amat sua repetere Lucianus et collato Cap. 4: διελύθησαν γὰρ ἐξαῦθις ἐπισκέψεσθαι τὰ λοιπὰ συνθέμενοι vix dubito eandem *Futuri* formam hic quoque restitui debere. In praegressis scribendum: πλὴν ἐκεκμήκει γε ἤδη pro inepto: γάρ.

Ibid. Ex constanti Luciani usu supplendum: ἦσαν δὲ καί (τινες) οἱ μὴ ἀξιοῦντες προκατεγνωκέναι τῶν ἐναντίων. Cf. supra:

Digitized by Google

καὶ εἶχε μέν τινας καὶ αὐτὸς τοὺς ἐπαινοῦντας; Abdic. C. 3: καὶ ἦσάν τινες οἱ μανίας ἀρχὴν ταῦτα εἶναι νομίζοντες; Fugitt. C. 13: καί πού τινες καὶ ἦσαν οἱ πιστεύοντες αὐτῷ; Icaromen. C. 9: ἦσάν τινες οἱ τῆς συμπάσης ἐπιμελείας αὐτοὺς ἀφιέντες. In Cap. 19 legendum: λεγόντων (μέν) ... οὐ μέντοι δηλούντων, et in Cap. 21: εἴ ποτέ σοι ἐμέλησεν ἐς τοσοῦτον τῶν ἐν τῇ γῇ, ὥστ' (pro ὡς) ἐξετάσαι οἵτινες αὐτῶν οἱ Φαῦλοι ἢ οἵτινες οἱ χρηστοί εἰσιν, et in Cap. 22: καὶ (τὸν) Κερκύονα.

Cap. 25. δύο μου τῶν πλοκάμων ἀποκείραντας ἓξ μνᾶς ἑκάτερον ἕλκοντα. Ex loco gemello in Catapl. C. 9: καὶ τοὺς δύο κρατῆρας προσθήσω ... ἕλκοντας ἑκάτερον χρυσοῦ ἀπεφθοῦ τάλαντα ἑκατόν hic quoque *Pluralem* auctori reddiderim.

Cap. 29. τὸν μὲν Δᾶμιν αὐτοπρόσωπον [καὶ δι' αὐτοῦ] λέγειν, τὸν δὲ ὑποκριτῇ προσχρώμενον. Glossema videtur; certe nihil tale additum Tim. C. 27 et Pro Imagg. C. 3. In Cap. 30 revoca: ὡς, εἰ μὴ ἔχοις ταῦτα, στερησόμενόν σε τῆς τέχνης pro ἔχεις, et in verbis: ὡς τά γε πρὸ τοῦ χρησμοῦ, ταῦτα ἤδη φοβερά dele *virgulam*; iungendum enim est: τὰ π. τ. χ. ταῦτα, quae mox enumerantur: ἡ χρόα τετραμμένη κ. τ. ἑ.

Cap. 32. Digna est quae memoretur Mehleri suspicio in verbis: ξυναπολέσαι ἐνὶ πονηρῷ τοσούτους supplendum esse: χρηστοὺς τοσούτους. In Plutarchi libro de liberis educandis (p. Ia) vix sanum videtur: καὶ τίνι χρώμενοι σπουδαῖοι ἂν τοὺς τρόπους ἀποβαῖεν, et supplendum arbitror: καὶ τίνι χρώμενοι (παιδείᾳ) σπουδαῖοι, quod propter ductuum similitudinem facillime excidere potuit.

Ibid. Alienissimo loco interposita videtur *particula* in verbis: ἄλλως τε ζῶντι μέν σοι δυνατὸν ἦν ἴσως ἄν τι καὶ πρᾶξαι τοιοῦτον, quae in legitimam reducatur sedem inter vv. δυνατὸν et ἦν. In fine legendum: ἀπέσωσάς γ' ἂν οὖν τῷ Δάμιδι ταῦτα εἰπεῖν ὑποβαλών pro ὑποβάλλων; nam ὑποβαλών h. l. idem atque: εἰ ὑπέβαλες. Cf. etiam Dial. Meretr. XIII. 5: σύ με προσαπολώλεκας τὸ μονομάχιον ὑποβαλών.

Cap. 34. ἐν ἀκροβολισμοῖς ἔτι ἦσαν ἀποσφενδονῶντες ἀλλήλοις πόρρωθέν ποθεν [λοιδορούμενοι]. Lepidam metaphoram sciolus explicandam sibi sumpsit et explicando frigidam reddidit et inficetam. Quis, ut hoc utar, in Plauti Menaechmis, ubi senex

Digitized by Google

iratus inter se altercantes maritos — ut quidem ei videntur — his verbis increpat (vs. 778):

Nescio quid uos *uelitati* estis inter uos duo

additum ferat: *alter alteri maledicentes* vel *iurgio contendentes* vel *rixantes* vel id genus aliquid? Nemo, opinor.

Cap. 35. Corrigendum esse: *ἀλλὰ σὺ πρότερος ἀπόκριναί μοι* pro *πρότερον*, ipsa docent sequentia: *οὐκ ἂν ἀποκριναίμην σοι πρότερος.*

Cap. 41. *ὁ δ' ἡμέτερος ἀπορουμένῳ ἔοικε· δέδιε γοῦν καὶ ὑποτρέμει.* Nihil sane vitiosi his inest; cum tamen lenissima sit mutatio, videndum annon potius scripserit: *ἰδίει γοῦν καὶ ὑποτρέμει.* Etenim, nisi fallor, *signa* et *indicia* timoris potius notanda erant quam timor ipse, quem satis declarant verba: *ὁ δ' ἡ. ἀ. ἐ.* Cf. C. 16: *ὁ γοῦν Τιμοκλῆς καὶ ἵδρου καὶ τὴν φωνὴν ἐξεκέκοπτο*; Eun. C. 7: *ἐσιώπα καὶ ἠρυθρία καὶ ἰδίων φανερὸς ἦν*; Pro Lapsu C. 1: *ἴδιόν τε καὶ ἠρυθρίων*; De Merc. Cond. C. 15: *ἰδίειν ἀνάγκη ὑπ' ἀπορίας*, ctt.

Cap. 42. Inepte additur *articulus* in verbis: *τῶν κατὰ [τὰ] ἔθνη νομιζομένων.* Quis unquam sic locutus est pro: *κατ' ἔθνη*? Contra additum articulum velim in C. 43: *τοὺς χρησμοὺς καὶ (τὰς) προαγορεύσεις τῶν ἐσομένων* et mox pronomen insertum: *τίνος μάλιστά (με) μεμνῆσθαι ἀξιοῖς.* Verum levia haec sunt prae vitio mox commisso, quo ipsa sententia graviter laborat. Ridetur oraculum Croeso ab Apolline missum tamquam ambiguum et fallax et comparatur cum Hermis illis bifrontibus, qui utrimque contemplantibus eundem plane praebent aspectum. *ʿτί γάρʾ*; inquit *ʿμᾶλλον ὁ Κροῖσος διαβὰς τὸν Ἅλυν τὴν αὑτοῦ ἀρχὴν ἢ τὴν Κύρου καταλύσει; καίτοι οὐκ ὀλίγων ταλάντων ὁ Σαρδιανὸς ἐκεῖνος ὄλεθρος τὸ ἀμφιδέξιον τοῦτο ἔπος ἐπρίατο.* Quae verba nihilo minus ipso Pythiae responso sunt ancipitia et subobscura: *ʿMagisne Croesus Halye traiecto suum regnum quam Cyri evertet?ʾ* Poterat dixisse Croesum oraculo accepto nihilo secius bello Persis illato regnum suum perdidisse; sed hoc ipsum, in quo vertuntur omnia, *uter* tandem regnum amiserit, in medio relinquitur. Et praeterea: quid sibi vult *μᾶλλον*? An uterque partem regni afflixit? Quid *futurum*? Nugas agit quicunque haec explicare conatur. Sed omnia plana erunt et expedita duobus tantum verbis additis; nempe legendum: *τί γάρ; μᾶλλον*

Digitized by Google

καὶ εἶχε μέν τινας καὶ αὐτὸς τοὺς ἐπαινοῦντας; Abdic. C. 3: καὶ ἦσάν τινες οἱ μανίας ἀρχὴν ταῦτα εἶναι νομίζοντες; Fugitt. C. 13: καί που τινες καὶ ἦσαν οἱ πιστεύοντες αὐτῷ; Icaromen. C. 9: ἦσάν τινες οἱ τῆς συμπάσης ἐπιμελείας αὐτοὺς ἀφιέντες. In Cap. 19 legendum: λεγόντων (μέν) ... οὐ μέντοι δηλούντων, et in Cap. 21: εἴ ποτέ σοι ἐμέλησεν ἐς τοσοῦτον τῶν ἐν τῇ γῇ, ὥστ' (pro ὡς) ἐξετάσαι οἵτινες αὐτῶν οἱ Φαῦλοι ἢ οἵτινες οἱ χρηστοί εἰσιν, et in Cap. 22: καὶ (τὸν) Κερκύονα.

Cap. 25. δύο μου τῶν πλοκάμων ἀποκείραντας ἓξ μνᾶς ἑκάτερον ἕλκοντα. Ex loco gemello in Catapl. C. 9: καὶ τοὺς δύο κρατῆρας προσθήσω ... ἕλκοντας ἑκάτερον χρυσοῦ ἀπεφθοῦ τάλαντα ἑκατόν hic quoque *Pluralem* auctori reddiderim.

Cap. 29. τὸν μὲν Δᾶμιν αὐτοπρόσωπον [καὶ δι' αὐτοῦ] λέγειν, τὸν δὲ ὑποκριτῇ προσχρώμενον. Glossema videtur; certe nihil tale additum Tim. C. 27 et Pro Imagg. C. 3. In Cap. 30 revoca: ὡς, εἰ μὴ ἔχοις ταῦτα, στερησόμενόν σε τῆς τέχνης pro ἔχεις, et in verbis: ὡς τά γε πρὸ τοῦ χρησμοῦ, ταῦτα ἤδη φοβερά dele *virgulam*; iungendum enim est: τὰ π. τ. χ. ταῦτα, quae mox enumerantur: ἡ χρόα τετραμμένη κ. τ. ἑ.

Cap. 32. Digna est quae memoretur Mehleri suspicio in verbis: ξυναπολέσαι ἐνὶ πονηρῷ τοσούτους supplendum esse: χρηστοὺς τοσούτους. In Plutarchi libro de liberis educandis (p. Ia) vix sanum videtur: καὶ τίνι χρώμενοι σπουδαῖοι ἂν τοὺς τρόπους ἀποβαῖεν, et supplendum arbitror: καὶ τίνι χρώμενοι (παιδείᾳ) σπουδαῖοι, quod propter ductuum similitudinem facillime excidere potuit.

Ibid. Alienissimo loco interposita videtur *particula* in verbis: ἄλλως τε ζῶντι μέν σοι δυνατὸν ἦν ἴσως ἄν τι καὶ πρᾶξαι τοιοῦτον, quae in legitimam reducatur sedem inter vv. δυνατὸν et ἦν. In fine legendum: ἀπέσωσάς γ' ἂν οὖν τῷ Δάμιδι ταῦτα εἰπεῖν ὑποβαλών pro ὑποβάλλων; nam ὑποβαλών h. l. idem atque: εἰ ὑπέβαλες. Cf. etiam Dial. Meretr. XIII. 5: σύ με προσαπολώλεκας τὸ μονομάχιον ὑποβαλών.

Cap. 34. ἐν ἀκροβολισμοῖς ἔτι ἦσαν ἀποσφενδονῶντες ἀλλήλοις πόρρωθέν ποθεν [λοιδορούμενοι]. Lepidam metaphoram sciolus explicandam sibi sumpsit et explicando frigidam reddidit et inficetam. Quis, ut hoc utar, in Plauti Menaechmis, ubi senex

Digitized by Google

iratus inter se altercantes maritos — ut quidem ei videntur — his verbis increpat (vs. 778):

Nescio quid uos *uelitati* estis inter uos duo

additum ferat: *alter alteri maledicentes* vel *iurgio contendentes* vel *rixantes* vel id genus aliquid? Nemo, opinor.

Cap. 35. Corrigendum esse: *ἀλλὰ σὺ πρότερος ἀπόκριναί μοι* pro *πρότερον*, ipsa docent sequentia: *οὐκ ἂν ἀποκριναίμην σοι πρότερος.*

Cap. 41. *ὁ δ' ἡμέτερος ἀπορουμένῳ ἔοικε· δέδιε γοῦν καὶ ὑποτρέμει.* Nihil sane vitiosi his inest; cum tamen lenissima sit mutatio, videndum annon potius scripserit: *ἰδίει γοῦν καὶ ὑποτρέμει.* Etenim, nisi fallor, *signa* et *indicia* timoris potius notanda erant quam timor ipse, quem satis declarant verba: *ὁ δ' ἡ. ἀ. ἐ.* Cf. C. 16: *ὁ γοῦν Τιμοκλῆς καὶ ἵδρου καὶ τὴν φωνὴν ἐξεκέκοπτο*; Eun. C. 7: *ἐσιώπα καὶ ἠρυθρία καὶ ἰδίων φανερὸς ἦν*; Pro Lapsu C. 1: *ἰδιόν τε καὶ ἠρυθρίων*; De Merc. Cond. C. 15: *ἰδίειν ἀνάγκη ὑπ' ἀπορίας*, ctt.

Cap. 42. Inepte additur *articulus* in verbis: *τῶν κατὰ [τὰ] ἔθνη νομιζομένων.* Quis unquam sic locutus est pro: *κατ' ἔθνη*? Contra additum articulum velim in C. 43: *τοὺς χρησμοὺς καὶ (τὰς) προαγορεύσεις τῶν ἐσομένων* et mox pronomen insertum: *τίνος μάλιστά (με) μεμνῆσθαι ἀξιοῖς.* Verum levia haec sunt prae vitio mox commisso, quo ipsa sententia graviter laborat. Ridetur oraculum Croeso ab Apolline missum tamquam ambiguum et fallax et comparatur cum Hermis illis bifrontibus, qui utrimque contemplantibus eundem plane praebent aspectum. *ᶜτί γάρ*; inquit *ᶜμᾶλλον ὁ Κροῖσος διαβὰς τὸν Ἅλυν τὴν αὑτοῦ ἀρχὴν ἢ τὴν Κύρου καταλύσει; καίτοι οὐκ ὀλίγων ταλάντων ὁ Σαρδιανὸς ἐκεῖνος ὄλεθρος τὸ ἀμφιδέξιον τοῦτο ἔπος ἐπρίατο.* Quae verba nihilo minus ipso Pythiae responso sunt ancipitia et subobscura: *ᶜMagisne Croesus Halye traiecto suum regnum quam Cyri evertet?* Poterat dixisse Croesum oraculo accepto nihilo secius bello Persis illato regnum suum perdidisse; sed hoc ipsum, in quo vertuntur omnia, *uter* tandem regnum amiserit, in medio relinquitur. Et praeterea: quid sibi vult *μᾶλλον*? An uterque partem regni afflixit? Quid *futurum*? Nugas agit quicunque haec explicare conatur. Sed omnia plana erunt et expedita duobus tantum verbis additis; nempe legendum: *τί γάρ; μᾶλλον*

Digitized by Google

ὁ Κροῖσος (οἶδεν εἰ) διαβὰς τὸν Ἅλυν τὴν αὐτοῦ ἀρχὴν ἢ τὴν Κύρου καταλύσει; Multis sane talentis oraculum illud mercatus est; quidnam id ei profuit? numquid magis compertum habuit utrum Halye traiecto suum ipsius regnum an Cyri esset eversurus?

In C. 45 expunge puerile additamentum: εἰ δ' ὁ Ζεὺς ὁ βροντῶν ἐστι, σὺ ἄμεινον ἂν εἰδείης, ἐκεῖθέν ποθεν [παρὰ τῶν θεῶν] ἀφιγμένος; in C. 46 supple: εἶτα ἡ ναῦς μὲν οὐκ (ἂν) ἔπλει μὴ κυβερνωμένη et corrige: εὖ γε, ὦ Τιμόκλεις, ταῦτα καὶ ἰσχυρῷ (pro ἰσχυρῶς) τῷ παραδείγματι; Cf. C. 51: τῆς νεὼς τὸ παράδειγμα οὐ πάνυ σοι ἰσχυρὸν εἶναι ἔδοξεν.

Cap. 48. Transposita virgula scribendum: καὶ εἰδότα τῶν χρησίμων ἕκαστα μόνον, τοῦτον ἀντλεῖν προστεταγμένον. Sensus est: qui *solus prae ceteris* omnia callet. In C. 49 adde: ἢ πάντως (τι) πρὸ τῶν ἄλλων. In C. 52 revoca: ὡς μηκέτι περὶ τούτων ἐρίζοιμεν pro ἐρίσοιμεν.

Transeo ad *Icaromenippum*, in cuius Capite primo amicus ad Menippum mansiones cursus aërii ad sidera et ad ipsum Iovis solium computantem: ‘πάλαι γάρ’, inquit ‘ἐπακροῶμαί σοι ἀκολουθῶν ἡλίους καὶ σελήνας, ἔτι δὲ τὰ Φορτικὰ ταῦτα σταθμούς τινας καὶ παρασάγγας ὑποξενίζοντος. Notatu dignum vocem τινας in libris C et a deesse; non tamen propterea deletam velim sed post σελήνας transpositam, ubi me iudice multo aptiorem occupabit sedem. Scilicet τις in talibus addere fere *mirabundi* est, saepe etiam *indignabundi*. Menippum σταθμοῖς et παρασάγγαις viam metiri, nihil sane erat quod amicus miraretur; obstupefacit eum quod *soles aliquos et lunas* hariolantem audit.

Cap. 2. Non recte abesse videtur *articulus* in verbis: οὐδὲν ἐδέησέ μοι πρὸς τὴν ἄνοδον οὔτε τῆς κλίμακος οὔτε (τοῦ) παιδικὰ γενέσθαι τοῦ ἀετοῦ.

Cap. 3. ἐπειδὴ τάχιστα πρὸς τὸν ἥλιον ἐκεῖνος (ὁ κηρός scil.) ἐτάκη, πτεροῤῥυήσας. Confirmant haec crisin meam, in loco cognato (Imagg. C. 21) in verbis: τακέντος αὐτοῖς τάχιστα τοῦ κηροῦ καὶ τῶν πτερῶν περιῤῥυέντων *copulam* eliminantis.

Cap. 4. μάλιστα δὲ τὰ κατὰ τὴν σελήνην ἄτοπά μοι ... ἐφαίνετο, καὶ τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων ἀπόῤῥητόν τινα τὴν αἰτίαν ἔχειν ἐδοκίμαζον. Huius loci potius videtur: ἐδόξαζον *suspi-*

Digitized by Google

cabar, *coniiciebam*, ut in fine Cap. 5: καὶ οὐ τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἐδόξαζον, et in fine C. 8: ἕτερος ... πόλεμον τῶν ὅλων πατέρα εἶναι ἐδόξαζε.

Cap. 6. Absurde mihi dictum videtur: ἀλλ' οὐδ' ὀξύτερον τοῦ πλησίον δεδορκότες, ἔνιοι δὲ ὑπὸ γήρως ἢ ἀργίας ἀμβλυώττοντες. Num, quaeso, *pigritia* in causâ esse potest, cur aliquis *oculis* minus valeat? Non tamen habeo quod reponam; nam quod commentus eram: ἀρρωστίας neque mihi magnopere placet et vereor ut cuiquam sim probaturus. Acutioribus relinquo.

Cap. 8. παμπόλλους τινὲς εἶναι τοὺς κόσμους ἀπεφαίνοντο. Discrimen est inter ἀποφαίνεσθαι, *pronuntiare* et ἀποφαίνειν, *demonstrare*, quod huic loco magis convenit; cf. infra in C. 9: πολλούς τε αὐτοὺς (τοὺς θεούς, scil.) ἀπέφαινον. Recte contra se habet in C. 7: μηδὲν ὡς εἰκάζοντας ἀποφαίνεσθαι.

Cap. 13. καὶ νῦν ἐν τῇ σελήνῃ κατοικῶ ἀεροβατῶν τὰ πολλὰ καὶ σιτοῦμαι δρόσον. Praestat, nisi fallor, κατοικῶν ἀεροβατῶ; ita enim melius quae de moribus suis et de victu narrat componuntur.

Cap. 14. ἢν γὰρ ἐθελήσῃς μικρὸν ἀναστὰς ἐπισχὼν τοῦ γυτὸς τὴν πτέρυγα θάτερα μόνῃ πτερύξασθαι, κατὰ λόγον τῆς πτέρυγος τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν ὀξυδερκὴς ἔσει. Nulla probabilis causa afferri potest, cur non *toto corpore* assurgeret, sed potius velut supplex *conquiniscere*t. Sensit hoc vir quidam doctus — cuius nomen adscribere neglexi — qui ἀναπτάς substituebat. Sed non poterat, opinor, *una* ala Menippus corpus in aëre librare. Alia corrigendi est via, ut μικρόν post ἀναστάς transponatur, quo facto res in vado erit. Nihil tritius apud omnes quam μικρὸν ἐπισχεῖν. In C. 15 addendum: τὸν Στωϊκὸν δ' Ἀγαθοκλέα περὶ [τοῦ] μισθοῦ τῷ μαθητῇ δικαζόμενον.

Cap. 20. πρεσβείαν ... ἀπένεγκαι παρ' ἐμοῦ τῷ Διί. Certatim viri docti ἀπένεγκε reposuerunt; sed non minus turpe est vitium, quod Plutarchi locum in libro de Exilio obsidet (p. 602 C): πατρίδα μὴ προστάττουσαν, εἰσένεγκαι, πρέσβευσον εἰς Ῥώμην ... λειτούργησον. Quis unquam pro *tributum solvere* εἰσφέρεσθαι vidit usurpatum?

Cap. 23. τί ἂν λέγοις, φησίν, Ὤτου πέρι καὶ Ἐφιάλτου, ὅπου καὶ Μένιππος ἐτόλμησεν ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνελθεῖν; Prorsus

Digitized by Google

absona est *secunda* persona et corrigendum: *τί ἂν λέγοι τις*; ut v. c. in D. Mort. XXVII. 9: *τί οὖν ἄν τις ἔτι λέγοι περὶ τῶν νέων, ὁπότε οἱ τηλικοῦτοι φιλόζῳοί εἰσιν*;

(*Continuabitur*).

AD ARISTOPHANIS PACIS VS. 1159.

Pacis versu 1159 Aristophanes utitur vocabulo *ἀχέτας* pro *τέττιξ*, cicada: *ἡνίκ' ἂν δ' ἀχέτας | ᾄδῃ τὸν ἡδὺν νόμον κτἑ.*

Ad quem locum in scholiis haec observantur:
ὁ τέττιξ διηχεῖ παρὰ τὸ 'Ησιόδειον· „ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ" (Oper. 580). *ὁ δὲ 'Αρίσταρχος οὔ φησι τοὺς ᾄδοντας ἀρσενικῶς λέγεσθαι, τὰς δὲ θηλείας οὕτως.*

Misella haec sunt fragmina eruditionis Alexandrinae. Observatio Aristarchi, quae tam turpiter deformata ad nos pervenit, decerpta est ex commentariis ad Hesiodum. Explicabat nominativi formam vetustam *ἠχέτα*, apud Hesiodum repertam; monebat non feminini sed masculini eam esse generis, et cum formis Homericis *ἠπύτα*, *ἱππότα*, similibus esse componendam; denique rationibus, ex etymologia petitis, argumentum addebat ad historiam naturalem pertinens: *ἠχέτα ἀρσενικῶς, μόνοι γὰρ οἱ ἄρσενες ᾄδουσιν, αἱ δὲ θήλειαι οὔ.* Apud beatam enim hanc gentem, a poetis philosophisque haud semel laudatam, feminae garrire nesciunt: *κωτίλος τέττιξ οὐκ ἔστι θῆλυς, ἀλλ' οἷά τις Θεανὼ σιωπῶσα τὰ ἄρρητα*, Plutarchus (?) apud Theophylact. Simoc. Quaest. Nat. 13; *τέττιξ θήλεια ἄφωνός ἐστι, καὶ ἔοικε σιωπᾶν δίκην νύμφης αἰδουμένης* Aelian. de Animal. I 20. Haec igitur in nostris scholiis repetitur adnotatio; itaque sic fere — nam ipsa Didymi vel Symmachi verba quis praestet! — sed sic fere olim scriptum fuit in commentariis grammaticorum ad Aristophanis versum:
ἀχέτας] *ὁ τέττιξ, δι' ἠχήν, παρὰ τὸ 'Ησιόδειον „ἦμος δὲ σκόλυμός τ' ἀνθεῖ καὶ ἠχέτα τέττιξ. ὁ δὲ 'Αρίσταρχος <τὸ „ἠχέτα"> φησὶν ἀρσενικῶς <μόνον> λέγεσθαι, τοὺς <γὰρ> ᾄδοντας <ἄρσενας εἶναι>, τὰς δὲ θηλείας οὐκ <ᾄδειν>.* Plane ut in scholiis ad notissimum versum Homericum Γ 151 legimus: *τεττίγεσσι*] *ἀρσενικῶς· οἱ γὰρ ἄρσενες μόνοι τέττιγες ᾄδουσιν.* Quam Aristarchi igitur esse observationem, nunc intelleximus.

J. v. L. Jr.

Digitized by Google

DE TIBULLI ELEGIARUM STRUCTURA.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Quum diu consopita iacuisset dubitatio illa de Tibulli elegiis, mota olim acumine Scaligeri, num videlicet iusto proprioque versuum ordine nobis essent servatae an misere plerumque distortae et perturbatae, nostro tandem saeculo ea quaestio occupatos denuo habuit Latinos philologos, quorum suspicax diffidentia, quum ab uno alteroque carmine retractando incepissent, paulatim eo prorupit, ut ex XVI carminibus libri primi et secundi (nam reliqua nunc non curo) vix tertia pars adhuc supersit quam immotam reliquerint.

Qui igitur recte hodie disputare velit de Tibulli elegiarum structura et compositione, is primum hoc praestare debebit in plerisque ut examinet doctorum opiniones qui distichorum ordinem mutaverint, deinde ut aut ex illis traiectionibus reddita ratione seligat quae placeant, aut ipse novi aliquid in hoc genere proferat, aut denique tralaticium versuum ordinem tueatur et defendat. Et ego quidem statim ab initio hoc profiteor, me nihil novi temptaturum neque tamen ullam comprobaturum esse dispositionem a recentioribus commendatam, sed defensurum elegiarum habitum tralaticium et vulgarem.

Initium facio ab

Elegia I. 1.

Quum iam olim Scaligerus [1]) in hac elegia iustum sententia-

1) De Scaligeri opera Tibulliana imprimis conferendus est Franckenus in Act. soc. reg. Neerl. a. 1866 p. 30 sqq.

Digitized by Google

rum ordinem requireret et spreto vulgari hunc novum commendasset: 1—10, 35 sq., 11—24, 37—50, 25—28 rell., multi postea sententia eius in genere probata sed repudiata versuum dispositione alia temptarunt remedia quorum schema hoc habes:

Haase	Ribbeck	Prien	R. Richter	Fritzsche	Baehrens
a. 1855	a. 1867	a. 1870	a. 1873	a. 1873	a. 1876
1— 6	1— 6	1— 6	1— 6	1— 6	1— 6
25—34	9—10	9—18	25—32	25—34	25—36
7—12	25—28	25—32	7—24	7—24	7—24
15—18	7— 8	35—36	33—38	37—78	37—78
13—14	29—34	19—24	41—78	deletis	
19—24	11—12	37—78	deletis	v. 35 sq.	
35—78	35—36	deletis	v. 39 sq.		
	13—24	v. 7 sq. et			
	37—78	v. 33 sq.			

Distributio Haasii nuper revixit in ed. Luciani Mueller a. 1880 et cum Fritzschio fecit Rieman a. 1878 nisi quod retinuit v. 35 sq. ante v. 37.

Apparet censores longe plurimos in eo concinere quod v. 25 sqq. ab ipso Tibullo collocatos fuisse opinantur inter vs. 6 et 7, tametsi discrepant de extremis vv. 33—36. De hac igitur migratione, quae tot talesque nacta est patronos, primum accurate erit agendum, in quo mihi res erit maxime cum recentissimis Tibulli editoribus Muellero et Baehrensio.

Quaestionem ita tractabo ut nondum inquiram cur vulgarem ordinem illi respuant, sed prius id perpendam quid lucri aut damni illorum transpositio secum ferat et singulatim examinem iuncturam ab iis propositam versus 6 cum 25 et versus 7 cum 32 aut 34 aut 36.

1. *Rectene post* 1—6 *leguntur* 25 *sqq.?*

Qui nuperrime hos vss. illis subiunxerunt, id fieri non posse crediderunt nisi mutata certa paene archetypi lectione in v. 25 *iam modo iam possim* [1]), pro quo Richterus et Baehrensius *dum-*

1) Ita exhibent excerpta Frisingensia. Lectio Ambrosiani *iam modo non possum* aperte corrupta est. Parisinum florilegium ut non raro arbitraria habet ab initio versuum, sic h. l. prorsus temere *quippe ego iam possum*. Coniecerunt viri docti multa satisque turbulenta: *iam modo si* vel *sic possim*, *sic ego iam possim*, *iam tan-*

Digitized by Google

modo iam possim, Muellerus *iam mihi iam possim*. Corrigendi necessitas detrahit nonnihil, opinor, transpositionis probabilitati, quae eo maxime niti debet, quod disiecta membra quasi sua sponte coeunt aut nulla aut tam levi mutatione ut nemo monitus dissentiat. Sed quid lucramur ad sententiam ex alterutra coniectura?

Postquam dixit poëta 1—4 „Alius divitias sibi congerat et „rura amplificet ex praeda bellica per laboriosam et inquietam „militiam paranda" ex altera coniectura sic pergit

5 *Me mea paupertas vita traducat inerti,*
Dum meus assiduo luceat igne focus,
25 *Dum modo iam possim contentus vivere parvo*
Nec semper longae deditus esse viae.

In his quandoquidem primi versus sententia *me paupertas vita traducat* nihil differt a tertio *possim contentus vivere parvo*, nec quicquam interest inter vivere *vitam inertem* et *non deditum esse longae viae*, nam utrumque opponitur vitae militari tutoque alterum pro altero supponi potest, apparet vv. sententiam huc redire: ego malo contentus vivere parvo non deditus militiae, dummodo iam possim contentus vivere parvo non deditus militiae, quae quam absurda sint quis non videt? Nam Baehrensii versio Tib. Bl. p. 68: „Mag mich meine Armuth leiten durch ein thatenloses [1]) Le„ben, wofern nur auf dem Heerde beständig das Feuer leuchtet, „wofern nur jene (scil. meine Armuth) es mir ermög„licht, mit Wenigem zufrieden zu leben und nicht „stets auf weiten Kriegsmarschen sein zu müssen" in verbis a me spatiose expressis parum convenit cum Latinis, etenim *dummodo possim contentus vivere parvo* nequaquam significat dummodo *mea paupertas* i. e. mea bona mihi facultatem praebeant h. e. satis sint, sufficiant, ut parvo contentus vivam. At vel sic quam mire loqueretur poeta: „parva

---

tem possum, *iam mora iam possum*, *iam modico possim c. v. in arvo*, *iam modo iners possim*, *iam modulo possim*, alia. Locum infra tractabo.

1) Potest sic verti adi. *iners*, si modo conceditur neminem tunc alia „facinora" a Tibullo exspectasse, quam ut in cohorte patroni fortiter militiam toleraret. Esse in vocabulo languoris vituperium ipse docet vs. 58 *tecum dummodo sim segnis inersque vocer*. 71 *iners aetas* et 2. 33 *quos nec inertia tardat*.

Digitized by Google

„mea bona me traducant per vitam inertem, dummodo satis „ampla sint ut inde vivam parvo contentus", in quibus extrema vv. parvo contentus subabsurda sunt, nam parva bona per se sufciunt ei qui est parvo contentus, atque ipsam condicionem iam multo rectius expresserat v. 6 *dum meus assiduo luceat igne focus* [1]).

Transeo ad coniecturam Muelleri, qui post vs. 6 ita pergit: *iam mihi, iam possim c. v. p., Nec semper l. d. e. viae.* Pugnat correctio cum librorum memoria qui omnes (nam Parisinum nemo h. l. curabit) exhibent *modo*. Porro Tibullianum non videtur ut expresse sibi vivere exoptet, quum omne vitae gaudium in una Delia sit positum, cf. e. g. 45 sq. 57 sqq. Denique manet tautologia, secundum ea quae supra disputavi, in vs. 5 vivam pauper et iners et 25 sq. iam possim vivere pauper et iners, quae repetitio ut apta esse potest vss. aliquot interpositis ita displicet in iuxta positis eamque per transpositionem poetae imputare male medicantis est.

Itaque satis probasse me credo v. 25 sq., quidquid corrigatur, non apte succedere tertio disticho.

2. *De vss.* 33—36.

Iam omnes hodie interpretes praeter Ribbeckium recte consentiunt distichon 25 sq. secum trahere sequentia usque ad v. 33, de hoc autem vs. et sqq. quomodo dissentiant ex schemate apparet. Nempe sunt isti versiculi ex genere illo parenthetico frequenti in Tibullo, quorum hoc est proprium, quod Bernhardy iam monuit, ut eadem probabilitate diversis locis inseri possint. Primum autem distichon 33 sq. plerique nunc contendunt ea ratione cum superiore 31 sq. connexum esse, ut commemoratio agnae capellaeve desertae in saltibus (31 sq.) ultro metum provocet furum luporumque, quos deinde aptissime precetur ut parcant tam parvo suo gregi (33 sq.). Et recte quidem ita opinantur, neque in toto carmine ullus locus his versiculis aptior inveniri potest. At vero sequens distichon 35 sq. non

---

1) Etiam de constructione vv. *possim contentus vivere parvo* aliqua monenda sunt. Qui dicit *possum c. v. p.*, ait proprie se satis forti esse animo ut in paupertate contentus vivat; qui autem optativo utitur *possim*, de sua fortitudine desperat eamque exspectat ab aliis, ut puta a deis vel fato. At ea dubitatio non cadit in Tibullum, ut docent vss. 5, 41 sqq., 49 sq. 77 sq. Itaque vv. construenda sunt sic: *iam possim vere parvo, contentus parvo:* iam iam optat pauperem illam vitam, qua contentus est.

Digitized by Google

minus iuste cum superiore copulavit Baehrensius, nam lustratio et sacrificium in honorem Pali 35 sq. arto vinculo cohaeret cum metu furum luporumque, qui illius deae cura et auxilio arcebantur a pecore. Compararunt iam vv. dd. Eleg. 2. 5. 87 *ac madidus Baccho sua festa Palilia pastor concinet, a stabulis tunc procul este lupi.* Addo vss. non minus appositos ex precibus Pali oblatis in Ovid. fast 4. 764 *et valeant vigiles provida turba casa. Neve minus multos redigam quam mane fuerunt, neve gemam referens vellera rapta lupo.*

Nec vero importunum est adverbium *hic* in altero disticho, quod cum Baehrensio per duo puncta a priori separo, ut haec sit sententia: „parcite fures lupique, praedam petite alibi de „magno grege, ubi tutela deae minus praesens est propter domi„norum negligentiam in sacris: hic ego rite sacra facere soleo" [1]). Igitur vss. 33—36 et inter se et cum superioribus optime concinunt, et neque audiendus est Fritzschius qui alterum distichon damnavit, nec Muellerus qui subiunxit v. 19—24, quibuscum nulla iis necessitudo intercedit.

3. *Rectene v. 7—12 sqq. transponuntur post 25—36?*

Examinavimus transpositionis iuncturam ab initio inter v. 6 et 25 eamque nulla ex parte commendabilem invenimus. Itaque videamus num magis fortasse se commendet iunctura in fine inter v. 36 (aut 32 vel 34) et 7 sqq.

Non diffiteor 7 sqq. ferri posse post 32, ut propter quandam sententiarum similitudinem voluit Richterus, verum ea ratione et male divelluntur disticha 31 sq. et 33 sq., de quorum nexu modo disputavimus, et novus oritur hiatus ante v. 33, quem Richterus relegavit post v. 24 nullo sane sententiarum vinculo.

Non minus peccavit Muellerus quum v. 7 sqq. poneret post 34, nam divulsit disticha cohaerentia 33 sq. et 35 sq. et intolerabilem prorsus hiatum peperit inter ipsos vss. 34 et 7.

Restat Baehrensii ratio, qui non interrupta sententiarum serie inter v. 24—36, idque merito, post hunc demum versiculum subserit 7 sqq. Quum vero ipse senserit quantopere sic hiaret sententia inter v. 36 et 7, hoc excusare conatus est ita ut diceret v. 7, quod ad sententiam attinet, iungendum esse cum 32 ideoque

1) Recurrit *hic ego* vs. 75, et *hic mihi* 2. 4. 1.

Digitized by Google

vss. 33—36 uncis inclusit. In hoc tamen remedio parum sibi constitit, nam in l.l. p. 67 ipse demonstravit inclusa ista disticha de furibus lupisque et de Pale ultro nata esse ex superiore distichо de agna capellave amissa, itaque non esse *παρενθετικά*.

Haec omnia eo ducunt ut statuamus sive v. 7 sqq. transponitur post 32 sive post 34 sive post 36 novos intolerabilesque oriri hiatus.

Transpositio a Prienio, Fritzschio, Baehrensio et partim a Ribbeckio commendata uno tantum nomine arridet, quod scilicet invocatio Larium in v. 37 *adsitis divi* coniungitur cum eorundem invocatione in v. 23 sq. Quum vero haec concinnitas hoc uno in loco acquiri nequeat nisi simul admittantur damna plura et graviora in aliis locis ex eadem transpositione profluentia, etiam hoc uno in loco vulgaris ordo est servandus, quem postea explanabimus. Accedit quod Lares custodes agri in v. 20, quibus victima mactatur, non omnino iidem sunt atque Lares familiares in v. 36, quibus fiebat libatio. Illi in agris sedem habebant (Cic. de leg. II 19 et 27. Servius A. III. 302) hi domi in larario.

4. *De connexu versuum 7—24 inter se.*

Vidimus de iunctura ante v. 7. Hunc autem versiculum secum trahere sequentes usque ad 13 nemo negavit praeter Ribbeckium, sed dubitatur de sequentibus, in quibus hoc imprimis offendit interpretes [1]), quod tempora modique permisceantur in rebus similibus, legitur enim vss. 14 *ponitur* 15 *sit* 17 *ponatur* 20 *fertis* 22 *cadet*. Hinc Muellerus cum Haasio disticha ita transposuit ut secernerentur coniunctivi et indicativi, dum Baehrensius post Lambinum ubique per coniecturam reposuit praesentia indicativi.

At transpositionem Haasii, qua distichon 13 sq. migraret post 17 sq., iam satis refutavit Ribbeckius quum scriberet in ind. Schol. Kiliensium a. 1867 pag. 4: „praeter molestam atque „inutilem eiusdem verbi *ponere* repetitionem magis etiam dis„plicet modorum *ponatur* (17) et *ponitur* (14) differentia", insuperque demonstraret *Priapum* et *agricolam deum* nequaquam idem esse numen. Merito igitur Baehrensius cum Richtero aliis-

1) De Ribbeckii ratione deque deorum ordine intermixtis aliis, ut putat, distracto postea videbo.

Digitized by Google

que distichorum ordinem a vs. 7—24 immotum reliquit, quaeritur tamen rectene ille pro *sit ponatur cadet* correxerit *fit donatur cadit*. Ac mirum videtur primum librarios tres errores commisisse quibus versuum sententia commutaretur potius quam vitiaretur, dein horum errorum nullius vestigium servasse codicem ullum.

Constat praeterea in v. 11 et 14 praesentia *veneror* et *ponitur* usurpari a poeta de eo quod fieri solet plus semel aut quotannis; qui igitur unitatem temporum ac modorum in his vss. sectatur, eadem ratione interpretetur necesse est praesentia illa *fit donatur cadit*. Iam de primo et postremo nihil obstat, solet fieri corona, solet cadere agna in villula, sed subabsurdum videtur ut *rubor custos* soleat *donari*, quasi, ut reliqua ista munera, quotannis hoc fiat. Denique cuinam donatur Priapus? Nimirum sibi (auch der Gartengott erhält seine Geschenke p. 66). Sicine igitur Tibullum balbutiasse opinemur: *ruber custos* i. e. Priapus *donatur* Priapo? Nam *custodem rubrum* nullo iure reddideris per imaginem *custodis rubri* [1]), ac praeterea Latine imagines non *donantur*, credo, sed *ponuntur* deis. Concludendum est igitur in vv. 7—24 et versuum transpositione et modorum mutatione ordinem distichorum ac sententiam potius depravari quam corrigi.

5. *De Ribbeckiana carminis restituendi ratione.*

Vidimus hucusque plerorumque criticorum conamina, ut aliquam fortasse medelam leviorem uni alterive loco attulerint, longe tamen graviora simul damna, ineptas scilicet sententias, pravas iuncturas, hiatus intolerabiles, elegiae intulisse. Fuerunt etiam qui urendo et secando carmen corrigere conarentur expellentes disticha ipsis molestiora, quamquam per se non ingrata neque inepta. Hos si silens praetereo vix quisquam aegre feret, opinor.

Restat ut pauca addam de correctionibus a Ribbeckio propositis in ind. schol. Kil. a. 1867. Si in retractando opere antiquo haec valet norma, ut ratio eo minus sit probabilis quo magis opus divellat et in minuta quasi frusta dissecet, statuendum est non immerito nullius fere plausum et assensum tulisse ra-

1) In quarta elegia etiam ruber ille custos *armatus curva falce* vs. 8 non imago sed ipse deus esse creditur qui poetam audit et respondet rogatus.

Digitized by Google

tionem a doctissimo viro in hoc carmine tractando adhibitam. Primum autem disticha ex omnium fere opinione apte cohaerentia vv. 7—24 dilaceravit in quatuor fragmina (7—8, 9—10, 11—12, 13—24), tum horum ordinem mutavit (7—8 post 9—10), denique in istis rimis et fissuris infersit disticha non minus concinna, vv. 25—36, trifariam discerpta (25—28, 29—34, 35—36). Oriuntur autem ex hac membrorum migratione molestiae non minores quam quibus mederi voluit. Velut absonum est particula adversativa *tamen* et otiosum est *interdum* in v. 29 si legitur post 7 sq.: *ipse seram vites ... nec tamen interdum pudeat* cett., pro pro dicendum saltem fuerat *nec etiam pudebit;* at aptissimum est utraque particula si v. 29 legitur post 28. Porro distichon 11 sq. post 33 sq. ideo perperam ponitur, quia nequaquam veneratio stipitum lapidumque, sed sacra Palilia arcebant lupos furesque, ut antea monstravimus. Denique non minus disconvenit si post v. 11 sq. *nam veneror in agris ... in trivio* sequuntur vv. 35 sq. *hic ego ... lustrare quotannis et ... soleo spargere lacte Palem*, quae nequaquam fiebant in agris triviisque, ubi stipites lapidesque coronatos venerabatur, sed in ipsa villula.

6. *De causis cur distichorum ordinem sollicitarint viri docti deque carminis inconcinnitate.*

Praeter ea quae iam passim commemoravimus duo sunt imprimis ex quibus offensionem ceperunt interpretes: *a.* hiatus sententiarum ante v. 7 et in ipso hoc versu ratio obscura pronominis *ipse*. *b.* „deorum, quos venerari se dicit Tibullus, ordo „immixtis alienis rebus distractus" (Ribb. p. 4).

a. Sitne hiatus tam molestus ante v. 7 in explicando carmine mox videbimus. Sed etiam si concedam tale vitium inesse in tralaticio versuum ordine, tamen nego id rite correxisse διασκευαστάς. Nam ipse Baehrens. in sua quoque versuum dispositione non diffitetur esse hiatum ante v. 7, quem perperam, ut vidimus, excusavit per praecedentium distichorum 33—36 parenthesin. Quantum vero hiet sententia apud Haasium et Muellerum quivis agnoscet qui post v. 34 continuo legerit v. 7. Reliqui autem omnes hunc hiatum evitare non potuerunt, nisi ita ut ipsi novum crearent. Quod ad pronomen *ipse*, ubicumque legitur hic versus, significatio pronominis haec certe erit, ut

Digitized by Google

suam nunc sedulitatem in serendo opponat illorum sedulitati, qui hanc operam adhuc praestiterunt in praediolo, ut puta villici et servulorum.

b. Alteram quaestionem de deorum invocatione perturbata sic posuit Ribbeckius p. 5: „sed quam causam fuisse dicemus, „cur quae ad eundem popularium numinum coetum pertinet „alma Pales non hic commemoratur, scil. post Cererem et Pri„apum, sed multos post versus infra (35 sq.)? quo cur detrusa „esset et Haasius frustra quaesivit et Bernhardyus excusari non „posse concessit?"

At cur hoc factum sit recte demonstravit Baehrensius usus indiciis suppeditatis ab ipso Ribbeckio p. 6, nempe locum pendere ex mentione furum luporumque, qua de re supra abunde disputavimus. Quum tamen Baehrensius hunc scrupulum scite removerit, alium iniecit contenditque locum de numinibus laborare eo vitio quod in temporibus et rebus non diversis adhibeantur modi verborum ac tempora diversa, quocirca pro vv. formis *sit ponatur cadet* reponenda esse praesentia indicativi [1]). Has autem correctiones quum iam supra redarguerim, nunc hoc tantum addo, natam esse illam animadversionem ex minus iusta loci interpretatione, quasi nempe vv. 15—24 logice etiam penderent ex causali coniunctione *nam* in v. 11 et quasi in his etiam vss. pariter atque in v. 11—14 poeta loqueretur de donis iam datis (schon gegebene Geschenke Tib. Bl. p. 65). Ansam huius opinionis praebuit praesens forma *fertis* v. 19, de cuius significatione infra erit disserendum.

7. *De elegiarum compositione universa.*

Antequam transeo ad elegiae explicationem quaedam praemonenda sunt de Tibulli ratione in materia elegiarum invenienda disponenda contexenda.

In omni carmine longiori argumenti enarratio non uno tenore progreditur sed interdum variatur et interrumpitur.

Argumenti variatio in eo posita est quod propriam materiem amplificat assumptis aliis rebus contiguis et efficacibus ad illam

---

1) Si in v. 23 reponitur praesens forma *cadit*, eadem de causa in sequenti corrigendum erit *clamat*.

Digitized by Google

illustrandam et ornandam. Interrumpitur autem enarratio quoties poeta, iniecta forte alicuius rei mentione quae ad digressionem invitet, ingenio indulget et paulisper divagatur. Utriusque rei exempla praebent et reliquae elegiae paene omnes et etiam prima.

Proprium huius elegiae argumentum consistit in contemptu vitae militaris et praedae divitiarumque quae inde pariantur, quum poeta praeoptet vitae rusticae paupertatem et inertiam. Ab hac animi voluntate facit initium, huc identidem revertitur (25 sq. 37 sqq. 49 sqq. 57 sq.) et in eadem re carmen claudit. Variatur autem hoc thema locis de vita rustica et de amore, quae exceptis distichis modo indicatis pertexuntur a v. 7—36 et 45—74. Quum autem uterque locus ipse etiam non simplex sit sed diversas res contineat, intelligitur quanta ars poetae adhibenda sit ut tam variam materiem prudenter disponat et leni facilique transitu a re alia ad aliam procedat. Sed Tibullus hanc artem non ita adhibuit ut eam numquam negligeret. Invenit mulla callide et ingeniose, sed inventa non semper prudenter distribuit aut apte contexuit. In hac officii parte non severis logices legibus se adstrinxit (ut ad quartam elegiam observavit Ritschelius), sed proprium quendam impetum sequitur. Argumentum incohatum saepius remittit et mox denuo resumit, unde oriuntur repetitiones, subiti transitus, hiatus. Hac autem de causa multorum reprehensioni obnoxius fuit locus de vita rustica qui, quum iam satis abrupte inducitur, hac locorum varietate procedit: 7 sq. de occupatione in agris, 9—14 de spe bonae messis, nixa pietate qua certa numina agrestia coluit et colit, 15—24 de reliquis dis agrestibus colendis, 25 sq. repetit id quod iam optavit v. 5 sq., 27 sq. de quiete rustica, 29 sqq. redit ad occupationes in agris, 33—36 excursus de grege. Nemo non videt haec parum concinna esse et quot sint transitiones tot inesse scopulos in quibus facile haerere possit poeta. Contra locus de amore 45 sqq., quamquam ille quoque non simplex est sed varia continet, poetae multo melius successit nec ullus censor tam morosus fuit ut in eo aliquid reprehenderet.

Ab illa autem argumenti variatione quam dixi paululum diversi sunt excursus qui occasione oblata inseruntur et cursum carminis interrumpunt. Exhibuit eos in aliis carminibus longiores, in hoc breviores; prodeunt vulgo, ut dixi, ex fortuita ali-

Digitized by Google

cuius rei mentione, velut ex commemoratione agnae vel capellae in silvis amissae orta est apostrophe ad lupos et fures et distichon de dea Pale 33—36; mox humilis libatio Laribus offerenda attulit distichon de fictilibus poculis 39 sq.; apostrophe ad Messalam inicitur per antithesin suae inertiae 53 sq.; eadem ratione in apostrophe ad Deliam in transitu interponitur distichon de fletu iuvenis et virginis 65 sq. Quum ex huiusmodi digressionibus ad res ipsas quas tractabat redeundum sit, hic quoque saltus et hiatus in promptu sunt, quos in altera elegiae parte feliciter evitavit, non vero post vs. 36, sed hac de re postea.

Indicavi unde orta sint maculae vel vitia longe plurima quae culpantur in Tibulli elegiis [1]). Amatores poetae ea tollere conati sunt magna doctrina et acumine, in quo quum statuendis lacunis et coniciendo parum proficerent, confugerunt ad vv. transpositiones magna copia ab aliis aliter propositas. Quod si vero hae omnes damnandae sunt, ut conatus sum ostendere in prima elegia et conabor in reliquis, si omne remedium quod temptarunt plus disturbat quam sanat, hoc, opinor, consequens est, ut acquiescamus in vv. ordine in omnibus codicibus tradito utque Tibullum exigamus et interpretemur non ad nostras leges sed ad suam normam atque regulam. Tibullum autem revera certam quandam consuetudinem secutum esse in liberiore illa elegiarum constructione eo confidentius affirmo, quod in iis quoque elegiis, quas adhuc intactas reliquerunt philologi, similes inveniuntur proprietates vel licentiae, non genere sed gradu tantummodo diversae ab iis, quae reprehensae sunt in el. prima quarta sexta aliis, dum his vacant ea modo carmina quorum una et simplex est materia ut el. 5 [2]).

---

1) Notum est Tibullum etiam metro et sermoni rotundando magnam operam impendisse et aucupasse symmetriam distichorum atque versuum initia per unum vel plura vocabula similia. Sed in his quoque nulli certae legi se addixit et quod aliquamdiu sedulo assectatus est, interdum prorsus neglexit. Plerumque in eadem elegia modo procedit per distichorum paria, versuum initiis aliisque indiciis accurate distincta, modo per triades modo per mera disticha, modo nulla certa distinctione, neque ulla huius varietatis causa inveniri potest, nisi eadem illa inconstantia et imperfectae artis licentia, quam in rebus observamus. — De symmetria alias dicturum me spero; cf. de ea G. H. Bubendey in programm. Iohannei Hamburg. a. 1876.

2) Lubet iam hic annotare locos quos in parenthesi tractare adamavit Tibullus. Mythologica habet pauca, longe diversus in hoc a Propertio et Ovidio: 1. 3. 35—50

Digitized by Google

Ut autem in forma et compositione elegiarum iuvenile poetae ingenium severae concinnitati parum studuit, sic etiam in rebus quas pingit parum sibi constitit, veluti in hoc ipso carmine modo sperat et optat acervos frugum v. 9, modo parva seges satis est v. 43; vult recubare solus v. 27, vult cum Delia v. 47, modo ruri se beatus esse fingit cum puella v. 45 sqq. modo in urbe v. 56, 73; scribit carmen plenus spei et laetus exspectatione otii ruralis, sed mox delabitur ad tristitiam et mortis meditationem v. 59 sqq. [1]). Nec minus denique libere vagatur in apostrophis, compellat deinceps Cererem, Lares, fures luposque, divos, Messalam, Deliam, signa tubaque. Haec autem non unius elegiae sunt propria sed omnium communia.

8. *Explicatio primae elegiae.*

Elegiae argumentum et compositionem explicabo ratione habita eorum quae de consuetudine Tibulli modo disserui.

v. 1—6. Tibullus incerta de causa partem patrimonii amiserat (cf. vv. 19 et 41 cll. vv. 25, 33, 37, 49, 78), quod quum per militiam in cohorte Messalae et huius auctoritate susceptam refici posse videretur, non diu tamen vitae militaris labores sustinuit sed cito adspiravit denuo ad vitam tranquillam et inertem spretis opibus quae possent ex militia sperari. Hanc firmam animi voluntatem declaravit prima elegia, quam scripsisse videtur in Urbe (cf. v. 55 sq. 73, de rusticatione loquitur ut de re futura et sperata vv. 7, 25, 49, 78 al.) dum absente domino servuli paterna rura colebant.

v. 7—14. *Ipse seram* e. q. s. Ab introductione elegiae satis repentine transit ad opera rustica quae susceperus est. Sed quum quivis ex familiaribus et lectoribus tunc sciret vitam

---

de aetate aurea, ib. 59—64 et 67—80 de Elysio et inferis, 10. 35—38 de inferis, 7. 27—48 de Osiride, 2. 3. 11—32 de Apolline. Plerisque carminibus communes sunt hi loci: de furtivae Veneris artificiis 1. 2. 17 sqq., 6. 9 sqq., 17 sqq., 25 sqq., 59 sqq., 8. 55 sqq.; de amore venali et de corruptoribus 1. 5. 47 cf. 60 sqq., 8. 29 sqq., 9. 11 sq., 53—74, 2. 3. 35—48, 4. 27—39; de muliere magica et de lena 1. 2. 43—54, 5. 49—60, 8. 19 sqq., 2. 6. 44 sqq.; de vita rustica 1. 1. 15 sqq. (de diis rusticis) 27 sqq., 43 sqq., 2. 71—78, 5. 20 sqq., 7, 27 sqq., 10. 45—66, 2. 1. 55 sqq., 5, 85—104.

1) Alia eiusdem inconstantiae indicia notavit Franckenus ll., comparans 1. 2. 7 sq. cum 9 sqq., 5. 5 cum 7. Huc tamen non traxerim 1. 10. 1 et 5, neque 2 3. 47 sq. et 49.

Digitized by Google

traductam *inerti paupertate* Tibullo significare mansionem in paternis ruribus, non addidit se illuc abiturum, sed festinat in medias res et statim cogitatione praecipit qualem ibi vitam peracturus sit: „Non omnem operam ut antehac operis relinquam, „sed *ipse seram* vites et poma [1])." Post unum hoc distichon locum incohatum de opere rustico abrumpit, resumpturus eum postea v. 29, potiusque subserit quem sationis fructum speret: „Non Spes me fallet sed largam praebebit messem, etenim pii „a diis coluntur et ego sum pius *nam veneror* Terminum et „ponuntur primitiae quotannis Silvano deo agricolae". Praesentis formae *veneror* et *ponitur* non praesentem tantum pietatem et dona praesentia indicant sed complectuntur quoque praeterita tempora, ut recte vidit Baehrensius p. 65.

v. 15—24. *Flava Ceres tibi sit* e. q. s. Locus de Spe adduxit locum de pietate et de deis ruricolis, qui nunc ita variatur ut non amplius probet pietatem nec commemoret dona dari solita, sed enarret quae dehinc dona quibusque diis sit daturus quum redierit in villam, ut fructiferam deorum benevolentiam in posterum quoque sibi conciliet: „Tibi, Ceres, *sit* quotannis „spicea corona, Priapus *ponatur* in hortis ut eos praesens tuea„tur, vobis quoque Laribus *cadet* agna, circum quam rustica „turba *clamet*: io messes et bona vina date". His vero inserta est sententia cum forma praesentis: *vos quoque ... fertis munera vestra, Lares.* Est hoc sane insolitum [2]), sed excusari potest praesentis forma, quod comprehendit (ut modo *veneror* et et *ponitur*) duo tempora nempe munera antea data et nunc danda, nam post duo puncta sequitur sententia explicativa *tunc lustrabat vitula ... nunc agna est*, post quam iusta forma futuri repetit victimam iis offerendam *agna cadet vobis.*

v. 25—36. *Iam modo iam possim* e. q. s. Primo disticho, multum a multis vexato, redit ad locum de vita et operibus in

---

1) *Ipse* usurpatum est ut in 2. 71 *ipse boves mea si tecum modo Delia possim iungere et in solito pascere monte pecus.*

2) Metri causa nonnumquam tempora misceri docet, opinor, v. 73 sq. *frangere postes* et *inseruisse rixas* cll. 2. 93 sq. *stare nec detinuisse.* Aliud genus est in 9. 39 *quid faciam, nisi fores.* Alia inconcinnitatis exempla afferam ad el. 4. Etiam in Plauti milite v. 131 *deferat* pro *deferret* deberi videtur metri necessitati, cf. Lorenz et Brix ad h. l.

Digitized by Google

agris, at hoc non facit transitu leni et facili, verum abrupte, lectoribus relinquens ut connexum cum antecedentibus ipsi sentiant, quem sane attento animo legentes haud difficulter perspiciunt. Postquam enim exposuit quae munera diis sit daturus si rus redierit, eosdem etiamnunc alloquens sic pergit: „Fient „ea vobis munera; modo iam iam possim, i. e. iam iam mihi „concedatis, vivere vitam parvo contentam, rusticam, in qua nulla „longinqua itinera, ut in vita militari, sed quies et otium" [1]). Hinc autem facillime regreditur ad opera rustica sic: „Nec „tamen prorsus otiosus ero, sed interdum officia praestabo, „portabo debilem bidentem, arabo, domum referam agnam „capellamve desertam, cui antequam invenerim vos parcite fures „lupique, nam est e parvo grege, cuius tutela quotannis sedulo „commendatur Pali".

v. 37—40. *Adsitis divi* e. q. s. Sequitur derepente invocatio Larium domesticarum, cuius connexum cum iis quae praecedunt denuo non luculenter expressit, sed ex ipsis rebus efficiendum nobis commisit. Nec hoc quoque nimis est difficile. Dum enim describit vitam in villula, eam animus poetae sic sibi repraesentat, ut futuram condicionem iam sentiat quasi praesentem, hinc allocutio illa ad fures luposque quasi praesentes: *vos parcite ... hic*, ruri, ubi nunc sum, *soleo* e. q. s. Dum vero beata illa vita iam fruentem se fingit, quid magis dignum et idoneum, quam ut quasi in ipso penetrali ea invocet numina, quorum beneficio illa vita quotidie instauratur, *Adsitis divi*, petatque ut suam libationem benigne accipiant et remunerent, etiamsi fiat de paupere mensa et e fictilibus, qualia olim simplices ex luto sibi componebant agrestes [2]).

---

1) Igitur nihil opus est coniecturis quas protulerunt vv. dd. ad hunc locum alter alterius commenta condemnantes, ut supra indicavi. In *iam modo iam* altera particula eadem significatione usurpatur ut in 2. 31 *reseret modo* cf. 71, 3. 4 *abstineas modo* et alibi saepe. Ad repetitum *iam ... iam* confer 3. 27 *nunc dea nunc*. 3. 9. 15 *tunc mihi tunc*, 10. 13 *interdum vovet interdum*. Repetitio voculae morae impatientiam indicat poetae aspirantis ad otium.

2) Ubicumque inseritur haec Larium invocatio manet repentina et subita. Habet aliquam speciem eius coniunctio cum Laribus in v. 20—24 (a Baehrens. proposita aliisque de causa ut p. 216 vidimus damnanda). Sed non nisi speciem habet veritatis. Nam non eadem sunt numina, sed diversa. Illi rurales placantur victima in pecoris lustratione et ut messim praebeant semel vel bis in anno, hi contra domestici Lares libatione quotidiana colebantur a quovis patre familias sive ruri habitabat sive in urbe.

Digitized by Google

v. 41. In iis quae sequuntur repetitur thema carminis primarium de paupertate rustica, de divitiis, de militia, sed ita ut sensim praeparetur (cf. v. 46 et 52) thematis variatio de amore Deliae, qui locus pertinet a v. 55 usque ad v. 74, tum enim unitate carminis servata redit ad ea quae in exordio declaravit et claudit elegiam. Igitur in hac quoque parte libere ab alia re ad aliam transiit, sed tanta arte ut nullus fiat hiatus omniaque apte sint conserta hunc in modum:

Ex distichis de libatione pauperis et de antiqua poculorum simplicitate facile seritur locus de sua animi continentia deque vita agrestis hominis paucis contenti, quem iuvat somnus dulcis et securus cum domina imbribus extra domum sonantibus v. 41—48. Haec vita iterum petit ut sibi contingat (cf. v. 25), tunc alii divitias parent per longas vias, quae fletum excitant puellae domi relictae, tunc Messala exuvias referat, at ipse manet cum puella nec laudari curat et facile patitur segnem et inertem se vocari:

„modo tecum sim Delia, te moriens etiam teneam; tum flebis „et in rogo quoque lacrimas fundes (quo viso non iuvenis non „virgo sicca lumina domum referre poterit): parce tamen crinibus „in nimio plangore et teneris genis. Interea iungamus amores „antequam veniat iners senectus" v. 49—74. Ex hoc autem loco de Delia, quae nitet concinna elegantia, artificio non illepido sic emergit reditque ad primarium carminis argumentum: „in „Veneris militia dux milesque bonus sum, sed odi veram „militiam cuius vulnera timeo et despicio praedam ac di„vitias".

In disquisitione de prima elegia quum multa observaverim et annotaverim de Tibulli arte et ratione, quae non ad hanc unam sed ad omnes pertineant elegias, idcirco disputatio de reliquis longe brevior esse poterit, dum hoc imprimis erit inquirendum, quatenus respondeant iis, quae de poetae consuetudine et licentia in carminibus componendis exposui. De iis tantum elegiis, quas praeter primam transpositionibus sollicitarunt critici, uberius erit agendum.

Digitized by Google

Elegia I. 2.

Secunda elegia est illustre specimen illius quod in poesi se maxime spectasse Tibullus affirmavit in II 4. 19 sq. *ad dominam faciles aditus per carmina quaero: ite procul Musae si nihil ista valent.*

Nondum admissus a puella (ut recte statuit Baehrensius p. 18) quamquam iam abest maritus in bello v. 67 sqq. poetice simulat se oblivionem *novi doloris* [1]) quaesiturum in vino et somno 1—4, sed antequam hoc faciat aditum parare sibi temptat Musarum ope et carmen fingit *παρακλαυσίθυρον*, in quo, ut par est, primum ipsam ianuam amatae obseratam aggreditur minis et querelis 5—14, dein puellam intus clausam variis argumentis permovere conatur ut fores sibi aperiat: stimulat audaciam ut fallat custodes 15 sqq., eximit metum rumorum et mariti 41 sqq., hunc ipsum denotat ut stultum et indignum 65 sqq., suum tandem praedicat amorem 71 sqq. [2]) imploratque opem Veneris 97 sq.

Habemus in his propriam carminis materiem, quae quamquam satis varia et fecunda, tamen non satisfecit poetae ad explendam elegiam, neque animi aegritudo et novi dolores obstaculo fuerunt, quominus eam varie illustraret. Quum enim ex ipsa materia fluerent apostrophi ad ianuam 7—14, ad Deliam 15 sqq. (quousque, nescio, nam vs. 31 ex improviso tertia persona compellatur) et 41—78, ad Venerem in fine carminis, ornamenti instar sunt, quamquam a carminis materia non alienae, apostrophae ad homines noctu domum amatae transeuntes 33—40, ad derisores 87—96 et soliloquium animi prostrati ac supplicis 79—86 [3]). Inseruit porro locum communem de vita rustica,

1) *Novos* dicit *dolores*, quia antea dolebat exclusus ut putabat a marito quo profecto aditum speraverat, qui quum nunc denegetur ab ipsa puella, oritur *novus* dolor et inexspectatus et sane multo acrior. Igitur *novi dolores* nihil commune habent cum novis liminibus in vs. 17 ut quidam somniarunt.

2) Igitur de argumento universo facio cum Baehrensio, non tamen in eo quod poetam et puellam litigantes facit ab utraque parte ianuae, more causidicorum, quasi Delia identidem refutaret argumenta quae protulit Tibullus.

3) Allocutio in carminis introitu ad nescio quem amicum vel puerum quem praesentem sibi fingit est mera forma poetica, neque aliquid inde concludendum est de

Digitized by Google

quocum compara 1. 27 sqq. et 43 sqq. 5. 20 sqq., et duos excursus: de Veneris artibus et efficaci auxilio 17—28, de sagae mulieris ministerio 43—54 [1]).

Diversa illa membra elegiae interdum laxius connexa sunt scil. in vv. 33 (65) 79, 87, quocirca fuit, qui hoc quoque carmen discerperet et ex quatuor carminibus conflatum esse crederet [2]) transponeretque distichon 19 sq. post 21 sq., ut sibi responderent similia in v. 19 et 23 *illa docet — nec docet*, quippe parilem sectatus concinnitatem atque ii, qui in elegia prima modos et tempora congruentia iungerent. Sed reliqua membra satis apte contexta sunt et vix compages apparent, nam lenis est transitus ab allocutione ianuae ad Deliam: tu, ianua, ne strepitu me custodibus prodas v. 10, *tu quoque*, Delia, ne timide custodes fallas v. 15, et a Delia ad locum de Venere in sequenti versu *audendum est: fortes adiuvat ipsa Venus.* Porro in sqq. vss., etiamsi derepente inducuntur „vir" ille et „femina obvia" v. 33, tamen apostrophe eleganter consuta est cum mentione mariti et excursu de saga v. 41 sq.: *nec tamen huic* (loquaci viro aut feminae) *credet coniunx tuus, ut mihi pollicita est saga;* atque idem ille versus 41 de marito praeparat quodammodo invectivam orationem in eundem inde a v. 65, quae praeterea cum superiore disticho cohaeret per antithesin: „ego te carere posse nolim v. 64, ille ferreus est, qui sponte sua te caret", quod iuncturae genus deprehendimus etiam in loco de Messala 1. 53 sqq., idemque infra redit in 67—74: „*ille* sine te belli gloriam et divitias assequatur, *ego* dummodo tecum sim, in inculta humo dormiam."

Extremae carminis partes, ut in suo quaeque genere elegantissimae sint, tamen neque inter se nec cum praecedentibus bene sunt coniunctae, sed eiusmodi sunt, ut ubivis inseri possint. Excipio humilem supplicationem et derisorum detestationem quae decent in fine elegiae qua aditus puellae frustra imploratur.

---

huius carminis natura aut loco. Lubens subscribo iis quae de hoc prologo monuit Baehrensius p. 17 ann.

1) Distichon 57 sq *tu tamen ... nihil*, quod uncis ornavit Baehrensius, est ex parentheticis illis, quorum exempla quaedam invenimus in elegia prima.

2) 1—32, 33—64, 65—78, 79—98, cf. ann. critica in utilissima editione Hilleri. Illum tamen nullus editor secutus est.

Digitized by Google

Concinne carmen clauditur invocatione deae, quae sua vi perficere poterit id, quod nequicquam conatus est poeta.

Credo me probasse alteram elegiam, quamquam doctius compositam et in multis locis melius concinnatam, tamen easdem proprietates ac licentias prae se ferre, quas in prima deprehendimus [1]).

Elegia I. 3.

In hac quoque elegia propria carminis materia dispersa est alienis interpositis. Continetur vss. 1—34, 51—58, 65 sq., 81 sq., 83—94. Queritur aegrum se teneri ignotis terris et instante morte absentes esse matrem sororem Deliam, quae, quamquam fausta omina pro reditu acceperat, tamen aegre eum dimisit, nec non ipse invitus a puella profectus est. Vota facit pro incolumitate Isidi et Laribus 1—34. Implorat patrem (Iovem) ut sibi parcat [2]), si obierit, petit (a Messala in vss. deperditis, ut opinor cum Muellero) titulum sepulcri. Vaticinatur se in campos Elysios abiturum 51—58, nam illic sedes est amantium immature peremptorum 65 sq., dum in inferis erit, qui eius violarit amores 81 sq. Tandem felicem sibi reditum animo praecipit dulcissimisque versibus pingit 83—94.

Hanc autem materiam triplici modo illustravit et ampliavit: laudibus aurei aevi 35—50, descriptione sedis beatorum 59—64, locoque communi de inferis 67—80, quem tamen exquisitius tractavit in 10, 35—38.

Usus est in hac quoque elegia frequenter figura allocutionis: compellat Messalam 1—3, mortem 4—9, Deliam 23—26, Isidem 27—32, patrem Iovem 51 sq., Messalam ut videtur 53—56, Deliam denuo 83—94.

Videamus de membrorum conexu. In prima parte quae per-

---

1) In v. 33 pro *seu femina fiat* corrigendum est *fiet*, nam praeter hunc locum sexies decies particulam *seu*, *sive* adhibuit Tibullus semperque cum Indicativo. Lygdamus bis eadem ratione. Coniunctivum modum praetulit scriptor Panegyrici ad Messalam novies, indicativum sexies. Cf. index Hilleri i. v.

2) In 51 sq. *timidum non me periuria terrent, non dicta in sanctos impia verba deos*, adiectivum *timidum* non explico per prolepsin, nam revera timet, sed vs. sic interpretor: timeo sane mortem, ut quis non iuvenis in ignota terra longe a suis, sed nulla culpa periurii aut impietatis erga deos merita mortis poena me terret.

Digitized by Google

tinet ad v. 34 omnia lenitur profluunt (nisi quod hic quoque [1]) unius distichi parenthesin inseruit, ut suo exemplo incautos amatores moneret 21 sq.) omnes enim apostrophae, ad Messalam, mortem, Deliam, Isidem, locus de matre et sorore, de sacris ominibus, de votis, haec omnia ita sese excipiunt, ut non deliberata arte inventa et contexta, sed ex commoto vatis animo ultro orta videantur, neque non in his pectus fuit quod disertum faceret poetam ingeniosum. Iam vero inde a v. 35 ex improviso legitur excursus de Saturni aevo, qui cum antecedentibus coniunctus est per duo vocabula *antiqui laris* in vs. 34, quod vix sentiremus, nisi aliunde constaret, Larium cultum antiquissimum in mente Tibulli evocare solere pristinae simplicitatis ac felicitatis memoriam [2]) cf. 1. 37 sqq. et 10. 15 sqq. At idem locus communis, subito natus, in fine laudabili artificio ita instruitur, ut cum misera ipsius poetae condicione connectatur per antithesin: *tunc* non acies nec bella, *nunc* sub Iove mille leti viae: mihi tamen *parce*, Iupiter 47—51. Excursus alter de campis Elysiis, eleganter scriptus 59—64, cum praecedenti disticho apte coniunctus est (pari ratione atque exc. de Venere in 2. 17) et cohaeret cum poetae fatis per extr. vss. 65 sq. Communis locus de inferis 67—80 nullam rationem habet nisi quae est posita in antithesi camporum beatorum, est praeterea prolixus [3]) et inelegans redoletque palaestram; idem tamen locus pariter atque ille qui praecedit, mox cum poetae fatis et amoribus coniungitur per extr. distichon 81 sq. Tum ipsum hoc distichon praeparat extremam carminis partem: „sit in inferis „quicumque Deliam violavit et mihi lentum reditum optavit: „*at tu*, Delia, maneas casta et laeta me expectes" [4]). Inducitur repentina haec apostrophe locutione solemni poetae *at tu*, cf. 1. 33, 2. 87, 4. 59, 5. 59. 69, 6. 15, 7. 7. 55. 63, 8. 47. 77, 9. 53, 10. 67, II 3. 33. 61, 4. 39, 5. 113. cf. IV 3. 23, 5. 19, 6. 9. Praeclare tandem subtristis cantilena aegri amatoris clauditur

---

1) Cf. elegia 1. 39 sq. 65 sq. et 2. 57 sq.

2) Hic quoque Fritzschius concinnitatis studiosus transposuit distichon 43 sq. *non domus* ante 47 sq. *non acies, non ira* e. q. s. Perperam.

3) Fuerunt ideo qui vss. inde tollerent 71 sq. vel 69—72 vel 77 sq. cf. Hilleri annot. crit.

4) Igitur sine causa Hartungius post vs. 82 unum distichon requisivit.

Digitized by Google

dulci hilarique imagine laete revertentis obviam veniente puella ut erit, longos turbata capillos nudato pede, vixque credo Schneiderum serio credidisse excursus istos 52—82 ad calcem carminis esse relegandos.

Sunt igitur in tertia elegia partes pulcherrimae meritaque celebratae, sed laxa compositio in multis confirmat ea quae de prima et secunda disputavimus.

Elegia I. 4.

Venimus ad quartam elegiam, cuius versuum ordinem non leviter sollicitavit Ritschelius in nobilissima disputatione inserta nunc in Opusc. vol. 3 p. 619 sqq. Usus est autem hac lege: non tantum poetice sed etiam logice carmen intellegi posse debere. Et hoc quidem recte, sed inquirere supersedit ex reliquorum carminum comparatione, quaenam esset ars logica Tibulli in sententiis poeticis informandis disponendis conserendis, num eiusmodi fortasse ut illi satisfacerent rationes, quae nobis inconcinnae viderentur et incongruae.

Displicuerunt ei in hoc carmine sententiarum hiatus ante vss. 15, 21, 27, 39, 56, 71, 73 nec minus eum offendit exclamatio didactica Priapo tributa in vss. 56—70. Haec autem vitia corrigere studuit distichorum transpositionibus haud paucis, quarum praecipuas recognoscam. Post vs. 14 inseruit 39—56 ut tolleret scilicet hiatum inter vs. 14 et 15, at vero novus oritur hiatus inter vs. 14 et 39, nam disticha 9—14 hortantur discipulum Priapi ut fugiat pueros, dum 39—56 docent eundem qua facilitate et indulgentia pueros conciliet, necesse est igitur ut inter utrumque locum sententiam cogitatione suppleamus fere talem: „si tu tamen pueros fugere nolis eorumque „amorem pertinaciter aucupes, tum *tu puero*" e. q. s. vs. 39, at in vulgari ordine versuum pariter evanescit hiatus si tale quid cogitatur inter vs. 14 et 15, ut infra videbimus.

Reliqua autem ex Ritschelii dispositione sic sese excipiunt: post v. 56 sequitur distichon 70 sq., dein vv. 21—26 et 15—20, tum 27—38 et 73—84, denique clauditur carmen vv. 56—70 ut pro clausula eleganti et iocosa frigidam accipiamus et insulsam, contra morem Tibulli, qui extremas semper partes ele-

Digitized by Google

giarum sedulo curavit. Quum vero summi viri correctiones iam ab aliis accurate examinatae sint et refutatae, equidem non dedita nunc opera, sed in reliqua disputatione ubi fors tulerit de singulis opinionem meam aperiam.

Aliam disponendi carminis rationem iniit Baehrensius l. l. p. 70 sqq. cui tamen rem in plerisque non melius successisse equidem credo. Intactos ille reliquit v. 1—20, nisi quod dubius haesit utrum ante v. 15 unum distichon interciderit an tolli possit hiatus per emendationem [1]). Post v. 1—20 cum Ritschelio sequi iussit 27—38, haec enim inter se „artissime con„iuncta" esse existimat (p. 71 aufs engste zusammengehörig); sed nulla tam arta necessitudo est inter utrumque locum; in altero enim compescit amatorem nimis festinantem et ab infelici conatu citius desistentem, in altero incitat tardantem [2]). Possunt sane haec coniungi per antithesin, possunt etiam per se stare singula aliis vss. interpositis: igitur quaerendum est hoc unum, num distichis quae extruduntur 21—26 alius locus magis aptus et commodus inveniri possit, quod negandum est. Baehrensius, cui disticha a vs. 27—56 vulgari ordine continuantur, post hunc demum versum illos inseruit, parum probabiliter, opinor, quid enim magis est absonum, quam ut Priapus, postquam praedixit obsequio et indulgentia mitigatum iri puerum et pinxit felicem amoris exitum, oscula primum rapta mox ultro data 39—56, denuo recurrat ad ipsam amoris originem iam antea tractatam in 15 sqq. et 27 sqq. addatque praeceptum, tunc quasi per negligentiam omissum, de peierandi efficacia in captandis pueris. At nullus huic praecepto locus aptior est profecto quam ante membrum de obsequio deque fausto amoris exitu. Non minus rerum ordinem invertit Ritschelius qui et hoc praeceptum et duo illa in 15 sqq. et 27 sqq. transtulit post v. 59.

1) Ut aliquid temptaret pro vulgari lectione *sed ne te capiant ... taedia* coniecit *tera haec: ne capias* vel *pariat ... taedia.*

2) Etiam alio nomine diversa est utriusque loci ratio. Nam in 15 sqq. forma orationis ita comparata est ut praeceptum detur de certi pueri amore conciliando qui primo *negabit*, sed paulatim colla dabit sub iuga. Sed in 27 sqq. forma orationis generalis est: errabis, si tardus eris, scil. non tantum in unius illius amore tibi parando, sed (ut apparet ex sqq.) in usurpando inventutis tempore antequam te premat serior aetas. Pariter praeceptum quod praecedit de Veneris periuriis 21 sqq. nisi re at forma saltem generale est, igitur hac ex parte post hoc illud non disconvenit.

Digitized by Google

Reliquum carmen ita ordinavit Baehrensius ut post 21—26 sequeretur conclamatum distichon 71 sq., dein v. 71—76, tum 57—70, denique 77—84. Quod autem v. 73—76 divulsit a 77 sqq. id manifesto falsum esse, merito iam contendit R. Richterus in Bursiani Ann. 1877 p. 285 sqq., oritur praeterea novus hiatus inter v. 70 et 77. Commendavit autem hanc transpositionem levissima de causa, ut componerentur nempe simile sonantia in 57 *male ... artes* et 76 *male ... arte*, quae quam nihil commune habeant nisi sonum quivis facile perspiciet.

Reliqui huius carminis διασκευασταὶ quamquam in aliis a Ritscheliana ratione recedunt, in hoc uno tamen concinunt quod vss 57—70 ex medio carmine in finem relegarunt, quod quantopere improbandum sit supra declaravimus. Ceterum quod Fritzschius et Diskowskius vss. 15—20 subiunxerunt versui 56, habet sane aliquam speciem talis sententiarum ordo: „dabit „oscula 55 sq., sed ne taedia te capiant, si primo forte negabit „dare oscula 15 sq.", at vero cogit eos haec mutatio, ut a v. 14 continuo transeant ad v. 39 sqq. (nam recte viderunt nec 21 sqq. nec 27 sqq. ferri posse post v. 14), quo facto ingens fit hiatus, neque explicatur qua de causa Priapus, quum a puerorum amore dehortatus sit poetam (*o fuge* 14 sqq.), statim in contrarium transeat horteturque eundem *tu puero quodcumque tuo temptare libebit cedas.*

Quamquam autem vv. dd. conatus ad refingendam elegiam me iudice nihil profecerunt, habent tamen hanc utilitatem quod ostendunt, quoquoversus migrant membra et disticha, vitari non posse eadem vitia quae in vulgari ordine reprehenduntur, immo pro paucis sanatis graviora plerumque vulnera infligi. Restat igitur ut in vulgari carminis forma tuenda et explicanda post alios [1]) vires experiar.

Ac primum quidem videamus de vv. 57—70. Eliminavit hos Ritschelius ex oratione Priapi, quia aestimatio artis poeticae aliena videretur a realistica dei natura neque adhortatio ista pueris fuisset inculcanda sed poetae, qui sibi soli deum consuluisset. In ea autem argumentatione duo ponuntur quae num

1) Bubendeyi libellum a. 1876 editum frustra arcessitum non cognovi, vidi tantum eum rationem suam non probasse Richtero in recensione supra indicata.

Digitized by Google

vera sint dubito, alterum scilicet hoc: inde a v. 9 id accurate observasse poetam non se loqui sed Priapum, alterum hoc: praecepta et monita ab eo inde versu Tibullo tantum dari non aliis.

Non nego quidem Tibullum orationem ab initio ita intendisse ut ipse Priapus doctrinam suam proderet in usum unius poetae, sed contendo eum paulatim ita flexisse orationis cursum, ut cum dei persona suam misceret daretque consilia non sibi magis quam aliis; quid quod exacta oratione Priapi oblitus est omnino, sibi se numinis opem invocasse fingitque deum ista consilia edidisse quae caneret Titio 73, porro non deum sed se magistrum esse eorum quos male habeat callidus puer, se amantes consultare qui spernantur, cunctis suam ianuam patere, se praecepta ferentem deduci a sedula turba iuvenum 75—79, et tantopere aberravit a carminis principio, a suo puerorum amore, ut reverti illuc nequeat nisi per ἀπροσδόκητον illud lepidissimum *heu heu quam Marathus lento me torquet amore!* [1]) ac vel in extremo versu non dei sed sua magisteria sibi vana esse queritur. Quum igitur in mente poëtae dei praecepta vatisque magisteria sint una et eadem, quid mirum si in ipsa oratione deus et poeta vices mutant et alter alterum induit identidem, neglexitque Tibullus diligenter discernere, quid deum, quid mortalem praecepta tradentem deceat: hinc versus a dei persona quam maxime alieni, sed apti in ore mortalis qualis hi sunt: *crudeles divi! serpens novus exuit annos: formae non ullam fata dedere moram* e. q. s. 35—38, hinc color ille rhetoricus et compta orationis forma, quae non profecto realisticam Priapi naturam sed artis magistrum refert; quum enim a v. 9 usque ad v. 33 quatuor praecepta traduntur: *o fuge* 9, *ne te capiant taedia* 15, *nec iurare time* 21, *si tardus eris errabis* 27, doctus poeta singula illa quater illustravit et ornavit locis communibus, exemplis tritis in schola, figuris denique rhetoricis anaphorae, anadiploseos, antitheseos aliisque munditiis, quas vide in vv. 11—14 *hic — hic — hic — illi*, 17—20 *longa dies — longa dies — annus — annus*, 21—26 *Iupiter — Dictynna — Minerva — perque — per-*

1) Locus lepidissimus est ideo, quia qui modo magisterii sui iactavit efficaciam, derepente ipse tactus amoris vulnere, non habet quo se curet.

Digitized by Google

que, 28—31 *quam cito — quam cito — quam cito — quam* [1]). Dum in talibus non deum audimus realisticum sed artificem, mox a v. 39 derepente Priapus se induit usque ad v. 56, tunc vero iterum nec minus subito poeta redit et ea profitetur, quae non ideo displiceant, quod deo tribuantur, sed multo magis quia cum argumento carminis nequaquam congruunt atque aliunde arcessita sunt (qualia multa iam invenimus in elegiis 1—4), ut ornando carmini male inserviant, velut locus de amore venali, qui communis est nostri poetae (cf. 5. 47 et 60, 8. 53, II. 3. 35, 4. 27) et locus de poesis efficacia, quem fere omnes exhibent poetae. Apparet, opinor, si non nostram sed Tibulli artem quaerimus, non quidem laudandum et adamandum, sed tamen suo loco tuendum esse excursum in vv. 57—70.

Restat ut pauca addam de vss. 15, 21, 71 sq.

De hiatu ante v. 15 quid sentirem iam supra indicavi, scilicet excidisse unum distichon vel plura (illud visum est quoque Baehrensio) et nexum sententiarum fere hunc fuisse: *„fuge puerос; si pueri tamen amore iam captus es, praecepta tradam „quibus succumbat, nam ad finem non negabit quae optas, sed „ne te capiant si primo forte negabit, taedia: paulatim sub iuga „colla dabit"* [2]).

In v. 21 reprehendit Ritschelius, quod speciale praeceptum de periurio positum sit inter generalia de impatientia 15 et de tarditate 27. Sumamus hoc recte [3]) animadversum esse, concedamus nihil tale inveniri in oratoribus, philosophis, serioribus quoque poetis, quales fuerunt Lucretius Horatius alii, at tamen alia res est in Tibullo; qui quam parum concinne et severe cogitet et sentiat paucis exemplis demonstrabo desumtis ex hac ipsa elegia.

Et primum quidem est quod mireris 5 sq. prioribus esse postpositum, quasi nempe iuxta barbam sordidam et incomptos capillos id quoque obstet ne ametur Priapus, quod nudus producit

1) Similis illa locorum conformatio indicat quoque eos divelli non debere.

2) Etiam si quis v. 9 *o fuge te tenerae puerorum credere turbae* nimis urguens verba ita interpretetur, quasi Priapus dehortetur tantum ne *turbam* puerorum frequentet, non renuens quominus unum aliquem ex iis amore prosequatur, desideratur tamen iustus transitus ad v. 15.

3) Vide tamen, cur hoc negaverim, in annotatione pag. 231.

Digitized by Google

frigora hiemis et aestatis calores: exspectaveris potius sententiarum ordinem talem: „Sic tibi, Priape, qui nunc nudus et hi„bernae producis tempora brumae et aestivi tempora canis, „contingant tecta, ne capiti soles ne noceantque nives: quae „tua e. q. s."

In v. 20 sqq. ut doceat quam efficax sit longa perseverantia in rebus arduis, his utitur exemplis: longa die domantur leones, longa die aqua exedit saxa, per anni spatium maturantur uvae, et tum hoc quoque addit *annus agit certa lucida signa vice*, parum logice, nam in extremo exemplo frustra requiritur gravis aliqua rei mutatio, certus aliquis finis quo per longum et operosum hominis naturaeve laborem tenditur, ut in victo puero, in domito leone, in exeso saxo, in uva denique maturata; ipsa illa verba nihil docent nisi annuam stellarum motionem certumque reditum.

In v. 31 describitur nobilissimi equi gradus infirmitatis extremus, dum, ut staret recto pede comparatio, denotanda fuerat celeritas qua a nobilitate ad ignominiam perveniatur.

In v. 33 sq. *vidi iam invenem, premeret cum serior aetas, maerentem stultos praeteriisse dies* inconcinne dictum est pro: *vidi iam* aetate provectum vel senem *maerentem stultos* inventutis *praeteriisse dies.*

Denique comparatio in v. 35 eo nomine claudicat, quod externa species in serpente non moratur sed renovatur. Accedit repugnantia in v. 5, ubi deus ab amore omnino revocat, et 27 ubi monet, ne idoneum amori tempus inutile transire patiatur.

Sunt haec partim gravia partim leviora, sed utique docent aliquoties negligentius Tibullum rem egisse. Quod si igitur locum quem tractamus non ad nostras cogitandi leges sed ad Tibulli consuetudinem exigimus, non video quid obstet tantopere, quominus speciale illud in v. 21 cum generalibus in v. 15 et 27 coniungamus hunc in modum: „primo si negabit ne victus „taedio desistas, nec quicquam spernas quod iuvare te possit, „ne periuria quidem fugias, nam sinunt hoc dii deaeque om„nes: at si tardus eris", prae pudore scilicet aut verecundia, nam per se amor et cupido tarda esse non solent, „transiit „aetas". Nexus ille non omnino pellucidus est et elegans, sed a Tibullo nonnumquam balbutienti et titubanti alienum vix dixerim.

Digitized by Google

Videndum denique de versibus 70 71, qui quo loco nunc leguntur non immerito offensionem dederunt interpretibus, nam nullo nomine cohaerent cum iis quae praecedunt aut sequuntur. Quod autem Ritschelius distichon subseruit loco de puero per obsequium captando 39—56, ferri posset nisi praeter blanditias etiam querelas et fletus in his vss. commemorarentur, quae ab isto loco prorsus abhorrent. Multo minus etiam probanda est Kattowitzii et Baehrensii transpositio post locum de periuriis v. 26. Longe aptiorem locum destinavit huic disticho Fritzschius ante v. 21, ut antea suadeat blanditias querelas fletus quam hortetur ad periurium, attamen displicet forma gnomica sententiae inter modos adhortativos et secundas personas. Mihi quidem non displiceret distichon lectum post 58: *iam tener assuevit munera velle puer* „sed Venus ipsa blanditiis vult esse locum in amore et querelis et fletibus, hisque favet".

Igitur de tota elegia sic concludo. Contraxit duo vulnera, quum alibi versus interciderint (ante 15) alibi loco moti sint, ut videtur (71 sq.): ceterum, eleganter incohata, lepide clausa, in media parte easdem refert proprietates et licentias quas deprehendimus in elegiis quae praecedunt. Alloquitur Priapum et sub illius persona se ipsum, divos, pueros, denique amatores et Marathum. Monologia Priapi parum constanter est pertexta, quum dei partes paulatim suscipiat poeta et tandem pro discipulo ipse fiat magister et puerorum iuvenumque monitor. Insunt repentini transitus, sententiarum saltus, comparationes minus iustae, repugnantiae, loci communes denique [1]) et excursus: at frustra fuerunt qui transponendis membris ista vitia sanare conarentur [2]).

(*Continuabitur*).

---

1) Etiam locus de amore invenili tempore tractando iterum legitur in el. 8. 41 sq.

2) De ratione diplomatica qua Ritschel transpositiones suas explicari et commendari posse censuit, nihil dicam nisi hoc: esse eam ingeniose inventam et artificiose compositam, sed ob ipsa artificia vix probabilem; praeterea nullo eam niti fundamento alio, quam ipsarum transpositionum probabilitate et veritate; hanc qui negat ei omnem illam rationem concidere.

Sic ne Ribbeckio quidem diplomatica ratio defuit, qua vulnera excusaret, quae primae elegiae inflixit.

Digitized by Google

AD AENEIDOS VI. 579 SQ.

SCRIPSIT

P. HOEKSTRA.

Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum terrae Titania pubes
Fulmine deiecti fundo volvuntur in imo.

Loci sic constituti sanam interpretationem prorsus non video. Cum enim constet poëtas Olympum et coelum promiscue usurpare in sedibus deorum commemorandis, discrimine autem adhibito montem illum vel in coelum eminere saepissime eos fingere, quid sibi velit suspectus coeli ad Olympum difficile est ad intellegendum. Neque mihi interpretes videntur verum vidisse. Monent nonnulli de Olympo Thessaliae non esse cogitandum, nova et inaudita ratione loquendi *coeli Olympum* iungentes. Heynius adnotat: *suspectus coeli h. e. prospectus per aërem a terra ad Olympum, ad coelum*, quae explicatio, licet ex lectione nobis tradita haud facile effici possit, tamen viam struit ad verum inveniendum. Ad suam sententiam confirmandam Heynius nobilissimos de Tartaro versus conferri iubet: Iliad. Θ 16

τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης,

praeterea Hesiod. Theog. 720

τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

Quos locos Vergilii, elegantis Graecorum poëtarum interpretis, animo esse obversatos affirmare ausim, adiecerimque verba scriptoris, cuius opera viros doctos apud Romanos manibus tri-

Digitized by Google

visse satis certo constat, Apollodori dico I. 1. 3. Τόπος δὲ οὗτος (Τάρταρος) ἐρεβώδης ἐν Ἅιδου τοσοῦτον ἀπὸ γῆς ἔχων διάστημα ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ.

Praeterea nusquam, quantum scio, apud poëtas comparandi gratia coeli ad Olympum intervallum recurrit; saepius contra eo consilio spatium inter terram et coelum interiectum ab iis esse adhibitum, cum ex scriptoribus Graecis tum ex Lucret. IV. 417 patet:

Despectum praebet sub terras inpete tanto
A terris quantum coeli patet altus hiatus.

Quibus omnibus perpensis nullus dubito quin nostro loco TERRAE pro COELI sit legendum.

Tali modo corruptis versibus medicinam afferre plane inusitatum esse iam mihi audire videor. Forte fortuna quibus iustos hos scrupulos diluam, mihi praebet versus statim sequens:

Hoc genus antiquum terrae Titania pubes.

Titanas Coelum ex Terra genuisse ceteroquin notissimum est et Hesiodus multis Theogoniae locis diserte monet, quorum unum attulisse sat habebo:

Τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκεν,
παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανὸς οὕς τέκεν αὐτός.

Nihil igitur impedit quominus hoc versu COELI substituatur. Quodsi vocabula COELI et TERRAE sedes mutare iusseris, alterius versus vim integram relinques, priori quem efflagitat sensum restitues et omnia recte procedent:

Quantus ad aetherium TERRAE *suspectus Olympum.*
Hic genus antiquum COELI *Titania pubes.*

Huiuscemodi errores ex scribarum socordia natos apud poëtas haud ita raro esse deprehensos vix opus est monere.

ADDENDUM AD CATULL. VI. 10.

Satis negligenter, ut mihi nunc videor, illud *cassa* pro codicum *quassa* velut de meo in medium protuli (Vid. Vol. XIV pag. 434). Sic enim scriptum est in codice Datano et aliis ante me placuit, quod vel ex Ellisii apparatu manifestum est.

Non. Mart. J. P. POSTGATE.

Digitized by Google

AD ARISTOPHANIS PACIS VS. 48.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN JR.

Pacis vs. 43—48 poeta fingit, Ionicum aliquem hominem, in spectatorum cuneis sedentem, ad Cleonem referre ea quae in scena repraesentantur. Scilicet his annis a nullo non comico Cleonem vellicatum fuisse, recordatur homo ille insulanus quem Aristophanes loquentem inducit; et statim igitur incidit ei suspicio, ea quoque, quae de monstro tetro et foetido nunc sibi narrentur, in illum demagogum recens mortuum tendere. Digna haec sunt poetae ingenio, sed ita ut hodie leguntur in nostris libris, videntur indignissima. Excribamus locum:

οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας δοκησίσοφος· „τὸ δὲ πρᾶγμα τί;
ὁ κάνθαρος δὲ πρὸς τί;" κἄτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
Ἰωνικός τίς φησι παρακαθήμενος·
„δοκέω μὲν, ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίσσεται (Dobreus, pro -ττεται),
„ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει."

Horum igitur versuum ultimus sensu caret et contra historiam peccat. Quod quamquam data opera ostendere supervacuum duco, non credo enim quemquam esse inter Mnemosynes lectores quin probe meminerit post Cleonis mortem actam esse hanc fabulam, scholiastae tamen verbis indicare iuvat, ut appareat quam antiquum sit mendum: *πῶς δὲ ἤσθιεν ὁ Κλέων ἤδη τεθνηκώς; Ἐρατοσθένης γὰρ ἐπὶ Θρᾴκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησί· καὶ αὐτὸς δὲ ἐν τούτοις* (vs. 269) *φησίν· „ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος". ῥητέον οὖν ὅτι τὸ ἐσθίει ἀντὶ τοῦ ἤσθιεν.*

Itaque, nisi volumus credere veteribus commentatoribus, praesens idem valere quod imperfectum, fatendum est corruptum esse textum. Nam qui statuunt in vulgata acquiescendum esse, Cleonem autem hoc loco ita nominari ut de eo vivo adhuc cogitare cogamur (Droysen, J. Stanger Umarbeitung einiger ar.

Digitized by Google

Kom. p. 35, O. Keck Quaest. Arist. p. 80), parum videntur reputasse, ipsum huius fabulae condendae consilium in poetae animo vix potuisse nasci ante Cleonis mortem.

Quid igitur corrigendum est? Hic profecto experiri licet, quanti pretii sit methodus socratica. Interrogando enim cogam te, lector benevole, ut ipse emendationem reperias. Estne adhuc in terris Cleon? — Minime, ante octo enim menses ad Amphipolim cecidit. — Ubi igitur nunc est? — Apud Orcum. — Itaque si quid agere dicatur, ubi id agere dicendus erit? — Apud Orcum profecto. — Attice autem quomodo id dicitur? — *ἐν Ἅιδου*. — Et si Ionicus loquitur? — *ἐν Ἅιδεω*. — En elucet vera scriptura, ridicule offuscata in libris manuscriptis:

ὡς κεῖνος ἐν Ἅιδεω τὴν σπατίλην ἐσθίει.

Iam vide quam constanter ea, quae ionici sermonis sunt propria, observaverit poeta: *δοκέω* sensu *arbitrandi*, *opinandi*, pro *οἶμαι* igitur; *κεῖνος* pro *ἐκεῖνος*; genitivum in *-εω*; denique *σπατίλην* pro *κόπρον* vel *βύπον*, nam hoc quoque vocabulum vix atticum esse videtur.

Hoc igitur dicit ad vicinum spectator loquax magis quam acutus, maris et mercaturae peritissimus fortasse sed ab urbanis facetiis longius distans: Nonne intellegis quid rei sit? equidem dudum teneo; in Cleonem haec omnia dicuntur. Belua commemoratur foede vorax: ergo significatur Cleo. Hic erat *βυρσάετος* ille *ἀγκυλοχείλης* quem meministi, opinor; hic erat *Φάλαινα* ista *πανδοκεύτρια*: noli igitur dubitare quin novum quoque hoc portentum, *τέρας* hoc „*Διὸς σκαταιβάτου*", in eum tendat, ingens hic cantharus merdae amantissimus, ut ille erat *βύρσης σαπρᾶς*.

Una autem opella liberati sumus absurda illa ENALLAGE TEMPORIS, quam grammatici, ad incitas redacti, huic loco inesse statuerunt, et adverbio *ἀναιδέως*, a sententia plane alieno. Aliis inquirendum relinquo, cur Elmsleius delendum censuerit articulum *τήν*, probante sane Dindorfio, sed et metro invito et sensu; SUA enim *σπατίλῃ*, suis coriis foetidis et vere stercoreis, quae dum inter vivos erat in deliciis habebat, apud inferos vesci dicitur Cleo. Neque ostendere iuvat quam insulsa loqui cogeremus poetam, si cum Dobreo *ἀναιδέως ... ἤσθιεν* legeremus; cavendum enim ne ipse, ut Aristophanes, *κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσι* videar. Dobrei lectionem recepit Blaydes.

Digitized by Google

MINUTIAE EPIGRAPHICAE.

SCRIPSIT

H. J. POLAK.

I. Repetiit nuperrime in horreo philologico Germanico, quod Rheinisches Museum für Philologie inscribitur, (N. F. XLI, Hft. 3) Paulus Wolters, V. D. inscriptionem sepulcralem, quam in urbe, quae nunc apud populares in imperio Russico Kertsch audit, repertam ante novem annos in hunc modum constituerat Stephanius (Stephani, Compte-Rendu 1877, p. 277):

Μηνόδωρε Ἀπολλωνίου χαῖρε.

A. Φράζε τεὴν πάτρην, τεὸν οὔνομα καὶ μόρον αὔδα,
Καὶ πόσ' ἔτη σαίρεις δ' εἴ τι παρ' ἀμερίοις.

B. Πατρὶς ἀλιστέφανός με γοναῖς ἔσπειρε Σινώπη,
Οὔνομα δ' οἰχομένου Μηνεόδωρος ἔφυ·

Πολλὰ δὲ δυσμενέων ἔναρα βροτόεντα δαΐξας
Κεῖμαι δουριτυπὴς ἐν χθονὶ Βοσπορίδι·
Ἑξ δεκάδας λυκάβας κεκορώνικα, τέκνα δὲ λείπω
Καὶ τὴν ἐν λέκτροις στεργομένην γαμέτιν.

A. Εὐσεβέων ναίοις ἱερὸν δόμον· ἤσθα γὰρ αἰεί
Καὶ φθίμενος καὶ ζῶν πᾶσι ποθεινότατος.

Adnotaverat praeterea editor, vs. 3 in lapide esse ἔσπιρε, vs. 7 λίπω, vs. 5 λαΐξας, quod Nauckio auctore in unice verum δαΐξας commutaverit.

Perspexit Woltersius, epigrammati quod ineleganter compositum pronuntiat [1]), — etsi me quidem iudice centenis similibus

1) „Das Gedicht ist nicht geschickt."

Digitized by Google

non deterius [1]), — post has editoris curas duos adhuc inesse versus flagitiose corruptos, secundum et septimum, quorum alterum dextre admodum sanavit, in altero restituendo minus feliciter, si quid video, versatus est. Quid enim sibi vult ἓξ δεκάδας λυκάβας κεκορώνικα? Stephanius de eo more per lusum stipem colligendi cogitaverat, qui κορωνίζειν nuncupabatur, consimili illo alteri notiori cui χελιδονίζειν nomen erat. At merito hanc rationem reiecit Woltersius, monens et mirum videri, si unus idemque homo per sexaginta annos, ideoque a prima pueritia, hoc τοῦ κορωνιστοῦ munere functus sit, et sic in poëmatio ceteroquin vitiis grammaticis carente λυκάβας pro λυκαβάντων esse positum, quod ne extremus quidem Byzantinorum facile admiserit [2]), et, si quid aliud, absonum esse hunc *aetatis* indicandae modum. Nam hoc quoque sagaciter vidit, quinque deinceps defuncto quaestiones proponi, in iis quot annos natus vita decesserit, eumque ad has omnes eodem ordine respondere. Hac sententia duce reposuit: ἓξ δεκάδας λυκάβας κεκορώνικΕ, quod ita interpretatur, ad sex annorum decades unum annum quasi cumulum (κορωνίδα) accessisse. Nempe Menodorus noster

1) Maxima intercedit similitudo inter nostrum epitaphium atque aliud in honorem Socrateae cuiusdam compositum, quod legitur in App. Epigr. Jacobs. 384, cuius cum sit longiusculum initium tantum proponam:

A. Φράζε τίνος γονέος, σέο τ' οὔνομα καὶ πόσιν αὔδα,
καὶ χρόνον εἰπέ, γύναι, καὶ πόλεως ὅθεν εἶ.
B. Νίκανδρος γενέτωρ, πατρὶς Πάρος, οὔνομα δ' ἦν μοι
Σωκρατέα· φθιμένην Παρμενίων δ' ἔθετο
σύλλεκτρος τύμβῳ με κτλ.

Utrumque, et si qua erunt alia similia, expressum est ad imitationem epigrammatis Antipatri Sidonii (A. P. VII 164) huiusce:

A. Φράζε, γύναι, γενεήν, ὄνομα, χθόνα. B. Καλλιτέλης μέν
ὁ σπείρας· Πρηξὼ δ' οὔνομα· γῆ δὲ Σάμος.
A. Σᾶμα δὲ τίς τόδ' ἔχωσε; B. Θεόκριτος, ὁ πρὶν ἀθικτα
ἀμετέρας λύσας ἄμματα παρθενίης. κτλ.,

quod certatim in eodem argumento imitati videntur Leonidas (ib. 163) et Archias (ib. 165.), etsi de utroque res dubia est propter lemmatis ambiguitatem. Ceterum animi causa repeto Jacobsii observationem, tale epitaphium Theophrasto (Charact. XIII) περιεργίας signum videri, quippe poëticorum artificiorum aut immemori aut contemptori. Verba eius haec sunt: καὶ γυναικὸς δὲ τελευτησάσης ἐπιγράψαι ἐπὶ τὸ μνῆμα τοῦ τε ἀνδρὸς αὐτῆς καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς καὶ αὐτῆς τῆς γυναικὸς τοὔνομα καὶ ποδαπή ἐστι, καὶ προσεπιγράψαι, ὅτι „οὗτοι πάντες χρηστοὶ ἦσαν."

2) At non abstinent accusativo λυκάβαν. App. Epigr. Jacobs. 323 i. f.: τρισσὸν ὑπὸ λυκάβαν Γραμματικὸς τελέω. Exemplum mihi quidem μονῆρες est.

Digitized by Google

anno aetatis sexagesimo primo in proelio quodam cecidit. Iniecerat scrupulum coniectanti, quod verbum *κορωνίζειν* hac potestate usurpatum nusquam extat. Ne mihi quidem ullus locus in promptu est, — *βίου κορωνίς* apud Plutarchum occurrit, Mor. p. 789 A, — sed ea ex hac emendatione exoritur sententiae perspicuitas, ut et veram et egregiam non dubitem praedicare. Simul, quod bonae emendationis proprium est, ceteris quoque obscuris lucem affundit. Secundum versum dico, quem omni sensu cassum sic refingit Woltersius: Καὶ *ποσέτης, αἴρεις δ' εἴ τι παρ' ἀμερίοις.* Certum est *ποσέτης.* Certa quoque sententia. Interrogatur enim defunctus, et quot annos vixerit et num solus vixerit. Sed quid est *αἴρεις*? Respondet Woltersius, eodem sensu usurpari quo latinum *tollere liberos.* Vellem unum saltem exemplum adscripsisset. Ego vero nec Graecum *αἴρειν τέκνα* novi, quod Romanorum dicendi rationi respondeat, nec, si extaret, pro eo nudum *αἴρειν* exhibere liceret, quemadmodum neque latinum *tollere* omni liberorum mentione omissa, nec, si quam maxime haec omnia fieri potuissent, nostro loco valerent, nam praesens utique tempus perincommodum est. Quid de latino poëta iudicaremus quamvis mediocri, qui aliquem induceret e mortuo quaerentem, ecquos liberos *tollat*? Ego vero censeo, lapicidam aut sculpsisse aut in exemplo certe habuisse: Καὶ *ποσέτης, λείπεις δ' εἴ τι παρ' ἀμερίοις,* (ΛΙΓΕΙΣ — ΑΙΡΕΙΣ), atque ita mortuus rectissime respondet: *ἓξ δεκάδας λυκάβας κεκορώνικε, τέκνα δὲ λείπω καὶ -- γαμέτιν.*

II. Reperta est anno 1879 inscriptio in Anglia (in vico Brough-under-Stanmore, Westmoreland), atque a viro clarissimo A. H. Sayce post aliorum observationes sic constituta (in diario Anglico Academy, nr. 632, 14 Iun. 1884):

1. *ἐκκαιδεχέτη της*
2. *ἰδὼν τύμβω σκεφθέντ'*
3. *ὑπὸ μοίρης Ω Ἑρμῆ*
4. Κομμαγηνὸν *ἔπος*
5. *φρασάτω τόδ' ὀδείτης·*
6. Χαῖρε *σύ, παῖ Πάρθ(λ)ου,*
7. *κἤνπερ θνητὸν βίο(ν)*
8. *ἕρπης Ω ὠκύτατ' ἔπ*

Digitized by Google

9. της γὰρ μερόπων ἐπὶ
10. Κιμμερίων γῆ Ω κοὐ ψεύ
11. σει· α(ἶν)ο(ν) γὰρ ὁ παῖς Ἑρμῆς
12. αν(α) . . . . ι.

Quae et editor et alii viri docti in Britannia (Ridgeway, Hicks, Bradley, Is. Taylor, Nicholson) super hac inscriptione non praestantissima in Academia quae dicitur disseruerunt (Acad. m. m. Iun. et Iul. 1884), videre mihi non contigit, repetitam cognovi e diario Germanico (Berliner Philologische Wochenschrift, 13 Sept. 1884, n. 37, col. 1172—73). Ibi et de sententia docemur, esse inscriptionem sepulcralem in honorem Hermae cuiusdam, iuvenis Commageni, in ultimis septemtrionum oris apud Caledonios fato functi, et constare eam quattuor (immo *quinque*) hexametris, quorum primus ab anacrusi incipiat, ultimus ferme perierit, signo Ω denique versuum fines indicari, ceterum omnia in lapide uno tenore esse scripta. Coniicitur ibidem, της male exaratum esse pro τις, ἐκκαιδεχέτη pro ἐκκαιδεκέτη, vocem σκεφθέντ' verosimiliter esse pro σκηφθέντ', quae omnia certa mihi videntur, cum satis vulgaria sint plebeiae pronuntiationis vitia [1]). Tandem censor ἀνώνυμος in adnotatione haec disputat, quae ipsius verbis referam in latinum sermonem conversis: „impressione finita Arthur Evans, v. cl., iterum lapide examinato cetera emendate descripta affirmavit, lin. 6ª autem esse non Πάρθλου, sed παρ' ΕΜοῦ, lin. 11ª non αἶνον sed ἀβίως, praeterea lineae ultimae tertiam literam Τ esse videri." Quibus indiciis usus totum epigramma in hunc modum constituerim:

1) Exempla proferre velle vulgatissimae confusionis inter η et ι putidae diligentiae foret. Quod ad ἐκκαιδεχέτη attinet, Ricc. Wagner in opere utilissimo (Quaestt. de Epigramm. Graecis ex lapid. collect. Grammaticae, 1883) p. 91 *duodecim* exempla enumerat omnia ex metricis inscriptionibus collecta, quas Kaibelius v. cl. in Syllogen suam receperat. Wagnerus sibi persuasum habet, hanc aspirationem „ab antiquissimo aevo repetitam esse atque servatam." Contradicere vix ausim, sed quod v. c. reperitur ΜεΚακλεῖος (Cuman. 1648), an hoc quoque ab antiquissimis temporibus repetitum censebimus? Tandem quod in σκεφθέντ' Ε occurrit pro Η, hoc quidem antiquius mendum mihi videtur, et cum vel iis temporibus usu veniat ad quae epigramma nostrum pertinet, recentibus admodum, inde nostro iure colligimus, ne tunc quidem semper et ubique Η sonuisse ut ἰῶτα. Ipse enotavi ΛΗίσβιος ap. Cuman. 1956; ΜιλΕήσιος ap. eundem 2202; (2081 est ΜΕλήσιος = Μειλ.); ΤερμΕσσέως ib. 1759 et 2454; συστΕμάτων in Dittenb. Syll. 253 l. 38. Alia habet Gust. Meyer Griech. Gramm.² p. 88, 89, § 73.

Digitized by Google

Ἐκκαιδεκέτη (ἐκδεκέτη?) τις ἰδὼν τύμβῳ σκηφθέντ' ὑπὸ μοίρης
Ἑρμῇ Κομμαγηνὸν ἔπος Φρασάτω τόδ' ὀδείτης·
„Χαῖρε σύ, παῖ, παρ' ἐμοῦ, κεἴπερ θνητὸν βίον εἶρπες
ὠκύτατ' — ἕπτης γάρ — μερόπων ἐπὶ Κιμμερίων γῆς,
οὐ φθίσει· ἐβίως γάρ, ὁ παῖς Ἑρμῆς, ἀν(υβριστ)ί."

Quod in his ΨΕΤΣΕΙ — modo recte descriptum sit — commutavi in ΦΘΙΣΕΙ, feci Homero duce, Λ 819—821: „dic mihi

ἦ ῥ' ἔτι που σχήσουσι πελώριον Ἕκτορ' Ἀχαιοί,
ἦ ἤδη φθίσονται ὑπ' αὐτοῦ δουρὶ δαμέντες.

(cfr. etiam Τ 329, ν 384). Sententia eadem est atque in hoc Callimacheo (A. P. VII, 451):

Τῇδε (edd. τᾷδε) Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
κοιμᾶται. θνάσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς,

cui plurima reperiuntur similia et in lapidibus et in ipsa Anthologia. Ἀβίως pro eo quod necessario requiritur ἐβίως scriptum utrum merus lapicidae error sit an et ipsum plebeii oris vitium, ambigo. Huius non prorsus desunt exempla non semper ad infimam aetatem detrudenda. Epitaphium est vetere literatura insculptum, quod ex amici Boissevainii ectypo expressum vulgaribus literis hic repeto:

Ἄνθρωφ' ὁ<ς> στείχε[ις] καθ' ὁδόν, Φρασιν ἄλλα μενοινῶν,
στῆθι καὶ οἰκτιρον, σῆμα Θράσωνος ἰδών.

Apertum est auctorem, quisquis fuit, scripsisse Φρεσὶν ἄλλα μενοινῶν, Homeri sui non immemorem. Epistola Romanorum, anno a. Chr. 193 ad Teios data, incipit in hunc modum: Μᾶρκος Οὐαλάριος Μάρκου στρατηγὸς (M. Valerius Messalla) -- Τηΐων τῇι βουλῇι καὶ τῶι δήμωι χαίρειν [1]). Sed sunt etiam contrarii erroris exempla. In Cumanudis Epitymbiis Atticis nr. 3037 Eucolinae cuiusdam epithaphium est super Callistone:

Σῶμα σὸν ἐν κόλποις, Καλλιστοῖ, γαῖα καλύπτει,
σῆς δ' ἐρετῆς μνήμην σοῖσι φίλοις ἔλιπες,

1) Ita quoque Λουκαρία est ap. Polyb. III, 88 et 100, in recentissima saltem Hultschii editione. Apud Bekkerum utrobique est Λουκερία. Certius est Λευκαρία ap. Plut. Rom. c. 2 in. Cfr. omnino G. Meyer Gr. Gramm.[3] §§ 23—25. Ceterum neque nescius sum haec exempla non plane eiusdem generis esse ac nostrum ἀβίως, neque ex his sive loquendi sive scribendi vitiis certe minime frequentibus ac posteriorum plerumque temporum augmenti formam *antiquissimam* per α (G. Meyer ib. § 474) aut stabilire aut refellere in animo est.

Digitized by Google

ibidemque nr. 1648 commemoratur Κληνερέτη Ἐρεσία [1]). Tandem quod ex ultimae lineae reliquiis eruendum putavi *ἀνυβριστί*, feci auctore Anacreonte (ap. Athen. X p. 427 A, Bergk., P. L. Gr.[4] t. III p. 272 fr. 63) qui cecinit: -- *ὡς ἀνυβριστί* || *ἀνὰ δηὖτε βασσαρήσω.*

III. Tertio loco esto epitaphium Amorginum, a viro clarissimo Comparettio editum in Museo Ital. di antichità class. I, 2 p. 25, repetitum emendatumque a Francisco Buechelero, summo viro (in: Rhein. Museum f. Phil. N. F. t. XXXIX Hft. 4, 1884), qui carmini ad meum quidem palatum satis ieiuno atque contorto poëticam quandam facundiam vindicat. Est autem huiusmodi:

Τὸν δεκαὲξ ἐτέων ἀριθμοὺς προΦέροντ' ἐν ἐΦήβ[οις
αἰνόδακρυν λεύσσεις, ξεῖνε, τὸν ἐν Φθιμένοις
πρὶν τελέσαι λυκάβαντος ὅλον δρόμον. ἦλθε γὰρ ἄλλας
τύρσιδος ἀγριόνους, οὐχ ὅσιός τις ἀνήρ,
καὶ σὺν ὁμαλικίοισι νέων ἀνὰ γυμνάδα Φαιδράν
στείχοντ' ἀνδροΦόνῳ δεξιτερᾷ παλάμᾳ
λόγχας ῥοιζήεντα βαλὼν ἀΦύλακτον ἀκωκήν
ἐν σταδίῳ πλευραῖς πικρὸν ἐνῆκε βέλος.
ἄχρι δ' ἐπ' ὀστέον ἦλθεν, ἐλεῖν δέ τις οὐδ' ἐπαρῆξαι
ἠδύνατ', ἀλλὰ βίᾳ τ' εἶκε μόλις δ' Ἄρεως
ἠλκύσθη προβολᾷ διὰ σώματος, αἷμα δ' ἀνέρρει.
χῶ μὲν ἔβα πελάγους [β]ένθος [ἐ]π' ἀτρύγετον.
πεμπταῖον δ' ἐμὲ [Μο]ῖρα τὸν ἐξ ἀγέλας Διότιμον
ἡιθέων οἰκτρὰ μάρ[ψε]ν ἐν Ἀρκεσίνᾳ
πατρίδι· καὶ μάτηρ μὲ[ν Ἀ]ρισταρέτη σὺν ὀδυρμῷ
κώκυσεν, γενέτας δ' [ὤλετο Σ]ωσαγόρας
δακρυχέων γηραιό[ς, ἔ]δεκτ[ο] γὰρ ἀντὶ τροΦήων
ἐλ[π]ίδος ἐν μελάθροις [π]ένθος, ἐπεὶ νεκύων
ἀργαλέ]ους ἐπέρασα μυχούς· ὁ δὲ σύντροΦος Ἑρμᾶς
ὠδήγ]ησε λαβὼν χῶρον [ἐς ἠλύσιον.

1) Reperitur praeterea καμΕρα C. I. Gr. 3516 et ἡλΕκάτη (Dittenb. Syll. 367 l. 214), bis confirmatum ab Hesychio vel potius Diogeniano s. v. ἡλακάτη, ubi in fine est: *διὰ δὲ τοῦ ε ἡλεκάτη* et suo ordine inter *ἡλεύ* et *ἥλεκτρον*. Cfr. praeterea G. Meyer Gramm. § 55, qui i. f. addit: „Ebenso ist wohl auf *ἐρετή* = *ἀρετή* (cuius etiam exemplum affert ex Inscript. Deliaca in Ἀθην. IV, 463 edita) *nicht zu geben*. Von keinem Belang sind späte Schreibungen wie *Μακεδόνες* Letronne Papyrus du Louvre 41, 6 (auch *ἅπαντες* 21,b 4 aus dem 6 Jhdt. n. Chr.)."

Digitized by Google

Varia lectio in his versibus haec est: l. 3 ΟΔΟΝ lapis exhibere dicitur clarissime. — l. 11 προβοΑΑΙ. — l. 12 ΕΗΑ. — l. 13. ΔΕΜΕΜΕ..ΙΡΑ.ΟΝ, cum inter A et O superior pars literae emineat speciem Z referentis, unde Comparettius [πε]ι-ράζον supplebat, quod nihili est et sententiae et metro pariter repugnans. — l. 14 μαρΙ'..Ν. — l. 19 ....ΘΟΤΣ, unde ἐς πλή]θους Comp., nunc quoque non felicius.

Ceteris Buecheleri emendationibus supplementisque libenter adstipulor, quattuor tantum locis ab eius iudicio discrepans. Iam primum non optime adsequor quid sit πρὶν τελέσαι λυκάβαντος ὅλον δρόμον. Miserum me, hospes, adspicis — mortuus loquitur — qui ad sextum et decimum annum inter ephebos pervenerim, nunc in Orco degentem, *priusquam totum anni cur… ad finem perduxerim.* An hoc vult, mortuum se, priusquam is annus, quo inter ephebos adlectus sit, ad finem pervenerit? Vel, priusquam is annus, quo sextum et decimum aetatis annum expleverit, totus praeterierit? Utrumque contortum, posterius etiam insulsum, queri eum quod non ipso die natali fato functus sit. Immo vero epitaphii auctorem dedisse suspicor: πρὶν τελέσαι λυκάβαντΑς ὅλον δρόμον. Frequens ea in epitaphiis Graecis querela est, decessisse aliquem iuvenem, priusquam ad annorum pervenisset maturitatem. Est inscriptio a Sponio primo vulgata, a Porsono in integrum restituta (Adverss. p. (310) 275) ac deinde a multis repetita, quae profatur Cyrillum quendam monumentum extruxisse trimo filio Cleophoro, ὃν ἀφείλετο Μοῖρα κραταιή, ‖ πρὶν γλυκεροῦ βιότοιο ἐς ἡλικίης τέλος ἐλθεῖν. Dixit Leonidas (Alexandrinus?) in simili argumento (Anth. Pal. VII 662):

Ἡ παῖς ᾤχετ' ἄωρος ἐν ἐβδόμῳ ἤδ' ἐνιαυτῷ
εἰς Ἀΐδην, πολλῆς ἡλικίης προτέρη [1]).

1) De his verbis interpretandis magna lis est inter viros doctos, quorum plerique quod mihi unice rectum videtur Meinekio praeeunte damnant, nonnulli locum me quidem iudice sanissimum coniecturis vexant. Meinekius (p. 186) sic disputaverat: »Ex graecis verbis vix efficias Iacobsii interpretationem: *diu ante quam per naturae leges ei moriendum esset.* Suspicabar πολλῷ γ' ἡλικίης προτέρη, *diu ante quam adolevisset.* Si sana est Codicis lectio, sensum esse crediderim πολλῶν ἡλίκων προτέρη." Ita pergit Dübnerus: »quod verum videtur;" idque in interpretatione sua latina expressit. Praeterea Heckerus coniecit πρώτης ἡλικίης προτέρη, Ahrensius πολλοῖς ἡλ. πρότ. Adversus tot summorum virorum dissensum gaudeo quod meae sententiae

Digitized by Google

Dixit exquisite poëta ignotus (App. Epigr. Iacobs. nr. 287) de quinquenni puella immatura morte abrepta:

οἷα γὰρ ἀρχομένου ῥόδον εὔπνοον εἴαρος ὥρῃ
ἐξέτεμες ῥίζης, πρὶν χρόνον ἐκτελέσαι.

Deinde non recte usurpatum putaverim vs. 9 verbum ἑλεῖν. Nempe iuvenis noster flebiliter narrat, in gymnasio cum aequalibus versanti sibi nefarium advenam hastam intorsisse, in ossa hanc penitus penetrasse neque evelli potuisse, nullamque aliam medendi sui viam esse repertam, nisi ut — sic Buechelerus recte interpretatus est epigrammatis verba satis contorta, in auxilium vocatis Celso de Med. VIII c. 3 et Ruhnkenio in Ep. Crit. p. 68 — acuto mucrone telum ex corpore exterebraretur, quam tamen medicinam male sibi cessisse, nam sanguine profuso quinto die obiisse se. Itaque ἑλεῖν δέ τις (οὐκ) — ἠδύνατο esse debebit: nemo ferrum in ossa infixum *evellere* valuit. Quod vereor ut simplex αἱρεῖν recte significare possit. *Evellere* aut ἐξαιρεῖν est aut ἀναιρεῖν, quorum illud nostro loco metrum respuit, hoc restituendum est: ἄχρι δ' ἐπ' ὀστέον ἦλθ', Ἀνελεῖν δέ τις οὐδ' ἐπαρῆξαι ‖ ἠδύνατ'. Utrum hic quoque E pro A neglegentia et errore sit exaratum, an ἦλθεν male scriptum in literis continuis sequens ἀν expulerit, quemadmodum vs. 13 esse dicitur in lapide δ' ἐμεμε, in medio relinquo nec sane ad summam rei aliquid momenti affert. Si quis eius significationis verbi ἀναιρεῖν, quam nostro loco inesse debere dixi, exempla requirat, haec ei satisfacient. Apud Solonem est in notissimo fragmento (ap. Arist. II p. 536 Dind., Bergk. P. L. Gr.[4] fr. 36, t. II p. 55): τῆς (i. e. γῆς) ἐγώ ποτε ‖ ὅρους ἀνεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας. Apud Thucydidem saepius, v. c. VII c. 25: ἐγένετο δὲ καὶ περὶ τῶν σταυρῶν ἀκροβολισμὸς ἐν τῷ λιμένι, οὓς οἱ Συρακόσιοι πρὸ τῶν παλαιῶν νεωσοίκων κατέπηξαν ἐν τῇ θαλάσσῃ, deinde multis interiectis: τέλος τοὺς πολλοὺς τῶν σταυρῶν ἀνεῖλον οἱ Ἀθηναῖοι, ubi aliquot codices non pessimi similiter ex-

---

Iacobsium saltem habeo adstipulantem, in Anthologia facile principem. Veram autem esse interpretationem Iacobsianam vel ex contrario efficitur, quod habemus in epigrammate ἀδεσπότῳ, in Casandri cuiusdam monumentum inscripto, (A. P. VII 328), ubi et alia dicuntur et hoc (vs. 3 seqq.):

ἀλλά σε νηλειὴς καὶ βάσκανος ὦλεσε δαίμων,
ἡλικίην ὀλίγην (sc. ὄντα) εἴκοσιν ἓξ ἐτέων.

Digitized by Google

hibent εἶλον. Neque apud recentiores poëtastros eadem verbi vis in oblivionem abiit. Est in Appendice Epigrammatum Iacobsiana longiusculum carmen semibarbaro sermone conceptum, quo nescio quis prima pueritia fato functus infinitam seriem malorum morborumque enumerans praetereuntium misericordiam excitare studet (nr. 257). Et alia passus sum — inquit — et ἑτέρα νόσος εἶλε κακίστη || – – σῆψιν γὰρ λαιοῦ πεδίον ποδὸς εἶχεν ἐν ὀστοῖς· || εἶτ' ἔταμόν με φίλοι γενέτου, καί μ' ὀστέ' ἀνεῖλαν. Haec sufficiant ad stabilienda ea quae dixi. Iam ad ultimos versus accedamus, in quibus mihi non admodum arridet novissimi editoris supplementum ἀργαλέους ἐπέρασα μυχούς. Neque ipsius adsensum tulit, „verum non inveni" candide profitentis. Quod sic ἐπέρασα nudo accusativo iungitur, nihil magnopere me movet, satis illud defensum vel ultimo Oedipi Regis versu πρὶν ἄν || τέρμα τοῦ βίου περάσῃ, sed neque ἀργαλέοι μυχοὶ νεκύων optime dictum est, neque literarum vestigia necessario eo ducunt. Buechelerus in animo habuisse videtur notissimum Anacreontis fragmentum: Ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς μυχός, ἀργαλέη δ' ἐς αὐτόν || κάθοδος (Bergk, P. L. Gr.[4] fr. 43 t. III p. 267), in quo δεινός optime ad μυχός, ἀργαλέη ad κάθοδος refertur, quae quis recte invertat? Literarum reliquiae sunt .... θους, unde Comparettius pessime, ut dixi, ἐς πλήθους effecit, ipse, cum perpetua sit in lapidibus confusio inter Θ et Ο, εἰς ὁλοὸς ἐπέρασα μυχούς suppleverim, quemadmodum in App. Epigr. Iacobs. n. 315 dicitur: νηλειὴς δέ με δέκτο μυχὸς καὶ ἀλάμπετον οὖδας || ἄΐδεω [1]). Sed praestabit expectare, donec aut lapis iterum tractatus aut felix aliquis casus id suppeditet, quod dubitare non amplius sinet. Tandem ne illud quidem probaverim, quod in fine supplet Comparettius, quamvis a Buechelero receptum: χῶρον [ἐς ἠλύσιον]. Refert is: „post χῶρον nihil amplius scriptum est in lapide, quasi scrupulum iniecerit scalptori placitum ac nomen ethnicum." At neque hanc versus non expleti causam probo, neque χῶρος ἠλύσιος in usu est. Dicitur aut Ἠλύσιον πεδίον aut nudum Ἠλύσιον. Quapropter equidem suppleverim quod centies

1) Dignum etiam quod conferatur est initium epigrammatis Diodori A. P. VII 627:
Ἡμιτελῆ θάλαμόν τε καὶ ἐγγύθι νυμφικὰ λέκτρα,
κοῦρε, λιπὼν ὁλοὴν οἶμον ἔβης Ἀΐδου.

Digitized by Google

hac in re occurrit: *χῶρον [ἐπ' εὐσεβέων]*. Dabo pauca testimonia. App. Epigr. nr. 384, cuius initium iam attuli, in fine habet: *πολυώνυμε Κούρα, || τήνδ' ἄγ' ἐπ' εὐσεβέων χῶρον, ἔχουσα χερός*. Epigramma a Porsono emendatum, cuius item supra initium laudavi: *κοῦφον ἔχοις γαίης βάρος, εὐσεβίης ἐνὶ χώρῳ*. Quodque in hac disputatione primum posui: *εὐσεβέων ναίοις ἱερὸν δόμον*. Et Anth. Pal. VII 260 (Carphylidae): *οἵ με - - τὸν γλυκὺν ὕπνον || κοιμᾶσθαι χώρην πέμψαν ἐπ' εὐσεβέων*. Cfr. praeterea A. P. VII 520, Cuman. *Ἐπιγρ. Ἐπιτ.* nr. 1825, App. Epigr. 224, 306, cett. et, qui his sequioribus gravissimus sane *τῆς καλλιεπείας* auctor videbatur, Axiochi scriptor, quem Platonem autumabant, c. XIII, p. 371 C: *ὅσοις μὲν οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἐπέπνευσεν, εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον οἰκίζονται.*

Nondum carmen nostrum dimittere licet, cum tria adhuc notanda supersint. Ac de iunctura *τε — δέ* vs. 10, — pro quo „legitimum erat *βίᾳ τ' - - μόλις τ'*," observante Buechelero — post agam. Deinde observatu non indignum est, inscriptionem nostram tertium exemplum exhibere vocis *γυμνάς* pro *γυμνάσιον* positae, cuius usus duo innotuerant, App. Epigr. Iacobs. nr. 103 et 127 [1]). Tandem prius horum epigramma

1) In hac significatione voci *γυμνάς* tribuenda errasse lexicographi videntur Kaibelio v. cl. sic disputanti (Cyriaci Anconitani Inscriptionum Lesbiacarum Sylloge inedita; Ephem. Epigr. Vol. II, 1875, p. 18): „Lexicographi enim poëtarum aliquot locos indicantes ubi idem esse putant quod *γυμνάσιον* incautius agunt: ne poetae quidem unquam hoc vocabulo *locum* significant, ubi exerceret se iuventus." Dissentire liceat et lexicographis laborantibus opem ferre. Atque in duobus epigrammatis Appendicis Jacobsianae (103 et 127), solis hucusque testibus, res dubia videri poterat. Ubi dicitur: *εὐμόχθου ἐπὶ γυμνάδος ἀγνὸν ἐφήβου || σχῆμα λαχών* (103)· et: *τὸν θάλλοντα νέοις ἐπὶ γυμνάδος ἔργοις* (127), dictum *poterat* intellegi de *exercitatione*, etsi mihi contorte ita accipi videtur. At nunc, cum epitaphium Amorginum accesserit, dubitare non amplius licet quin *γυμνάς* recte expositum sit *γυμνάσιον*. Nam cum ibi dicatur: *σὺν ὁμαλικίοισι νέων ἀνὰ γυμνάδα φαιδρὰν || στείχοντ'* (i. e. *-χοντι*), quid, quaeso, aliud esse poterit quam *locus, ubi exercet se iuventus*? Et cum in duobus illis epigrammatis ex App. Iacobs. et in nostro Amorgino ea sit dictionis similitudo, ut vel non attendentem advertat, consequitur in his quoque non adeo errasse lexicographos, cum *γυμνάσιον* valere exponerent. Quin in illo ipso titulo Lesbiaco, unde Kaibelius de hac voce disputandi initium sumsit, eandem vocem eadem significatione restituendam arbitror. Titulum (XXus est in eius Sylloge) Kaibelius ita constituit: *Περσεὺς ὁ καὶ Διοφάνης Κράτητος δρομαγ[ε]τήσαις παρά[σ]χ[ω]ν τ[ε]τῇ πόλει [ἠ]α[υ]τον ἐφάβαρχον ἐκ τῶν ἰδίων κράτιστ[ον κ]α[ὶ] γυμνασι[αρχή]σαις τῶν νέων καὶ τῷ θέῳ, τελέσσαις δὲ καὶ ἄλλαις μεγάλ[αις ἄρχ]αις καὶ ..... καὶ ἐ[κ]δικίαις καὶ [πρεσ]β[ε]ίαις (καὶ) ἐκ τῶν ἰδίων καὶ γ[υ]μνά[σιον] πεποήκ[ων]*

Digitized by Google

tantam ostendit cum nostro similitudinem, ut alterumutrum ex altero expressum dicas, nisi — quod in huiusmodi poëmatiis aliquoties animadversum et demonstratum est — utrumque ad antiquioris exemplum compositum dicere malumus. Quod quo clarius appareat, illud hic proponere non gravabor (App. Epigr. Isc. nr. 103):

Ἀδ' Ἡρακλείδην κατέχει κόνις, ὃν βαρὺς Ἅιδας
εἵρυσεν ἀιθέων ἥλικος ἐξ ἀγέλας.
ἄρτι γὰρ εὐμόχθου ἐπὶ γυμνάδος ἀγνὸν ἐΦήβου
σχῆμα λαχὼν ἐρατὰν ὤλεσεν ἀλικίαν,
ἄρτι δ' ἀριθμὸν ἐτῶν ἓξ καὶ δέκα τερπνὸς ἀμείβων
Σμερτομάρᾳ στυγερὸν ματρὶ λέλοιπε γόον.

IV. C. Leemans vir clarissimus, ad cuius septuagesimum diem natalem commentationibus celebrandum non solum quidquid virorum doctorum patria nostra tulit uno impetu concurrerunt, sed ex exteris quoque nationibus permulti laeti libentesque se adiunxerunt socii, post tot annos excolendis literis insumtos nondum rude donatum ipse se iudicavit, sed novis semper studiorum fructibus donare literarum cultores perrexit. Quippe ante aliquot menses commentationem legit in Academia Scientiarum Regia Neerlandica, qua ex pluribus monumentis figuratis in Asia Minore repertis, ac per virum meritissimum R. J. Lennepium, proxenum nostrum Smyrnaeum, avitam in hac re famam tuentem Museo Leidensi illatis, ea describenda sibi sumsit, quibus propter inscriptiones insculptas, quas tunc omnes ineditas putabat, plurimum dignitatis atque momenti censebat accessisse, inscriptiones ipsas doctissimo commentario illustravit, earum imagines in tabulis disputationi adiectis lectorum oculis proposuit [1]). Sunt hae inscriptiones numero ad duodeviginti,

γυμνα[σι]ά[ρ]χων ‖ ζῶν ἑαυτον ἐπέγραψεν. Lapidem i. f. ita descripserat Cyriacus: ΕΚΤΩΝΙΔΙΩΝΚΑΙΓΙΜΝΑΝΔΙΠΕΠΟΗΚΟΝ κτλ. Ad quae editor: „ΓΙΜΝΑΝΔ paullo violentius temptavi, sed non citra necessitatem. γυμνάδα de quo quis cogitet ferri nequit." Si quid veri est in iis quae supra disputavi, Kaibelius ipse, vir clarissimus, non dubitabit mecum restituere et in hoc misello epitaphio γυμνάδα, quo literae traditae unice ducunt, et notemus hanc vocem vel in pedestrem orationem irrepsisse nonnunquam, fortasse quod mera Aeolica videbatur. Cur simul in ultimis non correctum sit: ζῶν ἑαυτῳ ἐπέγραψεν, ut assolet, non dispicio.

1) Smyrnaei, lepidum genus, dum lapides adhuc in sua urbe degunt, quorundam

Digitized by Google

tribus exceptis integrae, quarum pars dedicatoria est, pars sepulcralis, omnes in Asiae Minoris ora maritima repertae, omnes sequiorum temporum ac praecipue propter nomina saepius repetita deae Anaitidis in monumentis epigraphicis raro occurrentis aliorumque numinum etiam minus tritorum, propter aliquot etiam rariora virorum mulierumque nomina memorabiles. Ipse, cum Leemansii librum vernacula lingua compositum paucorum manibus versari suspicer, primum has inscriptiones, quae quidem integrae sunt, fideliter prout apud ipsum occurrunt descriptas hic repetam, correctis tamen tacite plurimis accentibus prave positis aliisque vitiis typographicis, quae eius aciem fefellisse videntur, deinde et ad eius animadversiones pauca quaedam adiicere et minutas aliquot correctiones proponere in animo est.

1.) Tabula votiva marmorea, Maeoniae urbe Lyciae reperta. Ἀρτέμιδι Ἀναε[ί]τι Χαρίτη ‖ Ἀπολλωνίου, περίπτωμα ‖ σχοῦσα καὶ ἐξασθεῖσα ‖ ὑπὸ τῆς Ἱερείας, εὐχήν [1]).

2.) Tabula marmorea indidem. Ἀρτέμιδι Ἀναείτι Στρα ‖ τονείκη Μελτίνης ὑπὲρ ‖ ὑγείας τῶν ὀφθαλμῶν ‖ εὐχὴν ἀνέστησεν. (ΜεΑτίνης lap., si tabulae adiectae fides).

3.) Indidem. Θεᾷ Ἀναείτι καὶ Μινιτιάμου ‖ Μελτίνη καὶ Γλύκων ἀπέδω ‖ καν τὸ ἱεροποίημα εὐχαρισ ‖ τοῦντες. Ἔτους Τ´μ[ηνὸς] Ξανδικοῦ. (Lap. Τλύκ. De deo post dicetur).

---

ectypa sibi confecerunt (ap. Leem. I, II, IV, VI. VII) ediderunteque cum aliis inscriptionibus item in eadem vicinitate repertis in horreo Graece conscripto, cui nomen est Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκη τῆς Εὐαγγελικῆς Σχολῆς, quod et ex Leemansii epilogo didici — nam in nostris oris hunc librum non facile erit adspicere — et conficio ex iis quae dicuntur in diario Gallico Revue Critique, 25 Janv. 1886, nr. 4: „Le second fascicule contient la transcription en cursive de 81 inscr. grecques, pour la plupart inédites et provenant d'Asie-Mineure. — — Les inscriptions placées sur des ex-voto ne sont pas moins instructives; nous trouvons la mention d'un *Héraklès Oplophylax*, d'*Anaïtis*, de *Mên-Tiamou*, de *la Mère Asiottène*, toutes divinités encore peu connues et dont les noms sont très-rares en épigraphie. Les textes donnés par le Μουσεῖον sont en général très-correctement reproduits, et les restitutions proposées par les éditeurs attestent de sérieuses connaissances épigraphiques." Subscriptum est S. R. (Salomon Reinach?). In iis quae Smyrnaeus liber complectitur de quo rettulit, ipsas quoque Leemansianas inscriptiones adesse, mihi quidem admodum verosimile videtur.

1) Iota subscriptum deesse in lapide ultimae, ut videtur, aetatis imperatoriae per se intellegitur neque in sequentibus singillatim monebo.

Digitized by Google

4.) Indidem.

Θεᾷ Ἀναείτι καὶ Μηνιτιάμου || Τύχη καὶ Σωκράτης καὶ Ἀμ || μανὸς καὶ Τρόφιμος οἱ Ἀμ || μίου, καὶ Φιλήτη καὶ Σωκρατία || αἱ Ἀμμιάδος, πο[ι]ήσαντες τὸ ἱε || ροπο[ί]ημα, εἰλάσαμεν ὑμητέ || ραν Ἀναεῖτιν ὑπὲρ τέκνων καὶ || θρεμμάτων, ἔνγραφον ἔστησαν. || Ἔτους Τ'Κ'Α' μη[νὸς] Ξανδικοῦ. (Lapis l. ult. M H, et sic etiam nrs. V, VI, VII).

5.) Indidem.

Μητρὶ Ἀναείτι Αὐρ[ήλιος] Μου || σαῖος ἀναδεξάμενος τὴν || ἀδελφὴν Ἀ[ΦΦ]ίαν στήλ || λην ἀπαιτηθεὶς ἀπέδω || κα. Ἔτους Τ'Κ'Θ' μη[νὸς] Περειτίου β'.

6.) Indidem.

Μεγάλη Ἀναεῖτ || ις, ἐπεὶ ἡμάρτη || σεν Φοῖβος, ἐπεζήτησεν ἱερο || [π]ο[ί]ημα, ἀποδεῖ || νῦν εἰλασάμε || νος (ἱλασάμενος) καὶ εὐ-χαρισ || τῶν. Ἔτους Σ'Π'Δ' || μη[νὸς] Ἀρτεμεισίου β'.

7.) Indidem.

Ἔτους Σ'Ν'Δ' μη[νὸς] Λώου Μελτί || νη Σεκούνδου θυγάτηρ || εὐχὴν μητρὶ Ἀναΐτι Ἀ || ζιοττήνῃ. (L. 1 literae ωου, l. 2 Σε, l. 3 τρ uno ductu sculptae se attingunt).

9.) Tabula marmorea circa Philadelphiam reperta.

Αὐρήλιος Τρόφιμ || ος Ἀρτεμισίου ἐρ || ώτησα τὸν θεὸν || αν ἔστησα μητρὶ || θεῶν στήλην ἔλογ . || ν σου τὰς δονάμ[ε]ις. (L. 2 lapis Ἀρτεμυσίου, l. ult. δοναμεις typothetarum mendum videtur, lapidis delineatio clare exhibet ΔΤΝΑΜΙC).

11.) Urna cineraria oblonga ex insula sinus Smyrnaei Macronisi nunc dicta.

Ἐπὶ Μηνοφάντου τοῦ Σόλονος (l. Σόλωνος Leem.) || μηνὸς Ἀπελλαίου ς' ἀπιόντος || Ἰάλλη Μενελάου.

12.) Cippus ex eadem insula.

Νικησὼ Στράτωνος || γυνὴ δὲ Ἱππίου || Σελεύκισσα || χρηστὴ χαῖρε. (Lapis NικησO habere videtur.)

13.) Cippus a monte Pago prope Smyrnam.

Τρυφέ || ρα Δημητρί || ου χαῖρε.

14.) Cippus a monte Pago.

Μελιτίνῃ τέκνῳ ἰδίῳ || Μάρκῳ et infra:

καὶ Ἡρακλᾶς ὁ πατὴρ || κατεσκεύασαν συ || νκατενενκάσης || Φαμιλίας Ἀπελλίκο || ντος μονομάχων κὲ || λουδαρίων τίμησεν ἐκόν.

15.) Cippus ignotae originis, circa Smyrnam repertus, ut videtur.

Digitized by Google

Τ[*ίτος*] Φλ[*αούϊος*] *Διονύσιος Φλαουιανὸς κα* || *τεσκεύασε τὴν δεξιὰν καμάραν* || Κλ[*αυδίᾳ*] *Σωκρατείᾳ*, Κλ[*αυδίου*] *Λαρτιδιανοῦ θυγα* || *τρί, τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ σεμνοτά* || *τῃ καὶ Φιλάνδρῳ καὶ Φιλοτέκνῳ* || *γενομένῃ, βιωσάσῃ ἔτη* Κϛ΄ *μῆ*[*νας*] Β΄ || *ἡμέρας* ΚΖ΄· *τὴν δὲ ἑτέραν τοῖς γονεῦσι, Φλ*[*αουΐῳ*] *Ἀφθόρῳ καὶ Αὐφωνί* || *ᾳ Γαίᾳ. Ἐτελεύτησε δὲ Σωκράτει* || *α ἔτους* ΡΟΗ, *μη*[*νὸς*] *Ὑπερβερταίου* ϛ. || *Ἐτελευώθησαν δὲ αἱ β΄ καμάραι* || *ἔτους* ΡΠΙ *μη*[*νὸς*] *Δείου.* (*Ἐτελευώθησαν* vitium typographicum videtur, lapis recte *ἐτελειώθησαν*).

16.) Cippus a monte Pago.

Τε[*ρ*]*τυλλιανὸς κατεσκε*[*ύ*]*ασ* || *α ἐνσόρι*[*ο*]*ν ἐμαυτῷ καὶ γυν* || *αικί μου καὶ τέκνοις μου* || *μηδενὸς ἔχοντος ἑτέρου* || *ἐξουσίαν* [*ε*]*ἰς αὐτὸ θεῖναι. ἐ* || *ὰν δέ τις τολμήσει θάψαι* || *τινὰ, ἀποδώσει* [*ε*]*ἰς τὸν Φί*[*σ*] || *κον* ✱Φ΄. *τὸ τοῦ ἀντίγ* || *ραφον ἀπόκειται* [*ε*]*ἰς τ*[*ὰ*] *Ἀρχεῖ*[*α*].

18.) Cippus circa Philadelphiam, ut videtur, oriundus.

Ἔτους ΣΚΘ΄ *μ*[*ηνὸς*] *Ἀπελλαί* || *ου Μάγνα Πολέμωνα* || *τὸν υἱὸν ἐτείμησεν.*

Ad has igitur inscriptiones iis quae editor doctissimus congessit addenda habeo haece.

Ad 1[am].) De dea Anaitide quae dicenda fuerunt, ab editore quantum satis est sunt dicta. Quod vero ad mulieris nomen attinet (*Χαρίτη*), est illud quidem, ut idem iure suo statuit, e rarioribus, adeo ut vel in novissima editione Lexici Nominum Propriorum Graecorum Papiani (ed. 3[a], cur. G. E. Benseler, 1884) omnino desideretur, neque tamen ita rarum, ut nonnisi unum praeterea exemplum proferri possit (C. I. Gr. 3394). Cui haec adiungam: In E. Curtii Anecd. Delph. p. 14 (in Prolegg.): — — *ἀναγραφὴ ἀπελ*[*ευθέρων*] *τῶν δεδωκότων τοὺς στατῆρας τῇ πόλει·* — — *Κασσάνδρα, Ἡρακλέων, Χαρίτα*(*-τη*?), *Στράτων, Ἰουκούνδα.* (inscr. e Larissa); et deminutivum apud Cumanuden (*Ἐπιγραφαὶ Ἐπιτύμβ. Ἀττικῆς*, 1871) nr. 1576: *Χαρίτιον Διοκλέους Ἀντιόχισσα* et 3466: *Χαρίτιον .... ου.* Rara quoque — ut eiusdem cognationis nomina complectar — *Χαρά*, (ap. eundem Cumanuden nr. 3463: *Χαρὰ Ἰρηναίου Ἡρακλείδης* et C. I. Gr. III 4215, praeterea inter ea canum nomina recensitum, quae Xenophon ob brevitatem commendabat (Cyneg. c. VII § 5), et masculinum *Χαρίτης* (ib. nr. 884: *Χαρίτης Μυρρινόσιος*), et *Χαρίταιος* (ib. 174: *Μνήσιπτος Χαριταίου Ἀλαιεύς*). Usitatissima horum sunt *Χαρίτων* et *Χαριτώ*, quorum exempla etiam in scriptoribus

Digitized by Google

obvia apponere nihil est opus; rarissimum contra est, in quo finem faciam, Χαριστώ, quod semel usurpatum notavi, ap. Cuman. nr. 2250 (C. I. Gr. 7345): Χαριστὼ Καικιλ || *ίου* Μιλησία. Haec de nomine proprio in praesentia sufficiant. Ad vocem περίπτωμα quod attinet, admonuerim mirum videri his temporibus atque in hoc Graecitatis angulo reperiri vocabulum unum omnium reconditissimum, cuius apud Atticos veteres unicum mihi innotuit exemplum, cui neque recentissimi Thesauri Stephaniani conditores alterum addiderunt, Platonis in Protagora c. XXX (p. 345 B) dicentis: *οὕτω — ὁ — ἀγαθὸς ἀνὴρ γένοιτ' ἄν ποτε καὶ κακὸς ἢ ὑπὸ χρόνου — ἢ ὑπὸ νόσου ἢ ὑπ' ἄλλου τινὸς περιπτώματος.* Sequioribus σύμπτωμα saepe ac libenter dicere mos est, non admodum probatum a Phrynicho (in Ecl. s. v.), etsi concedit, Demosthenem semel sic dixisse (κατὰ Διονυσοδώρου § 43, p. 1295): *ἐπανορθούμενοι τὸ ἀκούσιον σύμπτωμα*), cui Thucydidem comitem, item semel eo usum (IV c. 36: *οἱ Λακεδαιμόνιοι — γιγνόμενοι ἐν τῷ αὐτῷ ξυμπτώματι, ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι, τῷ ἐν Θερμοπύλαις*) adiungit Lobeckius, curiosissimus harum rerum indagator [1]). Tandem de formula solenni εὐχήν, aut nude aut addito verbo ἀνέθηκε, ἀπέδωκε, ἀνέστησε simm. usurpata, editoris copiis hoc unum adiicio, videri eam post Attica demum tempora receptam, certe frequentatam.

Ad 2am.) Nominis Μελιτίνη et Μελτίνη in inscriptionibus et Asiae Minoris et aliarum regionum Graeca lingua loquentium ubique obvii post editorem exempla adferre velle, molestae est diligentiae. Duo tantum raptim addam, et contractam nominis formam conferri posse cum altera hac Βερνίκη ap. Cuman. nr. 2076: Βερνίκη Εὐόδου Μιλησία [2]), et eam nostram etiam in libris comparere, A. P. IX, ep. 510:

Γῆμε Κριτωνιανός με, Σόλων ἐτέκνωσεν, ἐκλήθην
Μελτίνη, πλάσθην ἀνδρὸς ἐμοῦ παλάμαις.

---

1) Tertium quod ex antiquioribus exemplum videtur, Platonis, est Platonis ψευδεπιγράφου, ac iure eo Lobeckius abstinuit. Quippe in Axiocho legitur, c. I i. f. (364 D): *ὀφθέντος σου μόνον, ὦ Σώκρατες, φαίσει· καὶ γὰρ ἤδη πολλάκις αὐτῷ γέγονε συμπτώματος ἀνασφῆλαι.*

2) Hoc etiam urbis nomen est, commemoratum ab Appiano de Bello Mithr. c. IV i. f.: *ἀναμείναντες δ' ἀλλήλους ἐν τῇ Βερνίκῃ, πολισματίῳ τινὶ τῆς Ἠπείρου* κτλ., idem ut videtur atque quod Βερενίκη audit ap. Steph. Byzant. p. 164 Mein.

Digitized by Google

Ad 3am.) In lapide non Μινιτιάμου est, si imagini fides, sed ΜΗνιτιάμου, quae vera dei nominis forma videtur et clarius scripta est inscr. quarta. In nostro lapide scalptor alteram literae H lineam cum proxima litera N in unum coniunxit. Quod editor barbarici dei nomen Μηνιτιάμου non cum Smyrnaeis divisim scripsit, recte fecit, nam revera duae nominis partes in unum sensim coaluisse videntur indeclinabile, ut grammatici dicere consuevimus. Attamen prima certe nominis pars Μήν esse potest, nomen bene Graecum, neque semper harum regionum Graecos sic uno tenore dixisse, sed flexa, ut oportet, utraque parte, efficitur ex ea inscriptione, quam ipse affert: *Ἱερὸς δοῦμος εὐχὴν Διῒ Μασφαλατηνῷ καὶ Μηνὶ Τιάμῳ καὶ Μηνὶ Τυράννῳ ἐκέλευσεν τηρεῖσθαι* (C. I. Gr. 3439), ubi sic scribendum est, non coniunctim, ut Boeckhius Leemansiusque faciunt, quod et ex alia inscriptione evincitur (in Dittenbergeri Sylloge, opere utilissimo, nr. 379): *Ξάνθιος Λύκιος Γαΐου Ὀρβίου καθειδρύσατο ἱερ[ὸν Μηνὸς] Τυράννου*, et post paulo (l. 16): *ἁμαρτίαν ὀφειλέτω Μηνὶ Τυράννωι*, tandem l. 22: *ἔρανον συνάγειν Μηνὶ Τυράννωι*. Itaque elegantiores has voces Graeco more divisisse, *ἰδιώτας* coniunctim extulisse statuendum erit.

Ad 4am aliquanto plura adnotanda habeo. Ac primum melius fecerunt Smyrnaei Σωκράτεια edentes. Diphthongus *ει* iis temporibus et sonabat et plerumque scribebatur per simplex I, itaque quominus edatur Σωκράτια non intercedo, at accentum hanc ob pronuntiationem mutasse vocem non est verosimile, vel propterea quod poëtice cogente metro ΣωκρατῈα efferebant. (App. Epigr. Pal. 384 supra adlatum). Neque in *ποήσαντες* et *ἱεροπόημα* addiderim I, quod iam Atticis temporibus saepissime omittebatur. Ex *εἰλασαμενυμητεραν* recte editor fecit *εἰλασάμενοι μητέρα*. Aliquanto rectius etiam erit: *εἰλασάμενοι μητέραν*, addendusque hic locus iis haud paucis, ubi recentiores Graeci — extra ipsam tamen, ut videtur, Graeciam — accusativum singularem 3ae declin. per *-αν* formaverunt, quemadmodum iam multo ante fecerant Cyprii. Breviter pro instituti sui ratione strinxit hunc metaplasmum Gust. Meyer v. cl. (in Gramm. Gr.^{2} § 329), totam materiem exhausit Ricc. Wagner in Dissertatione, quam „Quaestiones de Epigrammatis Graecis ex lapidibus collectis Grammaticae" inscripsit (ann. 1883), pp. 100—

Digitized by Google

107, quem librum eximia diligentia et sobrio iudicio confectum esse non dubito iterum praedicare, etiamsi compluscula insint, quibus adsentiri nequeo. Is igitur larga manu exempla sparsit, in iis quae ipse quoque collegeram: *τοῦτον ἔχω λιμέναν* et *σωζέσθω ἰς πατρίδαν* (Cuman. nr. 1613, Kaib. nr. 168), *χάριταν δοῦναι μητρί* (Kaib. 167), *Θεοδώρας νεότηταν* (ib. 368), *ὅν ποθ' ἑταῖροι || Πετροκόρακαν ἔκλῃζον* (ib. 716), praeterea *ἄνδραν* (C. I. Gr. 1781), *γυναῖκαν* (ib. 2089) ibidemque *θυγατέραν, τὸν ἄρχονταν* (ib. 8691), et largissimam messem ex Sturzii libro de diall. Macedon. et Alex., in his: *αἴγαν, ἀκρίδαν, ἄνθρακαν, βασιλέαν, γραμματέαν, θώρακαν* plurimaque simillima. Non esse huc trahendum *Δημήτραν*, quippe ex novo nominativo hinc procuso rite formatum, saepius monitum est, iterumque propter Wagnerum moneo [1]). Vocem *ἔγγραφον* — nam huc accedo — pessime quidem interpretati sunt Smyrnaei, „ont posé *ce monument*" reddentes vocabuloque inauditam tribuentes notionem („dans un sens insolite"), multo autem melius editor: „(lapidem cum) inscriptione posuerunt", estque procul dubio id quod tituli auctores voluerunt, attamen de hac rarissima voce interpretanda non plane mihi cum eo convenit. Opinatur nempe *ἔγγραφον ἑστηταν* hic perverse usurpatum esse pro *ἐγγραφήν*. Vix credam. Ἐγγραφή „inscriptio" est, sed ut significetur *ipsa inscribendi actio*, *τὸ ἐγγράφειν*, non *τὸ ἐγγεγραμμένον*. Unum de multis testimoniis excitabo, Demosthenis *ἐν τῷ πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος* (Or. XXXIX) § 5 p. 996: *συμβάσης δὲ τῷ πατρὶ τε-*

1) Scribit enim: „infima demum aetate ex his ipsis *Δήμητραν, γυναῖκαν* sim., — — quoniam profiteri videbantur primam declinationem, formati sunt nominativi reliquique casus." Immo quaedam talia, inprimis *ἡ Δημήτρα*, satis antiqua fuisse videntur. Nolo premere Platonis locum valde controversum (Cratyl. p. 404 B), nam mihi quoque non admodum verosimile videtur, Platonem novicia certe hac forma atque *τοῦ τοκῆρυ κόμματος* esse usum, cum statim sequatur *Δημήτηρ*, multoque minus scripsisse *Δήμητραν* (hoc accentu), Cyprico, ut ita dicam, more; sed est epigramma Pausania, qui id laudat, certe antiquius (I, XXXVII, 2): *ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ Φύταλόν φασιν εἴκῃ Δήμητρα δέξασθαι.* — — *Μαρτυρεῖ δέ μοι τῷ λόγῳ τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπὶ τῷ Φυτάλου τάφῳ·*

Ἐνθάδ' ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνήν

Δήμητραν (immo *-μήτραν*), *ὅτε πρῶτον ὀπώρης καρπὸν ἔφηνεν κτλ.*

At Cobetus (Mnem. V. S. X p. 312): „quantillum est sanam formam sic reponere: *Δήμητρ' ὅπποτε πρῶτον.*" Perfacile sane. Sed cur et auctor, quisquis fuit, non sic scripsit? Credam, si a talis viri auctoritate recedere fas est, quoniam eius aetate perinde existimabatur, utrum *Δημήτηρ* an *Δημήτρα* diceretur.

Digitized by Google

λευτῆς πρὶν τὰς εἰς τοὺς δημότας ἐγγραφὰς γενέσθαι, neque ab hoc usu sequiores deflexerunt. Contra ἔγγραφον non affertur quidem a lexicorum conditoribus nisi ex auctoribus Byzantinis, ubi *obligatio per scriptum* significat, sed certam habet apud multo antiquiores fidem ex Inscriptione de Mysteriis Andania anni a. Chr. 93 sec. Sauppium, a. Chr. 91 sec. Foucart. et Dittenb. (ap. Cauer. Del.² nr. 47, Dittenb. Syll. 388) l. 84 (87): τᾶς δὲ κράνας τᾶς ὠνομασμένας διὰ τῶν ἀρχαίων ἐγγράφων Ἀγνᾶς -- τὰν ἐπιμέλειαν ἐχέτω Μνασίστρατος, ad quem locum Dittenbergerus: „*scripta antiqua* sine dubio ea sunt quae Epiteles repperit." Nempe narrat Pausanias in Messeniacis (IV c. 26 §§ 5, 6) lepidam fabellam, Epaminondae Messeniorum civitatem restituenti attulisse Epitelem Argivorum ducem urnam aëneam, quam somnio monitus effoderat; ὁ δὲ (Ἐπαμεινώνδας) θύσας καὶ εὐξάμενος τῷ πεφηνότι ὀνείρατι ἤνοιγε τὴν ὑδρίαν, ἀνοίξας δὲ εὗρε κασσίτερον ἐλήλασμένον ἐς τὸ λεπτότατον· ἐπείλικτο (immo ἐπείλητο cum Sylb.) δὲ ὥσπερ τὰ βιβλία· ἐνταῦθα τῶν μεγάλων θεῶν ἐγέγραπτο ἡ τελετή. Hic igitur τὰ ἀρχαῖα ἔγγραφα valet *scripta* antiqua — nunc quoque accuratius: *inscriptiones veteres* —, nostro loco, Tychen ceterosque re divina facta placataque matre Anaitide in huius rei fidem *hanc scriptionem posuisse*. Ad nomina quod attinet, cetera pervulgata sunt, Φιλήτης, quoniam non tam saepe occurrit, uni exemplo ab editore prolato addam Cumanudis num. 3417: Φιλήτη Κλ. Σαβείνας θρεπτή, ἔζησεν ἔτη δ' μῆνες ...., praeterea C. I. Gr. II 3364, III 6485. Tandem obiter addo, cum ἱεροποιεῖν, ἱεροποιός, ἱεροποιΐα tritissima sint, ἱεροποίημα nusquam quod sciam praeterquam in his inscriptionibus comparere.

Ad 5am.) Certumne est nomen ΑΦΦία plebeio sermone prolatum idem esse ac Ἀπφία et Ἀππία, Romanorum *Appia*, et si est, an eius deminutivum erit habendum quod legitur apud Cumanuden nr. 999: ΑΦΦιον θυγάτηρ || Ἀπολλωνίου || Παμβωτάδου? (Cfr. etiam C. I. Gr. 4027, 10 K).

Ad 6am.) Arena est sine calce. Verbi ἐπεζήτησεν subiectum est μεγάλη Ἀναεῖτις, at sequentis verbi ἀποδεῖ sine ulla copula cum praecedentibus coniuncti nullo modo esse potest. Nam quid hoc sibi vult: „magna dea Anaitis postquam deliquit Phoebus rem divinam poposcit, reddit nunc grato animo postquam deam placa-

Digitized by Google

vit?" Non est haec infantis sed plane delirantis oratio. Et quid est hoc ipsum *ἀποδεῖ*? Coniicio titulum mendose admodum insculptum in hunc modum redintegrandum esse: *Μεγάλῃ Ἀναείτι, ἐπεὶ ἡμάρτησεν Φοῖβος, [Ὃ] ἐπεζήτησεν ἱεροποίημα, ἀποδει[δοῖ]* (vel: *ἀποδεί[δει]*) *νῦν εἱλασάμενος καὶ εὐχαριστῶν*, quae interprete non egent. Ut *ἀποδεῖ* cum Nabero barbaram formam habeam pro *ἀποδίδωσι* — nam hoc utique verbum requiritur — in animum inducere non possum, quemadmodum neque Leemansius potuit. At ipsius *ἀπὸ δὴ νῦν*, lenissimum sane, propterea probari nequit, quoniam vel sic omne verbum deest ad sententiam explendam necessarium. Lepide Smyrnaei *ἀποδεικνύν* correxisse dicuntur, quod quid valeat ipsi dicant. Quod ipse reponendum duxi, sic defendam. In syllaba *δει-* linea desinit, itaque sequens *-δοι* (vel *-δει*) ab ea parte novam lineam exorditur, ubi lapis certissime fractus est, nam in voce *ιερο|[π]οίημα* in linea superiore item *π* litera deëst. Itaque spatium nanciscimur duarum vel ad summum trium literarum, et ultimum I cum sequente N coaluisse potuit, ut fit saepissime. Ionicam formam *ἀποδιδοῖ* ex Homero notam nemo in homine sequiorum temporum mirabitur. Et potuit quoque *δείδει* (i. e. *δίδει*) dixisse, quemadmodum Hesychius i. v. *δανίζει* exposuit *μεταδίδει τοῖς ἐνδεέσι, κιχρᾷ*, — ubi Musurus *μεταδιδοῖ* correxit, verum restituit Schmidtius —, et multi Byzantini dixerunt.

Ad 9am.) Huic quoque inscriptioni nec caput, aiunt, nec pes constabit, donec Naberi v. cl. certissimam restitutionem receperimus; *Αὐρήλιος Τρόφιμος ἐρωτήσα[ς] τὸν θεὸν ἀνέστησα μητρὶ θεῶν στήλην, ε[ὐ]λογήσας σου τὰς δυνάμεις*, nisi malimus vel strictius ad literas, — nam in lapide *ἐλογ. ν* est et *una* tantum in fine litera deesse videtur —: *ε[ὐ]λογ[ῶ]ν σου τ. δυν.*; sic enim isti solent, *εὐχαριστῶν* quoque et *εὐχαριστοῦντες* praesenti tempore adhibentes. Superest ut novum exemplum notemus vocalis *ε* pro diphthongo *ευ* positae. Nam vix opus est ut moneam, nostro quoque loco non omissionem lapicidae nos tenere sed sequiorum temporum pronuntiationem neglegentiorem. Quippe cum vocalis *υ* more antiqui digammatis proferendae mos magis magisque percrebruisset, fuere plebeii oris homines, qui totam omitterent, quemadmodum et *ἀτός* et *ἐατόν* dicebant pro *αὐτός* et *ἑαυτόν*. Nostrae confusionis vel potius pravae omissionis haec

Digitized by Google

sint aliquot ex multis documenta, ex una Cumanudis Sylloge petita, nr. 501: Διονύσιος Διονυσοκλέους Ἐωνυμεύς; nr. 1417: Ἐπίτεγμα Δημητρίου Αἰνία (ut sit pro Ἐπίτευγμα, quod mulieris nomen est satis frequens, respondens masculino Ἐπιτυγχάνων); nr. 1524: Εὐάγγελος Διοδώρου Ἀντιοχές nr. 2363: Ἑρμίας Σελεκεύς, (mira probae vitiataeque formae copulatione), quibus alia interque ea quaedam vetustiora addit Gust. Meyer v. cl. (Gramm. Gr.[2] § 121). Antiquissimum quod affert medii tertii a. Chr. saeculi esse videtur: ἐνοίας ex C. I. Att. II, 616 l. 19 [1]). Nominis Τρόφιμος exempla in monumentis ubique sunt obvia, apud auctores antiquissima quae sciam sunt Menandri in egregio fragmento (ap. Plut. Consol. Ap. p. 103[d], Meinek. p. 188): Εἰ γὰρ ἐγένου σύ, Τρόφιμε, τῶν πάντων μόνος κ.τ.λ. et Philippidis (ap. Athen. XI c. 17, p. 781[f]): τὰ ποτήρι' ἂν ἴδῃς τὰ παρεσκευασμένα, ‖ ἅπαντα χρυσᾶ, Τρόφιμε.

Ad 11am.) Solonis nomen utique posterioribus temporibus pervulgatum in Graecia fuit. Ad editoris exempla ex Asia petita haec accedant: Cuman. nr. 219 Σόλων Ξενο ‖ κλέου Ἀμαξαντεύς. nr. 479: Σόλων ‖ Ἀθηνοδώρου ‖ Ἐρχιεύς [2]). nr. 1083β′: Σόλων ‖ Γλαύκου ‖ Πτελεάσιος. Hi omnes Athenienses sunt. Alius Delius est in Dittenbergeri Syll. nr. 230: Βασιλέα Μασαννάσ[αν] βασιλέως Γαΐα Ἕρμων Σόλωνος τὸν αὐτοῦ φίλον Ἀπόλλωνι, aliique commemorantur in praelongo catalogo donariorum templi Apollinis Delii (Ditt. Syll. 367): λειμώνιον χρυσοῦν, Σόλωνος ἀνάθεμα Ἀσκληπίωι (l. 11) et: Νουμηνίου τοῦ Σόλωνος (l. 153). Neque in Aegypto deest nomen, in mediis barbaricis nominibus lectum: Σόλων καὶ ἀδελφὸς Τμουνεμφα (Contrat Casati, in: Les Papyrus Grecs du Louvre, par Letronne, Brunet et Egger, p. 135, col. 8 i. f.). Nuperrime e Cypro quoque idem prodiit a Deeckio v. cl. sic lectum: Σόλω[νος]. (Berl. Philol. Wochenschr. nr. 52, 25 Dec. 1886, Sp. 1643—44). Tandem Solonem vidimus supra

1) Quod unum *certum* huius abusus exemplum posuit Wagnerus (p. 45) ex inscriptionibus metricis: Ἑρμῇ δ' ἐπ' ἄλειφα χέσομαι (nr. 816 Kaib.), ridiculum admodum mendum est.

2) Apud Demosthenem (πρὸς Βοιωτὸν περὶ προικὸς μητρῴας, Or. XL § 16) commemoratur arbiter huius nominis: τὸ μὲν πρῶτον παραγραψάμενοι Σόλωνα Ἐρχιέα διαιτητὴν τούτῳ ἐπετρέψαμεν δικάσαι περὶ ὧν ἐνεκαλοῦμεν ἀλλήλοις. An hic noster est, vel aliquis ex eius maioribus? Hoc fortasse ex literatura poterit effici. Cumanudes nihil monet.

Digitized by Google

Meltines patrem A. P. IX, 510. Nominis Ἰάλλη rarissimi non habeo exemplum quod Leemansiano addam.

Ad 12am.) Non debebat dubitare doctissimus editor, utrum divideret Νικησὼ Στράτωνος an Νίκη Σωστράτωνος, nam etsi Νίκη non minus probum multoque frequentius nomen muliebre est quam Νικησώ, viri nomen hanc diremtionem non patitur. Quamvis in nominibus propriis Graecorum periculosum sit aliquid aut affirmare velle aut negare, hoc tamen tuto licet in dubium vocare num Σωστράτων aut extet aut recte formatum sit; Σώστρατος dicebant omnes. Itaque Νικησώ recte habet. Estque hoc non quidem e pervulgatissimis, neque tamen tam rarum atque viris doctis videtur [1]). Duo exempla affert Leemansius, unum mulieris nomen in C. I. Gr. 882: Νικησὼ Μενεστράτου Περγαμηνή (= Cuman. nr. 2313), alterum navis Atticae ap. Boeckhium Att. Seew. IV c. 26, neque plura recensentur in novissima editione Onomatologi Papiani operis laboriosissimi atque utilissimi, nisi quod is Doricae formae Νικασώ (Νεικασώ) item duo exhibet specimina, ex Iosephi Arch. XI, 7 § 2 et C. I. Gr. 1710. Quattuor igitur adsunt, quibus haec accedant ex Cumanudis Ἀττ. Ἐπιτ. Sylloge petita: n. 996: Νικησὼ Ἱπποκράτο[υς] || Μελιτέως θυγάτη[ρ] || Νίκωνος Παλληνέως || γυνή. n. 2292: Νικησὼ Σώσων[ος] || Ὀλυνθίη Πρωτάρχο. nr. 3202: Νικ || ησώ. Atque ut occasione data hanc quoque omnem nominum muliebrium cognationem complectar, est Νίκη (Νίκα), cuius exempla adscribere supervacaneum est ubique obvia, et Νικησώ (Νικασώ, Νεικ-), et Νικασίς (A. P. VII 482, C. I. Gr. III 6795), et Νίκαια (Cuman. 1662, Dittenb. Syll. 446 cett.), et Νικώ (apud auctores ubique lectum, praeterea ap. Cuman. 441, 1843, 1959, et Cauer Del.² 61 C), et Νίκημα (Cum. 1554: Νίκημα Ναυιουσιαμαχου(?) [2]) Ἀντιοχέως θυγάτηρ).

Ad 14am.) Quod in fine legitur τίμησεν ἐκόν plane nihili est, sed egregie prorsus Naberus v. cl. vocabula leviter depravata a lapicida restituit sic: τιμῆς ἕνεκεν. De nomine Μελιτίνη abunde dictum est, Ἡρακλᾶς legitur C. I. Gr. 2007m; Add. ad t. I 2131,

---

1) Ipsa editoris verba sunt: „wij houden ons, daar het opschrift geen twijfel overlaat, aan Νικησώ, ofschoon deze vrouwennaam hoogst zeldzaam is."

2) An Μανίου [Λυ]σιμάχου?

Digitized by Google

11; in Curtii Anecd. Delph. p. 25 (C. I. Gr. 2114[bb]: Χρήστη -- ἀφείημι ἐπὶ τῆς προσευχῆς θρεπτόν μου Ἡρακλᾶν ἐλεύθερον), denique verbo observasse satis erit, scribendum esse Ἀπελλικόντος, posteriorum more pro Ἀπελλικῶντος. Vox λουδαρίων quid designet, quae editorem male habuit, didici e Thesauro Stephaniano, cuius conditores hic sua hauserunt e Ducangii Lexico Mediae atque Infimae Graecitatis. Protulit is locum e Byzantino scripto, Actis S. S. Tarachi, Probi et Andronici c. 10: πολλῶν πεπτωκότων ἀνθρώπων, τοῦτο μὲν ἐκ τῶν σφαγισθέντων ὑπὸ λουδαρίων μαχαίρᾳ κ.τ.λ., et paulo post: ἐκέλευσεν μαχαιροφόρους τῶν λουδαρίων εἰσελθεῖν. Vocabulum latino more e nomine latino formatum esse apparet, quamquam hi *ludarii* non dicunt, adiectivo autem *ludiarius* utuntur parcissime. Loco allato *gladiatores* significari certissimum est vel ex addito μαχαίρᾳ et μαχαιροφόρους. Nostra inscriptione his Sanctorum vitis utique multis saeculis anteriore cum μονομάχοι et λουδάριοι copulentur, quorum prius verbum solenne est ubi gladiatores designantur, sponte patet λουδαρίους speciem quandam gladiatorum esse debere. Quae qualis fuerit latebit, donec aut forte fortuna vocabulum iterum reperiatur aut in inscriptionum iam editarum farragine alicubi latitans protrahatur. Interim a voce recenti quidem sed ex sententia auctoris recte a scalptore expressa manum abstinere satius erit. Obiter moneo verbo ἰδίῳ nullam emphasin inesse.

Ad 15[am].) Observandum videtur, nomina Ἄφθορος et Αὐφωνία, quantum equidem scio, in Graecis certe inscriptionibus nondum alibi esse reperta.

Ad 16[am].) Habet haec inscriptio plura labentis Graecitatis indicia, quae tamen minime lapicidae neglegentiae tribuenda corrigendoque elevanda sunt. Adest κατεσκέασα, de quo vitii genere in superioribus copiose diputavi; adest ἐνσόριν pro ἐνσόριον, quemadmodum v. c. Φιλημάτιν dicebant pro Φιλημάτιον, est ἰς pro εἰς et ἐὰν δέ τις τολμήσει pro τολμήσῃ, quae omnia religiose in edendo servanda sunt, ne auctoris sordes detergamus. Neque tamen scalptor errorum immunis. Certo peccavit in τὸ τοῦ ἀντίγραφον ἀπόκειται pro TO[T]TOT (τούτου ἀντίγραφον ἀπόκ.); fortasse etiam omisit aliquid in his: μηδενὸς ἔχοντος ἑτέρου ἐξουσίαν ἰς αὐτὸ θεῖναι, praetulerim certe: ἰς αὐτὸ θεῖναί [τινα], ut in inscriptione Thyatirena (C. I. Gr. 3509), quam subiungit

Digitized by Google

editor ex apographo per Lennepium v. cl. transmisso, legimus: *μηδενὸς ἔχοντος ἑτέρου ἐξουσίαν θεῖναί τινα εἰς τὴν σορὸν ταύτην.* In fine dedit, opinor: *ἀπόκειται ἐς τἀρχεῖα* per crasin. Ad interpretationem quod attinet, non convenit mihi cum editore lexicorumque conditoribus de significatione verbi *ἐνσόριον*. *Sarcophagum* fere reddunt, ut non multum differat a verbo *σορός*. Erit fortasse ubi haec interpretatio obtineat, at nostro certe loco perincommoda est. Fierine potest et solet, ut et ipse Tertullianus et uxor et liberi sive in eodem loculo sive in eadem urna condantur? Immo vero *ἐνσόριον* eiusdem generis aliquid esse debet ac *καμάρα*, *μνημεῖον*, *ἡρῷον*, *τύμβος*, sed minus splendidum, atque eo significari intellego foramina illa in furni plerumque speciem saxo incisa, in quae loculi vel urni immittebantur, quo facto marmorea vulgo tabula orificium in antica parte claudebat. Ad totius inscriptionis nostrae sententiam illustrandam editor, quod iam monui, confert Thyatirenam illam, (in C. I. Gr. numero est 3509), multo et vetustiorem et ampliorem, cuius extrema verba — desinit autem in hunc modum: *ἐγένετο ἐν τῇ λαμπροτάτῃ* ‖ *Θυατειρηνῶν πόλει, ἀνθυπάτῳ Κατιλλίῳ Σεβήρῳ* [1]), *μηνὸς Αὐδυναίου* ‖ *τρὶς καὶ δεκάτῃ, ὑπὸ Μηνόφιλον*

1) Dativus in imitationem ablativi Romanorum positus videtur. Ad *Κατιλλίῳ Σεβήρῳ* editor — ponam ipsius verba — sic disputat: „De naam Catillius of Catilius komt, voor zoover wij weten, elders niet voor, evenmin is ons een Proconsul van Azië van dien naam bekend. Een Atilius Severus was consul suffectus in 182 n. Chr. — — en het zou kunnen zijn dat in het opschrift — K. *Ατιλλίῳ* of *Ἀτιλίῳ* moest gelezen worden." Prorsus contrarium sentio. Vetus Atiliorum nomen, Serranis Regulisque nobilitatum, his temporibus iamdudum evanuisse videtur, neque in hac gente cognomen Severi offendi vv. dd. statuunt. At contra Plinii ep. XXII l. I inscripta est: *C. Plinius Catilio Severo suo S.*, similiter libri III ep. XII. Priore loco duo optimi codd. nihil differre videntur, altero M *Catilo* praebet, V *Catillo*. Praeterea in Hadriani Vita legimus: „ipse Antiochiam regressus *praepositoque Syriae Catilio Severo* per Illyricum Romam venit" (c. 5 i. f.). Ac paulo post: „(Hadrianus) Ummidium Quadratum et *Catilium Severum* (B. i. e. cod. Bambergensis: *cattilium*, P. i. e. cod. Palatinus: *catalium*) et Turbonem graviter insecutus est" (c. 15). Et c. 24: „Antonini adoptionem plurimi tunc factam esse doluerunt, *speciatim Catilius* (uterque cod. hic: *atilius*) *Severus praefectus urbi, qui sibi praeparabat imperium.*" Porro de Antonino Pio in eius vita traditur: „fuit quaestor liberalis, praetor splendidus, *consul cum Catilio Severo* (c. 2 i. f.). Et in Marci Antonini Philosophi vita: „proavus materuus (ei fuit) *Catilius Severus bis consul et praefectus urbi*," cuius etiam nomen Marcus Philosophus „principio aevi sui" habuisse paulo post traditur. Alterius eius consulatus, quem cum Antonino gessit, qui postea Pius cognominatus est, annus est p. Chr. n. 120, quod ex Actis Fratrum Arvalium constat, hoc anno exhibentibus:

Digitized by Google

Ἰουλιανοῦ δημοσιόνου — neque intellego neque quae editor affert satisfaciunt neque meliora habeo quae substituam. Ipse eiusdem argumenti duas alias afferam. Altera esto, quam evulgavit G. Kaibel v. cl. in Ephemeridis Epigraphicae Vol. II (1875) p. 4 et 13, cum compluribus aliis, Lesbiacis omnibus, ex Cyriaci Anconitani Inscriptionum Lesbiacarum Sylloge inedita depromptam. Quae apud hunc sic extat: XI. — ΕΠΑΦΡΑΤΓΕΝ ΟΤΚΑΤΕΣΚΕΤΑΣΕΜΕΤΑΤΟΝΕΜΟΝΘΑΝΑΤΟΝΕΜ | ΟΗΑΕΞ Ο|ΕΙΑΕΧΕΙΑΛΟΝΠΑΝΤωΝΕΜωΝΤΕΚΤωΝ. De hoc titulo Kaibelium audiamus sic disputantem: „haud ita graviter corruptus titulus est, sed sinistra fortuna ita male habitus, ut quamvis vix quicquam desit ad argumentum penitus perspiciendum, tamen singulorum verborum ordo et ratio mihi quidem obscura sit. Initio supplendum: τοῦτο τὸ μνημεῖον s. ἡρῶον] — κατεσκ. Intercedunt nomina et eius qui extruxit et patris; fortasse Ἐπαφρᾶ[ς Ε]ὐγένου. — Quod tertiam personam κατεσκεύασεν excipit prima ἐμόν, hoc nihil est quod mireris [1]). Desideratur δὲ particula inserenda post μετὰ, nisi forte ante exciderunt quaedam, cfr. C. I. 2827: οὐδεὶς ἔξει ἐξουσίαν ἐνθάψαι τινὰ ἕτερον μετὰ τὴν ἐμὴν τελευτήν. Optime procederet oratio, si haec auderes: [οὐδεὶς δὲ] μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον ἐξο[υ]σία[ν] ἔ[ξ]ει ἄλ[λ]ον [ἐνθάψαι s. καταθέσθαι sim.] π[λὴ]ν τῶν ἐμῶν τέκ[ν]ων. — — Sed restat EMOHA, quae dittographia videtur pronominis ἐμόν, restat non minus, quod tam mire turbati tituli causam et an-

---

L. Catilius Severus II

T. Aurelius Fulvus Boionius Arrius Antoninus.

Commemoratur etiam hic consulatus in inscriptione ap. Orell. 2946: — — *excessit IIII Idus Septemb. L. Catilio Severo T. Aurelio Fulvo cos.* Κατίλλ·ος Σευῆρος *Proconsul Asiae* dicitur in C. I. Gr. 3509, quos locos Boissevainii amicitiae debeo. Praepositum Syriae, consulem cum Antonino Pio, Proconsulem Asiae, praefectum urbi unum eundemque virum esse, vix est quod dubitemus. An hic idem etiam fuit atque is Catilius Severus, cui Plinius duas epistolas inscripsit quas laudavi? Fieri potest, si eum provecta admodum aetate decessisse statuamus. Sed vix certi aliquid definire ausim, qui Mommseni Indice Pliniano aegre caream. Hoc autem pro certo statuere licebit, consulem anni p. Chr. 120 eundemque proconsulem Asiae eum esse, qui in inscriptionis Thyatirenae exitu commemoratur.

1) Citat editor: Γερμανὸς τὸ ἡρῶον κατεσκεύασεν — ἑαυτῷ — καὶ τῷ ἀδελφῷ μου C. I. Gr. 4421, ac praeterea ib. 4424. Eiusdem generis est in Smyrnaeis nostris: ἀνέστησα μητρὶ θεῶν στήλην, εὐλογῶν σου τὰς δυνάμεις (nr. IX).

Digitized by Google

sam frustra quaeras." Haec ille. Equidem, adscitis ceteris acutissimi viri correctionibus indubitatis, — ἐξουσίαν, ἔξει, ἄλλον, πλὴν τῶν pro πάντων, τέκνων pro τέκτων, — adscitis etiam plurimis eius supplementis, una in re ab eius iudicio discedo. In flagitiose corruptis illis EMOHA non dittographiam pronominis inesse credam, sed ipsum illud quod Kaibelius extrinsecus arcessere volebat verbum, quo reperto titulus, etsi ne sic quidem elegantissime compositus, non amplius „mire turbatus" audire debebit. Nempe M male exarata litera est pro N, O pro Θ, in fine I est amissum, tandem H duplicari debuit, sed ita ut alterum fuerit exaratum pro N. Haec omnia pervulgata esse vitia, sciunt omnes qui lapides tractare solent. Literam N aliquoties sic formari solere, ut H evadat, atque hinc fieri, ut cum se excipiant altera alteram exturbet, vel ex ipso nostro titulo apparet, ubi ΠΑΝ est, quod ΠΛΗΝ esse debebat. Similiter in Inscriptione Dedicatoria Attica LXVI ap. Newtonium et Hicksium (the Collection of ancient Greek Inscriptions in the British Museum, Part I, Attika, 1874), quae eadem est in C. I. Gr. 504, legimus: Εὐτυχὶς ὑψίστῳ ΕΤΧΗΗ, ut sit εὐχήν. Nec rarum in codicibus idem vitium. Satis est v. c. tabulam inspexisse Villoisonianae editioni Apollonii Sophistae praemissam, ubi ωHOH esse videtur, quod ὦνον est. (Cfr. et Bast. Comm. Pal. p. 715 et 726). Itaque EMOHA prave insculptum est pro ENΘH[N]A[I]. Utrum et hoc et cetera vitia a Kaibelio procurata lapidarii sint neglegenter exarantis an Cyriaci male describentis, in medio relinquo neque multum scire nostra interest. Corrigendum utique erit adsumtis, ut dixi, fere omnibus eius emendationibus supplementisque: [τοῦτο τὸ μνημεῖον s. ἡρῷον] Ἐπαφρᾶ[ς Ε]ὐγένου κατεσκεύασ[α. οὐδεὶς δ]ὲ μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον ἐνθεῖνα[ι] ἐξο[υ]σία[ν] ἔξει ἄλ[λ]ον πλ[ὴ]ν τῶν ἐμῶν τέκνων. Iam ad alteram inscriptionem argumento nostrae consimilem proponendam venio, quae est sanissima, sed in hoc genere ob infinitas repetitiones iisdem fere semper verbis conceptas taedii pleno tam venusta atque elegans, ut vel animi causa citari digna sit. Est Anonymi cuiusdam epigramma in A. P. VII 228, nescio an in nullius unquam sepulcro lectum:

Αὐτῷ καὶ τεκέεσσι γυναικί τε τύμβον ἔδειμεν
Ἀνδροτίων· οὕπω δ' οὐδενός εἰμι τάφος,

Digitized by Google

οὕτω καὶ μείναιμι πολὺν χρόνον· εἰ δ' ἄρα καὶ δεῖ,
δεξαίμην ἐν ἐμοὶ τοὺς προτέρους προτέρους.

Ad vocem ἀντίγραφον editor monet, in permultis inscriptionibus pro ea legi ἐκσφράγισμα (ἐξσφράγ.), neque tamen utrumque verbum plane idem esse, cum hoc designet exemplum sigillo notatum, ad maiorem, ut videtur, fidem impetrandam [1]). Ad rem probandam ex Corpore Inscriptionum Graecarum Boeckhiano et alias indicat et hanc: ἐξσφράγισμα — γεννηθὲν ἐν — διπλώματι (nr. 3276), ubi participium labem concepisse ratus pro eo proponit ἐξσφράγ. γραφθέν. Participium γεννηθέν et ipse ridiculum existimo, quemadmodum et Latine foret exemplum in diplomate *natum*, sed et γραφθῆναι tam rarum est, ut si certam et indubitatam fidem haberet movere non auderemus, sed minime e coniectura inferciendum sit, et res multo minore molimine potest restitui. Corrigendum enim: ἐξσφράγισμα — γενηθὲν ἐν — διπλώμ. Etenim aoristus ἐγενήθην, „cujus haud antiquius Machone exemplum eruit Lobeck. ad Phryn. p. 109," — verba sunt Meinekii ad Menandri et Philemonis reliquias p. 410, — qui ipse duo alia addidit Philemonis (fr. XXXIX et LXXIII), quique apud posteriores solutae orationis scriptores Polybium, Diodorum, Dionysium Halicarnassensem quavis fere pagina occurrit, ne in inscriptionibus quidem inauditus est, licet legitima forma ἐγενόμην multo sit frequentior. Legitur in initio Inscriptionis Andaniensis (Cauer Del.[2] nr. 47; Dittenb. Syll. 388): ὁ γραμματεὺς τῶν συνέδρων τοὺς γενηθέντας ἱεροὺς ὁρκιξάτω παραχρῆμα, in Inscriptione urbis Stiridis (Cauer Del.[2] 224; Ditt. 445): ἃ τε γενηθεῖσα δουλαγωγία αὐτῶν ἄκυρος — ἔστω, in magno Papyro Astronomico, ineunte saeculo II a. Chr., ut videtur, scripto (Les Pap. Grecs du Louvre p. Letronne, Brunet de Presle et Egger, 1866) I l. 427: αἱ τῆς σελήνης ἐκλείψεις γείνονται διχομηνίᾳ, ὅταν ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας καὶ ἐν τῷ αὐτῷ συνδέσμῳ γενηθῇ τῆς σελήνης ὁ ἥλιος, et in Pap. XXII eiusdem saeculi saepius: καὶ τούτου γενηθέντος (l. 26) et: ἐπιγενηθέντος δὲ τοῦ πένθους τοῦ Ἄπιος (l. 24, p. 267), ne plura exempla conquiram.

---

1) Eiusdem generis est quod commemoratur in titulo ap. Wescher. (Inscr. Bilingue de Delphes, p. 202 l. 30): τοῦ δόγματος τοῦδε ἀντίγραφον ἐσφραγισμένον. In Stephaniano igitur Thesauro minus accurate *idem* esse quod ἀντίγραφον exponitur.

Digitized by Google

Praeterea multis ad hanc nostram inscriptionem editor disputat de poenis exsecrationibusque violati sepulcri, allatis duobus exemplis ex C. I. Gr. uno e nr. 2826, altero e nr. 916. In priore inscriptione et alia leguntur et haec: ἔσται [ἐπά]ρατος καὶ [ἀ]σεβὴς καὶ τυμβ[ω]ρύχος, καὶ οὔτ[ε] ἡ γῆ αὐτὸν (l. αὐτῷ) καρπὸν ἐνέγκῃ (l. ἐνέγκῃ) οὔτε ἡ θάλασσα αὐτῷ πλωτὴ γενήσεται, [σ]πορά τε π[αί]δων αὐτοῦ ἐξολεῖται καὶ ἑτέρα διὰ γένους οὐ γενήσεται, καὶ ζῶντι μὲν αὐτῷ ὅσα θεοὶ κατὰ ἀνθρώπων τεθείκασιν, θανόντι δὲ οὐδὲ ἡ γῆ παρέ[ξ]ει αὐτῷ τάφον· καὶ οὐδὲν ἧττον ἔσται ὑπε[ύθυνος] κ.τ.λ. Scribam potius: καὶ οὔτ' [ἂν] ἡ γῆ αὐτῷ καρτὸν ἐνέγκοι cett. et: καὶ ἑτέρα διὰ τέλους οὐ γενήσεται, liberi quos habeat male dispereant et alii *in perpetuum* ei ne nascantur. Saepissime διὰ τέλους et διὰ γένους de sede certant. Et v. c. in inscriptione Thebana in honorem patris Herodis Attici (nr. 288 Syll. Ditt.): τὸ κοινὸν συνέδριον τῶν Ἑλλήνων τῶν εἰς Πλατηὰς συνιόντων Τι(βέριον) Κλαύδιον Ἀττικὸν Μαραθώνιον, τὸν ἀρχιερέα τῶν Σεβαστῶν διὰ γένους κ.τ.λ. recte ita nunc editur corrigente Lebasio, cum primus editor Ulrichsius ΔΙΑΤΕΛΟΥΣ legisset, nam de *hereditario* sacerdotio sermo est [1]), nostri vero loci ratio plane est diversa. Nam sive *hereditarie* vertamus, res fit nimis ridicula, sive *in tota eius gente*, vel in eiusmodi exsecrationibus praeter modum atrox et dira.

Altera inscriptio (C. I. Gr. 916) etiam apud Cumanuden comparet (nr. 2578), ubi initium sic se habet: Ἀντωνεί(ι)α ἡ καὶ Σακρατικὴ τῷ γλυκυτάτῳ μου ‖ ἀνδρὶ Ἀντιόχῳ τῷ καὶ Σκυ(;)εσίῳ ἐποίησα τὸ ‖ ἡρῷον τοῦτο τέλος καμάτων. Recte, si quid video, Leemansius nomen inauditum Σκυεσίῳ, cui Cumanudes dubitandi signum appingebat, mutari iussit in Συνεσίῳ. Minus recte in sequentibus dedit: εἴ τις ἀποκοσμήσει ‖ τοῦτο τὸ ἡρῷον ἢ ἀναστομ[ώ]σει – – ἢ αὐτὸς ἢ δι' ἄλλου, μὴ γῆ βατὴ, μὴ θάλασσα πλωτὴ [ἔσται], ἀλλὰ ‖ ἐκριζωθήσεται πᾶν (l. παγ)γενεὶ κτλ., nam ἔσται soloecum est, et deest quod incommode abesset et Cuma-

1) Laudat Leemansius v. cl. in seqq. p. 39 ex inscriptione edita in Revue Archéol. 1885, 3e Série t. V pp. 104—109 per Sal. Reinachium v. d.: ἱερέως διὰ γένου[ς] τῆς ἐπιφανεστάτης Ἀναϊτιδος Ἀρτέμιδος ἐν τῇ Ἀσίᾳ. In C. I. Gr. I p. 683 copulantur: Ποντωνίαν Καλλιστονείκην — ἱέρειαν διὰ βίου καὶ διὰ γένους — τῆς Ἀρτέμιδος et ib. II p. 162: [ἱερέα ἀπο]δειχθέντα τοῦ Καισαρείου διὰ βίου εἰς γένος.

Digitized by Google

nudes adiecit: [τούτῳ] μὴ γῆ βατή, μὴ θάλασσ[α] πλωτή, ἀλλὰ ἐκριζ. cett., omni verbo omisso, quod si necessario addendum erit addamus; μὴ θάλ. πλωτὴ [ᾖ], quod cur exciderit causa apparet.

Ne ipse ἀσύμβολος abeam, editoris copiis in transcursu tria adiicere libet. Ac primum quidem eiusmodi diras legi etiam in Cumanudis Sylloge, integras inscrr. 2559 — in honorem Appiae Anniae Regillae, Herodis Attici uxoris — 2560, 2561, 2569, — hae quoque inscriptiones ad eiusdem Herodis familiares pertinent, — et 2578, de qua supra dictum est; mutilas inscrr. 2562, 2563, 2564, 2565, 2566. Praeterea poenalem sanctionem ob sepulcrum violatum non illepide versibus inclusam legi in App. Epigr. Iacobs. nr. 204, etsi sermone semibarbaro composito:

Ἥμην στολάρχης Ποντίων βελῶν ἐγώ,
ἐξηρέτμοις πτέρυξιν ἠγλαϊσμένος,
ἀνὰ στρατὸν Κρισπῖνος εὐκλεὴς ἀνήρ·
Ῥάβεννα δ' ἦν μοι πατρίς, ἀρχαία πόλις.
ἔγνως τίς ἤμην καὶ πόθεν γένος κυρῶ.
λοιπὸν φυλάσσου μή τιν' ἐνθήσεις τάφῳ,
δίκην θ' ὑφέξεις παρανόμως τυμβωρυχῶν,
φίσκῳ τε δώσεις ** Β καὶ τῇ πόλει ** Α [1]).

Tandem de ea re dignam esse ad quam attendamus observationem Cumanudis, in adnotatione ad nr. 2931 (p. 345) propositam huiuscemodi: „ἐν τόσῳ πλήθει ἐπιτυμβίων τῆς Ἀττικῆς ἐπιγραφῶν εἶναι αὕτη καὶ μία ἔτι ἄλλη, ἡ τοῦ Πρίμου, αἱ μόναι ἔχουσαι σαφῶς ποινικὴν ῥήτραν διὰ τὸν ὅστις ἤθελε βιάσει τὸ μνῆμα, ἐνῷ αἱ τοιαῦται ῥῆτραι εἶναι συνηθέσταται μάλιστα ἐν ταῖς τῆς Ἑλάσσονος Ἀσίας Ἑλλην. ἐπιγραφαῖς ὡς καὶ ἐν ταῖς Ῥωμαϊκαῖς. Νὰ εἴπῃ τις, ὅτι ἐν Ἀττικῇ οἱ ἄνθρωποι ἦσαν τὸ πάλαι εὐσεβέστεροι πρὸς τοὺς νεκρούς, καὶ διὰ τοῦτο δὲν ἀνεφέρετο ἐν ταῖς τῶν μνημάτων ἐπιγραφαῖς ἡ κατὰ νόμους ἀπειλή, ἢ τί;" Inscriptiones duae, quas notat, hae sunt: 2931: Ζωσιμιανοῦ τόπος οὗτος· [ὃς δ'] ἂν βειάσητε (i. e. βιάσηται) ‖ δώσει τῷ ταμείῳ .... εἴκοσι πέντε., et 3268, prorsus barbaris verbis concepta: Κληματεί ‖ ου δοῦλος τί ‖ μειος κῖτε (i. e. τίμιος κεῖται) ἐν ‖ τῷ τόπῳ τού ‖ τῳ Πρῖμος. Ὑ (i. e. εἰ)

1) Siglis significari patet δηνάρια δισχίλια et δηνάρια χίλια.

Digitized by Google

τις ‖ τρομήσῃ τῶ ‖ βαστερναρίω ‖ ν (non intellego) καταβαλῆτε (i. e. -βαλεῖται) ‖ τῷ ταμείῳ χρου ‖ σοῦ ὠκίας τρῖς. Et sic longissimae observationi finem imponamus.

De tribus inscriptionibus mutilis (8, 10, 17) ultimam et ipse paucis attingam. Editor eam sic constituit: . . . . . ‖ . . . Φωνί ‖ δος Γαΐου ‖ ἑαυτῇ κα ‖ τεσκεύασεν ‖ καὶ τέκνοις ‖ . . . . . Mulieris quae monumentum sibi et liberis extrui iussit nomen plane deletum est, matris nominis dimidia pars superest. Quod quale totum fuerit, non magis quam editor certo dicere possum. Tabula haec literarum fragmina praebet: ιΓ-ΙΦων., unde fortasse Ἐπιφωνίδος eruendum. Illud certum est, hoc dimidiato nomine genetivo casu posito *matris* nomen indicari, quod quamquam paternum multo est frequentius tamen minime singulare est, atque tum fieri solere, ubi pater mortuus esset, admodum probabiliter coniecit Keilius (Spec. Onomat. p. 90). E nostris exemplum habuimus inscr. 2ª: Στρατονείκη Μελτίνης, ad quam editor confert C. I. Gr. 3349: τὸ μνημεῖον κατεσκεύασεν Μελίτη Στρατονείκης ζῶσα ἑαυτῇ κτλ., et 4am: Φιλήτη καὶ Σωκράτια αἱ Ἀμμιάδος. E Lesbiacis a Kaibelio editis, de quibus supra dictum est (Ephem. Epigraph. II, 1875 pp. 1—24), in censum veniunt VIII: Στόργη [θ]υ. [Ἰο]υλίας χρησ[τὴ] χαῖρε, et IX: Συμφέρουσα Χρησίμη[ς] χαῖρε, quae tamen utraque coniectura tantum sic est constituta. Apud Cumanuden certa sunt 3133: Μ[ε]νέμαχος ‖ Φιλίννης, et 3141: Μηλίδος Ἀντιφάνης, in cuius monumento anaglyphum conspicitur γυναικὸς καὶ παιδίου, notante Cumanude. Incertiora sunt 3109: Λυσιφανις Φιλοθηριδος, ad quae verba editor: „ἂν ἡ στήλη εἶχεν ἀνάγλυφον θὰ ἠδυνάμην βοηθείᾳ αὐτοῦ νὰ καταλάβω τὸ γένος τοῦ πρώτου τοὐλάχιστον τῶν δύο νέων ὀνομάτων καὶ νὰ θέσω τόνον." Equidem hac luce fere affirmare ausim secundum saltem e duobus nominibus hucusque ignotis mulieris nomen esse accentumque ita ponendum: Φιλοθηρίδος. Pariter dubitat Cumanudes nr. 2938: Ἡγησὼ Περσίδος, neque certi quidquam habeo quo eius dubitationem tollam. Paullo aliter res se habet nr. 1652: Φάσις Παντίμη ‖ Ἐρετρική, ad quae ille: „Τὸ Παντίμη ἐκληπτέον φαίνεται ὡς κατὰ γεν. πτῶσ. κείμενον. Εἶναι δὲ ἡ ἐπιγρ. τῶν καλῶν ἔτι τῆς Ἑλλάδος χρόνων." Recte contendit secundum nomen *genetivo* casu esse positum, atque inscriptionem ad florentis Graeciae tempora per-

Digitized by Google

tinere, non est cur ei *αὐτόπτῃ γενομένῳ* fidem denegemus. Sed hoc nequaquam credo, illis iam temporibus invaluisse *genetivum masculinum* in *η*, quo qui nunc Graeciam incolunt frequenter utuntur, sed correxerim Παντίμη[ς], certe de anaglyphi imagine hoc prohibente nihil admonemur. In inscriptione Leemansiana post *Γαΐου* excidisse *γ(υνή)* per siglam scriptum in extrema linea fortasse diffracta [1]) mihi quoque admodum probabile et paene dixerim necessarium videtur, ut totum sic fere conceptum fuerit: [*τοῦτο τὸ μνημεῖον* (vel simile aliquid) *ἡ δεῖνα* Ἐπι(?)] *Φωνίδος Γαΐου* [*γ(υνὴ)*] *ἑαυτῇ κατεσκεύασεν καὶ τέκνοις*. In fine nihil deesse videri, sed quae per quattuor lineas pellucent literae non admodum diligenter erasae, eas inscriptionis esse *paulo antiquioris* nec tamen ita conservatae, ut tolerabilis inde sententia evadat, moneo propter editorem aliter statuentem [2]). Et sic Leemansianae collectioni valedico.

V. Quae in praecedentibus occurrebat vox *καμάρα* admonet me duarum inscriptionum, in libro cui Ἡμερολόγιον τῆς Ἀνατολῆς ἔτ. 1886 titulus est editarum (nr. 4, Βιζυηναὶ *ἀναμνήσεις* inscripto, p. 83—119), quas ante aliquot menses e diario Germanico cognovi cui Berliner Philologische Wochenschrift nomen est (nr. 33, 14 Aug. 1886), a viro doctissimo Petro N. Papageorgio excerptas, qui eas hucusque ineditas existimavit. Sunt autem hae:

a) Βασιλεὺς Κότυς *βασιλέα Σαδάλα* || *καὶ βασίλισσαν* Πολεμοκράτειαν || *τοὺς ἑαυτοῦ γονεῖς* || *θεοῖς πατρῴοις*.

b) ΒΕΒΤΑΛΙΣΣΤΛΑΚ
ΚΙΟΤΕΝΤΟΙΣΙΔΙΟΙΣΖΩΝΕΑΝ
ΤΩΚΑΙΤΗΣΤΝΒΙΩΕΑΤΤΟΤ
ΙΟΤΣΤΗΙΟΤΣΤΟΤΤΗΝΚΑ
ΜΑΡΑΝΚΑΤΕΣΚΕΤΑΣΕ.

---

1) „Nog eene derde opvatting is mogelijk, dat achter *Γαΐου* de laatste letter van den regel, eene Γ, is verloren gegaan, en dan werd het *Γαΐου γ(υνή)*, de echtgenoot van Gaïos" (p. 88).

2) „Van den daaropvolgenden zesden regel, die later, en voor een gedeelte tegen en in het onderste gedeelte van den voorgaanden ingebeiteld is, zijn slechts enkele letters, en dan nog maar gedeeltelijk te herkennen. Die regel en de drie volgende zijn vermoedelijk later door onbevoegden aan het opschrift toegevoegd. — — Het misdrijf werd door de rechthebbenden ontdekt, en deze lieten het bijgevoegde weder wegbeitelen" (p. 84).

Digitized by Google

Ad priorem titulum Papageorgius nihil monet praeter hoc, nomen Σάδαλος in nummis Thraciis inveniri, quae scilicet egregie ad rem faciunt [1]). Utilius admonuisset, ipsum nostrum titulum iamdudum editum extare, quippe publici iuris factuma Mommsenio in Observationibus Epigraphicis insertis in Ephemerida Epigraphicam (t. II, 1875, p. 250 seqq.), qui haec duo praeterea monet, et titulum „ante hos viginti annos" (igitur a. 1855) „a Rangabio (Antiquités Helléniques 2 p. 784 n. 1236) editum, sed adhuc quod sciam a viris doctis neglectum (esse)," — quod huic titulo fatale esse fere dixerim, — et sibi haec scribenti a Mordtmanno alterum exemplum esse allatum, „sed corruptum et ita hians, *ut lapidem interim diffractum esse appareat.*" Quae cum ita sint, non optime assequor qui fieri potuerit, ut lapis ante hos duodecim annos diffractus nunc subito integer et illaesus prodire videatur. Nam quin inscriptio a Rhangabeio et Mommsenio edita plane eadem sit ac Papageorgiana, nemo sanus vel punctum temporis dubitare potest. Nomina eadem sunt, formula est eadem, idem versuum numerus, eadem divisio, idem unde prodiit locus (Bizye, nunc Viza, horum regum usitata sedes, docente Mommsenio ex Strabone, Stephano Byzantino, Plinio), ut nihil plane altera ab altera discrepet. Quo magis mira res est quam indicavi, et digna certe quae perspicue explicetur. De re, id est de Sadala Thracum rege deque eius familia, Mommsenius dixit suo more, tam subtiliter tamque copiose, ut si de iisdem verba facerem turpiter actum agere viderer.

De altero titulo vel brevius defungi licet. Editor haec disputat: „legitur inscriptio in introitu monumenti gentis Byzantinae (καμάρα); priori lineae pusillum describentis mendum inesse videtur, l. 2ª in fine EAN typorum sine dubio vitium est pro EAT (ἑαυτῷ)" [2]). Atque hoc quidem recte correxit, nomini proprio corrupte tradito, sive hoc describentium culpa factum est sive iam lapicida titubavit, medicinam facere non valuit.

---

1) „Der Name Σάδαλος findet sich auf thrakischen Münzen."

2) „Die Inschrift liest man vor dem Eintritte eines byzantinischen Familiengrabes (καμάρα); in Z. 1 steckt vielleicht ein kleiner Abschreibfehler, in Z. 2 ist wohl am Ende εαν- ein Druckfehler st. εαυ (ἑαυτῷ)."

Digitized by Google

Nisi iam et haec inscriptio alicubi emendate edita extat, — nam qui de priore in errorem se induci passus est, quidni et in altera idem expertus sit? — sed si nusquam alibi edita est, dixerim emendationem haud ita longe abesse. Etenim in lapide aut esse aut esse debere credam: Βειτᾶλις (i. q. Βιτᾶλις) Σταλακκίου. *Vitalis* nomen in Inscriptionibus Latinis perquam frequens est. Comparet in Additamentis Vol. III Corporis Inscriptionum Latinarum 436: .. *imo. Aureli Vitalis* cett.; 693: *C. Iul. Mac .... signifer. L. Sept(imius) Vitalis tesserarius. L. Sep(timius) Ianuarius c(ustos) armor(um). Max(imo) et Aeliano Cos. V(otum) S(olverunt) L(ibentes) M(erito).* (Consules sunt p. Chr. a. 223, notante Mommsenio); 702: *D. M. Aur(elio) Aulupori Vet(erano) Leg(ionis) II ad ....* (i. e. adiutricis) *Aur(elius) Vitalis*; 872: *I. O. M. M. Trebi(us) Vitalis B. Cos.* (i. e. Beneficiarius Consularis) *V. S. L. M.*; 900: I.O.M.H. || CORN. || VITALIS || TRB. MIL. || LEG. XIIII G || I.D.F., id est, explente Mommsenio: *I(ovi) O(ptimo) M(aximo) H(eliupolitano?) Corn(elius) Vitalis tr(i)b(unus) mil(itum) leg(ionis* XIIII *g(eminae) i(ussu?) d(ei?) fecit.*; 903: *Ulpi(us) Vit(alis) et Mecu* (?) [1]) *V. S. L. M.*; et 907 in titulo admodum lacero est.... *Vitalis .... neconis f. an(norum)* VIII .... Leguntur haec septem nominis eiusdem exempla in uno Volumine secundo Ephemeridis Epigraphicae (1875), ut supervacuum sit plura aliunde apponere. Apud Graecos temporum Romanorum nomen nondum repperi neque in libris neque in lapidibus, nec tamen dubito quin in his saltem alicubi extet, derivatum inde absque dubio Βιταλιανός legitur et in Herodiani Hist. VII c. 6 § 4: *προυνοήσατο* (Gordianus) *δὲ τοῦ πρότερον ἀναιρεθῆναι τὸν κατὰ τὴν Ῥώμην τῶν στρατοπέδων προεστῶτα· Οὐιταλιανὸς δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ*, et in Procopii Anecd. c. VI i. f.: *αὐτίκα δὲ καὶ Βιταλιανὸν τὸν τύραννον μετεπέμψατο.* Contra *Stlaccii* nomen, cuius e Latinis unum mihi nunc in promptu exemplum est: *M. Stlaccius C. F. Col.* (i. e. Collina tribu) *Coranus, Praef. fabrum - - - sibi et C. Stlaccio Capitoni patri, C. Stlaccio C. F. Col. Capitoni fratri, L. Stlaccio C. F. Col. Frontoni fratri, Claudiae Secundae uxori.* (tit. sepulcr. ap. Orellium, Ampl. Coll. Inscr. Rom. nr. 5017), in lapidibus Graecis haud infrequenter occurrit. Legitur in Ditten-

1) Iuxta literas „me|cu" est „quadrupes iacens." Momms.

Digitized by Google

bergeri Sylloge nr. 270 intellectu difficili nec integro: Ἱππαρχοῦντος Βουλείδου τοῦ Μητροδώρου, || Σωτηρίδης Γάλλος („i.e. sacerdos Magnae Matris" Ditt.), εὐξάμενος Μητρὶ Κοι[λανῇ] || ὑπὲρ τοῦ ἰδίου συμβίου Μάρκου Στλακκίου Μάρκ[ο || υ] ὑ[ο]ῦ, τοῦ στρατευσαμένου ἐν τῇ ἐξαποστ[αλείσῃ || συ]νμαχίᾳ εἰς Λιβύην („anno 46 a. Chr." Ditt.) - - - ἐν νηῒ τετρήρει, σωτ[ηρίας] κτλ. [1]), atque adest praeterea in C. I. Gr. II 3654g; in Add. 3668; III 4884b. Nostra itaque inscriptio sic est constituenda: Βειτᾶλις Στλακ || κίου ἐν τοῖς ἰδίοις ζῶν ἐαυ || τῷ καὶ τῇ συνβίῳ ἑαυτοῦ || Ἰούστῃ Ἰούστου τὴν κα || μάραν κατεσκεύασε, quae mihi certe Byzantinis temporibus antiquior videtur.

VI. Quod in Smyrnaeis Inscriptionibus toties occurrit ὑπὲρ τέκνων et τέκνῳ ἰδίῳ Μάρκῳ et ἐνσόριον ἑμαυτῷ καὶ γυναικί μου καὶ τέκνοις μου et simm. manu ducit ad corrigendam inscriptionem uni ex laminis illis plumbeis Dodonae repertis, quibus quaestiones oraculo propositae continentur, insculptam. Edidit omnes Const. Carapanos, cognovi e disputatione ampliore super his a viro doctissimo H. R. Pomtow in Germanico horreo Neue Jahrbücher für Philologie und Paedagogik (Bd. 127 u. 128, Hft. 5 u. 6, (ann. 1883) p. 305—360) instituta. Ibi nr. 23 editur in hunc modum: ἀγα[θῇ τύχῃ] || Δέσποτα ἄναξ Ζεῦ Νάϊε καὶ Διώνη || καὶ Δωδοναῖοι, αἰτεῖ ὑμᾶς || καὶ ἱκετεύει Διόγνητος Ἀριστομή || δου Ἀθηναῖος, δοῦναι αὐτῷ || καὶ τοῖς ἑαυτοῦ εὔνοις ἅπασιν || καὶ τεῖ μητρὶ Κλεχρέτει καὶ || ..... Versu 5 praetulerim αὐτῷ, sed sine controversia perversum est εὔνοις. Pomtowius, qui et ipse sic statuit, monuit υ in hac voce incertum esse, et cum ridiculum sit Diognetum aliquid precari „omnibus suis benevolis," proque iis expectemus aut „liberis" aut „posteris," non multum aberat quin corrigeret τοῖς ἑαυτ. ἐ[κγό]νοις. Hactenus paene recte, sed quod addit, se hoc in textum non recepisse, cum fortasse sint qui εὔνους corrigere malint ad ὑμᾶς relatum,

1) Supplevit Dittenbergerus, addens: „a praepositione ὑπὲρ v. 3 pendet substantivum σωτηρίας et ab hoc rursus Μάρκου Στλακκίου." Concedo ei, quae Boeckhius et Frochnerus proposuerant (quorum ille σώ[ζεσθαι αἰχμα]λωτισθέντα, hic σω[θῆναι αἰχμ.] supplevit) probari non posse, sed quod ipse dedit certe contortum mihi videtur nec ex talium inscriptionum usu. Cum nihil melius ipse proferre possim, in praesentia iis acquiescendum reor, cum tolerabilem sensum efficiant.

Digitized by Google

et contortum hoc est et non magis rectum quam quod in lamina traditur [1]). Utroque iustius corrigetur, opinor: *καὶ τοῖς ἑαυτοῦ* [Τ]ΕΚΝΟΙΣ *ἅπασιν*, ut v. c. est in inscriptione multo recentiore (ap. Keil., zur Syll. Inscr. Boeot. p. 655): *Διῒ ὑψίστῳ καὶ* || *ἀγαθῷ ἀ*[*ν*]*γέλῳ* || Κλαύδιος Ἀχιλ || *λεὺς καὶ Γαλάτ*[*ει*]*α ὑπὲρ σωτηρί*[*ας*] *μετὰ τῶν ἰδίων* || *πάντων χαριστ*[*ή*]*ριον*.

VII. Ultimo loco agam de duabus inscriptionibus in Syllogen Dittenbergerianam receptis, utilissimum librum et singulari arte, iudicio, doctrina compositum, quas minutis quibusdam vitiis liberare haud abs re erit, quo magis appareat, quod Dittenbergerus ipse quavis pagina praestitit omnesque in hoc genere studiorum principes consentiunt, in critica factitanda nihil interesse utrum inscriptionem an librum manu scriptum teneamus. Prior ordine sit quae inscriptio in Sylloge notatur nr. 349. Continetur ea decretum admodum memorabile urbis Tei, quo ex legato civis optime de patria iuventute meriti, Polythri Onesimi filii, instituuntur et *γυμνασίαρχος* et *παιδονόμος* et tres quotannis praeceptores, qui et pueros ingenuos *et puellas* doceant quae eos scire oportet, comparandum omnino et cum celebratissima epistola Plinii (l. IV ep. XIII) ad Tacitum data et cum Musonii fragmento, a Wyttenbachio primo ex tenebris in lucem protracto, quod quamquam a pluribus deinceps tractatum tamen multas ob causas dignissimum duco, cuius aliquot partes saltem infra scribantur [2]). Marmor decreti nostri initio ac fine

1) Ipsius Pomtowii verba haec sunt: „Z. 3: das *ω* von *Δωδοναῖοι* (sic) war ursprünglich ausgelassen und ist unter der zeile nachgetragen. z. 4: die beiden letzten buchstaben sind auf dem facs. nur punctiert. z. 6: das *υ* in *εὔνοις* ist undeutlich; mir scheint *fraglos* ein schreibfehler für *ἐ*[*κγό*]*νοις* vorzuliegen: denn „allen seinigen wohlwollenden" ist unsinn; — — da es aber möglicherweise manchem leichter und probabler erscheint *εὔνοις* in *εὔνους* zu corrigieren, bezogen auf *ὑμᾶς*, so habe ich *ἐ*[*κγό*]*νοις* nicht in den text gesetzt" (p. 333).

2) Totum egregium est, sed hae sententiae inprimis hic repeti merentur: *ἀνθρώπους δὲ τοὺς ἄρρενας ἐξαίρετόν τι ἄρα δεήσει ἔχειν ἐν τῇ παιδείᾳ καὶ τροφῇ παρὰ τὰς θηλείας, ὥσπερ οὐχὶ τὰς αὐτὰς παραγίνεσθαι δέον ἀρετὰς ἀμφοῖν ὁμοίως ἀνδρὶ καὶ γυναικί, ἢ ἐπὶ τὰς αὐτὰς ἀρετὰς μὴ διὰ τῶν αὐτῶν παιδευμάτων ἀλλὰ δι' ἑτέρων οἷόν τε ἂν ἐλθεῖν*; Et in disputationis fine: *μόνον περὶ μηδενὸς τῶν μεγίστων ἕτερος ἑτερα μεμαθηκέτω, ἀλλὰ ταὐτά. Ἂν δέ τις ἐρωτᾷ με, τίς ἐπιστήμη τῆς παιδείας ταύτης ἐπιστατεῖ, λέξω πρὸς αὐτὸν, ὅτι φιλοσοφίας ἄνευ ὥσπερ ἀνὴρ οὐκ ἂν οὐθείς, οὕτως οὐδ' ἂν γυνὴ παιδευθείη ὀρθῶς. Καὶ οὐ τοῦτο βούλομαι λέγειν, ὅτι τρανότητα περὶ λόγους καὶ δεινότητά τινα περιττὴν χρὴ προσεῖναι ταῖς γυναιξίν,*

Digitized by Google

mutilum est, deinde bifariam diffractum, unde accidit ut altera pars iamdudum nota fuerit, a Boeckhio post alios in Corpus I. Gr. recepta (3059), prior post Hirschfeldium demum repetita

---

ἦτερ φιλοσοφήσουσιν αἱ γυναῖκες· — οὐδὲ γὰρ ἐπ' ἀνδρῶν ἐγὼ πάνυ τι τοῦτο ἐπαινῶ· — ἀλλ' ὅτι ἡθους χρηστότητα καὶ καλοκαγαθίαν τρόπου κτητέον ταῖς γυναιξίν· ἐπειδὴ καὶ φιλοσοφία καλοκαγαθίας ἐστὶν ἐπιτήδευσις καὶ οὐδὲν ἕτερον. (Legitur tota disputatio ap. Wyttenb. Miscellan. Doctr. p. 157 seqq. (a. 1802), in ed. Eclogarum Gaisfordiana (a. 1850) pp. 746—750, in ed. C. Wachsmuthii (a. 1884) v. II pp. 235—239). Insigni fragmento quamvis multi multa attulerint, quibus sordes abstergerentur, primus Wyttenbachius, cuius plurimas emendationes editores sequentes iure in textum receperunt, tum Gaisfordus, Usenerus, Meinekius, — Halmii tantum coniecturae, viri in latinis quam in graecis auctoribus corrigendis multo felicioris, ad h. l. indictae meliores fuissent, — Wachsmuthius ipse, tamen quaedam non inutiliter addenda videntur, quibus textus fiat etiam correctior. Iam primum in ipso introitu non probo: ἵππους μέν, ἔφη, καὶ κύνας ὁμοῦ οὐδὲν διαφερόντως παιδεύουσιν, probarem: ὁμοῦ <καὶ> οὐδὲν διαφερόντως. Pro: εἶτα δικαίως βιοῦν οὐδέτερον ἧττον θατέρου· ἀλλ' ὅ τε ἀνὴρ οὐκ ἂν εἴη πολίτης ἀγαθὸς ἄδικος ὤν, ἥ τε γυνὴ οὐκ ἂν οἰκονομοίη χρηστῶς μὴ δίκαιος ἀλλ' ἄδικος οὖσα· πρῶτον ἀδικήσει τὸν ἄνδρα, ὥσπερ τὴν Ἐριφύλην φασί. Sic Wyttenbachius haec constituit, monens in libro manu scripto esse χρηστῶς ἢ μὴ δίκ. κτλ., simulque post φασί aliquid deesse videri. Wachsmuthius initio supplevit: εἶτα <δεῖ> δικαίως βιοῦν κτλ., quo nescio an sit opus, deinde ultima sic disposuit: —— ἥ τε γυνὴ οὐκ ἂν οἰκονομοίη χρηστῶς, ἢ μὴ δίκ. ἀλλ' ἄδικος οὖσα πρῶτον ἀδικήσει τὸν ἄνδρα, ex Jacobsii coniectura facili illa atque eleganti, quae tamen, si quid video, difficultates loci non prorsus expedit. Nam ad sententiam rite conformandam et parum dat et nimis. Post χρηστῶς oppositio male deest, quae adest in priore membro (ὅ τε ἀνὴρ —— ἄδικος ὤν), et quam inaniter loquax est illud: *quae cum non iusta sed iniusta sit primum merito iniuriam faciet.* Verba casu quodam turbata sic mihi in ordinem redigenda videntur: ἥ τε γυνὴ οὐκ ἂν οἰκονομοίη χρηστῶς μὴ δίκαιος οὖσα· ἀλλ' ἡ ἄδικος πρῶτον ἀδικήσει τὸν ἄνδρα κτλ., in quibus *nihil* deesse mihi videtur, nam sponte supplentur quae Peerlkampius addita volebat: ἔπειτα καὶ τοὺς ἄλλους. De loco lacunoso ἀνασκησία μᾶλλον ἢ τὸ μὴ πεφυκέναι κτλ. mihi cum nupero editore non convenit, sed haec res intra adnotationis angustias disceptari nequit. Interiectis multis haec sequuntur sic disposita apud Wyttenbachium (p. 238 l. 16 Wachsm.): πάντα μὲν γὰρ ἴσως ἐν κοινῷ κεῖται τὰ ἀνθρώπεια ἔργα, καὶ ἔστι κοινὰ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν, καὶ οὐδὲν ἀπότακτον ἐξ ἀνάγκης τῷ ἑτέρῳ, μηδὲ ἐπιτηδειότερα τὰ μὲν τῇδε τῇ φύσει, τὰ δὲ τῇδε· δι' ἃ τὰ μὲν ἀνδρῶα καλεῖται, τὰ δὲ γυναικεῖα· ὅσα μέντοι τὴν ἀναφορὰν ἔχει εἰς ἀρετήν, ταῦτα φαίη τις ἂν ὀρθῶς ἐπ' ἴσον ἑκατέρᾳ προσήκειν φύσει, εἴγε καὶ τὰς ἀρετὰς προσήκειν φαμὲν οὐδὲν τοῖς ἑτέροις μᾶλλον ἢ τοῖς ἑτέροις. Insana haec esse nec sic scripsisse philosophum, quivis videat; etenim ioculariter verba sibi contradicunt atque adversis, aiunt, frontibus concurrunt. Quid? omnia viris feminisque communia, neque alia huic naturae, alia illi magis idonea sunt, *quamobrem* haec virilia dicuntur, illa muliebria. Res a multis intellecta est, et Wachsmuthius haec ita edidit: πάντα μὲν γὰρ ἴσως ἐν κοινῷ κεῖται τὰ ἀνθρώπεια ἔργα [καὶ ἔστι κοινὰ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν] καὶ —— τῷ ἑτέρῳ· ἕνια δὲ δὴ ἐπιτηδειότερα τὰ μὲν τῇδε τῇ φύσει, τὰ δὲ τῇδε· δι' ὃ (hoc ex Useneri coniectura) τὰ μὲν ἀνδρῶα καλεῖται, τὰ δὲ γυναικεῖα· ὅσα μέντοι τὴν ἀναφορὰν ἔχει εἰς

Digitized by Google

sit a vv. dd. E. Pottier et A. Hauvette-Besnault (1880), „qui utrumque fragmentum eiusdem lapidis esse viderunt" (Dittenb.). Describam initium, ut apud Dittenbergerum extat: ..... *ἀπο*] *δείκνυσθαι δὲ* [*καὶ μετὰ τὴν τοῦ γυ*]*μνασιάρχου αἵρεσιν παιδονόμον μὴ νεώτερ*[*ον ἐτῶ*]*ν τεσσαράκοντα· ἵνα δὲ πάντες οἱ ἐλεύθεροι παῖδες πα*[*ιδε*]*ύωνται καθότι Πολύθρους Ὀνησίμου προνοήσας ἐπηγγείλατο τῶι δήμωι, κάλλιστον ὑπόμνημα τῆς ἑαυτοῦ Φιλοδοξίας κατατιθέμενος ἐπέδωκεν εἰς ταῦτα δραχμὰς τρισμυρίας τετρακισχιλίας, ἀποδείκνυσθαι καθ' ἕκαστον ἔτος ἐν ἀρχ*[*αι*]*ρεσίαις μετὰ τὴν τῶν γραμματέων αἵρεσιν γραμματοδιδασκ*[*ά*]*λους τρεῖς, οἵτινες διδάξουσιν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παρθένους.* Hiulcam esse orationem in his: *καθότι Πολύθρους -- ἐπηγγείλατο -- ὑπόμν.* — *κατατιθέμενος ἐπέδωκεν κτλ.*, novissimus editor, qua est Graecitatis peritia, primus omnium mihi dabit. Oratio hiare desinet, si scribamus: *-- καθότι Πολύθρους — ἐπηγγείλατο τῶι δήμωι, κάλλιστον ὑπόμνημα -- κατατιθέμενος*, [*ὃ ς*] *ἐπέδωκεν εἰς ταῦτα δραχμὰς κτλ.* Aliquot interiectis sequitur: *ὁπλομάχον δὲ καὶ τὸν διδάξοντα τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν μισθούτωσαν ὅ τε παιδονόμος καὶ ὁ γυμνασίαρχος ἐπ' ἀναφορᾶι τῆι πρὸς τὸν δῆμον.* Quid hoc sit, optime est expositum: „ea condicione, ut ipsorum eligendi iudicium populi suffragiis confirmetur." Sed *μισθούτωσαν* sine dubio rectum esse nequit, neque in lapide adest. Praebet is ΜΙΣΘΟΤΟΩΣΑΝ,

ἀρετήν κτλ. Si quod Wachsmuthius reposuit (*ἴνια δὲ δὴ*) in codice legeretur, certe non moveremus, et multum discrepat ab infelici Halmiano tentamine *πλὴν δὲ*, quod ne Graecum quidem est; *πλὴν ἀλλὰ* dicebant. Sed *ἴνια* nimis longe a codicis scriptura recedit. Cum codex habere dicatur: *μὴ δὴ δὲ*, inter *μὴ* et *δὲ* lacunula in archetypo mihi fuisse videtur infeliciter, ut fere, expleta, et scripserim; —— *τῷ ἑτέρῳ· μή*<*ποτε*> *δὲ ἐπιτηδειότερα τὰ μὲν τῷδε τῇ φύσει, τὰ δὲ τῷδε· κτλ.* Non grammaticos solos *μήποτε* adhibuisse pro *fortasse*, praestabit Imperator Marcus IV § 24: *„ὀλίγα πρῆσσε", φησίν, „εἰ μέλλεις εὐθυμήσειν"· μήποτε ἄμεινον τἀναγκαῖα πράσσειν.* Deinde p. 239 l. 13 seqq. Wachsm.: *τί δὲ μᾶλλον ἄνδρα μεμαθηκέναι χρὴ ταῦτα ἢ γυναῖκα*; (ultima duo verba ap. Wyttenb. desunt) *εἰ γὰρ νὴ Δία πρέπει δικαίας εἶναι γυναῖκας, καὶ ταὐτὰ δεῖ μεμαθηκέναι ἄμφω.* Verba *εἰ γὰρ* Wyttenbachii coniectura sunt; cod. *ἢπερ*, unde *εἴ περ* exculpendum, quod nunc et ten Brinkium video praecepisse. Sequitur: *εἰ γὰρ τί που μικρὸν ὁ μὲν εἴσεται, ἡ δ' οὔ, ἢ ἀνάπαλιν ἡ μὲν εἴσεται, ὁ δὲ οὔ, τεχνίτου τινὸς ἐχόμενον, οὕπω τοῦτο διάφορον ἀποφαίνει τὴν ἑκατέρου παιδείαν.* Nihili est *τεχνίτου τινὸς ἐχ.* Requiritur *τεχνικόν τι ἔχον*, itaque iam ante multos annos adnotaveram, Musonium ornatius dedisse: *τεχνικοῦ τινος ἐχόμενον.* Nunc ex Wachsmuthii adnot. crit. video, et Meinekium etiam vitium sensisse, cum *τεχνίου* proponeret, et Eldikium diu ante idem quod mihi verum videtur coniecisse. Emendatio consensu stabilita fortasse digna habebitur, quae in secunda olim Wachsmuthii editione in textum recipiatur.

Digitized by Google

sed, adnotante editore, „videtur Θ fuisse, lapicidae errore pro T incisum." Non adsentior, atque Dittenbergero hic accidisse existimaverim quod nobis omnibus scribentibus identidem accidere solet, ut ei in longo opere et exactissimae diligentiae occupato semel is somnus obreperet, quem ex poëtae sententia obrepere fas est. Etenim παιδονόμος et γυμνασίαρχος lanistam et sagittus mittendi iaculandique doctorem *conducere* debebant, opinor, non *locare*. Itaque quod lapis exhibet in hunc modum corrigendum erat: ὁπλομάχον -- μισθούσθωσαν (ΜΙΣΘΟΥ[Σ]ΘΩΣΑΝ) ὅ τε παιδονόμος καὶ ὁ γυμνασίαρχος. In secunda decreti parte (l. 39 seqq.) lapis habet: ἢν δὲ -- ἄλλος τις ἄρχων ἢ ἰδιώτης εἴπηι ἢ πρήξηται ἢ προθῆι ἢ ἐπιψηφίσηι ἢ νόμον προθῆι ἐναντίον τούτωι -- τά τε πραχθέντα ἄκυρα ἔστω κτλ. Mirum accidit prius illud προθῆι, sensitque difficultatem editor, eam sic expediens: „hoc necessario de plebiscito intellegendum est, quia deinde separatim subiungitur ἢ νόμον προθῇ." At, ne cetera commemorem, et mire plebiscitum ante legem ponitur, nec minus mire de eo nudum verbum ponitur, et loco admodum miro collocatur, mediae plebisciti legisque mentioni interposito verbo ἐπιψηφίσηι, quod utrumque praecedere debebat. Quapropter satius erit expunxisse molestum illud ἢ προθῆι post πρήξηται, a lapicida per errorem iam nunc insculptum et ne lapidem deturparet non erasum vel punctis notatum. Ne temere fecisse videar provoco ad ipsum editorem, qui ad calcem nri. 319, — Delphica inscriptio est, ante quadraginta amplius annos ab Ernesto Curtio v. cl. in Anecdotis Delphicis (n. 64) edita —, ubi legitur: βουλευόντων Ἀμύντα, Κλεοτίμου, Ἐτυμάνδα. <Ἀμύντα>, monet: „mero errore hoc nomen repetitum existimo." Ita est, atque nostro loco, si quid video, idem obtinet.

Transeo ad alteram inscriptionem Sylloges Dittenbergerianae (nr. 247) non minus memorabilem, qua continetur decretum civium τῆς Λητῆς urbis Macedonicae in honorem M. Annii P. f. quaestoris, qui et provinciam integre administraverat et Sex. Pompeio, qui pro praetore Macedoniam obtinuerat, in pugna occiso irruentium Gallorum vim fortiter et prudenti consilio represserat. Lapis a viro doctissimo L. Duchesne primo editus (a. 1875), a Millero anno sequenti hic illic correctus, a vv. dd. Duchesne et Bayet iterum editus est. Incipit autem in hunc modum: Ἔτους θ' καὶ κ' (a. Chr. n. 118), Πανήμου κ'. ‖ Λητα[ί]ων

Digitized by Google

οἱ πολιτάρχαι προβουλευσαμένων τῶν βουλευτῶν εἶπαν· ἐπεὶ Μάαρκος Ἄννιος Ποπλίου υἱός, ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθός, ἀποσταλεὶς ταμίας ὑπὸ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ τὰ κατὰ Μακεδονίαν πράγματα, καὶ τὸν ἀνώτερον μὲν χρόνον πάντα διατετέλεκεν τὴν ἀρχὴν προϊστάμενος τῶν τε κατὰ κοινὸν πᾶσιν Μακεδόσιν συνφερόντων, πλείστην δὲ πρόνοιαν ποιούμενος τῶν διαφερόντων κατ' ἰδίαν τῇι ἡμετέραι πόλει, σπουδῆς καὶ φιλοτιμίας οὐθὲν ἐνλείπων· ἐν δὲ τῶι παρόντι καιρῶι κτλ. Iam primum observandum, in his verbis: προϊστάμενος τῶν τε — συνφερόντων, πλείστην δὲ πρόνοιαν ποιούμενος eandem nos iuncturam tenere per τέ — δέ, de quae supra (p. 250) mentionem inieci. Deinde καὶ post τὰ κατὰ Μακεδ. πράγματα admodum suspectum mihi esse dixerim praeter linguae usum taliumque monumentorum consuetudinem adiectum. Tum diligenter considerandum possitne Graece dici τὸν πάντα χρόνον διατελεῖν τὴν ἀρχὴν προϊστάμενος τῶν — συμφερόντων. Nam quominus iungamus τὴν ἀρχὴν προϊστάμενος et grammatica ratio prohibet et quod cum eo participio iam coniungitur, hoc quidem recte, τῶν συμφερόντων. Itaque quoniam novi v. c.: ἐπειδὴ Μηνᾶς Μένητος — πολλὰς μὲν πρεσβείας ἐπιτε[λέσας πρὸς] τοὺς βασιλεῖς (Dittenb. 246 l. 10), et: [ἐπειδὴ Διόφαντος Ἀσκλαπιο]δώρου Σινωπεύς — πολλὰς καὶ μεγάλας ἐν ὀλίγωι χρόνωι πράξεις ἐπιτελέσας κτλ., (ib. 252 l. 10), at contra v. c.: ἐπειδὴ — Πρωτογένης — διὰ βίου διατετέλεκεν λέγων καὶ πράττων τὰ βέλτιστα (ib. 248 l. 9) et: ἐπεὶ Νεμέριος καὶ Μάαρκος Κλοάτιοι — ἄνωθεν διατετέλεκαν τὰ δίκαια ποιοῦντες τᾶι τε πόλει καὶ κατ' ἰδίαν τοῖς ἐντυνχάνουσιν αὐτοῖς τῶν πολιτᾶν, σπουδᾶς καὶ φιλοτιμίας οὐθὲν ἐνλείποντες κτλ. (ib. 255 in.), — ex his igitur similibusque exemplis, — nam permulta similia afferri possunt, — suspicio mihi subnata est annon et nostra inscriptione corrigendum sit: ἐπεὶ Μάαρκος Ἄννιος -- τὸν ἀνώτερον μὲν χρόνον πάντα διατετέλεκεν [ἘΝ] τῆι ἀρχῆι προϊστάμενος τῶν — πᾶσιν Μακεδόσιν συνφερόντων.

Sequitur: ἐν δὲ τῶι παρόντι καιρῶι καὶ τοῦ τῶν Γαλατῶν ἔθνους συναχθέντος (quos Scordiscos fuisse suspicatur Duchesnius) -- ἐφ' οὓς καὶ ἐκπορευθέ[ντ]ος Σέξτου Πομπηΐου τοῦ στρατηγοῦ καὶ παραταξαμένου μετὰ [τ]ῶν ἰδίων στρατιωτῶν, ὃν καὶ συνβάντος ἐν τῆι μάχηι τελευτῆσαι -- ἐπεξελθὼν Μάαρκος ὁ ταμίας ἔχων τοὺς ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένους ἐτρέ[ψ]ατο τοὺς ὑπεναντίους καὶ τοῦ τε πτώματος ἐκράτησεν καὶ πο[λ]λοὺς αὐτῶν ἀπέκτεινεν, ἐκυρίευσεν

Digitized by Google

δὲ καὶ ἵππων καὶ ὅπλων πλε[ι]όνων κτλ. Quaeritur quid in his significet τοῦ πτώματος ἐκράτησεν. Editor sic disputat: „pugnae a Pompeio cum Gallis commissae locum caesorum corporibus coopertum haec vox significare debet ex sententiarum connexu, etsi hic singularis collectiva vi alibi non invenitur (πτώματα ‚cadavera' a Polybio usurpari monuit D.). Certe quod Duchesnius vult, dirutam valli partem (‚la brêche faite à l'enceinte du camp') significari, id ab hoc loco alienissimum est." Quod pace doctissimi editoris dictum esto, quam significationem Duchesnius voci tribuit, ea unica est quae et aliunde constet et hic requiratur, quam ipse vocabulo affinxit, eam inauditam esse ultro fatetur. Nihil nobis prodesse pluralem πτώματα a Polybio aliquoties pro ‚cadaveribus' usurpatum, quamadmodum a poëtis, Euripide praesertim, et singularis adhibetur et cognatum πέσημα [1]) hoc quoque Dittenbergerus quodammodo ipse concedit. Sed etiamsi πτῶμα significaret quod editori placet, num ita sententiae loci satisfactum erit? Credemusne Marcum Annium quaestorem loco cadaveribus Pompeianorum cooperto potitum ibi magnum hostium numerum concidisse? Hoc neque diserte traditur neque, si traderetur, verisimile esset eum supra caesorum suorum strue potissimum cum Gallis conflixisse. Immo alia mihi via ingredienda videtur qua loci nostri difficultatem tollamus. Ante omnia observandum est, linguam decreti nostri Polybianam ita referre, ut Polybium ipsum nos legere interdum animum inducamus. Adest ἔστεξεν τὴν ἐπιφερομένην τῶν βαρβάρων ὁρμήν, ut sit *repressit*, *coërcuit* (Pol. III, 53: ἔστεξαν τὴν ἐπιφορὰν τῶν βαρβάρων, praeterea IV, 8); adest ὑπεναντίοι apud Polybium passim obvium, et παρεμβολή pro *castris* et *exercitu*, ut δεινῶς Μακεδονικὸν notatum a Phrynicho — et ὀψώνια pro *stipendiis*, et κυριεύειν, et πολλοὺς μὲν — οὓς δὲ distributive, qualia Polybio in deliciis sunt (cfr. v. c. II, 27 i. f.; IV, 8; V, 12, 38, 54 cett.). Itaque verisimillimum est πτῶμα in nostro decreto adhibitum esse eadem significatione atque a Polybio usurpatur. Apud hunc, si recte numeravi, *quinque* locis occurrit, quos deinceps examinemus. Legitur V, 4: (Philippus) ἐμβαλὼν πῦρ τοῖς ἐρείσμασιν ὁμοῦ πᾶν τὸ διεστυλωμένον κατέβαλε τεῖχος.

1) Cfr. omnino Phrynich. i. v. cum Lobeckii nota (in eius ed. p. 375).

Digitized by Google

οὗ γενομένου πρώτους ἐφῆκε τοὺς πελταστάς — σπειρηδὸν τάξας καὶ παραγγείλας βιάζεσθαι διὰ τοῦ πτώματος. De iisdem aliquot versibus interiectis dicitur: τοὺς νεανίσκους ὑπερβάντας τὸ πτῶμα. Legitur praeterea V, 100. Magna muri parte Thebarum Phthioticarum suffossa πεσεῖν συνέβη τὸ τεῖχος. -- ἐνεργὸν δὲ ποιησαμένων (nempe τῶν Μακεδόνων) τὴν ἀνακάθαρσιν τοῦ πτώματος καὶ παρασκευασαμένων πρὸς τὴν εἴσοδον καὶ μελλόντων ἤδη βιάζεσθαι, καταπλαγέντες παρέδοσαν οἱ Θηβαῖοι τὴν πόλιν. Iterum est X, 31 i. f.: τῶν δὲ πελταστῶν ἐνεργῶς βιαζομένων διὰ τοῦ πτώματος, ἀπελπίσαντες σφᾶς αὐτοὺς παρέδοσαν. Et XVI, 31 in lugubri narratione de Abydo obsessa: ἐπὶ δὲ τοιαύτην γνώμην κατέστησαν ὥστ', ἐπειδὰν πέσῃ τὸ διατείχισμα, τότ' ἐπὶ τοῦ πτώματος διαμάχεσθαι καὶ διαποθνήσκειν πρὸς τοὺς βιαζομένους. Sed inprimis διδασκαλικὸς τόπος est qui de eadem re paulo post sequitur (XVI c. 33): πεσόντος γὰρ τοῦ διατειχίσματος, ἐπιβάντες ἐπὶ τὸ πτῶμα κατὰ τοὺς ὅρκους διεμάχοντο τοῖς πολεμίοις οὕτω τετολμηκότως ὥστε τὸν Φίλιππον -- τέλος ἀποστῆναι τῆς μάχης, δυσελπίσαντα καὶ περὶ τῆς ὅλης ἐπιβολῆς. οὐ γὰρ μόνον ἐπὶ τοὺς θνήσκοντας τῶν πολεμίων ἐπιβαίνοντες ἠγωνίζοντο κτλ. Apparet inter ἐπὶ τὸ πτῶμα ἐπιβαίνειν et ἐπὶ τοὺς θνήσκοντας τῶν πολεμίων ἐπιβαίνειν distingui. Tandem paulo post de iisdem dicitur: τῶν μὲν πλείστων τεθνεώτων ἐπὶ τοῦ πτώματος [1]). Itaque non audacissimum erit affirmare, etiam in nostro decreto eandem vocis πτῶμα significationem valere debere et Duchesnium recte interpretatum esse. Quid igitur? dicet quispiam. Rectumne erit: Annius hostes fugavit *dirutaque valli parte potitus* multos eorum concidit? In narratione non perfectissima me iudice stare poterit, modo rem ita nobis proponamus, Annium, fusos hostes atque in castra sua se recipientes persecutum, diruta parte valli in eorum castra penetrasse ibique et multos occidisse et magnam

1) Eadem qua apud Polybium significatione vocabulum πτῶμα altero fere versu recurrit ap. Diod. Sic. XVIII c. 70. Aliter est ap. Polybium XV c. 14 in descriptione pugnae apud Naraggara factae, quae vulgo ad Zamam dicitur: ὅ τε γὰρ τῶν νεκρῶν ὅλισθος — — ἥ τε τῶν χύδην ἐρριμμένων ὅπλων ὁμοῦ τοῖς πτώμασιν ἀλογία δυσχερῆ τὴν δίοδον ἔμελλε ποιήσειν (Romanis), ubi potius vertendum: *inter cadavera* (cfr. Liv. XXX c. 34 §§ 9 et 10), quod propter Lobeckium moneo festinanter hic *de aedium ruinis* cogitantem (Pharynich. p. 376).

Digitized by Google

equorum armorumque praedam fecisse. Quod si cui nimis obscure significatum videtur, suppleat: *ἐτρέψατο τοὺς ὑπεναντίους καὶ* [ΔΙΑ] *τοῦ τε πτώματος ἐκράτησεν καὶ πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτεινεν κτλ.*, verbo aut absolute posito ut Polybiano *βιάζεσθαι* in re eadem [1]) aut e sequentibus tacite adsumto *αὐτῶν* [2]).

Post aliquot dies Gallis cum maiore equitatu reversis Annius *ἐκπορευθεὶς μεθ' ὧν εἶχεν ἐν τῇι παρεμβολῇι στρατιωτῶν -- παρετάξατο καὶ ἐνίκησεν τοὺς πολεμίους μάχηι μετὰ τῆς τῶν θεῶν προνοίας, καὶ πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἐν χειρῶν νομαῖς ἀπέκτεινεν, οὓς δὲ ζωγρίαι συνέλαβεν, ἵππων τε καὶ ὅπλων πολλῶν ἐκυ[ρίε]υσεν κτλ.* Insolens admodum *ἐν χειρῶν νομαῖς* miramur cum editore, cuius haec disputatio est: „ΕΝΧΕΡΩΝΝΟΜΑΙΣ in lapide esse, sed infra litteram X additum I, rettulit D(uchesne), confirmavit M(iller). Atque hic quidem non suppleri hoc iota, sed in locum X per errorem incisi substitui coniecit, ut legeretur *ἐν ἱερῶν νομαῖς*, 'in templorum pascuis.' At id hoc loco dici nullo modo potuit, immo verum vidit Duchesnius, quum locutionis cum omnino frequentis tum Polybio inprimis familiaris *ἐν χειρῶν νόμῳ* mentionem iniceret; ea ab homine non satis Graece docto detorta atque corrupta est." Quod Milleri commentum reiecit editor, adsentior, cetera ei adsentiri nequaquam possum. Nam non facile adducor ut credam, Macedones patriam linguam tam parum calluisse, ut cum locutione ab Herodoto inde omnibus Graecis familiarissima *ἐν χειρῶν νόμῳ* uti vellent [3]) *ἐν χειρῶν*

---

1) Similiter v. c. Appianus B. C. IV c. 78 i. f.: *ἀλλ' οἱ μὲν ἐσχεδίαζον κλίμαξις, οἱ δὲ κεραίαις τοῖς τείχεσι προστιθέντες, ὡς διὰ κλιμάκων ἐπεχείρουν.*

2) Ad rem illustrandam hi loci Caesariani inprimis in censum veniant: B G. III c. 5: *Cum —— hostes acrius instarent languidioribusque nostris vallum scindere et fossas complere coepissent cett.*; B. G. III c. 26: *Illi —— eductis iis cohortibus, quae praesidio castris relictae intritae ab labore erant, et longiore itinere circumductis —— celeriter ad eas quas diximus munitiones pervenerunt* atque his prorutis *prius in hostium castris constiterunt, quam plane ab his videri aut quid rei gereretur cognosci posset*; B. G. V c. 51: *Hostes —— nostris vero etiam de vallo deductis propius accedunt —— ac sic nostros contempserunt, ut, obstructis in speciem portis singulis ordinibus cespitum, quod ea non posse introrumpere videbantur,* alii vallum manu scindere, *alii fossas complere inciperent.* Cfr. et Liv. VII c. 37, 8: *Fremere omnis acies* (Samnitium), *complendas esse fossas* scindendumque vallum *et in castra* (i. e. Romana) *irrumpendum.*

3) Exemplis ex auctorum libris petitis in locutione vulgo nota facile supersedere potero: e lapidibus unum afferre liceat, e Mylasensium decreto in honorem Mausoli

Digitized by Google

νομαῖς substituerent, quale vitium ne Aegyptiis quidem Graece utcunque balbutientibus facile excidisset. Certum remedium mihi in promptu non est, sed cum χειρονομίαι vocem aliquoties positam viderim pro *pugna comminus commissa*, v. c. Macab. III, 1, 5: οὕτω συνέβη τοὺς ἀντιπάλους ἐν χειρονομίαις διαφθαρῆναι, πολλοὺς δὲ καὶ δοριαλώτους συλληφθῆναι, et Heliod. Aeth. IX, 16: τῆς κατὰ συστάδην χειρονομίας, suspicio mihi subnata est sensimque confirmata, annon et nostro loco idem scriptum fuerit — πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἐν χε[ι]ρονομίαις ἀπέκτεινεν κτλ. — vel volitante illo I aliquatenus indicatum. Quod si probatur, ἐν χειρονομίαις in nostro decreto idem valere censendum erit atque alibi ἐν χειρῶν νόμῳ, diciturque quaestor Annius magnum Gallorum numerum cum pugna comminus instituta interfecisse tum vivos cepisse.

Atque haec quidem hactenus.

Roterod. m. februario 1887.

---

anni a Chr. 355—354 (Dittenb. Syll. 76 l. 33 seqq.): Μανίτα τοῦ Παχτύω ἐπιβουλεύσαντος Μαυσσώλλωι —— καὶ Μαυσσώλλου μὲν σωθέντος σὺν τῶι Διΐ, Μανίτα δὲ αὐτοῦ τὴν δίκην λαβόντος ἐν χειρῶν νόμωι, („occisus est a satellitibus". Waddingt.) ἔγνωσαν Μυλασεῖς κτλ.

FRONTINUS.

De Aquae ductibus (edid. A. Dederich. Lipsiae 1855) c. 128. *Posset hoc senatus consultum aequissimum videri, etiam ex rei tantum publicae utilitate si ea spatia vindicarentur; multo magis, cum maiores nostri admirabili aequitate ne ea quidem eripuerint privatis, quae ad modum publicum* (emendavi *ad* COM*modum publicum*, Mnemos. 1882 p. 326) *pertinebant, sed, cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendenda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerint et post determinata necessaria loca rursus eum agrum vendiderint, ut in suis finibus proprium ius res publica quam privata haberent.* Ultima mendosa videntur. Lego: *ut in suis finibus proprium ius res publica* TAM *quam privata* (sc. res) *haber*ET.

J. v. D. VLIET.

Digitized by Google

AD A. GELLII
NOCTES ATTICAS.

SCRIPSIT

I. C. G. BOOT.

Quum antiquitates Romanas discipulis prius in gymnasio Leovardiensi, deinde in illustri Athenaeo Amstelodamensi enarrarem, saepe et multum in manibus erant Noctes Atticae, in quibus plures loci illius disciplinae ex antiquioribus fontibus egregie explicantur. Nonnunquam illas partes operis Gelliani cum iis legi, et quae in rebus aut in verbis aliquam difficultatem habere videbantur, quantum potui expedivi. Inde ortae sunt multae adnotationes, quas nuper exegi ad novam operis illius recensionem, quae cum locupletissimo apparatu critico Martini Hertzii cura duobus voluminibus annis 1883 et 1885 Berolini edita est. Libenter vidi nonnulla, quae a me coniectura vel auxilio codicis Franequerani restituta erant, in praeclara illa editione eodem modo vel e libris scriptis vel ex ingenio ab Hertzio esse correcta. Non ubique tamen me cum illo congruere nemo mirabitur. Fortasse non inutile erit breviter indicare unum alterumque locum, ubi scripturam ab Hertzio receptam, de cuius veritate dubitari possit, aliquo argumento confirmare queo, paulo autem plures attingere, ubi dissentiendi causas sat graves afferre me posse existimo.

Sed antequam hoc faciam, prius agendum est de codice MS. Franequerano. Quum didiceram e Petri Wesselingii Obs. var,

Digitized by Google

I, 16 Gellium ex illo codice emendari posse, eum Leovardiam cum maiori parte bibliothecae Franequeranae translatum in meum usum adhibui, et nunc me rogante huc missum iterum consului.

Chr. Saxius in Onomastici liter. P. IV p. 53 scripsit codicem, quo usus est Io. Tornaesius in editione Gellii a. 1592, eundem sibi videri atque codicem Academiae Franequeranae. Hertzius, qui codicem non inspexit, sed usus est duplici eius collatione, utraque accurate facta, idem affirmavit in Praef. V. II p. LXVIII et hanc sententiam validis argumentis munivit. Mihi tamen editione Tornaesiana carenti, sed ex editione Ant. Thysii et Iac. Oiselii, quae anno 1666 Lugd. Bat. prodiit, scripturae varietatem ex illo codice notatam cum codice Franequerano comparanti res non plane certa videbatur. Nam, ut pauca afferam, IX, 9 (p. 429 v. 64 H.) *in humero*, quod in cod. Torn. abesse dicitur, in Fran. adest, et in eiusdem libri c. 14 (p. 443 v. 60 seq.) Fran. praebet: *quod honeste tantis accedit*, non quod in adn. Thysii e cod. Torn. affertur: *quod honestae satis accedit.*

Sed ipse codex omnem dubitationem tollit. Nam in primae paginae margine dextro aperte legitur *Tornæsius* et sub illo nomine litteris minutis et paene evanidis, non ea quae F. Iunius inde extricavit, sed haec scripta sunt: „editio mea 1592 | ex collatione huius ipsius | m̄ti a me emendata est." Ergo ubi Tornaesius e suo codice aliquid deprompsit, quod in codice Fran. aliter scriptum est, hoc eius negligentiam in conferendo arguit.

Scriptura codicis conspirat fere cum scriptura longobardica saeculi XIII, quam exhibet tabula 148 operis palaeographici Silvestriani a Fr. Madden in Anglia repetiti.

Manus paulo recentior inter versus et in margine nonnulla vitia librarii correxit, vel interpretationem adiecit, velut ad IX. 2, 9 ad v. *probra* adscripsit *i.* (ɔ: id est) *probrosa* + (ɔ: vel) *reproba*, ad IX 11, 1, ubi continuatis litteris *quisecus* scriptum est, omisso verbo *dixerit*, in margine legitur: *secus i. q̄. alīt* + *dīvse*, ibidem § 5 ad *v. grandia* notavit *i. granditer*, in IX. 13, 7 supra *antistabat* posuit: *i. excellebat*, et ita saepius.

Nonnumquam idem vel alius inter legendum, quod sibi de aliquo loco dicendum videbatur, adscripsit, velut ad sententiam Catonis in XI, 2, 6 *pulchrū valde*, ad XIII, 6 *Capitulum aureum*, ad XV, 19, 2 *memoria dignum*, ad XIX. 1, 10 *nobile responsum*.

Digitized by Google

Bis ampliorem observationem in margine posuit, primum ad IX, 2, 5 seq.: „Legant oms religiosum nom labris n̄ virtute circūferentes: ii mecū parit erubescant sive monachi sive canonici", tum ad XIV. 6, 3: „Hic disce non omnes scripturas legendas, nisi illas quae aut utile aliquid aut delectabile in se habent."

Si quis quaerit ex quo codice Fran. descriptus sit, non habeo quod respondeam. Nam quum omnia vocabula capitis primi libri XX adnotavissem, quae in eo ab editione Hertzii plus minusve discrepant, vidi saepius eum convenire cum codicibus XOΠN, sed habere quoque nonnulla communia cum MSS. QZ. Exemplo sit, quod cum his et recentioribus codd. in § 8 *iura* omittit, cuius tamen vocis aliquod vestigium superest in *adivina*, et quod in § 25 eandem redundantiam orationis in Fran. invenimus, quae in QZ. inventa est: *Verba ē haec legis. Si in ius vocato verba sunt haec de lege. Si in ius vocat.* In § 30 *vectaculum*, non *vectabulum*, quod in § 28 scriptum est, habet, quod se in QZOΠ vidisse Hertzius monet.

Si denique addidero Graeca uncialibus litteris plerumque sine mendis scripta esse, atque pro minima distinctione semper usurpari ., et ubi sententia terminatur sine varietate poni semicolon ;, de hoc codice satis dixisse me puto. Transeo ad observationes exegeticas et criticas.

II. 24, 2 Verbo *mutitarent* haec vis tribuitur, ut sit *mutua inter sese dominia agitare.* Quum autem agatur de sumptu cenarum, non *dominia*, sed *convivia* hic nominari debere putares, quod recentior manus in cod. Vat. tanquam variam lectionem adscripsit. Recte tamen *dominia* retinetur. Hunc usum Nonius p. 281 firmat exemplo allato e Lucilii Sat. XIII *primum dominia atque sodalitia omnia tollantur*, et e Verrina act. sec. III. 9 *huius argento dominia vestra — ornari.* Male tamen ex eo quod qui cenam dat dominus cenae appellatur, Nonius effecit quaevis convivia dici posse dominia. Melius nomen interpretatur Fogginius ad Verrii Flacci Fastorum reliquias p. 44: „quod quisque alternatim in aliena domo omnia velut dominus disponeret."

IV. 10. In lemmate codices et veteres editiones praebent *iurgiorumque in senatu C. Caesaris consulis et Catonis.* Pro illo ge-

Digitized by Google

netivo H. scripsit *iurgiaque*. Ego scriberem *iurgiumque*, quod minus a codd. recedit et verius est. Nam una contentio Caesaris cum Catone narratur.

X. 1, 7. *Eam rem Pompeius exquisitissime retulit ad doctissimos civitatis.* Recte XIII. 7, 6 laudantur libri Aristotelis, „quos de animalibus *exquisitissime* composuit", sed perperam idem adverbium h. l. cum verbo *retulit* iungitur. Corrigendum *exquisitum*.

X. 15, 4 *item religio est classem procinctam extra pomerium, id est exercitum armatum, videre.* Non erat quod Gellius, qui I, 11, 3 *procinctas classes* interpretatus erat per *instructam aciem*, nunc rursus simili explicatione uteretur. Positio quoque verborum *id est ex. arm.* ea ex glossa marginali inter verba scriptoris illata esse ostendit. Hertzius non debuerat dubitare num secluderet ab oratione. In extremo capite, ubi flamen Dialis *solus* album habere galerum dicitur, haec causa additur: *quod Iovi immolata hostia alba id fieri oporteat.* Post *quod* omissum videtur *de*. Cf. Paulus e Festo p. 10: „Albogalerus — fiebat *ex* hostia alba Iovi caesa." Male in multis edd. deletur *id*. Nam Varro, cuius verba afferuntur, *galerum* neutro genere dicere potuit. Cf. Servius ad Aen. VII. 688.

X. 20, 7. *Sed totius huius rei iurisque — caput ipsum et origo et quasi frons rogatio est.* Miror Hertzium non edidisse *quasi fons*, quod in quattuor MSS. invenerat. Iunguntur *caput* et *fons* de Orat. I. 42. Tusc. IV. 83 et saepius, *origo* et *fons* apud Florum III. 6. Capiti et origini insolenter tertium adiungitur *frons*, neque additum *quasi* metaphorae licentiam tollit.

X. 23, 2. *quae id genus sapiant potu dulcia.* Pro *sapiant* in cod. Fran. est *aepiant*, quod corrector codicis in *erant* mutatum voluit.

XI. 18, 18. *Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura.* Sunt verba ex oratione M. Catonis. Codex Vossianus antiquissimus praebet *publice*, Fran. *inpublice*. Vide ne scribendum sit

Digitized by Google

fures <rei>publicae, qui apte opponuntur furibus privatorum furtorum.

XIII. 11, 3. Laudata Varronis sententia de circumscribendo convivarum numero, haec verba ex eius satira, quae inscribitur Nescis quid vesper serus vehat, citantur: *Nam multos esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta et Romae quidem stat, sedet Athenis, nusquam autem cubat.* In his haereo, quum absurdum sit turbam sedisse Athenis. Haeserunt et alii, ut apparet ex adnotatione Gronovii, sed nemo locum expedivit. Quum omnes codices noti praebeant *constat* pro *stat*, coniicio scribendum esse: — *et Romae quidem* CONCIO *stat, sedet Athenis*, cet. Populum Atheniensem ad concionem vocatum ibi sedisse novimus ex Aristophanis Acharn. 29, Equit. 750, 754, 783, Vesp. 32. At, dicet aliquis, nihil hoc ad convivium. Fateor; sed proxime praecedit turbae mentio, eaque genuit concionis recordationem. — In § 5 verba: *In convivio legi non omnia debent, sed ea potissimum, quae simul sint βιωφελῆ et delectent* ab aliquo male sedulo lectore ex I. 22, 5 huc translata esse statuit Oehlerus ad Varronis Satir. reliquias p. 172. Cui assentior. Nam non sunt huius loci.

XIII. 12, 9. *Sed quaerentibus nobis quam ob causam tribuni, qui haberent summam coercendi potestatem, ius vocandi non habuerint, ***, quod tribuni plebis antiquitus creati videntur non iuri dicundo nec causis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus usus praesens fuisset, ut iniuria, quae coram fieret, arceretur.* Quae in libris scriptis post *intercessionibus faciendis* sequuntur, *quibus praesens fuisset*, vel ut in codice Vaticano correctum est, *quibus usus praesens fuisset*, neque a Madvigio Adv. crit. II, 603 emendata, neque ab Hertzio in Vindiciis Gell. alteris p. 68 bene deleta videntur. Ego suspicor ea loco suo mota, et *quibus* in *cuius* mutato in lacuna post *habuerint* collocanda esse, ut Gellius scripserit: *Sed quaerentibus — non habuerint, cuius usus praesens fuisset, (respondebitur), quod — faciendis, ut iniuria, quae coram fieret, arceretur.* Paulo post *ius abnoctandi* totidem litteris in cod. Fran. scriptum est.

Digitized by Google

XIII. 22 (21), 1. T. Castricius vocatur *a divo Hadriano in mores atque litteras spectatus.* Interpretes haec non attigerunt. Constructio tamen est rarior *spectatus in mores*, pro spectatus moribus vel propter mores. Sed Gellius scripsit, ut serioris aetatis scriptores, velut Appuleius. Exempla suppeditavit Oudendorpius ad Appul. Metam. p. 21 seq.

XIII. 24 (23), 2. *Haec mera veritas Tusculani hominis — plus hercle promovet — quam Graecae istorum praestigiae.* Pro *Graecae istorum* scribendum censeo *Graeculorum.* Tusculano homini melius opponuntur Graeculi, quam isti.

XIV. 8. Postquam declaravit sententiam M. Iunii Gracchani de praefecto urbi Latinarum causa relicto, Gellius ita pergit: *M. autem Varro — et Ateius Capito — ius esse praefecto senatus habendi dicunt, deque ea re adsensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Iunii refert.* Non dicitur quis retulerit, quod omnino dicendum erat. P. Wesselingius Obs. Var. I, 16, ut hoc vitium tolleret, correxit: *deque ea re assensum esse se Capito Tuberoni c. s. I. refert.* Hertzius de sua coniectura ab aliis viris doctis probata edidit: *deque ea re adsensum esse Capito Varronem Tuberoni c. s. I. refert.* De Varrone res plane incerta est. At in alia quaestione, quae in capite praecedenti § 13 movetur, ipse Capito Tuberonis sententiam amplectitur. Hoc me movet, ut Wesselingii emendationem veriorem iudicem, dummodo ita scribatur: *deque ea re adsensum sese Capito Tuberoni contra sententiam Iunii refert.* Gellius libenter pronomen reflexivum geminat. cf. II. 21, 10 bis, V. 14, 3 et 4, XIII. 4 extr. et saepius. Quam facile autem *esse* et *sese* permutentur nemo ignorat, plurimisque exemplis demonstravit Drakenborchius ad Livii XL. 26, 5. Simili errore peccaverunt librarii XIII. 5, 6 pro *quod sese magis iuvisset* scribentes *quod esse magis iuvisset.* XV. 2, 1 codices scripti et editiones inter *Platonicum sese philosophum dicebat* et *P. esse se philosophum dicebat* variant.

XVI. 4, 2. In iureiurando militum e L. Cincii opere de re militari descripto offendunt me verba *uti tu — proferes aut profitebere — aut domino suo — reddes.* Post *uti* sequi debebant coniunctivi. Sed omnia sana sunt, si mecum *uti* in *aut* mutaveris.

Digitized by Google

XVII. 2, 16. *Nam haec, inquit* (Claudius Quadrigarius,) *maxime versatur deorum iniquitas, quod deteriores sunt incolumiores.* Languet illud *versatur*, nec dubito quin cum I. F. Gronovio Observ. III. 4 scribendum sit *vexatur* ɔ: vellicatur, exagitatur. De permutatione utriusque verbi monuit Drakenb. ad Livium II. 34. 5. Hertzius in aliorum coniecturis citandis diligentissimus hanc omisit.

XVII. 6, 11 *ipsa sunt per sese evidentia et quod a Verrio dicitur et a nobis; quod utrum ergo videbitur cuique verius, eo utatur.* Qui ita distinguunt cum Lachmanno ad Lucr. V. 839 iudicare videntur *quod utrum* quasi ἐκ παραλλήλου positum esse, vel alterum abundare; sed nemo attulit simile exemplum. Quin sic distinguimus: *et quod a Verrio dicitur et a nobis quod; utrum* cet.?

XVIII. 7. Inscriptio capitis, quam codices servarunt, non quadrat cum argumento. Sic se habet: *Quem in modum Favorinus tractaverit intempestivum quendam de verborum ambiguitatibus quaerentem* (Cod. Fran. querentē). Hertzius hoc tribuit scriptoris socordiae. Ego suspicor post *modum* excidisse nomen *Domitius*; quo omisso reliqua sic immutata sunt, ut sententiam efficerent tolerabilem, sed falsam. Gellii esse opinor: *Quem in modum Domitius Favorinum tractaverit intempestive quaedam de v. a. quaerentem.*

XX. 10, 10. Quam Hertzius post verba: *neque ex iure manum consertum, sed bello ferroque et vera vi atque solida* statuit lacunam, eam verbis ex Ennii versibus in § 4 laudatis sic explendam censeo: *rem repeti dixit.*

Scr. Amstelodami
m. Febr. a. CIↃIↃCCCLXXXVII.

Digitized by Google

E. H. ELDIKII EPISTOLA CRITICA DE ANTHOLOGIA LATINA.

Ante hos viginti annos in consessu Academiae disciplinarum regiae dixi de Erico Huberto Eldikio, critico sagacissimo, et ex eius annotationibus MSS. pauca deprompsi, quae ad Martialem pertinent. Leguntur in Academiae Actis vol. XI p. 35—39. Nuper perlustranti Poetas latinos minores ex recensione Aemilii Baehrens in mentem venit inter schidas Eldikii, quae penes me sunt, esse exemplum epistolae ad P. Burmannum Secundum datae, in qua plures loci e secundo volumine Anthologiae latinae et aliorum poetarum corriguntur. Relegi et comparavi cum Anthologia ex recensione Al. Riese et cum Baehrensii opere laudato, multaque inveni quae ab aliis nondum reperta sunt vel vera vel probabilia vel certe ingeniose excogitata. Quamobrem ea diutius occultari nolo et nunc viris doctis offero. Ubi opus erit in margine mea adiiciam.

I. C. G. BOOT.

Viro Clarissimo Petro Burmanno Secundo
S.P.D.
Ericus Hubertus Eldikius.

Mitto ad te coniecturas aliquot meas ad alterum volumen Anthologiae tuae, quod opus aetatem laturum iucunde his diebus evolvi. Debentur illae tibi tanquam minerval tenue pro multis egregiis, quae me in commentario tuo, recondita eruditione pleno, docuisti. Nec invitus accipies, opinor, qui olim etiam transmissas honorifice memorare dignatus es [1]).

1) Respicit ad coniecturas in variis locis tomi primi in litteris die XII m. Iunii a. 1765 scriptis, quas Burmannus passim in Mantissa adnott. ad Tom. I laudavit.

Digitized by Google

L. IV. ep. 110 p. 74.

„Quem cuncta flevit turba, multo plus herus,
Speciem obtinentem moribus cum vinceret."

Miror nec Cl. Schraderum his fuisse offensum. Mihi Muratorii lectio unice probanda videtur, modo leviter adiuvetur: Speciem *ob nitentem*, moribus *quam* vinceret.

Ep. 172 p. 125.

Heu crudele nimis fatum! duo funera moerens
Plango vir et genitor (flebile!) mersa *deo*.

Quod coniicis *vado*, nescio an alibi simpliciter pro *Stygio vado* inveniatur. Pace tua *Erebo* praeferrem vel potius *mersa Chao*. Infra p. 408 (V. ep. 131): Eligat infernum iam modo luna *Chaos*. Virg. Aen. VI. 265: Et *Chaos* et Phlegeton loca nocte silentia late. Statius Silv. V. 1, 206:

Ne tu Tartareum *Chaos* incomitata subires.

Quinto disticho ut sensus constet, scribendum:

At tu ne propera, simili qui sorte teneris,
Quin annos titulo nomina *et ipsa* legas [1]).

In v. 15: Quam bene *vix* senos florebas, nate, per annos. Quod clarum fit cum e. v. 11, tum ex aetate parentis, quae ipsa tantum fuit XXII annorum, cum fato fungeretur:

Illa bis undenos vixit, natus quoque senos.

Sed nec tertium distichon labis expers videtur. An scribendum:

Adiecit Clotho *celeratum* rumpere filum,
Te, natum ut raperet, tristis, *ovante*, mihi [2]),

ut sermo ad Charontem, priore disticho inceptus, continuetur?

Ep. 175 p. 128.

Coniugis officium *testatur* carmine parvo,
Extremumque tibi *refero* munus....

Legendum forte ac supplendum:

Coniugis officium *testatum* carmine parvo
Extremumque tibi, *quod fero*, munus *habe*.

---

1) Burmannus ediderat *Huic* — pro quo in MSS. *dunc* erat — *ut ipse*. In v. 15 *bis senos*.

2) Burm. ediderat *iteratum* et in pentametro:

Ut natum raperet tristis, *ut ante*, mihi.

Pro *iteratum* scribendum censeo *tenuatum*, quod apte de filo dicitur et minus a tradita scriptura recedit, quam *celeratum*.

Digitized by Google

Sic in epigr. praecedenti: *Extremum* hoc coniux a coniuge — *munus habe.*

Ep. 251 p. 190. Praeferrem:

Te peperi, te, nate, alui *presso ubere lacte.*

Ep. 252 p. 191.

Bis quinos *vixit dum* compleverat annos
Et *nimium* .... to citius depulsus in *antro* est.

Haud dubie scribendum v. 2:

Et *Stygium dicto* citius depulsus in *antrum* est [1]).

Ep. 296 p. 226.

Fratribus et *nobis* dulcis amicus obit. Leg. *notis.*

Ep. 337 p. 248. *Hic in flore cubat*, intelligi potest de floribus qui in sepulcra spargebantur. Vide Goensium de cepotaphiis p. 72.

Ep. 344 p. 256.

Effugi tumidam vitam. Spes, *forma* valete.

Lege: Spes *forsque* valete, ut conveniat graeco epigrammati, quod docte comparasti supra p. 213 (Ἐλπὶς καὶ σὺ Τύχη *μέγα χαίρετε κτὲ.*).

L. V. Ep. 41 p. 319.

Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta *vaporem.*

Repone: *Quos modico* quatiens Virgo fugat orta *vapore.*

Ep. 62 p. 147.

Arva sub aestivis *sudant* horrentia *flammis* pro *undant* et *flabris.*

Ep. 71 p. 359.

Poma legit Virgo maturi mitia *solis.*
Fundit at October vina Falerna *lacis.*

„maturi mitia *roris*" malit Heinsius. Mihi *succi* venit in men-

1) Primum versum claudicantem Burmannus ita sanare volebat: Bis quinos *vitae vixdum* compleverat annos. Ego malim: Bis quinos *natus vixdum* compleverat annos.

Digitized by Google

tem, ut in ep. 186 p. 461 „Unumquemque (l. unum quaeque) suum referunt pomuscula *succum*. Horat. Sat. II. 4. 70 „Picenis cedunt pomis Tiburtia *succo*. In minore versu castigandum: Fundit at October vina Falerna *cadis* [1]).

Ep. 107 p. 381.

Forma repercussus liquidarum fingit aquarum.

Refingo: *Fonte repercussos* liq. *fulgor* aquarum. Quod similium in vicinia epigrammatum comparatione satis probatur [2]).

Ep. 113 p. 383.

Alme parens rerum, supplex precor. *ergo* carinam
Conserves.

Mallem: — supplex precor *erro*, carinam cet. Quod quam apte conveniat nautae, facile animadvertis.

Ep. 143 p. 436.

Nauculus cantans scottos iter ire perurget.

Video me in margine libri Bondamiani fere ad mentem tuam correxisse:

Dum cuculus cantus solitos iterare perurget.

Ep. 153 p. 445.

Eminet impletus pullorum carnibus anser
Et varias mensae *torridus* ambit opes.

Quidni *turgidus*, ut p. 448, pullorum turgida membris, et alibi [3]).

Ep. 159 p. 449. De misovostu. Forte simpliciter inscribendum: *De mixto vesco* [4]).

L. VI. Ep. 17 p. 589.

Frondosis Tempe cinguntur Thessala silvis,
Pinguia * *Benventi* lustra Molorchus habet.

---

1) R. I p. 259 ad voc. *solis* quaerit: „num *suci*? et pro *lacis* probat Heinsii coni. *lacu*. B. I p. 206 edidit *roris* e coni. Heinsii, et in versu minore *iugis* e sua.

2) Cf. R. II p. 54. B. IV p. 123.

3) *Turgidus* de Luc. Mulleri coni. scripserunt R. I p. 128 et B. IV p. 312.

4) R. I p. 161 codicis Salm. scripturam *De misvusstu* dedit, B. IV p. 342 *De mistu asso*.

Digitized by Google

Rectissime observas in scripturae monstro, quod praebent codices, latere nomen proprium. Proxime convenit *Bembina*. Steph. Byz. Βεμβῖνα κώμη τῆς Νεμέας. Citat idem hunc e Panyasis Heraclea versiculum, quo de secundae vocis syllabae modulo certiores fimus: Δέρμα τε θήρειον Βεμβινήταο λέοντος [1]).

Ep. 80 p. 620.

Cauta nimis spinam Satyri pede rustica tollit,
Luminibus certis vulneris alta notans.

Hallucinatur me arbitro Ampliss. Meermannus, cum de herba satyrio cogitat, et quidem de nova specie herbariis incognita, spinata scilicet. Sermo est de Satyro, Deo capripede, qui cum per avia discurrendo pedis plantam spina vulnerasset, hanc extrahendam committit mulieri.

Cultissimum est ep. 215 lib. V. p. 470.

Nymphae, fonticolae Nymphae, quae gurgitis huius
Alternum roseo tunditis ima pede:
Lysimachum servate! sub alta maxima pinu
Numinibus posuit qui simulacra tuis.

Sive autem vetustum sit, sive a recentiori Italo confictum, quod soloecum illud *tuis* pro *vestris* verosimile facit, est certe de graeco expressum Myrus Anthol. L. VI C. 1. ep. 3.

Νύμφαι ἀμαδρυάδες ποταμοῦ κόραι, αἱ τάδε βένθη
Ἀμβρόσιαι ῥοδέοις στείβετε ποσσὶν ἀεὶ,
Χαίρετε, καὶ σώζοιτε Κλεώνυμον, ὃς τάδε καλὰ
Εἵσαθ' ὑπαὶ πιτύων ὔμμι, θεαὶ, ξόανα.

ubi v. 2. ἀμβρόσια corrigit Io. Toup., Emend. in Suidam T. II p. 8. Quod legitur in fine sequentis epigr. *Hoc poenas luito caput bacillo* itidem manavit de graeco Nicarchi inter Iensiana 149 τῷ ῥοπάλῳ τὰν κεφαλὰν λέπομες. Idem quoque cogitavit auctor ep. 219 v. 26—28, p. 473:

Ille fontibus arcet et scelestos,
Improbo pede qui sacros liquores
Transeunt faciuntque turbulentos.

---

1) R. I p. 216 scripsit: Pinguia*que Nemeae* l. M. h. B. IV p. 395 quaerit: „num *vinctis*?"

Digitized by Google

Nicarchus l. c. *ποσοὶ δὲ μὴ ποτὶ νίπτρα φέρειν κρυστάλλινα Νυμφᾶν* [1]).

Initio Dirarum Catonis, obscuri saepius poematii, lego:

Battare, *Circaeas* repetamus carmine voces.

i. e. magicas. „Seu mihi Circaeo pereundum gramine." Propert. II. 1, 55.

In eiusdem poëmatis v. 173 seq.

Nam certe Volcanus opus faciebat, et illi
Tristi turpabatque mala fuligine barbam.

Vide quanto opere coniecturae nostrae discrepent. Meam si admittas, fabrile non migrabit officium Veneris maritus:

Nam certe Vulcanus opus faciebat *Achilli*
Tristi, turparatque *atra* fuligine barbam.

Respexit poëta eruditus Homeri locum Il. Σ. v. 468 et seqq., ubi Vulcanus Thetidis rogatu nova arma Achilli fabricatur, cum sua perdidisset morte, quam lugebat, Patrocli.

Quae proxime praecedunt:

Et *mecum tenera* gavisa est ludere in herba,
Purpureos flores, *quos insuper* accumbebat,
Candida *formoso* supponens brachia collo,

sic liberiori coniectura tentavimus:

Et *Venus Idaea* gavisa est ludere in herba,
Purpureos flores *quoties super* accumbebat,
Candida *formosi* supponens bracchia collo [2]).

Per formosum intelligo Adonin. Propertius II. 10, 55 e correctione mea:

Illis formosum *planxisse* paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Ubi hodie *iacuisse* circumfertur, ellipsi durissima *τοῦ dicitur*. Idem II. 19, 35: ut me Demissis *plangas* pectore nuda comis [3]).

---

1) Sequuntur in epistola plures coniecturae in Laurentii epithalamium in Anth. Burm. T. II p. 633 seqq. editum, quas in secunda serie Actorum Acad. Regiae vol. III p. 164 iam prolatas nunc omitto.

2) B. II p. 82 seq. edidit: „Et *moechum* tenera gavisa est *laedere* in herba Purpureos flores, quos insuper accumbebat *Brachia* formoso supponens *Cypria* collo," multasque variorum coniecturas in notis attulit.

3) Burmannus in sua Propertii editione hanc Eldikii coniecturam laudat.

Digitized by Google

Graecum Apollonidae epigramma, quod laudas p. 158, leve vitium obsedit non levi tamen sensus detrimento. Legere soleo: Ἄμφω δ' ὡς συνέναιον ἐνὶ πλακὶ τυμβεύονται [1]). In alio Theodoridae p. 390 auctiori e MS. Pal. edito nescio an δέξαντ' errore typi sit editum pro χεῦσαν. In epitaphio Graeco apud Gruterum, quod citas p. 95 vereor, ut acu rem tetigerit Virorum maximus, quos Belgium tulit. Quid enim hic sibi vult φράσας; quid Συνόμηρος; Melius, ut arbitror, Hultmannus Misc. epigr. p. 441: τεῦξ' Ἐπαφρᾶς συνόμευνος. In ultimo versu praeferrem: χαῖρε καὶ εὐψύχει. Vide Hultman. l. c. p. 468 et cf. Leich. Nov. Emend. post Carm. sepulcr. p. 66. Ptolemaei epigr. p. 729 laudatum editum est in Vita Arati. Vide Cl. Ernesti excurs. ad Callim. T. I. p. 334.

Possem nonnullas addere correctiones in prius volumen Anthologiae tuae, sed malo tecum communicare coniecturas aliquot in Propertium, cuius poëtae eruditissimi editionem novam ceteris tuis in rem literariam meritis addere decrevisti [2]).

II. 23, 43:

Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via *ducit anum*?

Lanuvium corrigit Anglus eruditus. Mihi Tarracina venit in mentem.

Appia cur toties te via Tarracinam?

Antonini Itin. p. 106: Iter ab urbe *Appia via* recto itinere — Tarracinam.

Habes, Vir Eruditissime, epistolam coniecturis plenam, quas arbitrii facio tui, quo stabunt cadentve. Vale et de literis humanioribus, uti facis, egregie bene mereri perge. Scribeb. Zutphaniae a. d. (IX Kal. Sext. MDCCLXXIII) [3]).

---

1) Pro vulgato Ἄμφω δ' ὡς Τμέναιον ἐπὶ πλακὶ τ.

2) Sequuntur emendationes Libri I. 16, 42. Lib. II. 19, 45—47, ibi 23, 44 et 25, 31. Lib. III. 1, 45 sq. Lib. IV. 5, 35, quas omnes praeter unam Burmannus suis locis commemoravit, plerumque ipsis Eldikii verbis usus. Itaque non describo, nisi eam, quae pertinet ad II. 23, 44, a Burmanno merito spretam, sed tamen ingeniosam.

3) Diem in meo exemplo non indicatum supplevi ex adnot. Burmanni ad Propert. I. 16, 42.

Digitized by Google

Οὐδός, Ὀρσοθύρη, Ῥῶγες.

SCRIPSIT

A. E. J. HOLWERDA.

Schliemannus cum alias de disciplina antiquitatum optime meritus est, tum consilium eius nusquam forte magis laudandum fuit, quam quum duce Dörpfeldio in colle Tirynthio intra Cyclopeos muros vasta rudera effodienda curavit. Haec enim postquam per multa saecula omnium oculos fefellerant, tandem Dörpfeldius primus animadvertit, regiae domus pervetusta vestigia sub informi specie latitare. Hinc uberrimi fructus redundarunt non tantum in ipsam archaeologicam disciplinam atque imprimis in historiam architecturae; sed quum effossum aedificium satis accurate conveniat cum principum domibus, quales Homerus descripsit, eadem opera impeditis quibusdam Odysseae locis necopinato lux affulsit. Ipse hoc copiose ostendit Dörpfeldius in Schliemanni libro de Tirynthe; sed quum doctissimus artifex, qui caetera pleraque egregie explicavit, minus bene contendat pag. 258 ex iis quae Tirynthe luci reddita sint, nullo modo illustrari posse quae apud Homerum *ὀρσοθύρη* et quae *ῥῶγες* sint, haud alienum videtur paucis ostendere, quod saltem ad *ὀρσοθύρην* attineat, Dörpfeldii industriae et sagacitati aliquanto plus deberi, quam ipse potuerit suspicari.

Ordiendum est ab explicatione vocabuli *οὐδός*, quo plerumque *portae limen* designatur, sed primitiva significatio diversa est. Etenim id quod est *οὐδός* radicis communione cum vocabulo *οὖδας*

Digitized by Google

coniunctum est, nec Suidam hoc latuit scribentem: *οὐδός· φλιά, βατήρ, τὸ κάτω τῆς θύρας ἢ ἔδαφος ἢ βαθμός*, quam doctrinam ab Photio mutuatus est. *Portae limen* οὐδός dicitur, cum firmum solum sit et fundamentum, cui superstructi postes cum valvis. Efficitur hoc ex Odyssea η 89: *σταθμοὶ δ' ἀργύρεοι ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ* et φ 45: *ἐν δὲ* (scil. *ἐν τῷ οὐδῷ*) *σταθμοὺς ἄρσε, θύρας δ' ἐπέθηκε φαεινάς*. Iam olim animadversum fuit, οὐδός simpliciter esse οὖδας vel ἔδαφος ρ 196, ubi Ulysses rure profecturus in urbem, ab Eumaeo baculum petit, *ἐπεὶ ἦ φάτ' ἀρισφαλέ' ἔμμεναι οὐδόν*. Pariter η 130 ubi sermo fit de fontibus in horto Alcinoi, quorum alter *ὑπ' αὐλῆς οὐδὸν ἵησιν πρὸς δόμον ὑψηλόν* [1]) nihil aliud est *αὐλῆς οὐδός* nisi *αὐλῆς* solum firmum et solidum, quemadmodum Tirynthe *αὐλῆς* solum congestis lapidibus et glarea stratum erat, cui pavimentum superstruxerant, cf. Schliem. de Tirynthe p. 230. Itidem in regia Alcinoi subter tale *αὐλῆς ἔδαφος* erat aquae ductus, quo *τῆς κρήνης ὕδωρ* ducebatur ad ipsam domum, nec poeta simpliciter dixit rivum subter *αὐλῆς limen*, nam perexiguum hoc spatium est, si cum toto *αὐλῆς* ambitu comparaveris. Ne satis quidem recte *αὐλῆς* limen dicitur, nam *αὐλή* proprie non portam habet, sed *πρόθυρον*, in quo, ut Tirynthia rudera ostendunt, *tria* erant limina, unum contiguum *τῇ αὐλῇ*, externum alterum quod foras spectabat, denique tertium medium inter utrumque, quemadmodum colligi poterit ex figura, quam infra apponam. Conspicitur Minerva α 104 *ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος* et quidem *οὐδοῦ ἐπ' αὐλείου*· vulgo creditur hunc esse *αὐλῆς οὐδόν*, sed falso; constitit enim dea in limine quod domum ingredienti tertium erat et *αὐλῇ* proximum indeque *οὐδὸς αὔλειος* dicebatur.

Denique quod Gerlachius observavit in Philologo 1870 p. 508 et 512, *οὐδός* interdum est *τοῦ τοίχου κρηπίδωμα*, ἔδαφος, *parietum* fundamentum. Talis erat *λάινος οὐδός* in *μεγάρῳ* Ithacensi υ 258; primum enim praecipua *μεγάρου* ianua *οὐδὸν* habebat, non *λάινον*, sed *μέλινον* ρ 339, in quo Ulysses consedit *ῥακενδύτης*· deinde liquido apparet *λάινον οὐδόν* illum certe non ianuae limen fuisse, nam Telemachus mendicum *intro* vocat, *ἐντὸς ἐϋσταθέος μεγάροιο* eique dat mensam et sellam *παρὰ λάινον οὐδόν*, ubi

1) Naberus commendavit *πρὸς θόλον ὑψηλήν*.

Digitized by Google

sederet μετ' ἀνδράσι οἰνοποτάζων. Postquam eo concessit, Ctesippus eum petit bovis pede (vs. 298); caput declinat Ulysses et ictum τοῖχος excipit, qui τοῖχος hinc supra οὐδὸν fuerit necesse est. Si consedisset Ulysses in *ianuae* limine, non potuisset Ctesippus τοῖχον ferire, sed bovis pes aut valvas pulsavisset, aut extra μίγαρον evolavisset, si forte ianuam nactus esset apertam.

Hisce Gerlachii rationibus adversatur Helbigius de Homericis carminibus p. 70 not. 7 utiturque praecipue hoc argumento tale κρηπίδωμα in Homericis aedificiis fingi posse, non posse autem demonstrari. At Tirynthe in regia palam est talia κρηπιδώματα, λαΐνους οὐδούς olim fuisse et nunc superesse. Constabat enim parietum pars inferior, quae partim sub solo latebat, partim eminebat, — ex sectis lapidibus; pars superior ex lateribus, qui solis ardore cocti vel potius aëris siccitate arefacti erant. Iam habes τοῖχον et λάινον οὐδόν, κρηπίδωμα, parietem cum fundamento. Neque est cur credas neglectum fuisse olim quae materies superne, vel quae inferne fuisset adhibita, cum discrimen externa specie dissimularetur, nam erant sane omnia peraeque tectorio obducta, sed colorum ornamenta duplici serie lapidum et laterum diversitatem revocabant, cf. liber de Tirynthe p. 348.

Sunt igitur distinguenda tria οὐδῶν genera, quorum omnium vestigia Tirynthe reperta sunt. Ὀρσοθύρης autem rationem Hesychius, Photius et Magnus Etymologus simpliciter et vere explicant: θύρα ἐν ὕψει τοῦ τοίχου (Hes. Phot.), ἐφ' ἣν ἔδει ἀναβῆναι διὰ τινὸς κλίμακος (Etym. M.); alii autem, praesertim recentiores, docte quidem et copiose, sed confuse, ne dicam falso [1]). Huc pertinet quod obtinuimus λάινον οὐδὸν esse κρηπίδωμα recteque Gerlachius ὀρσοθύρην ianuam intelligit in parietis parte superiore vel latericia. Οὐδός (κρηπίδωμα) parietis simul erat οὐδός (limen) januae ἐν ὕψει τοῦ τοίχου, nec quemquam hoc latuisset, nisi in Odyssea locus, ubi de tali ianua sermo est, χ 126, grave mendum traxisset, ut ne Gerlachius quidem satis feliciter rem egerit. Etenim pro ἀκρότατον δὲ παρ' οὐδόν legendum videtur ἀκρότατον δ' ὑπὲρ οὐδόν, praeterea versus 127 et 128 διὰ μέσου positi sunt, explicat enim

1) Cur minus probem quae in diario: *The Journal of Hellenic Studies* VII. 1 protulerunt Middleto et Jebbius, lectoribus non obscurum erit.

Digitized by Google

poeta quid sit ὀρσοθύρη et vs. 129 τὴν Ὀδυσεύς legendum pro τὴν δ' Ὀδυσεύς. Itaque scribendum:

Ὀρσοθύρη δέ τις ἔσκεν ἐυδμήτῳ ἐνὶ τοίχῳ· —
ἀκρότατον δ' ὑπὲρ οὐδὸν ἐυσταθέος μεγάροιο
ἦν ὁδὸς ἐς λαύρην, σανίδες δ' ἔχον εὖ ἀραρυῖαι, —
τὴν Ὀδυσεὺς φράζεσθαι ἀνώγει δῖον ὑφορβόν,
ἑσταῶτ' ἄγχ' αὐτῆς· μία δ' οἴη γίγνετ' ἐφορμή.

Iam difficultatis nihil superest. Proci ab Ulysse, qui stabat cum sociis ἐν τῷ μεγάλῳ οὐδῷ, i. e. ἐν τῷ μελίνῳ, intra μέγαρον retinebantur, ut recta via inde egredi et per πρόδομον, αἴθουσαν δώματος αὐλὴν et πρόθυρον nullo modo aufugere possent. Poterant tamen sese periculo surripere ambage, quae ducebat eodem. Erat in μεγάρου pariete a latere ianua de eo ianuarum genere quae ὀρσοθύραι vocabantur eaque ducebat per λαύρην, per στόμα λαύρης (vs. 136) et αὐλήν ad αὐλῆς θύρετρα sive πρόθυρον. Per illam ὀρσοθύρην Agelaus unum aliquem ereptare iubet, qui populum advocet ad auxilium ferendum. Dissuadet Melanthius, quod καλὰ αὐλῆς θύρετρα αἰνῶς ἄγχι essent — itaque facile ab adversariis claudi potuerant — et quod στόμα λαύρης esset ἀργαλέον καί χ' εἷς πάντας ἐρύκοι ἀνήρ, ὅς' ἄλκιμος εἴη. Per eandem ὀρσοθύρην vs. 333 Terpiades parat confugere ad Iovis aram, quae ἐν αὐλῇ erat. Hanc igitur Ulysses Eumaeum iubet observare, stantem ἐν οὐδῷ, qua hic τῇ ὀρσοθύρῃ esset proximus: haec enim solummodo via etiamnunc patebat: μία δ' οἴη γίγνετ' ἐφορμή. Itaque si qui per ὀρσοθύρην eniterentur, Eumaeus μέγαν οὐδὸν deserere debebat, ut adversarium ἐν στόματι λαύρης contineret. Metuebat enim Ulysses, ut videtur, non adeo ne foras quis erumperet — curarat enim claudendas τῆς αὐλῆς θύρας, Φ 240 et 288 sqq., sed ne forte in ianuae limine pugnantes a tergo circumvenirentur.

Quam vere haec omnia disputata sint, Tirynthia rudera declarabunt. Aderat Tirynthe secundaria via per λαύρην et λαύρης στόμα, aderat ibi itidem ara ἐν αὐλῇ. Hoc discrimen intererat — nec quisquam discrimen mirabitur [1]) — quod Tirynthe secundariae viae initium erat a prodomo, in Odyssea autem ab ipso

1) Aedificia, quae ad similem aedificandi normam exstructa sunt — quemadmodum Dorica templa et postea Gotica — nihilominus satis multum inter se saepe differunt.

Digitized by Google

μεγάρῳ et quidem per ὀρσοθύρην, cum Tirynthe ianua nihil peculiare haberet. Tirynthe ex prodomo poterant supplices confugere ad aram et per πρόθυρον erumpere eodem modo quo in Ulyssis regia ex ipso μεγάρῳ. Quod quo melius intelligatur, delineabo imaginem Ulyssis regiae, qualem eam partim certe fuisse cognovimus tum ex Homeri carminibus tum ex Tirynthiis ruderibus, asterisco autem indicatus locus est ubi in colle Tirynthio incipiebat λαύρη.



Οὐδός igitur, qui λάινος est υ 258, nominatur χ 127 οὐδὸς μεγάροιο. Erat lapidea substructio partim solo immissa, quae latericium parietem sustinebat. Si quis in pariete ianuam exstruere vellet, per quam commode exiri posset, non tantum latericii parietis sed etiam οὐδοῦ lapidei pars aliqua excidenda erat, ut ianua solo aequaretur. Quod facile intelligitur, erat ianua ὑπὲρ οὐδόν, nec tamen ὑπὲρ οὐδὸν ἀκρότατον. Eae ianuae tantum ὑπὲρ οὐδὸν ἀκρότατον erant, ad quas per scalas adscendebatur, cum οὐδὸς integer relictus esset nec nisi lateribus remotis locus pateret. Hae sunt quae ὀρσοθύραι dicebantur, quas incertum qua de causa interdum praetulerunt, sive quod λαύρη in solo paulo editiore exstructa erat, sive ne forte lapidibus aliquot exsectis, reliquorum compages infirmaretur.

Digitized by Google

Tertius locus est ubi λάινος οὐδὸς memoratur ψ 85, ubi Penelope relinquit ὑπερῷον suum et μέγαρον intrat ὑπερβᾶσα λάινον οὐδόν. Erant Tirynthe duae viae quae e thalamis, feminarum μεγάρῳ et κλίμακι εἰς ὑπερῷον ad virorum μέγαρον ducebant, quarum altera tota intra domum per λαύρας, altera ex parte sub divo per αὐλὴν eundem usum praebebat. Similiter duplex via fuisse videtur in regia Ulyssis. Veluti *exteriore* via, sub divo, Telemachus, χ 107, et deinceps Eumaeus cum Philoetio, χ 179, adierunt τῶν ὅπλων θάλαμον. Etenim constiterant cum Ulysse ἐν τῷ τοῦ μεγάρου μελίνῳ οὐδῷ, intra quod proci volutabantur. Itaque per prodomum pervenerunt ad αὐλὴν atque sic θάλαμον petierunt. Nec tamen Penelope ea via usa est, non enim superavit οὐδὸν μέλινον, sed λάινον οὐδόν. Sine dubio elegit viam aliquam interiorem eaque via, uti credibile est, Tirynthiae λαύρης instar, cingebat virorum μέγαρον et desinebat in ὀρσοθύρην, sicuti Tirynthia λαύρη in portam prodomi. Itaque Penelope per ὀρσοθύρην intravit μέγαρον; nempe hoc est illud: ὑπέρβη λάινον οὐδόν, ψ 88. Praeter hanc una tantum cogitari potest ianua, per quam μέγαρον intravit; fieri enim potest ut in insula Ithaca, aliter atque Tirynthe, non λαύρη utrumque μέγαρον disiungeret, sed quemadmodum Troiae (vide Schliemanni librum de Troia anni 1884 et de Tirynthe p. 254) sine ullo intervallo alterum ad alterum pertineret. Fac ianuam fuisse in communi pariete et iam habes quomodo Penelope μέγαρον potuerit intrare [1]). Intravit domum vel sic tamen supra λάινον οὐδὸν εὐ-

1) Rem planam facit figura infra posita:



Iebbius l. l. comprobare studet, Tirynthia rudera cum Homeri descriptionibus vix

Digitized by Google

εὐθὺς μέγαροιο, si ἄκρος fuit per *ὀρσοθύρην*, sin minus per communem ianuam. Plures autem ianuae in illo *μεγάρῳ* non fuerunt, nam si fuissent, per has proci evasissent neque Ulysses eos intra *μέγαρον* potuisset cohibere. Ὀρσοθύρην illam, *μίαν ἐφορμήν*, Ulysses Eumaeum custodire iussit. Si qua ianua ad feminarum *μέγαρον* pertinuit, cum caeteris ianuis clausa fuit, Φ 382. Quod autem attinet ad reliquos locos, ubi *λάινος οὐδός* memoratur, I 404, ι 80 et ρ 30, nihil certi de iis potest pronunciari.

Transeo ad *ῥῶγας*, de quibus nihil fidenter affirmari potest, est tamen, si quid video, probabilis suspicio. Ῥώξ *fissura* est, rima, foramen, altius quam latius: hoc verbi origo solum declarat. Ῥῶγες memorantur, ubi in pugna Ulyssis cum procis, χ 143, Melanthius dicitur *ἀναβαίνειν ἐς θαλάμους ἀνὰ ῥῶγας μεγάροιο*, ut arma ferat *ἐκ τοῦ τῶν ὅπλων θαλάμου*. Haud inepte Scholiasta *fenestras* intellexisse videtur: interpretatur enim *θυρίδας*. Quod enim supra vidimus, ianuae certe non fuerunt. Nihil esse potuerunt *ῥῶγες μεγάροιο*, nisi foramina quaedam in *μεγάροιο* parietibus, per quae, cuiuscumque tandem generis fuerint, unus aliquis evadere poterat, plures non poterant. Quaeritur quomodo Tirynthiae λαῦραι, quae multis ambagibus inter *μέγαρα* et cubicula se insinuabant, extrinsecus lumen acceperint, quod minime defuisse coniicimus, quum pavimentum coloribus ornatum fuerit, nec pavimentum tantum, sed verosimiliter parietes etiam (cf. libr. de Tirynthe p. 266). Noli metopas intelligere, quae coeli lumen exceperint: etenim hae illuminabant cubicula et feminarum *μέγαρον*, neque metopae esse potuerunt utrisque, quum *λαύραις* cum cubiculis et

---

posse comparari, sed argumenta, quibus utitur, si quid video, nec firmissima sunt, nec multum ad rem pertinent. Tota disputatio eo fere redit, ut demonstretur, feminarum *μέγαρον* in regia Ulixis non *iuxta* collocatum fuisse, sed *post μέγαρον* virorum. Ut caetera omittam, Iebbii multum interest, quod in *μεγάρῳ* feminarum exaudiri quaedam poterant, quae apud viros fiebant, p. 175. At non minus bene audiri haec potuerunt, si alterum *μέγαρον* a latere iuxta alterum collocatum fuerit, quam si alterum pone alterum fuerit, cum praesertim non necessario sumatur, *λαύρην* inter utramque domum fecisse intervallum. Nec Schliemannus, nec Dörpfeldius, nec quisquam alius facile crediderit, Tirynthiam rationem nihil plane distare ab Homeri descriptione. Nihil tamen impedit, quominus *λαύρην* inter *μέγαρα* fuisse credamus, quum Tirynthe praeter inferiorem parietis partem nihil supersit et pars superior fortasse foramina habuerit, per quae omne sonorum genus transire posset. Et statim videbimus Homericas *ῥῶγας* verosimiliter foramina fuisse.

Digitized by Google

μεγάροις paries communis fuerit. Scilicet ut λαῦραι haberent metopas, paries supra tectum μεγάρων et cubiculorum debebat eminere; contra ut cubicula haberent metopas, paries debebat eminere supra tectum τῶν λαυρῶν. Quocirca λαυρῶν pars quaedam, quum cingeret totum aedificium, coelesti lumine collustrari poterat, sed ea pars, quae se inter cubicula et μέγαρα insinuabat, non nisi illinc aliquid lucis poterat accipere. Itaque quemadmodum Tirynthe in magno muro Cyclopeo per exiguam fissuram, — nostris *schietgaten* simillimam — satis tenue lumen penetrare poterat in λαύρην (cf. libr. de Tirynthe p. 370), eodem modo licet suspicari in domo Tirynthia lucis quantum esset satis admissum fuisse in λαύρας per fissuras aliquot latiores, ῥῶγας dictas, quas architectus reliquisset in communibus parietibus μεγάρων, cubiculorum et λαυρῶν [1]). Ἀνὰ tales fissuras satis amplas in pariete superiore credimus adscendisse Melanthium. Hac via unus homo perrepere potuit, proci aufugere instantem necem non potuerunt. Sic perveniebatur ad λαύρας, quae, quod rudera ostendunt, ad θαλάμους ducebant; unde Melanthius reversus stans ipse extra μέγαρον ἐν τῇ λαύρῃ per easdem ῥῶγας procis arma tradere potuit.

---

1) Figura rem apertius declarabit:



Digitized by Google

DE TIBULLI ELEGIARUM STRUCTURA.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Pars altera [1]).

Elegia I. 5.

Ex difficilioribus quaestiunculis emersi iam in portu navigamus, sequitur enim elegia omnium paene perfectissima, cuius haec fuit occasio. Litigarunt acriter amantes, Tibullus abiit iratus facile discidium laturum se affirmans, at mox *gloria fortis* eum defecit et reditum parat, verum exclusus a puella, ut in elegia secunda, denuo ad dominam faciles aditus per carmina quaerit, cf. 2. 4. 19. Fingit carmen cantatum a se errante circa domum et limen amatae, ut docent vss. sub finem: *heu canimus frustra nec verbis victa patescit ianua, sed plena est percutienda manu* e. q. s.

In ipsa autem elegia fatetur culpam 1—4 ac punitioni se praebet quamvis acri, implorata venia propter fidem et officia quae praestitit in aegritudine puellae 9—18, quacum, quum convaluisset, dulcissimam vitam sibi finxerat ruri degendam, ubi illa administraret villulam et Messalam hospitem reciperet 19

1) Quum prioris partis vitiosa schedarum specimina corrigerem aeger et mente corporis dolore oppressa, factum est ut menda in iis remanserint putida duo, pag. 217 v. 16 et 226 v. 21, quae tu, lector benevole, corrigas reponendo balbuti re, et apostropha e, eademque opera p. 218 v. 22 deleas vv. *deque carminis inconcinnitate*.

Digitized by Google

—34. Sed spes vana fuit, temptavit frustra curas depellere vino et amoribus novis 35—46. Cur autem excluditur? Nempe nocuit ei dives amator adiutus a callida lena, cui dira omnia imprecatur poeta 47—58. Revocat puellam a praeceptis sagae et lucroso amore ad amicum pauperem sane sed constantem 59—66. Quamquam autem ianua nondum patescit, tamen minatur amatori diviti iam iam alium *quendam* ei successurum in Deliae amore, quo circa ironice hortatur ut sedulo fruatur tempore concesso dum in liquida nat ei linter aqua 67—76.

Est igitur carmen unum et simplex, in iis quoque partibus, quae alibi laxius inseri et prolixius tractari soleant, velut de vita rustica et de lena (cf. eleg. 2), egregie moderatum et concinnatum: alloquitur unam Deliam, si excipimus imprecationem lenae 49—58 et apostrophen divitis 69—76: absunt excursus, abest omnis ornatus qui scholam redoleat, nisi in 45 sq. ubi Deliae splendor comparatur cum caerula Thetide frenato pisce vecta quondam ad Pelea, quod tamen elegans distichon non equidem cum Gruppio a Tibullo abiudicaverim.

Quaeritur quis sit *quidam* ille in vs. 71, qui iam nunc in limine perstat et mox divitem expellet ex Deliae amore. R. Richterus (l. l. supra) negavit esse Tibullum et opinatur poetam cum mordaci quadam miserorum hominum hilaritate (Galgenhumor) monere divitem, a tertio ei periculum parari. Sed equidem assentior Baehrensio, iudicanti se ipsum indicasse Tibullum. Solus poeta est ea assiduitate in limine Deliae quae describitur in 72—74; non potest hilariter iocari in fine praesertim tristissimi carminis, nisi certus mox se denuo receptum iri, solebat enim semel iterumque exclusus et ludibrio habitus blando vultu recipi a puella et apparet ex sequentis elegiae initio eum revera denuo admissum esse. Denique ioci tristes et mordaces longe absunt ab indole Tibulli, neque in sequenti elegia, quam citavit Richterus, acerbe iocatur cum marito sed lepide et hilariter.

Elegia I. 6.

Luculenti carminis contemplatione paulisper refecti difficultatibus denuo circumvenimur haud paucis in elegia sexta. Argumentum carminis satis intricatum huc redit. Accusat Deliae

Digitized by Google

perfidiam cum erga se tum erga maritum; simul hunc ipsum vituperat quod puellam parum caute custodiverit et ab aliis amatoribus et a se quoque Tibullo; lepide ei proponit ut sibi potius tutelam uxoris committat, terrebit tunc iuvenes, qui puellam attrectare conabuntur, vaticinio Bellonae; at eadem dea Deliae quoque ipsi poenas minata est, has autem deprecatur poeta propter matrem sibi caram, et obsecrat puellam ut dehinc casta maneat mutuumque amorem ad senectutem servet.

Hanc autem materiam tam miram ac variam non ita digessit poeta ut dilucidum et planum inde carmen oriretur. Quater locum repetivit de furtivo amore eiusque dolis et fallaciis 9—14, 17—22, 25—32, 59—62. Se ipsum modo suspectum immo odiosum reddit marito 15 sq. 25 sqq., modo fidelem socium se offert in custodienda uxore 23 sq. 36 sqq. Remota leguntur quae videntur contigua neque separanda, velut v. 23 *at mihi si credas* et 37 *at mihi servandam credas*, iterumque v. 67 *sit modo casta doce* et 75 *nec sis casta metu*. Nec alia desunt quae displiceant criticis. Igitur videamus quid temptarint ut ista vitia corrigerent.

Offendit eos quam maxime repugnantia inter 15 sq. *at tu fallacis coniunx incaute puellae me quoque servato peccet ut illa minus* (h. e. mihi quoque fidem ne habeto) et 23 sq. 37 sq. *at mihi servandam credas* scil. puellam; quam repugnantiam tollere studuerunt coniecturis. Hartungius audacter et parum eleganter proposuit *me duce servato*; Riesius *nunc quoque servato*, at vero incautus coniux, qui adhuc neglexit custodiam uxoris, non invitari debet ut nunc quoque, sed ut nunc saltem eam servet. Verum his coniecturis obstat testimonium Ovidii, qui inter alia Tibulli quae citavit, libere quidem sed tamen ita ut mentem poetae nusquam immutaret, hoc quoque distichon sic reddidit Trist. 2. 447—59: *denique ab incauto nimium petit ille marito, se quoque uti servet peccet ut illa minus*. Huius testimonii non negligens contendit tamen Baehrensius Ovidianum *se* non indicare Tibullum sed maritum [1]) et idcirco in elegia nostra corrigendum esse *te quoque servato* quod interpretatur p. 77: „nicht

1) Notavit iam R. Richterus perperam Baehrensium in loco Ovidii *nimium* habuisse pro obiecto verbi *petit*.

Digitized by Google

„allein dein Weib sondern auch dich selbst bewache „und behüte, damit nicht ihre und ihrer Liebhaber Listen „dich hintergehen." Sed sensit ipse hanc versionem stare non posse nisi *servato* ambigue redderet per bewache und behüte; at vero aliud est *servare*, in custodia habere, *fallacem puellam*, ne te decipiat, aliud *servare* te ipsum ne decipiaris. Praeterea si uxorem servat prorsus supervacaneum est ut se quoque servet, illud sufficit ut tutus sit. Ipse aliquando conieci *mecum servato* (voc. spondaicum ut in 45), ut iam hic marito socium se offerat, aut credidi, *me quoque servato* vertendum esse „*me quoque* conservato amicum, qui opem tibi praestet in custodienda puella". Sed agnosco nullam istarum coniecturarum veritatis speciem prae se ferre eam, quae cogat etiam invitos.

Non magis probandum mihi videtur, quod L. Muellerus et Baehrensius eiectis distichis 21—24 sequentes versus 25—32 nullo intervallo coniunxerunt cum 17—20, quia scilicet in utroque loco ageretur de iisdem conviviis. Sed nihil minus verum est. Sunt hi loci dissimiles et re et constructione. In 17—20 praecipitur marito ut sibi caveat a iuvenibus, contra in 25 sqq. plenus poenitentiae fatetur simul et excusat sua peccata, non hortatur ut se caveat maritum, sed petit ut de praeteritis sibi ignoscat; porro in illis sermo est de conviviis iuvenum frequentia celebratis, in his de coena simplici sine convivis praeter Tibullum, quid enim ad amorem expediret poetae inebriasse maritum, dum tamen aderant aemuli iuvenes protervi? neutri profecto, nec Tibullus nec iuvenes, passi essent se praesente maritum decipi ab altero. Igitur alia fuerunt convivia iuvenum, alia Tibulli. Prudenter idcirco poeta locos qui aliquam similitudinis speciem habebant, separavit distichis et iis quidem illo loco nequaquam ineptis. Etenim in priore praeter iuvenes alia citat quae marito sint cavenda, nempe exire puellam et visere bonam deam, in posteriore autem ad suam transit personam iocose affirmans, si sibi *credatur* (non *cedatur* ut coniecit L. Muellerus) puella, nimirum ut servili ministerio eam custodiat cf. 38, se vel ad aras usque comitaturum, nihil metuentem caecitatem qua affligi ferebantur viri, qui in conspectum dese venissent [1]).

1) Quum v. exclusi 21—24 alicubi inserendi essent, id alius aliter fecit. Muellerus

Digitized by Google

Ad v. 22 annotavit L. Muellerus: „apparet excidisse distichon, „cuius quidem initium haud dubie fuit particula *seu*, quae „responderet ei quam habeo v. 21." Consentit Baehrensius. Verum ad sententiam nihil deest, quoniam construendum est: *time quam saepe exibit* quovis alio scil. praetextu, *vel si dicet* e. q. s., cf. 2. 4. 43 *seu veniet mors*.

Video autem fuisse (Korn in mus. Rhen. vol. 19 sq.) cui versus de Bellona 43—56 displicerent eatenus, ut ab interpolatore additos esse crederet ad coniungenda reliqua 1—42 et 57—86, quae non eiusdem elegiae, sed diversarum fragmenta esse idem ille perhibuit. At satis superque iam ostendimus pleraque carmina Tibulli ornata vel onerata esse istiusmodi digressionibus, nec quisquam hoc ignorat in Tibullo vel mediocriter versatus [1]). Vera autem carminis vulnera hac divisione non sanantur. Nec magis ea sanavit, ac ne tetigit quidem Schneiderus, qui transpositionibus carmen dilaceravit hunc ordinem flagitans 1—14, 77—86, 73—76, 43—72, 14—42.

Examinatis aliorum opinionibus iam nunc dicam, quid mihi statuendum videatur de structura huius elegiae, et exponam qua via et ratione diversae carminis partes in mente poetae altera post alteram exstiterint et qua arte sint connexae. Membra autem carminis distinguenda sunt quatuor: 1—22, 23—38, 39—54, 55—86.

Primae partis ratio haec est. Certo comperit Deliam praeter se alium fovere amatorem ex iuvenibus; huius odio commotus hortatur coniugem, ut caveat uxorem eamque custodiat in conviviis, in via, in templo. Quum vero noverit virum incautum

---

locum iis dedit post v. 32 peperitque duplicem hiatum ante et post insertos versiculos: *ille ego cum instabat tota cui tua nocte canis — exibit quam saepe time seu visere dicet sacra deae — quid tenera tibi coniuge opus?*

Baehrensius misere divellit disticha de bona dea, quorum alterum, in quo *sacra deae* commemorantur, infersit post v. 16, remanente hiatu inter 22 et 17, alterum de *aris deae* et de poena caecitatis post v. 38, ut mea quidem sententia ingratissime excipiant sese disticha: *at mihi servandam credas: non saeva recuso verbera, detrecto non ego vincla pedum. at mihi si credas illam sequar unus ad aras, tunc* e. q. s. in quibus quae ratio sit alterius particulae adversativae non perspicio, neque sentio in his, quod Baehrensius appellavit den harmonisch sich entwickelnden Gedankengang und das Wirkungsvolle der Anaphora p. 79.

1) Cf. loci citati ad elegiam primam.

Digitized by Google

et blanda voce obtestantis puellae facile mitigatum istiusmodi calumniis aurem non praebiturum, nisi certissimo indicio uxor convincatur mendacii, ipse suos amores cum illa consulto fatetur. In parenthesi autem 9—14 se ipsum culpat, quod a se Delia didicerit fallendi artificia, quae describuntur loco communi Tibullo, vid. 2. 17 sqq., 8. 55 sqq.

In altera parte incuriosus illius quod modo dixerat, (certa sane de causa ut persuasionem faceret marito), a se quoque cavendum esse, petit a coniuge ut inter servos se assumat et sibi uxoris custodiam committat. Facit autem hoc bis, semel ab initio ita, ut tantummodo in adeunda bona dea se comitem offerat (qua repetita deae mentione extremum distichon prioris et primum alterius partis apte conectuntur), iterumque in fine, ubi nulla servitutis incommoda detrectare se simul affirmat: inter utramque autem rogationem, nimirum ne stultus et impudens rogare videatur, denuo, ut in prima parte sed longe alia de causa, ingenue confitetur quid percaverit atque veniam petit excusans vehementiam amoris nec minus ipsius mariti negligentiam et socordiam in tali muliere custodienda et colenda [1]).

Tertia pars carminis cum altera apte coniuncta est, nam ostendit in ea quam fortis custos sit futurus, cum absterrebit amatores vaticinio Bellonae; huius autem deae quam sit terribilis aspectus rhetorica parenthesi describitur. Deinde a tertia parte ad extremam sic transit ut eandem deam puellae quoque poenas minitatam esse dicat; at sequenti iam versiculo has poenas deprecatur matris illius gratia, in cuius laudibus praedicandis excurrit a v. 59—66. Tum bis idem rogat (cf. quae disputavi de secunda parte elegiae), ut casta sit: semel per matrem, *sit modo casta*, *doce* 67, iterumque ipsam addito hoc *nec saevo sis casta metu*, *sed mente fideli* 75, quo additamento simul praeparatur elegiae epilogus de misera senectute infidarum mulierum; inter utramque autem castitatis adhortationem sibi quoque duram hanc legem imponit, ne laudet aliam puellam neve quid peccet in amore, quin liceat Deliae miseris modis eum cruciare,

---

1) Sententiarum ordinem corrigi puto si v. 29 sq. non ante sed post v. 31 sq. leguntur, ut fateatur peccata in tribus distichis sequentibus 25—28 et 31 sq., et tum demum excusationes proferat in 29 sq. et 33—36.

Digitized by Google

quod patienter tolerabit nihil ipse manibus repulsans [1]). Ne autem finiatur elegia verbis male ominatis locum de perfidiae poenis clausit hoc voto: *haec aliis maledicta cadant: nos, Delia amoris exemplum cana simus uterque coma.*

Apparet poetam in singulis elegiae partibus non sine certa ratione esse versatum, habuisse cur in prima parte scriberet *me quoque servato*, cur in altera semel iterumque *mihi credas*, cur toties repeteret locum de dolis amantium 9 sqq. 17 sqq. 25 sqq. 59 sqq., compegisse satis callide diversorum membrorum quasi artus 22 sq. 38 sq. 54 sq., intexuisse non inepte hic illic ornamenta, quae sunt in deliciis, parentheses et apostrophas. At vero ut in omnibus elegiis, quae non unam sed variam et multiplicem materiam tractant, hic quoque non quidem defuit ingenium in singulis rebus inveniendis ornandis rotundandis, sed defuit consummata ars, quae callide inventa ita componit ac distribuit, aut si opus est immutat et circumcidit, ut quasi in corpore bene constituto et librato membra sibi apte respondeant nihilque addi aut demi possit commode.

Elegia I. 7.

Novimus ex fastis triumphalibus M. Valerium Messalam patronum Tibulli egisse triumphum de Aquitanis a. 27 a. C. n. die 25 m. Sept. Qui quum primum diem natalem post triumphum, quo ipso die olim victoriam reportaverat, celebraret, hoc carmine eum salutavit poeta.

Ut elegiam recte aestimemus, tenendum est non carmen laudatorium scripsisse Tibullum, sed ne festo die omnino sine dono ad amicum accederet, in memoriam revocasse notabilia quaedam facta Messalae [2]), nobilem triumphum, expeditiones militares, stratam viam Tusculam.

Proprium igitur elegiae argumentum continetur v. 1—22 et 49—64. Separantur hae partes digressione satis longa de Nilo

---

1) Sic reddere conatus sum vs. 73 sq., quamquam fateor distichon, si modo Tibullianum est, parum elegans esse et hoc loco parum idoneum. Legendumne post 56, ut inter poenas, quas Bellona Deliae dixit, haec quoque fuerit, ut pulsaretur ab amatoribus?

2) Cf. quae disputavit Baehrensius l. l. p. 14.

Digitized by Google

et Osiride, quem deum, quum eum invitet poeta ut genium concelebret, Messalam quoque, ex quo visitaverat Aegyptum, aliquo honore habuisse suspicor.

Quam autem Dissenus in exordio elegiae laudavit magnificentiam non equidem inveni. Nihil enim magnifici in eo est, opinor, quod Parcae trita imagine nataliciis Messalae praedixisse feruntur illius diei gravitatem et momentum, neque elegans est, nam vitiosam non dixerim, haec constructio: *cecinere diem hunc fore qui posset fundere gentes* i. e. nullo nisi hoc die fundi posse gentes, nec tandem inest in his versibus, ut oportuit, temporis victoriae indicium certum et disertum, quandoquidem dies natalis non semel occurrit sed quotannis redit.

Non quidem ignoro fuisse, qui huic loco per coniecturam succurrendum esse crederent et pro *diem* corrigerent *ducem* (N. Heinsius) vel *olim* (Baehrens.), sed, ut alia taceam, diei mentio apposita immo necessaria est in introitu, ut sciamus elegiam non celebrare ducem et victoriam, quod ut crederemus facile nos adducerent sqq. vv., sed diem natalem: hoc autem nisi primo versu essemus moniti, vix suspicaremur ante lectum v. 49 vel potius ante extremum distichon. Porro id improbandum videdetur in illis coniecturis, quod poetam in carmine, quod cantatum fingitur coram Messala (cf. v. 7. 9. 55. 59. 61), ante ipsius allocutionem indecore praeludentem faciunt de Messala tertia persona, quasi, coronae eum digito monstrans, *hunc*, inquiat, *cecinere ducem* e. q. s. Aliud Heynius commendavit, scil. ut legeretur *hoc die ... hoc fore:* ambigue, nam incertum est ad utrum verbum, *cecinere* an *fore*, pertineat temporis indicatio.

Hae correctiones omnes id spectant, ut *qui quem* in 3 et 4 intelligatur non *dies*, sed Messala. Quod si necesse sit equidem praeferam cum Lachmanno *hunc dare*, pro *fore*: „quo die ille nascebatur, cecinere Parcae: hic dies dat eum, qui poterit f. g., quem tremet Atax". Sed ut aperte dicam, non equidem desidero in quatuor primis vv. commemorationem ipsius Messalae: celebratur dies quo victoria reportata est, et quis reportaverit, audimus in sequentibus: „evenere quae Parcae cecinerant, pubes Romana „vidit triumphos et captos duces, at te, Messala, ornabant lauri, „portabat currus eburnus." Quamquam igitur haec recte se habent

Digitized by Google

nec quicquam corrigendum est, tamen iterum dico me nullam in his omnibus videre magnificentiam verborum aut sententiarum, quin immo friget et languet totum exordium.

Transitus ad itinera Messalae paratur noto illo versu *non sine me est tibi partus honos* [1]), in quo non tam vanam gloriolam culpandam esse aestimo, quam quaesitum leporem, quum hoc tantum voluerit, se comitem fuisse quum ille honorem adeptus est, quocirca testes citat loca in quibus cum Messala bellavit. Igitur enumerantur regiones quas in Oriente cum copiis ille peragravit, non tamen simul res gestae ducis, sed notabilia quaedam cuiusque regionis referuntur, memoratu digniora aut iucundiora poetae. Orationis forma in his est paene prosaica et ea quae conveniat locorum catalogo: *an canam .. quid referam ut .. ut .. ut .. qualis.* Versus nitidi et elegantes sequuntur demum in digressione de Osiride 26 sqq. Sentimus Tibullum a materia non quidem ingrata sed ab indole aliena et viribus minus idonea, a bellis scil. et itineribus, libenter rediisse ad locos sibi magis tritos et suetos de diis, de rure, de vino et amore, quos quoties tractare coepit nos allicit et devinctos tenet rerum et verborum suavitate et dulcedine.

Excursum de Osiride excipiunt vota nuncupata ad salutem Messalae, quae non recedunt a votorum simplicitate quibus ubicunque boni senes die natali celebrari solent: *tibi succrescat proles quae facta parentis augeat et circa stet veneranda senem.* Denique ex laudibus Messalae, quarum memoriam servabit posteritas, citatur via Latina, cuius partem prope Tusculum petitu et exemplo Augusti glarea et silice sternendam curaverat, opus per se inglorium, sed gratum agricolis et ideo fortasse prae aliis laudibus memoratum a poeta ruricola. Additur denique clausula de die natali multos celebrando per annos.

Dum igitur in materia versatur amico quidem animo suscepta, sed aliena et insolita, humi repit, nec vero diutius in ea commoratur quam flagitat officium; altius demum evolat quum argumentum repperit sibi proprium et idoneum. Transit ad hoc

---

1) Baehrensius non dubitat quin odiosam maculam sustulerit corrigendo *non sine Marte tibi partus honos*, libet tamen rogare num unquam *sine Marte* (unter ⟨manchen⟩ Kämpfen p. 13) honos triumphi partus sit.

Digitized by Google

quantum potuit gradatim, nam ad excursum de Osiride omnino sine saltu pervenire non potuit (v. 29). Excusatur haec digressio, si verum est quod posui, illud numen a Messala peculiari aliquo honore esse habitum, sin secus satis mira est invitatio in v. 49 [1]). Igitur in huius elegiae existimatione propius accedo ad opinionem Teuffelii qui poetam vituperat, quam Baehrensii qui in reluctantis materiae tractatione agnovit praestantem artem magistri l. l. p. 12. Languet poetae ingenium in tractando ipso carminis argumento, viget in excursionibus supra a me indicatis.

Elegia I. 8.

Octava elegia, quae tractat infelicem amorem quo flagrabat puer Marathus erga Pholoen, constat partibus duabus satis distinctis et epilogo.

In priore parte v. 1—26 poeta alloquitur puerum: in altera v. 26—66 puellam, cuius dura praecordia flectere conatur minis ac monitis, lacrimis denique et fletibus ipsius pueri, quem causam suam agentem inducit v. 55—66. In epilogo v. 67—78 post breve Marathi solacium iterum commonet Pholoen ne deorum vindictam suo sibi fastu contrahat.

Dulcissimum carmen longe plurimis interpretibus merito summopere placuit. Haeserunt tamen plerumque in iunctura primae partis et secundae, non quo offenderet transitio subita a pueri compellatione ad puellam — nam haec sane apostropharum repentina variatio mera Tibulliana est — sed quia est quod mireris adversativam orationis formam in v. 27 *nec tu difficilis puero tamen esse memento.* Quamquam autem non nego hanc sententiarum iuncturam addendam esse iis, quae licentius poeta tractaverit, nihilominus eius ratio non ita latet quin inveniri possit satis certo. Dum enim in secunda parte fruitur Marathus poetae patrocinio et solaciis, in hac priore contra et leniter vituperatur quod patronum celaverit suum amorem v. 1—8, et illuditur propter repentinum corporis cultum ac nitorem,

1) Ne cogamur v. 58 *sic venias hodierne*, atque honores turis libi mellis, genio vulgo tributos (cf. 2. 2. 3 sqq.), ad Osiridem trahere, necesse est, ni fallor, at apostrophen ad deum claudamus v. 50. Tum v. 51 sq. hortatur familiam Messalae ut ornent genium et hunc ipsum invitat v. 58 sq.

Digitized by Google

cuius tamen efficacia nulla est apud puellam mundam et simplicem v. 11—18, et ipsi denique imputatur infausti amoris causa et origo, quum non aliqua incantatione magicae mulieris in hos laqueos inciderit, sed ipse ludens cum puella nascenti amori imprudenter indulserit. Apparet igitur hanc esse adversativae particulae rationem: Quamquam nec de me bene meruit nec non propria sua culpa amore laborat, *ne* tu *tamen* ei difficilis sis, puella [1]).

Nihilo minus Baehrensio v. 27 post 26 tantopere displicuit (Tib. Bl. p. 84) ut sibi persuaserit intercidisse aliquot disticha, quae fortuito casu devenerint in mediam elegiam nonam, illinc enim huc migrare iussit v. 39—44. Quod quominus comprobari possit obstant tria. Primum quod versus traici nequeunt sine graviore verborum mutatione, nam pro vulgata *quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae: sit precor*, hanc substituit lectionem *quid faciam? sis ipse potens i. a. p., et precor.* Dein alter distichi versus, *et* (pro *sit*) *precor, exemplo sit levis illa tuo*, post priorem illum a Baehrensio correctum ineptus est quam potest maxime, si iustam eius veramque interpretationem tuemur, quae haec est: sit illa tuo exemplo levis erga te; etenim adversa fronte pugnat haec imprecatio cum praecedenti voto *sis potens* i. e. felix *in amore puellae.* Quod quum non fugerit Baehrensium verba sic vertit: „und möge wie du es gegen mich warst auch sie ihrem Manne ungetreu sein". Licenter et perperam. Primum enim nulla mariti fit mentio in tota elegia, porro, absonum est precari, ut ea levis sit erga maritum illum suppositicium, quam iam dudum levitatis culpam contraxisse docent tam vv. qui ex Baehrensii dispositione praecedunt 8. 25 sq., quam qui sequuntur 9. 41—44, hi enim una cum illis ab eo transponuntur in octavam.

Denique nihil valet haec transpositio ad explendum hiatum, cuius rei tamen causa commendatur. Nam nec levis est transitus a v. 8. 26 ad exclamationem *Quid faciam?* et longe

---

1) Discenus versum sic interpretatur: „etiam tu tamen ne auge malum ex altera parte", in quibus quum „malum" significare debeat spreti amoris dolorem, poetam subabsurde invitantem facit puellam ne ex altera parte augeat malum, cuius una et sola ex omni parte auctor est spernendo pueri amore.

Wieseras, qui seclusit v. 25 sq., incogitanter distichon sustulit, quod abesse nequeat.

Digitized by Google

durior profecto a compellatione Marathi in 9. 43 sq. *saepe insperanti venit tibi munere nostro et latuit clausas post adoperta fores* ad Deliae monitum *nec tu difficilis puero tamen esse memento.* Immo sic demum vitiosa est particula *tamen*, quum sententiarum ordo flagitaret hanc iuncturam: ut tunc ad insperantem saepe venisti, ita nunc ne sis difficilis.

Alter est locus, qui simili de causa negotia facessivit interpretibus. Putant enim post praeceptum Pholoae datum v. 33 *huic* (puero) *tu candentes umero suppone lacertos* perperam sic pergi *at Venus inveniet puero concumbere furtim*, et profecto si pro *at* corrigimus *ac*, ut nonnulli voluerunt, evanescit omnis causa cur hic versus et qui sequuntur usque ad v. 40 expellantur, ut temere suaserunt Heynius et Wisserus. Attamen qui me audiet nihil mutabit propter rationes in annotatione expositas [1]).

His quae alii reprehenderunt equidem hoc adicio, maiorem interpunctionem in fine v. 70 cedere debere minori, itaque ponantur duo puncta. Poeta ad finem usque alloquitur Deliam et a v. 69 sic pergit: „oderunt, Pholoe, fastidia divi: hoc te docet hic Marathus, qui quondam ipse ludebat amantes et nunc suo punitur exemplo."

Ceterum hic non magis quam in reliquis carminibus absunt munditiae Tibullianae quas novimus. Habemus locum de arte

---

1) In Tibulli elegiis *at* legitur fere 50ies nulla opt. ll. varietate, *ac* bis tantummodo in uno versu 1. 5. 72 *perstat .... ac crebro prospicit ac refugit.* Dubitatur bis, nam 1. 8. 63 Ambros. et Guelf. habent *ac* Vatic. *at*, ibidemque 87 exc. Paris. *at* reliqui *ac*. Nihilominus Baehrens. praeter hos duos locos alibi etiam contra librorum auctoritatem pro *at* supposuit *ac*: 1. 5. 30 *illa regat cunctos .... ac iuvet in tota me nihil esse domo* (ll. *adiuvet*). 10. 41 ipse suas *sectatur oves ac filius agnos* et nostro loco, quia videlicet in his omnibus nulla est antithesis. At vero eadem non magis invenitur in 1. 4. 18 *hic quia fortis adest audacia cepit: at illi .... stat pudor ante genas.* 7. 7. *pubes Romana triumphos vidit .... at te* (Messala) .... *portabat currus.* 9. 37 *quin etiam flebas: at ego .... tergebam usque genas.* 10. 15 et 25 *sed patrii servate lares .... at nobis aerata, lares, depellite tela.* 2. 5. 33 *at qua Velabri regio patet.* In his omnibus particula meram denotat transitionem ab altero ad alterum. Idcirco nihil mutandum videtur non tantum nostro loco (*tu ... at Venus*), sed etiam praeferendam censeo auctoritatem Vaticani in 3. 63 *floret terra, at invenum series ludit*, ubi transitio per *at* longe aptior quam additio per *ac*, et vel Parisini contra reliquos in 3. 87 *anus fabellas referat .... at pensis adfixa puella paulatim summo fessa remittat opus.* In 2. 5. 99 eadem de causa rectissime A. et. V. exhibent *at: pubes discumbit in herba .... at sibi quisque dapes extruet*, et miror mendosam Guelf. scripturam *aut* placuisse Baehrensio. Tibullus igitur *ac*

Digitized by Google

magica 19—22 (cf. 2. 43 sqq.) [1]) et locum de senili amatore 43—46 (cf. 2. 89 sqq.), utrumque sic illatum ut eximi possit nullo detrimento; loci autem de amore venali 29 sq. 39 sq. (cf. 2. 3. 35 sq. 4. 27 sq.) deque Veneris artificiis 57—60 (cf. 1. 2. 17 sqq. 6 pass.) et de amore iuvenili tempore colendo 41 sq. 47 sq. (cf. 1. 4. 27 sqq.) cum ipso argumento ea arte conglutinati sunt, ut carminis gratiam non leviter augeant.

His si addidero repetitionem eiusdem gnomae, odisse et punire deos amantium fastus, in 28. 69 sq. 75 sqq., apparebit elegiam a multis merito laudatam in eadem tamen incude formatam esse atque superiores.

Elegia I. 9.

Nonae elegiae causa et opportunitas haec fuit. Tibullus cum suspectam haberet Marathi fidem, eum semel iterumque monuit ne auro venderet blanditias 17—30, quam culpam quum puer denegaret solemni eius asseveratione et blandiloquiis delenitus est poeta et ad lacrimas usque commotus 31—38. Mox tamen comperit se derisui esse habitum a peierante puero, quocirca indignabundus et detestatur puerum 9—16, 39—52, 75—84, et invehitur in divitem, qui eum donis corrupit 53—74.

Versatur igitur poeta in re una et simplici, nec quemquam alloquitur nisi Marathum, si excipimus divitis reprehensionem in 53 sqq. Sunt tamen quae incongrua videantur, nisi memineris Tibullianae libertatis in carminibus componendis. Quum enim inceperit a vehementi exprobratione et minitatione propter pueri periurium 1—4 *a miser .... tacitis poena venit pedibus*, hoc

---

non nisi pro copula adhibuit idque uno tantum loco; praeterea semel legitur in Sulpiciae carm. 18. 2 *aeque ac*. Deest particula in Lygdamo et Panegyrico. Et ab *ac* non differt usus particulae *atque* ante consonantes et vocales mere copulativus: 1. 5. 34 *huic paret atque opulas gerat*. 49 *edat .. atque ore .. bibat*. 6. 58 *mater me monet atque iras vincit*. 7. 27 *canit atque miratur*. 2. 2. 8 *destillent tempora nardo atque unter sil*. 5. 73 *atque tubas atque arma ferunt*. 6. 6 *ure .. atque .. voca*. Proprium quendam locum occupat formula *atque aliquis* ad incohandum hexametrum imprimis facilis 1. 10. 23; 2. 1. 65; 4. 47.

1) Cum forma huius loci et anaphoris *cautus .... cautus .... cautus* compara parentheses in 1. 4. 17 sqq. 28 sqq. 9. 7—10.

Digitized by Google

statim retrahit et punitionem deprecatur v. 5: *parcite coelites*, nam omnes mortales lucri studio trahuntur. Nihilo minus paulo post denuo punitionem Marathi sperat et exspectat, at primum quidem levem 13 *iam mihi persolvet poenas*, dein vero longe severiorem in v. 39 sqq., tandem acerrimam 81 sqq. *at tua tum me poena iuvet* e. q. s.

De hac autem inconstantia ita iudicandum. Non incipit carmen a rerum et iniuriarum narratione, sed ut par est lyrico poetae ab exclamatione animi commoti et indignati, quacum reapse coniungitur gravis poenae praedictio. Quod autem has minas statim comprimit et revocat in eo non suae tantum indolis mansuetudini auscultat (cf. 1. 5. 5 *ure et torque ... parce tamen*, et 6. 55 sq.), sed communem amantium inconstantiam prodit, quam sic celebravit Propertius 2. 5. 11 *non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae .... quam facile irati verbo mutantur amantes*. Etiamsi autem duriorem punitionem initio flagitatam deprecatur, nihilominus non renuit, quominus irrita fiant munera quae puer acceperit, atque hic in damna incurrat quae ultro assequentur divitis satellitem: peribit in itineribus cum illo faciei, capillorum, reliqui corporis decor 11—16. Postquam igitur primi carminis indignatio aliquantum consopita est, incipit malorum enarratio. Repetit verba et preces quibus puerum suum olim admonuit, additque quae sibi ille responderit blande et flebiliter, falso eiurans culpam, et quantopere ipse tum fuerit commotus, 17—38. Hac autem recordatione fallaciae illius suaeque stultae credulitatis vulnus et ira nimirum recrudescit, itaque, incuriosus eorum quae in exordio erat deprecatus, novum aliquid quaerit quo ulcisci possit iniuriam sibi illatam (*quid faciam* 39), hoc autem statim invenit, nam meminit Marathum amare puellam: sit igitur illa levis erga hunc, ut hic levis fuit erga se, puniatur suo exemplo [1]). Poenitet poetam quod huic amori auc-

1) Sane, ut probo poetae inventionem in eo quod post narrationem de pueri falsitate nova ira et vindictae studio exardescit, ita v. 39 sq. quibus poenam implorat, satis sunt debiles, neque respondent nervosis illis et nitidis qui praecedunt et sequuntur: „In inopia versarer quomodo tantam tuam culpam ulciscerer, nisi" .... nisi quid? „nisi amares puellam, quae infidelitate sua tuam erga me compensare possit." Olet hoc potius ampullam scholarem quam ut referat sinceram animi commotionem. Sed nostrum quoque quandoque dormitasse iam vidimus. Eo tantum no-

Digitized by Google

tor olim et adiutor toties exstiterit, Vulcano devovet carmina quibus puerum puellae commendavit ipsumque detestatur et turpiter dimittit 39—52. Tum dignissime se convertit ad divitem, cui omnis haec debetur miseria: imprecatur illi similem punitionem ac paulo ante Maratho, sed verbis longe vehementioribus: sit uxor infida, impudica, pateat domus omnibus viris: immo iam est perversa, perdidicit libidinem a lasciva sorore: comit et ornat se non tibi, stulte, sed aliis, fugit senis amplexus 53—74. Hoc modo poeta sensim excandescens in fine carminis ita efferbuit iracundia, ut nihil supersit prioris lenitudinis, sed in Marathum quoque longe acrius quam antea invehatur et cum minis et detestatione eum repudiet 75—84.

Argumentum fusius exposui quo facilius redargueretur opinio Baehrensii, quem vidimus v. 39—44 hinc relegasse in octavam elegiam. Causas affert tres cur sic statuat: 1° ferri non posse illa disticha ante v. 45 sq. *nam poteram ad laqueos cautior esse tuos*, quum amores pueri cum puella Tibullo noti et probati nequeant appellari *laquei*, insidiae Tibullo positae. 2° *quid faciam* e. q. s. male cohaerere cum praecedentibus. 3° non convenire mentionem puellaris amoris Marathi in elegia, quae scripta est ut propter senilem amorem eum culpet.

His reponenda sunt haec: ad 1um. In v. 46 *laquei* non sunt intelligendi amores pueri cum puella, quos ipse Tibullus fovit et auxit carmine octavo, sed sunt doli et insidiae quibus puer veram animi sententiam celabat poetam hunc in modum: Tibullus ei opem ferebat in visitanda puella (41 sqq.), non temere, sed sperans fore ut maior inde sibi gratia amici redundaret [1]) utque hic praeter puellam (cui non invidebat) se solum amaret: hanc autem spem callidus puer, qui utilissima Tibulli opera in conveniendo Pholoe carere nolebat, sedulo nutriebat blanditiis et obtestationibus (31 sqq. 45), quae tamen meri erant laquei, quibus irretitus diu non sensit se decipi poeta, nam eodem tem-

---

hinc distichon non ineptum est, quod viam sternit ad vss. de officiosa sua sedulitate in suffragando amori pueri tam perversi et perfidi, qui vss. novum et aptum argumentum continent indignationis increscentis ad carminis exitum.

1) Hinc apparet amorem *puellarem* Marathi non displicuisse amatori Tibullo, ut opinari videtur Baehrens. II. p. 81 sq Wuste Tibull von des Knaben Leidenschaft etc.

Digitized by Google

pore munera ille ferebat ab amatore ditiore et liberaliore [1]).

Ad 2um. De verbis *quid faciam* iam satis disputavi in argumenti explicatione; et sane longe minus ea convenire post 8. 26 iam antea probavi.

Ad 3um. Negat B. locum de puellari amore 39—44 convenire in elegia, in qua Tibullo persuasum est, puerum se vendidisse seni diviti (39—44 passt überhaupt nicht in diese Elegie, in der Tibull des sichren Glaubens lebt, sein Knabe habe sich einem reichen Greise verkauft). Quidni convenit? Sed hoc totum cohaeret cum opinione praeiudicata quam Baehrensius, partim Gruppi vestigia premens, sibi informavit de causis et temporibus elegiae octavae et nonae, quae opinio quam nulla non ex parte improbabilis sit, ut brevissime potero demonstrabo.

Putat ille primum cum Gruppio l.l. p. 80 sqq. nonam elegiam compositam esse ante octavam, dein Marathi consuetudinem cum divite amatore, in qua re pingenda et castiganda versatur carmen nonum, merum fuisse commentum suspicacis poetae nulla veritate nixum: sentiebat quidem rectissime, iuxta se aliam amari personam, sed dum opinabatur rivalem, quem frequentabat puer, esse divitem illum, hic revera visitabat puellam. Ex hoc autem errore putat natam esse elegiam nonam felle et amaritudine plenam, postquam vero comperisset Tibullus verum rerum statum, amari puellam, iram consedisse et scripsisse eum octavam, qua puerum consolatur et commendat.

Sed haec omnia partim per se improbabilia sunt, partim pugnant cum utriusque carminis argumento et indole.

Primum hoc probabile non est Tibullum, quem „ipsa Venus" perdocuerat dignoscere occulti amoris indicia (8. 5), diu in errore fuisse utrum puer, satis sibi notus et observatus, deperiret languido puellae desiderio, an lucri studio ductus (9. 7. 17 etc.) se coli et ambiri pateretur a sene podagroso (9. 73). Sed fac Tibullum invidia caecatum tam stulte erravisse, unde ille error nasci potuit, nisi in eadem domo, quam frequentabat Marathus ad visendam Pholoen, etiam habitaret ille dives? At

1) Haec interpretatio sine dubio unice iusta et vera est. Alioqui suaderem ut 45 sq. legeretur post v. 88, ut *laquei* essent falsae lacrimae et periurium.

Digitized by Google

dives ille uxorem habebat lautam, comptam, nitidam auro et purpura, deditam iuveni cuidam, pro quo devovebat remque domumque mariti (9. 65—72). Hanc autem uxorem et Pholoen unam eandemque fuisse personam, ut quidam temere suspicati sunt, ne Baehrensius quidem affirmare ausus est. Itaque in domo puellae (nam huius tantum domum visitabat puer 8. 59. 76, 9. 41 sqq., dum de senis aedibus, in quibus regnabat scilicet superba illa uxor, nulla fit mentio) seni locus non est, et idcirco evanescit omnis erroris ratio probabilis Tibulli [1]).

Sed videamus ipsa carmina. Ullumne invenitur indicium in octavo, compositum esse postquam iam aliquamdiu mutuos inter se amores miscuerant puer et puella clam Tibullo? ullumne indicium, scriptum esse carmen a poeta anxio errore nuper feliciter liberato? vituperatne puerum quod hic, toties a se exagitatus ob senilem, ut putabat, necessitudinem, non statim se veritatem edocuerit? gaudetne se meliora nunc nosse? num excusat falsam suspicionem aut eius causam explanat?

Nihil horum legimus, sed contraria omnia. Apparet scriptam esse elegiam, quum amor Marathi adhuc novus esset et recens ortus; miscuerat quidem cum meritricula, multis scilicet amata,

1) De hac quaestionis parte vaga et incerta habet B. p. 83: »In dem thatsächlichen Verhältniss, das diesen Liedern offenbar zu Grunde liegt (et in hoc quidem viro doctissimo prorsus assentior), mag der Verlauf der Geschichte der gewesen sein, dass Tibull aus des Marathus Verweilen in dem Hause der Geliebten (haec ego distincte exprimenda euravi) Verdacht schöpfte, aber von Angst und Eifersucht geplagt auf falsche Bahn geleitet wurde (scil. senem aliquem amari in domo puellae). Dass die puella, mit welcher der Knabe offenbar schon Gelegenheit gefunden hatte, intimeren Umgang zu pflegen (vergl. 25 f.), gerade die in 9. 54—74 geschilderte Frau des Alten ist, auf den T.'s falscher Verdacht gefallen war, hat man aus Ausdrücken wie *canus amator* 8. 29 (cf. 32. 50) vermuthet; etwas zweifelhaft wird dies aber bei Vergleichung van 8. 15 sq. mit 9. 66—72. Doch wie dem sei: Tibull ist hinter das richtige Sachverhältniss gekomen; und damit ist zugleich sein Zorn geschwunden" e. q. s.

Extremum illud non leviter dubitandum fuerat, sed fortiter negandum, nam prorsus dissimiles sunt puella et uxor in his carminibus. Altera, mulieri splendidae et luxuriosae summo, ut par est, habetur dedecori quod extra conubium amores colit cum iuvene 9. 71. Altera contra est meretricula non splendida, sed simplex munditiis, ut ait Horatius, 8. 15 sq., nullum certum habet maritum, sed, nisi amatores tenet, sola dormit 47; pro vitae condicione qua utitur, frui debet florida aetate 47, in nullos dura esse nisi in senes, at vel ab his munera poscere 50. 39; etiam diis est odiosa nec prosunt meritricia pietas et sacrificia, si fastidiosa est erga amantem; poena eam manet si superba est in amore 69—78.

Digitized by Google

incautos quosdam amplexus (25 sq.), sed multum aberat, ut iam certos ad eam aditus haberet: eam nondum sibi conciliavit, sed etiam nunc conciliare sibi studet cultu corporis et ornatu (11 sqq.): non narrat (in v. 55 sqq.) quo pacto furtivae Veneris ope et fallaciis iam ad puellam penetraverit, sed qua ratione facturus hoc sit, si illa modo velit: denique ipse Tibullus in Marathi gratiam suam adhibet operam apud puellam, non ut redintegret amorem simultate interruptam, sed ut levem puellam et fastidiosam, quae munera vel cani amatoris anteponit ingenui iuvenis illecebris, frangat et immutet ac cum puero consociet.

Quod autem ad scribentis animum attinet, nullum in hoc carmine inest acceptae iniuriae alicuius vituperium, nullum vestigium taedii aut doloris per puerum sibi illati, nulla recordatio ineptae suspicionis et miseri erroris, immo tota elegia, post levem reprehensionem ab initio de taciturnitate Marathi, insignis est mira dulcedine proditque benevolam erga puerum voluntatem ne umbra quidem ulla simultatis obscuratam. Quin etiam ubi indicat, Marathum iam aliquando lusisse amantes, id non s u a experientia, sed a l i o r u m tantum fama sibi notum esse dicit v. 73 *saepe etiam lacrimas f e r t u r risisse dolentis et cupidum ficta detinuisse mora*. Non ita scripsisset Tibullus, si paulo ante laesus fuisset tam acri, ut credebat, iniuria, quam in nono carmine descripsit.

Ab altera parte in n o n a elegia, quam ficticios dolores et angores continere putat B., nulla dubitatio de culpa pueri, nulla haesitatio, num fortasse falsa suspicione in errorem induci se passus sit, sed summa certitudo: violavit foedera puer (1 sq.), est captus muneribus divitis (11 sq.), quocum iter ingressurus est (13 sqq.), accubuit seni (75 sq.). Notus est non tantum amator ipse, sed tota eius domus, uxor et soror, et vitae genus in aperto est. Regnant per totum carmen sincera indignatio et iracundia, non ortae ex imaginaria iniuria, sed quae veritatis notam in fronte gerunt indubitabilem.

Praeter ea quae attigi, nihil fere carmen continet quod non magnopere placeat. Non desunt quidem repetitiones eorundem locorum (de amore venali 11, 17, 31, 51, 77 et de pueri poena 4, 13, 19, 51, 79), sed hi ita oboriuntur ex argumenti tractatione

Digitized by Google

et tam bene conglutinati sunt cum reliquis, ut displiceat aut abesse queat nullus. Etiam locus communis de lucro (v. 7—10) in hoc carmine non ornamenti instar est, sed necessariam pueri excusationem continet. Tum, quod longius digreditur de divitis uxoris sorore impudica, nihil est in carmine quod magis prodat genuinum odium certae alicuius personae ac sincerum vindictae studium, quam hi versus, quibus toti illius familiae nota turpitudinis flagrantissima inuritur.

Scholasticam disciplinam redolent tantum disticha 21 sq. *ure meum potius flamma caput et pete ferro* cett., 33 sq. *non tibi si pretium Campania terra daretur*, 61 sq. *illam saepe ferunt convivia ducere Baccho, dum rota Luciferi provocet orta diem.* Huiusmodi flosculi, qui abundant in Propertio et Ovidio, satis rari sunt in Tibullo.

Tota igitur elegia propter naturalem vigorem ex optimis est quas poeta nobis reliquit, ac miror nuper denuo fuisse qui revera crederet, hoc carmen non esse conditum Musis cogentibus et iubentibus, h. e. a poeta qui, divina canendi facultate praeditus, animi condicione coactus per rhythmos numerosque effunderet, quae ipse magno cum dolore et cordis commotione — ut sunt illorum pectora tenera ac mollia — in vita erat expertus, sed factum esse ab artifice, qui ingeniosa meditatione commentatus esset historiolam, ex eis quae aliquando fando audiverat aut legerat [1]). Spirat cum haec elegia tum reliquae omnes de Delia et Maratho iuvenilis animi affectus non fucatos, non voluntate provocatos aut imaginarios, sed genuinos et praesentes, natos ex ipsarum rerum quas perpessus est asperitate aut laetitia.

Elegia I. 10.

Brevis esse potero de decima elegia. Legitur extrema libri primi, sed, ut res ipsae declarant, composita est omnium prima. Nihilominus habemus in ea iam totum, quem cognovi-

1) K. P. Schulze in Nov. Ann. 1885 p. 863 annot. „vielleicht sogar sind die Gedichte auf Marathus .... nichts weiter als Spiele der Phanthasie." Gaudeo Baehrens. expressis verbis agnovisse „(ein) thatsächliches Verhältniss, das diesen Liedern offenbar zu Grunde liegt" p. 83.

Digitized by Google

mus Tibullum, poetam elegantem, sermone utentem simplici sed nitido et perspicuo, bene culto et sonoro [1]), ornantem carmina digressionibus magis minusve argumento appositis sed per se suavibus plerumque.

In hac igitur elegia, quae nunc versus continet 68 — sed interciderunt olim disticha post v. 25 et 50 —, ad rem ipsam, quae agitur, proprie non pertinent nisi versus paulo amplius triginta 1—16, 25—34, 39—45, 67 sq. Videlicet in bellum profecturus (v. 14 *nunc ad bella trahor*) detestatur arma et caedes, quorum infaustam originem attribuit eidem vitio, cui in aliis carminibus amantium perfidiam deberi semel iterumque coarguit, *diviti* scilicet *auro* v. 7, ac dolet quod non natus sit felici illo aevo, quo arma nondum noverant mortales. Implorat Lares, ut se incolumem ex bello reducant vovetque iis porci hostiam e plena hara. Si autem redierit, aliis iam bella relinquet ruriique ipse vitam deget beatam, dum Pax arva colit, quam precatur ut veniat seque beneficiis locupletet.

Hanc dulcem et simplicem materiam illustravit episodiis tribus: v. 17—24 de antiqua cultus numinumque simplicitate et de morum probitate, v. 35—42 de inferorum sterilitate et miseria, cui opponitur vitae rusticae laetitia, v. 45—67 de deliciis pacis peractae in agris per vinum et amorem. Horum episodion extremum et est pulcherrimum et cum ipso argumento aptissime coaluit, primum vero et alterum laxius inserta sunt; et primo quidem episodio ansam praebuit Larium commemoratio (vide quae supra scripsi ad 1. 38), alterum vero pendet ex mentione belli mortisque praematurae. Haec autem esse episodia, inde maxime apparet, quod postmodo locus, a quo deflexit, denuo resumendus est, unde ante et post digressiones oriuntur repetitiones sententiarum similium aut fere similium [2]), comparetur v. 15 *sed patrii servate lares* cum v. 26 *at nobis aerata, lares, depellite tela*, et v. 29 *sic placeam vobis* sqq. cum v. 43 *sic ego sim licetque* sqq., denique v. 45 *interea Pax arva colat* cum extremo disticho *at nobis Pax alma veni*. In hac unius distichi clausula hoc observandum est, numquam Tibullum car-

1) Praestat hac in re Propertio, ut caesurae quoque diversitate.
2) Vide quae a me exposita sunt in priore parte p. 220.

Digitized by Google

men finivisse in digressione, sed semper per versus duos vel paulo plures rediisse ad ipsum carminis argumentum et plerumque quidem ad suam ipsius personam, ut docent clausulae in 1. 75—78, 2. 97 sq., 4. 81—84, 6. 85 sq., 7. 63 sq. [1]).

(*Continuabitur*).

1) In el. 3 iam inde a v. 83 rediit ad propositum argumentum, in el. 5 omnino non deflexit, pariterque absunt episodia a posteriore parte elegiarum 8 et 9.

HORATIUS.

Epod. 2, 37: *Quis non malarum, quas* AMOR *curas habet,*
Haec inter obliviscitur?

Nemo adhuc satis intellexit unde tam subito amoris feneratori veniat in mentem, neque qualem cogitet amorem inter omnes constat; tamen quod Lucianus Mueller in editione, quam cum commentario paravit, scripsit *ager* mihi non placet, propterea quod minime cum totius carminis argumento nihil nisi rusticae voluptates vitae expromentis congruit.

Eadem quae huius carminis, sextae satirae Lib. II est sententia, qua poeta ipse magnis curis et molestiis, quas vita affert urbana, descriptis, rusticae maximum vitae desiderium exprimit, velut 60 sqq.:

O rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae.

Eodem spectant Epist. II, 2, 65 sq.:

Praeter cetera me Romaene poemata censes
Scribere posse inter tot curas totque labores?

Idem Alfio accidit speranti se ruri curarum, quibus in urbe afficiatur, oblivionem inventurum esse.

Ni fallor AMOR ortum est ex ROMA, et Horatius scripsit:

Quis non malarum, Roma quas curas habet,
Haec inter obliviscitur.

P. J. SCRINERIUS.

Digitized by Google

EURIPIDEA.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Nuper, cum Scholarum in usum Euripidis Medeam illustrarem, hic illic critices medicinam afferre conatus sum, si quid corruptum videbatur. Ex meis coniecturis tres lectoribus Mnemosynes proponere in animo est.

MEDEA vs. 109.

τί ποτ' ἐργάσεται
μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος
ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσιν.

Legendum puto δυσκαταπαύστοις (κακοῖσιν). Quamquam enim δυσκατάπαυστος ψυχὴ de Medeae animo dici posse haud negaverim, rectius tamen et elegantius dictum mihi videtur δυσκαταπαύστοις. Elegantius quia in vulgata lectione κακοῖσιν adiectivo destitutum est, at duplici gaudet epitheto substantivum ψυχή (nec talis inconcinnitatis prorsus neglegens existimandus est Euripides) rectius vero quod quae ψυχὴ sit μεγαλόσπλαγχνος, eam δυσκατάπαυστον esse necesse est. Est enim μεγαλόσπλαγχνος fere idem quod alias solet dici μεγάθυμος sive μεγαλόφρων: sic e. g. θρασύσπλαγχνος dicit Euripides Hipp. 424, eodem sensu quo Pindarus θρασυμήδης et Homerus θρασυκάρδιος; parum autem interesse inter σπλάγχνον et cetera omnia quibus poetae pectus et animum indicare soleant docet quoque Medeae vs. 220

„ὅστις πρὶν ἀνδρὸς σπλάγχνον ἐκμαθεῖν σαφῶς."

Itaque, si Medeae animus μεγαλόσπλαγχνος i. e. „superbus, vix

Digitized by Google

coercendus" dicitur, fere abundat alterum adiectivum. — Accedit vero, quod non a minima quaque calamitate timet aliquid nutrix, ut nunc (si sana sit vulgata lectio) timere videtur, verum hoc ipsum terrore eam commovet, quod eiusmodi malis torqueatur regina, quae finem habitura non sint, et inde gravius quid mox commissuram Medeam, iam ei fit verisimile. Etenim, ut ait ipsa Medea in Senecae tragoedia (versus est 155)

Levis est dolor qui capere consilium potest,
Et clepere sese: *magna non latitant mala.*

Cum autem *magna* illa mala sint a quibus maxime timeat nutrix, *δυσκαταπαύστοις* nostro loco aptissimum videtur. Quocum conferri potest *δυσκατάπαυστον ἄλγος* in Aesch. Choeph. 407.

Vs. 125 sqq. ita leguntur in Codd. plerisque:

τῶν γὰρ μετρίων πρῶτα μὲν εἰπεῖν
τοὔνομα νικᾷ, χρῆσθαί τε μακρῷ
λῷστα βροτοῖσιν· τὰ δ' ὑπερβάλλοντ'
οὐδένα καιρὸν δύναται θνητοῖς,
μείζους δ' ἄτας, ὅταν ὀργισθῇ
δαίμων, οἴκοις ἀπέδωκεν.

Versu 128 verba *οὐδένα καιρὸν δύναται* corrupta esse editores tantum non omnes concedunt. Coniecturas vero proferre, quibus viri docti versui laboranti subvenire conati sunt, longum est. De vulgata Naucki verba audire satis est — in *Stud. Eur.* I. 111 — quo loco varias editorum interpretationes percenset, et addit: „Wenn die heutigen Philologen in ihren Erklärungen so weit aus einander gehen, und so hin und her rathen, was Eur. hier eigentlich gemeint habe, so wird das Attische Publikum wohl eben so wenig im Stande gewesen sein die Stelle zu verstehen." Recte haec quidem dixit vir clarissimus, at quod ipse coniecit „*οὐδὲν ἐπαρκεῖν*" audax est coniectura neque quae sensui conveniat. Videamus enim quid propemodum dixerit chorus: „Omnis fortuna, quae iustum egreditur modum *debilis* est et *fugax*: cum vero, divina exardescente ira, immutatur mortalium fortuna, *τὰ ὑπερβάλλοντα* in maiorem etiam miseriam detrudere solent hominem quam *τὰ μέτρια*". Haec fere dixisse choreutas testis est scholiasta, ita versum explicans: „*αἱ δὲ ὑπερβολαὶ ἀσθενεῖς εἰσι καὶ οὐ βέβαιοι*" quae verba genuinam nobis lec-

Digitized by Google

tionem afferre possunt. Ut enim dicitur *μέγα, μεῖζον, οὐδέν, τὶ δύνασθαι (σθένειν, ἰσχύειν)* ita nostro loco poetam dixisse putaverim

οὐδὲν βέβαιον δύναται θνητοῖς

i. e. *οὐ βέβαιον ἔχει δύναμιν*, quod idem *Hel.* v. 715 dicitur de ignavi hominis sorte: *ὁ δ' οὐ πονήσας αὖθις ὄλλυται κακῶς, βέβαιον οὐδὲν τῆς ἀεὶ τύχης ἔχων.*

Si quis autem negaverit in anapaesticis corripi penultimam vocis *βέβαιον*, moneo talis correptionis in tragoedia haud ita pauca exempla extare:

γεραιός: EUR. *Hipp.* 171 *ἀλλ' ἥδε τροφὸς γεραιὰ πρὸ θυρῶν.* — *Hecub.* 64 *γεραιᾶς χειρὸς προσλαζύμεναι. Phoen.* 1718 *πόθι γεραιὸν ἴχνος τίθημι.* — *Herc. f.* 446 *πόσιν ἔλκουσαν τέκνα καὶ γεραιόν.* (cf. *Herc. f.* 900).

δείλαιος: SOPH. *Ant.* 1310. *δείλαιος ἐγὼ, αἰαῖ.* — EUR. *Suppl.* 278. *ἄντομαι ἀμφιπίτνουσα τὸ σὸν γόνυ καὶ χέρα δειλαία.* cf. ARISTOPH. *Plut.* 850. *Vesp.* 1150 etc.

παλαιός: EUR. El. 497 *παλαιόν τε θησαύρισμα Διονύσου τόδε.* Ubi Seidleri coniecturam *πολιὸν* minime fuisse necessariam ARISTOPHANIS verba in *Lysistrata* (vs. 988) testimonio sunt *„παλεόρ γα ναὶ τὸν Κάστορα ὥνθρωπος"* ex quibus apparet diphthongi correptionem sermone quotidiano adiuvari. Haec autem res ex inscriptionibus quoque constat. Satis notum est *δωρεά* et *δωρειά* occurrere in Atticorum monumentis, *γεραιὸς* et *γεραός*, *ποία* et *πόα*. (cf. ARIST. *Eqq.* 606 et EUR. *Cycl.* 332. et vide HERWERDENI librum de Lapid. testim. p. 10 sq.).

οιος correptum videmus EUR. *Andr.* 1074 *Πηλεῦ, τοιάσδε φασγάνων πληγὰς ἔχει. Med.* 626 *γαμεῖς τοιοῦτον ὥστε σ' ἀρνεῖσθαι γάμον.* Quibus adde ARISTOPH. *Vesp.* 1369. *Eqq.* 480 cett.

Vs. 345.

οἴκτειρε δ' αὐτούς· καί σύ τοι παίδων πατὴρ
πέφυκας· εἰκὸς δ' ἐστὶν εὔνοιάν σ' ἔχειν.

Hisce versibus et eis qui praecedunt Medea, submisso et leni sermone, a Creonte rogat ne pueros expellat Corintho. „At miserere eorum" exclamat, „etenim tu ipse pater es liberorum, quo magis benevolentiam praestare te oportet". — Offendit autem auditorem, a Medea additum non esse *erga quos-*

Digitized by Google

nam benevolum regem esse velit; liberos enim indicari oportebat, nam ostendunt verba „καί σύ τοι παίδων πατήρ" in eorum gratiam regis misericordiam a matre implorari. Ut vero pronomen, quibus liberi indicentur, addatur nostro versui, levi tantum mutatione neque perdifficili opus est: deleta copula ἐστὶν (quod adest contra usum nostri poetae qui εἰκός, ὡς εἰκός, οἷον εἰκὸς nullo verbo addito solet dicere) in eius verbi locum substituamus pronomen, et εἰκὸς ΔΕΣΤΙΝ in ΔΕΣΦΙΝ mutemus, ut versus ita legatur

εἰκὸς δέ σφιν εὔνοιάν σ' ἔχειν.

Saepius vero hanc pronominis formam, licet haud infrequens fuerit in tragoedia, librariorum culpa excidisse locus in Euripidis Ione monet (v. 1028) qui vulgo editur

„καὶ σόν γε λήσεις πόσιν ἃ σε σπεύδει λαθεῖν."

Haec autem vix alio sensu accipi possunt quam hoc: „Tum vero (id est si Delphis privignus tuus fuerit necatus) tu in eis maritum tuum latebis, in quibus rebus ille ut te lateret operam dedit." Quae, quicunque locum perlegerit totum, huc non convenire mihi dabit. — Alterum, ni fallor, addere voluit argumentum paedagogus, quo persuaderet Creusae praestare caedem Ionis de qua agitur, Delphis quam Athenis committi. Quod cum paucis versibus supra iam monuisset senex, sic sibi placere confessa erat regina:

προλάζυμαι γοῦν τῷ χρόνῳ τῆς ἡδονῆς.

Respondisse illum dixerim: „Et accedit, quod hic facilius celantur omnia de quibus maritum tuum *a te celari opus est*." — Id ipsum vero versu quem citavi, dicentem habebimus senem, si modo verba ἃ σε σπεύδει quae corrupta videntur mutaverimus et legimus ἅσα σφε δεῖ, ut ita totus emendetur versus:

καὶ σόν γε λήσει πόσιν ἅσα σφε δεῖ λαθεῖν.

Pauca quaedam ex ceteris tragoediis Euripideis addam.

Andromache vs. 347.

γαμεῖ δὲ τίς νιν; ἤ σφ' ἄνανδρον ἐν δόμοις
χήραν καθέξεις πολιόν;

Si haec, ut eduntur, sincera sint, Andromache putet, ad illum diem victurum Menelaum, quo videat filiam Hermionen

Digitized by Google

„viduam viro orbatam" senescentem albis capillis. Non tamen Andromachen haec dicentem fecisse putandus est noster; versum enim corruptum esse alia quoque monent: primum χήρα ἄνανδρος admodum inelegans est iteratio, deinde κατέχειν (id est possidere) ut dici possit de rege sive de domino, quo modo dicitur in hac tragoedia (vs. 156) δόμους κατασχεῖν, οἶκον κατασχεῖν (198), vix tamen putaverim τὸν πατέρα κατέχειν τὴν θυγατέρα. — Maximum, opinor, in Hermionis vita hoc erit malum quod repudiata a Neoptolemo usque ad senectutem caelebs aetatem degat; quod dixisse coniicio Andromachen hisce verbis

ἢ σΦ' ἄνανδρον ἐν δόμοις
γῆρας καθέξει πολιόν.

Verbum κατέχειν enim in tali re saepissime occurrere (v. c. Od. 11. 497: οὔνεκά μιν γῆρας κατέχει χείρας τε πόδας τε) vix est quod moneam).

ALC. 330.

ἔσται τάδ', ἔσται· μὴ τρέσῃς, ἐπεί σ' ἐγὼ
καὶ ζῶσαν εἶχον καὶ θανοῦσ' ἐμὴ γυνὴ
μόνη κεκλήσει, κοὔτις ἀντὶ σοῦ ΠΟΤΕ
τόνδ' ἄνδρα νύμΦη Θεσσαλὶς προσΦθέγξεται.

Vulgata lectio, ni fallor, hoc significat: „Post te nulla alia mulier me unquam affabitur" τόνδ' ἄνδρα enim „me" significat, neque pronomen a substantivo separandum videtur. — Si autem Admetus uxorem moribundam hoc promisso voluisset firmare, sibi ne colloquium quidem unquam fore cum alia muliere, dicturus fuit: „nullam post te *Ego* virginem *affabor*." Verum non hoc est quod voluit Alcestis, quae vs. 300 satis disertis verbis dixit, id inprimis se optare ne unquam aliam *uxorem* duceret Admetus. Ad haec respondere regem demonstrant verba ἀντὶ σοῦ, et in sequentibus „ἄλις δὲ παίδων". Dicat igitur necesse est: „In tuum locum nulla alia mulier, quamvis sit opulenta et nobilis succedet." Quod aperte dicet (et elegantius quam si servata lectione vulgata τόνδε solum a verbo pendeat, et ἄνδρα pronomini additum esse appositionis loco putemus) cum mutaverimus ποτε in πόσιν.

„κοὔτις ἀντὶ σοῦ πόσιν
τόνδ' ἄνδρα νυμΦὴ Θεσσαλὶς προσΦθέγξεται.

Digitized by Google

„nulla mulier in tuum locum succedens me „maritum" salutabit" — cf. Alc. 1094.

„ὡς μήποτ' ἄνδρα τόνδε νυμφίον καλῶν."

Hecub. 620.

ὦ πλεῖστ' ἔχων κάλλιστα κεὐτεκνώτατε
Πρίαμε, γεραιά θ' ἥδ' ἐγὼ μήτηρ τέκνων
ὡς ἐς τὸ μηδὲν ἥκομεν ....

Non voluit, ni fallor, Hecuba de se ipsa dicere „et ego prisca mater liberorum, sed postquam maritum appellavit εὐτεκνώτατον, ipsam se horum liberorum dixit matrem. Quod persuasit mihi ut verba ΗΔΕΓΩ in ΗΔΕΣΩΝ mutarem et versum sic legendum esse conicerem:

γεραιά θ' ἥδε, σῶν μήτηρ τέκνων,

Hecub. 854.

καὶ βούλομαι θεῶν θ' εἵνεκ' ἀνόσιον ξένον
καὶ τοῦ δικαίου τήνδε σοι δοῦναι δίκην,
εἴ πως φανείη γ' ὥστε σοί τ' ἔχειν καλῶς
στρατῷ τε μὴ δόξαιμι Κασάνδρας χάριν
Θρῄκης ἄνακτι τόνδε βουλεῦσαι φόνον.

Sententiarum nexus postulare videtur, ut a verbis εἴ πως φανείη non solum pendeat ἔχειν verum etiam δοκεῖν. Quam ob rem ita versum 857 legendum putaverim

στρατῷ τε μὴ δόξαι με Κασάνδρας χάριν.

Hecub. 1187.

Ἀγάμεμνον, ἀνθρώποισιν οὐκ ἐχρῆν ποτε
τῶν πραγμάτων τὴν γλῶσσαν ἰσχύειν πλέον,
ἀλλ' εἴτε χρήστ' ἔδρασε, χρήστ' ἔδει λέγειν,
εἶτ' αὖ πονηρά, τοὺς λόγους εἶναι σαθρούς.

Versus 1189 ubi ἔδρασε caret subiecto (neque enim facile ex ἀνθρώποισι „τις" additur aut ἄνθρωπος) mihi ita restituendus videtur:

ἀλλ' εἴτ' ἔδρασαν χρηστὰ, χρήστ' ἔδει λέγειν.

Helene 923.

αἰσχρὸν τὰ μέν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι
τά τ' ὄντα καὶ μὴ, τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι.

Digitized by Google

τὰ μὴ ὄντα philosophi fortasse noverint, et περὶ τοῦ μὴ ὄντος philosophari Eleaticorum discipulis conveniat, vatidicos tamen non ea praedicere decet quae non fiunt, verum et quae sunt et *quae futura sunt*. Suspicor legendum esse

τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα, τὰ δὲ δίκαια μή.

Eo modo hoc saltem loco molesta repetitio in versu extremo sublata erit.

EPIGRAPHICA.

Bulletin de corresp. Hell. 1886, pag. 112 DURBACH edidit titulum Deliacum, cuius versus 12 sqq. sic habent:

διάγραμμα ἐχθεὶς (i. e. ἐκθεὶς) ὅπως οἱ πε-
....οντες τοὺς πολεμίους ὁρ-
[μηθῶσιν] ἐκ τῶν ἰδίων λιμένων, κτέ.

Scribit editor „Le sens n'est pas douteux: il s'agit de ceux qui „voudront faire la course sur les ennemis. Le verbe commence „par les lettres ΠΕΙ, qui sont probablement le reste de ΠΕΡΙ; „il manque au debut de la ligne suivante cinq ou six lettres. „Malgré ces données nous n'avons pu trouver un verbe qui fut „tout à fait satisfaisant."

Equidem dicere audeo nullum exstare verbum Graecum a περι incipiens, quod huc quadret. Si autem verum est primas litteras fuisse ΠΕΙ, quid quaeso aliud latere potest quam ΠΕΙΡΗ ΤΙΖΟΝΤΕΣ?

In eodem libro pag. 179 edita est inscriptio metrica, reperta in Acarnania, cuius versus nonus sq. ita scribuntur:

ΑΡΙΔΕ τέκνα λίπον Λυσιξένῳ ἠδὲ γονεῦσιν
ὀρφανὰ ταῦτα τρέφειν ματρὸς ἔρημα νέας sqq.

Editor COUSIN, qui eam petivit ex ephemeride Ἑλληνικὰ γράμματα a. 1860, litteras primas repraesentat voculis Ἄρ' ἴδε (sic), non monens ea sensu cassa esse. Nisi omnia me fallunt, prima littera in lapide non est Α sed Δ et duae huic praecedentes oblitteratae sunt; nam hic versus paullo est brevior quam reliqui hexametri omnes (1. 3. 5. 7. 11. 13. 15.). Lege et supple:

ΑΝ]ΔΡΙ ΔΕ τέκνα λίπον κτέ.

et nihil amplius desiderabis. H. v. H.

Digitized by Google

LIVIANA.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Liv. ed. Weissenborn. l. I ed. 8. curavit H. J. Müller.

Livius I. 21. § 6. *Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos, Numa tres et quadraginta. cum valida tum temperata et belli et pacis artibus erat civitas.*

Vereor ne vocabulum *cum* male sententiae sit obstrusum. *Cum — tum* solent colligare notiones etsi non inter se contrarias, attamen diversas. C. 22 § 2 legitur: *cum aetas viresque tum avita quoque gloria animum stimulabat.* Atqui *valida* et *temperata belli pacisque artibus* non sunt notiones eiusdem ordinis; *valida* est notio laxior, minus definita. Civitas enim bene temperata belli pacisque artibus valida est eo ipso, quod ita morata est. Fieri non potest, ut civitas ita temperata non sit valida. Cogitationum Livii hic tenor fuisse videtur: Romulus fuit bellator fortis, rei militaris peritus, Numa excelluit pacis artibus. Uterque pro sua virtute rem publicam Romanam auxit, firmavit. Post Numam igitur (*tum*) multum vigore pollebat civitas, quod belli pacisque artes aequa temperie ad eam condendam et stabiliendam contulerant. Quod Livius breviter et rhetorice ita enuntiat: *Valida tum, temperata et belli et pacis artibus, erat civitas.*

Liv. ed Weissenborn. VI—VIII. ed. 3. cur. H. J. Müller.

VII. 2. § 6. *vernaculis artificibus, quia ister tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum; qui non, sicut ante Fescennino versu similem inconpositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed* e. q. s.

Digitized by Google

Offendit in hac sententia adverbium *temere* insolenter positum inter duo vocabula quae coniunctione *ac* artissime coniunguntur. Affirmant interpretes *temere* referendum esse ad *iaciebant*. Weissenborn: „*temere* ist wie *alternis* mit *iaciebant* zu verbinden." Quod ut defendat, laudat l. I. 10. 5. (Romulus) *spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium escendit*. Exigua vero tantum similitudo inter utrumque locum obtinet. In hac nihil insoliti habet locus adverbii nisi quod post participium, cui attribuitur, collocatum est, ab eo tantum discretum duobus voculis significatione aptissime cum eo cohaerentibus; in illa adverbium non tantum duas notiones, quas disiungi non oportuit, separat, sed ipsum etiam tribus vocabulis suo verbo est diremtum. Quibus de causis legendum videtur aut: *Fescennino versu similem inconpositum ac rudem temere* (i. e. de improviso, non meditati) *alternis iaciebant*, aut *F. v. similem conpositum temere ac rudem alternis iaciebant*. Ad hanc lectionem defendendam aptissime et I. 10. 5. et XXXIII. 5. 9. afferri poterunt. Deinde quanquam non eadem constantia affirmare ausim veram esse lectionem *Fescennino versum similem*, pro *versu*, ea mihi quidem scriptura magis arridet et concinnior videtur.

VII. 4. § 2. *acerbitas in dilectu non damno modo civium sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis caesis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat.*

Weissenborn: „*damno — laceratione* freier gebrauch des Abl. = unter; *lata = perlata, tolerata*." Interpretatio nimis quaesita videtur; Livii manum fuisse suspicor: *acerbitas in dilectu non damno modo civiBUS sed etiam laceratione corporum ILlata . . . . invisa erat.*

VIII. 38. § 2. *castra in hostico incuriose ita posita, tamquam procul abesset hostis, cum subito advenere Samnitium legiones tanta ferocia, ut vallum usque ad stationem Romanam inferrent. nox iam appetebat; id prohibuit munimenta adoriri; nec dissimulabant orta luce postero die facturos.*

Samnitium legiones de improviso adsunt et magno impetu ad castra Romana contendunt. Appropinquante modo nocte prohibentur quominus Romanos extemplo adgrediantur. Abscedunt minantes se postridie esse reversuros. Haec, ni fallor, Livius narravit, idque his verbis: *advenere Samnitium legiones tanta*

Digitized by Google

ferocia, ut SIGNA *usque ad vallum et stationem Romanam inferrent.* Cf. X. 32: *Samnites virdum satis certa luce — ad stationem Romanam in porta segniter agentem vigilias perveniunt.*

Liv. ed. Weissenborn. l. IX—X ed. 4.

IX. 19. § 5. *Persas Indos aliasque si* QUAS *adiunxisset gentes, impedimentum maius quam auxilium traheret.* Vocabulum *quas* de meo addidi.

IX. c. 19. § 15. *absit invidia verbo, et bella civilia sileant; numquam ab equite hoste, numquam a pedite, numquam aperta acie, numquam aequis, utique numquam nostris locis laborabimus* (ita Heerwagen et Weissenborn, Mss. *laboravimus*); *equitem sagittas saltus inpeditos avia commeatibus loca gravis armis miles timere potest.*

Audiendus Madvigius et verba: *numquam ab equite hoste* delenda, ita tamen, ut *hoste* post *pedite* reponatur et legatur: *numquam a pedite hoste — — laborabimus.* Hoc pacto singulae sententiae partes accurate inter se respondebunt et trium notionum ordini alter totidem membrorum ordo opponetur:

a pedite hoste	*equitem sagittas*
aperta acie	*saltus inpeditos*
aequis, utique nostris locis	*avia commeatibus loca.*

(Quomodo *mille acies graviores* respondere possit verbis *a pedite*, quod contendit Weissenborn, non video). Quodsi scripsisset Livius: *numquam ab equite hoste, numquam a pedite*, satis absurdis usus esset ambagibus pro: *numquam ab ullo hoste;* miles Romanus est eximie *gravis armis miles*, cui, in antiquis quidem bellis, nihil planis locis formidolosius esset, quam equites expediti; neque neglegendum re vera exercitum Romanum semper a re equestri infirmiorem fuisse, neque tantum clades Parthicas sed etiam victorias Hannibalis, Cannensem ante omnes, magnam partem equitatui hostili deberi. Video Madvigium, cuius prius lectionem quam rationes cognoveram, ex parte eadem disserere. Cum vero adhuc usque ei non obtemperatum sit, non fortasse poenitebit lectorem ad summi viri sententiam revocari. Addit tamen non verisimile esse vocabulum: *hoste*, loco post *pedite* relicto, in priorem sententiae partem transmigrasse. Respondeo numquam interpolatorem, quem et ipse locum depravasse adfirmat, scrip-

Digitized by Google

turum fuisse *ab equite hoste*, si in libro suo vocem *hoste* non iam invenisset, sed nihil additurum fuisse, nisi *numquam ab equite*. Fortasse corruptela ex hac codicis archetypi interpolata scriptura orta est: *numquam a* equite *pedite hoste.*

IX. c. 24. § 2. *ceterum cum propter difficilem urbis situm nec oppugnandi satis certa ratio iniretur, et aut tempore longinqua aut praeceps periculo victoria esset*, e. q. s.

Corrige: *satis certa ratio* INVENI*retur.*

Liv. ed. Weissenborn. l. XXXI—XL. ed 2.

l. XXXIX c. 8. § 6. *Cum vinum animos* <inflammasset> *et nox et mixti feminis mares, aetatis tenerae maioribus discrimen omne pudoris extinxissent, corruptelae primum omnis generis fieri coeptae, cum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet.*

Quid sit *voluptatem paratam habere ad aliquid* non video; non aeque laborabo, si scribere mihi licebit: *cum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam* FACULTATEM *haberet.*

ARISTOPHANES.

Equit. 894 sq.: τὸν καυλὸν οἶσθ' ἐκεῖνον
τὸν σιλφίου τὸν ἄξιον γενόμενον; — οἶδα μέντοι.
Nostine laserpitii radicem illam quae vili pretio prostitit? Novi. Ad literam haec verti, quo melius appareat quam incomposite loquatur botularius. PROSTITISSE dicit, sed non addit QUANDO id factum sit; nam non vertenda haec esse *radicem quae* NUNC *parvo emi* POTEST, ex versibus sequentibus claro patet. Et quid hoc est quod rogat Demum an NORIT laserpitium, quasi hodie vicinum roges noritne piper vel zingiber? Norat profecto, et omnes Athenienses norant condimentum quod illius aevi palatis mire placebat. Praeterea vide quam molestus sit articulus ter repetitus. Quid multa. Pro tertio τὸν scribe τότ' et omnia sana erunt:

τὸν καυλὸν οἶσθ' ἐκεῖνον
τὸν σιλφίου τότ' ἄξιον γενόμενον; — οἶδα μέντοι.

Ecquid recordaris quam vile aliquando factum sit laserpitium? Memini profecto.

J. v. L. JR.

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

II.

DE OSTRACISMO.

(*Continuatur ex huius Vol. pag.* 171.)

§ 4. *Quid fecerit Clisthenes, ut effectum ostracismi aequaret cum consilio, quo institutus esset.*

Consilium Clisthenis, quod adhuc investigavimus, hoc fuit, ut quotannis de eis qui essent in suspicione tyrannidis, de demagogis nobilibus, principibus civitatis, qui tunc essent (sive esset unus, sive plures forte), a populo decerneretur, essentne omnes in civitate retinendi, an placeret unum ex eis e patria eicere, et quis esset quem eicere placeret. — Itaque nunc considerare debemus quid instituerit Clisthenes. Si tenere volumus quod de eius consilio statuimus, demonstrandum nobis est, Clisthenem revera ex hoc consilio moderatum esse ostracismum; ea res certa signa prae se ferat oportet quibus ipsa ostendat se hoc consilio esse inventam; nihil certe inesse debet quod huic consilio repugnet vel ab eo alienum sit. — Ostracismus autem fuit hic:

Clisthenes instituit ut fieret quotannis publica civium interrogatio, in sexta prytanea, cui responderetur per simplicem

Digitized by Google

Clisthenes in interrogationem quam quotannis civibus proponi iussit, nullam inseruit ostracismi definitionem,

cheirotoniam, huiusmodi: *πότερον δοκεῖ ὑμῖν τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν ἢ μή*; — Ea interrogatio fit in concilio populi; respondetur ab eis qui forte adsunt, vincit simplex suffragiorum maior pars. Sed subitaria est ea interrogatio, sive *ἐπιχειροτονία* nuda; i. e. de qua nulla omnino instituatur neque habeatur publica deliberatio; neque in senatu, neque in concilio populi publice de ea agitur; nihil de ea antea dictum publice neque auditum, nullae suasiones, nullae criminationes, defensiones nullae, ne nomen quidem ullum publice auditum est. Civibus *sponte* respondendum est et ex animi sententia cuique. Demagogi et oratores omnino nihil ad ostracismum dirigendum valent. Possunt quidem in cursu anni praecedentis varie operam adhibere ad eliciendum ostracismum; cum de aliis rebus verba faciant, possunt brevissima egressione facta [1]) illudere instanti discrimini, significare magis quam aperte dicere quid sperent fore ut populus ad interrogationem mox futuram respondeat; possunt causas irae subicere animis, instigare et irritare populum (*τὸν δῆμον ἐρεθίζειν*, *παροξύνειν*), lacessere adversarios et quasi in transitu verbis perstringere; sed sententiam dicere, arguere, persuadere non possunt, quia copia nulla eis facta est. Denique si factione et amicis valent, privatis admonitionibus per amicos adire possunt cives; sed ad publicum institutum id non pertinet. — Quid respondeant cives, libera optio cuique concessa est et infinita potestas. Quodsi maior pars decrevit, testarum iudicio hoc anno utendum esse, dies civibus indicitur, quo ferantur suffragia; testam unam, uno quolibet nomine domi inscriptam, in forum deferre cuique licebit, quam tradat senatoribus huic rei praefectis; de ea re quoque omnis deliberatio publica exclusa est et vetita [2]). — Praefectis denique si apparuerit, in unum civem sex milia amplius suffragiorum conspirare, is civis (vel si forte in duos tot testae conspirant, is qui maiorem suffragiorum partem tulerit) intra

1) Cfr. Gramm. ap. Aesch. Tim. § 35: *τῶν ῥητόρων ἐάν τις λέγῃ — μὴ περὶ τοῦ εἰσφερομένου — κυριεύεσθωσαν οἱ πρόεδροι μέχρι πεντήκοντα δραχμῶν — ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν.*

2) Haec singula demonstrabuntur in §§ sequentibus

Digitized by Google

decem dies ex patria excedere iubebitur, et decem annos peregre manere debebit [1]).

Quid autem? inquis. Haecne sufficere visa sunt Clistheni? Hisne duobus suffragiis tam liberis, tam nullo termino definitis, certum aliquod consilium, effectum aliquem accurate a se ipso mente definitum attingi et obtineri posse putavit? Ubi tandem memoratur in hac interrogatione numerus ille exiguus hominum, demagogorum parva copia, contra quos unice ostracismum ab eo institutum esse demonstravimus? Quid excogitavit ut eos tantum ferirent suffragia, qui essent in suspicione tyrannidis? Quid? Nonne ipsa haec vox desideratur? Itaque revera nihil illiusmodi, de demagogis, de tyrannide persecutus esse videtur Clisthenes. Quid enim? Manifestum est eum civibus potestatem plenam dedisse, non nobilium tantummodo ex civitate eiciendi, nedum demagogorum solum, sed civis cuiuslibet; neque propter ullam certam causam, sed pro libero arbitrio. Frustra igitur investigatum et scriptum a nobis esse apparet de certo quodam Clisthenis consilio; quod etiamsi fortasse habuit et persequi cupiit, tamen in ipso instituto attingere non potuerit, ne conatus quidem esse videatur.

quae inutilis fuisset cum cives cogi non possent ad eam definitionem observandam.

Verumtamen si quis ita argueret, speciem tantum veri quin esset assecutus, non est dubium. Constat quidem, nullam ostracismi definitionem in ipsam interrogationem inseruisse Clisthenem. Sed probe perspexerat Clisthenes, libertatem civium non ita posse circumscribi, neque si aliam interrogationem civibus proponeret, eius ullam esse utilitatem. Quodsi per ipsa interrogationis verba terminos ponere conatus esset libertati civium (veluti hoc modo: *τότερον δοκεῖ σοι τὸ ὄστρακον εἰςφέρειν ἐπειδή τις παρὰ σοὶ εἰς τυραννίδος ὑποψίαν ἐμπέπτωκε*; sive alio aliquo modo), simul etiam curandum erat, ut hos terminos nemo migrare posset, ut secundum eam interrogationis normam unusquisque moderaretur responsum et suffragium suum, ut irrita declararentur suf-

1) Decem annorum spatium numquam Athenis ad quinquennium reductum esse ostendit Theopomp. fr. 103; itaque in errorem inductus fuit Diodorus, cum scriberet (11. 55. 2): *φεύγειν ἐκ τῆς πατρίδος ἐτέτακτο πενταετῆ χρόνον*. Hoc temporis spatium quod Syracusis lege constitutum fuit (Diod. 11. 87. 1) in ostracismum Atheniensem inde transtulisse videtur Diodorus.

Digitized by Google

fragia quae lata essent propter aliam causam. Hoc cum fieri nullo modo posset, nullam etiam utilitatem habere intellexit definitionem ostracismi, in ipsam interrogationem insertam, quippe quae eandem libertatem et infinitam potestatem relictura esset civibus [1]). Sed noverat Clisthenes, longe alia et multo firmiora fundamenta supposita esse rationi ostracismi.

Ac primum quidem natura et effectus ostracismi maxime determinatur et coercetur magno numero suffragiorum postulato. —

Sed cum postularet tam magnum numerum suffragiorum,

Sane cives, in sexta prytanea subito ita interrogati: πότερον δοκεῖ σοι τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν ἢ μή; postquam privatis tantum sermonibus cum vicinis vel

1) Hic est scopulus in quo illisae franguntur omnes coniecturae eorum, qui a scriptorum auctoritate devertentes, novam aliquam ostracismi rationem excogitaverunt eamque Clistheni supponere conati sunt. Sic multis viris doctis nuper placuit, ostracismum neque fuisse adhibendum neque adhibitum esse nisi ad certamen duarum partium politicarum vi dirimendum. Sed hi omnes non satis demonstrare conati sunt quomodo ad huiusmodi usum testas reservaverit vel reservare potuerit Clisthenes, neque revera hoc demonstrari ullo modo potest. — Videlicet, quod omisit Clisthenes, cum in interrogationem nullam ostracismi definitionem insereret, id supplevit et correxit Duncker. Is enim (Gesch. d. Alt. Neue Folge 1. p. 116) pro formula illa nimis simplici „πότερον δοκεῖ εἰσφέρειν τὸ ὄστρακον ἢ μή;" hanc substituit interrogationem: „der Rath richtete — wie des Kleisthenes Gesetz vorschrieb, die Frage an die Gemeindeversammlung, ob Grund vorhanden sei, Abstimmung mit den Scherben eintreten zu lassen; d. h. ob ein dem geordneten Gange des Staatslebens gefährlicher Parteikampf zu fürchten stehe, mit anderen Worten, ob dem obwaltenden Streite durch Entfernung eines der mit einander ringenden Parteiführer ein Ziel zu setzen sei"; sive ut alio loco scripsit (N. F. 2. p. 185): „die Frage — ob Grund vorhanden sei, die Abstimmung mit den Scherben eintreten zu lassen, d. h. ob der Parteikampf so heftig geworden sei, dasz der geordnete Gang des Staatslebens bedroht erscheine." — In has formulas Duncker coartavit coniecturam pervulgatam viri d. Lugebil. Sed parum comparet, quid haec verba sibi velint. Ipsam hanc formulam Graece vertendam et Clistheni auctori tribuendam esse, fieri non potest ut voluerit Duncker. — Fuitne igitur admonitio quaedam a senatu civibus data? Neque Duncker hoc credidisse videtur, neque sane credibile est, neque dubium est quin operam perdidisset senatus. — An voluit his verbis Duncker ostendere rationem qua ipsi sponte interrogationem propositam interpretari soliti sint cives? At ita concedat necesse est, civibus hoc esse concessum ut libere et pro arbitrio suo interrogationem illam legitimam interpretari possent; et ipsi demonstrandum superest qui factum sit, ut sponte eam ita neque aliter interpretati sint cives; quod sane difficillimum est, praesertim cum de relegatione Hyperboli saltem constet, eam decretam non esse ad certamen aliquod dirimendum. — Quantum novi, Duncker unus est qui eiusmodi definitionem tentaverit. Reliquis viris d., qui nihil eiusmodi ausi sunt, etiam dissolvenda manet haec difficultas, si quidem sententiam suam tenere volunt; sed ut dixi, nullo modo ab eis solvi potest.

Digitized by Google

privatas relegandi causas prorsus sustulit.

amicis de ea re confabulati sint, neque ullam de ea re publicam audierint suasionem, fieri fere non potest, quin, cum considerent quid respondendum sibi sit, et numquis sit in civitate quem in decem annos relegari cupiant, primum singuli cogitent de rebus suis privatis. Alius habet vicinum molestum, quo si fieri posset libenter se liberaret, alius creditorem importunum, alius inimicum paternum. Et cum liceat libere, sine ulla ratione reddenda, quin etiam sine ulla causa probabili, respondere quodcumque animi libido suadeat, hoc sane singulis maxime optatum sit, ad has privatas molestias levandas sua quemque testa uti. — Sed eiusmodi consilia ut irrita essent, satis cavit Clisthenes; causas privatas prorsus sustulit, cum postularet tam magnum numerum suffragiorum conspirantium. Ut sex milia amplius suffragiorum consentirent, fieri non posse putavit, nisi ob causam publicam, et ut publica aliqua molestia se liberarent cives, et propter iram aliquam publice susceptam. Eam iram Aristophanes poeta tetigit his versibus (notissimis quidem, sed tamen in ostracismi contemplatione nimis neglectis):

ὁρᾷς γὰρ αὐτῷ στῖφος οἷόν ἐστι βυρσοπωλῶν
νεανιῶν· τούτους δὲ περιοικοῦσι μελιτοπῶλαι,
καὶ τυροπῶλαι· τοῦτο δ' εἰς ἓν ἐστι συγκεκυφός.
ὥστ' εἰ σὺ βριμήσαιο καὶ βλέψειας ὀστράκινδα...[1]).

Demagogus potentissimus (Cleon) nimis aperte et impudenter confidit factioni suae et sectatorum turbae; magnum inde periculum sibi esse novit, ne subito in iram vehementem contra se incidat Populus, ut leo, quem e quiete excitavit sonus vocis vel gradus appropinquantis, qui surgit, et raucum mugitum tollens circumspicit inimicum, ut ipse in eum se iaciat; itaque tempore eas insidias struxisse et ea arma clam paravisse fingitur Cleon a Fartore, quibus populum iratum et testas poscentem, si eo res perveniret, vi coerceret. — Sine hac populi ira, ostracismus nullus est, et effectu caret. Eam iram autem universi populi, quae ad iudicium testarum adhibendum permoveret cives, contra privatum hominem oriri non posse putavit Clisthenes. — Primum homo privatus quemadmodum pos-

1) Aristoph. Equit. 852—855.

Digitized by Google

Contra hominem privatum existere non potest consensus senum milium, cum praesertim privatorum denunciationes publicae prohibitae sint.

set contrahere iram tam late ad omnes cives permanantem? Nam obliviscendum non est, ad *delicta* et *scelera* punienda, ad iniurias et omnia quae contra leges acta sint, non pertinere posse ostracismum; cives non cogitabunt testam poscere ad hominem improbum sollicitandum, quem singulis in ius vocare licet, quem causa dicta condemnare possunt ipsi cives, iudices sortiti; et revera numquam ad eam rem adhibitum esse ostracismum omnium certissimum est [1]). Res aliter sane se habuisset, si non tanta fuisset Areopagi ceterorumque iudiciorum fama et fides, neque ipsius iudicandi muneris pars fuisset apud populum. Nam per se et naturam suam ostracismum idoneum fuisse negari non potest, qui adhiberetur a civibus ad corrigendam et tollendam iudicum sententiam, si quae forte inique lata esse videretur, si exempli gratia absolutus esset per gratiam et largitionem reus aliquis quem condemnari debuisse omnes crederent. Sed ad eiusmodi imitationem iudicii popularem (haud absimilem ei quae nunc a viro quodam Lynch apud nos nomen accepit) Athenis delabi non potuisse ostracismum, apertum est. — Verum cum a privatis personis omnino abstineri vellet Clisthenes, non sufficiebat magnum numerum suffragiorum consentientium postulare: curandum etiam erat ut *sponte* suffragia consentirent. Hoc igitur secundum fundamentum fuit, ostracismi rationi suppositum, exclusas esse omnes deliberationes et suasiones publicas. Quae si essent admissae, difficile sane non fuisset oratori populari, privatas ipsius inimicitias transferre in deliberationem publicam, et civibus, qui convenissent ut ample deliberarent quemnam civem hoc anno potissimum suffragiis notarent, persuadere, eos non male nunc hunc hominem, inimicum oratoris privatum, relegaturos esse, etiamsi ipsi eum vix cognitum haberent; et mendaciis et calumniis (aut fortasse etiam veris criminationibus) ita eum obruere, ut audita oratione omnes crederent non melius se iure testae nunc uti

---

1) Diod. 11. 87: *καθόλου οὐ πονηρίας κόλασιν ἐλάμβανον παρὰ τῶν παρανομούντων.* Diod. 11. 55. 2: *νομοθετῆσαι δὲ ταῦτα δοκοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι, οὐχ ἵνα τὴν κακίαν κολάζωσιν.* Diod. 19. 1. 3: *οὐχ ἵνα τῶν προγεγενημένων ἀδικημάτων λάβωσι τιμωρίαν.* — Plut. Themist. 22: *κόλασις γὰρ οὐκ ἦν ὁ ἐξοστρακισμός.* Plut. Aristid. 7: *μοχθηρίας γὰρ οὐκ ἦν κόλασις.*

Digitized by Google

posse quam ad hoc probrum quam celerrime e civitate tollendum, licet ipsi hanc molestiam nequaquam adhuc experti essent. Verum exclusis deliberationibus, simul calumnias et privatorum denunciationes exclusit Clisthenes. Itaque homo privatus cur testas metueret non erat, quia in hominem privatum non cadebat, sex milia civium sponte conspirare in eius relegationem flagitandam. — Hoc cadebat in eos viros solos, qui rempublicam gerere solerent et tum ipsum gererent, qui vitam quasi publice degerent, qui, ut nos dicimus, essent „viri politici". Sed ne contra hos quidem omnes valebat ostracismus; neque propter omnes causas quae in eos cadunt et quas cogitando vel fingendo mente conquirere possumus. Quin etiam optimo iure asseverare mihi videor (et idem Clisthenes credidit, et eventus rerum gestarum memoriaeque traditarum confirmavit eius sententiam) iram subito a civibus susceptam ad testas poscendas perducere eos non posse, praeterquam si suscepta sit contra ipsos demagogos. — Sic dux ob bellum male vel turpiter gestum facile in iram universi populi incidere potest; sed contra eum cives testas non postulaturos esse novit Clisthenes, quia penes ipsos cives est, in proximis comitiis eum non reficere, imperium eius abrogare, quin etiam, si proditionis vel gravis culpae suspicio accedit, eum legibus interrogare [1]); adest quidem ira populi, sed tamen deest stimulus necessarius qui testas excitet. — Sic magistratus urbanus aliquis fortasse male rempublicam gessit, cives contumeliose tractavit: neque tamen contra eum testae adhibebuntur, quia imperii abrogandi, poenae ab eo sumendae, copiam dederunt leges. — Sic est fortasse inter eos qui honorem aliquem insignem a populo se petere hoc anno professi sunt, homo aliquis factiosus, arrogans, cui diffidant permulti cives, qui ut ad eum locum insignem perveniat non sine aliquo libertatis periculo vel reipublicae detrimento futurum esse credant: attamen testas contra candidatum non poscent. Quid enim? Sciunt om-

Sed non magis existere potest contra ceteros viros rempublicam gerentes, praeterquam contra ipsos demagogos.

1) Demosthenes cum Athenas redire non auderet ex Aetolia a. 426 (Thuc. 3. 98. 5: τοῖς πεπραγμένοις φοβούμενος τοὺς Ἀθηναίους) sane non ab ostracismo, sed ab accusatione et a iudicio metuit — Miltiades a. 489 Paro reversus non testis relegatus, sed a populo condemnatus est, Herod. 6. 136.

Digitized by Google

nes, de ipsa electione iudicaturum esse ipsum populum; itaque cur etiam antea de uno candidato ostracismi praeiudicium aliquod instituerent? Cuius rei nullam utilitatem esse manifestum esset. Singuli forsitan aliquot cives, inprimis fautores alius candidati, si pauci sunt et repulsam sui candidati metuunt, ita testa uti cupiant; sed deest magnus et universus stimulus, qui sex milia suffragiorum contra candidatum excitare possit. — At, inquis, fieri poterat ut in comitiis maiorem partem suffragiorum laturus esset ille candidatus suspectus per factionis suae opes, per gratiam, quin etiam per largitionem; hos dolos quidni per testas et relegationem praecavere conarentur cives. — Sed, si is candidatus malis artibus confidit in electione, sane eisdem etiam usurus est in testarum iudicio; si quid in electione valiturae sunt factionis opes, gratia, largitio, prorsus idem sane opes eae valebunt ut a testis se defendat: electiones regit *voluntas populi* (i. e. maioris partis quae tunc est); ostracismum dirigit *eadem voluntas populi*; itaque ostracismum adhiberi non posse apertum est ad id praeveniendum quod ne in electione fiat metuatur. Accedit quod in ostracismo adversariis huius candidati multo gravius onus impositum est; ibi enim ut vincant sex milibus suffragiorum eis opus est; in electione vero eidem adversarii vincere possunt per maiorem partem suffragiorum simplicem. Hoc quoque eos qui fortasse cupiant, deterrere debet, ne ex comitiis in ostracismum transferant certamen quod de creatione magistratuum gerendum est; quamquam etiam hoc omittendum est, nam nemo copiam habet persuadendi civibus ut hoc certamen in ostracismum transferant; et etiam si hoc omiseris, per se manifestum est, cives testas numquam esse postulaturos contra candidatum aliquem ob eam causam, quod candidatus sibi displiceat [1]). — Ne longius haec ducam, quid-

1) Ita facile et plene refutatur opinio viri d. Kubicki (de Magistratu decem strategorum et de Archaeresiarum tempore, Berlin 1865, p. 53—60), qui candidatorum imprimis et electionum annuarum causa inventum esse ostracismum contra scriptorum auctoritatem satis audacter coniecit, et ex hac coniectura etiam argumentum petivit ad constituendum comitiorum annuorum tempus legitimum; „neque cuiquam", inquit p. 60, „in mentem veniet ordinariorum magistratuum creationem priore dimidia parte anni fieri potuisse, siquidem merito hoc utique cum comitiis commune ostracismus habuit, ut eius suffragiis excluderentur ii quibus aditus ad honores quam latissime pateret". — Hoc argumentum etiam accepit Köhler, qui (Monatsberichte der

Digitized by Google

cunque praeterea excogitari possit, quod aptum sit ad iram populi movendam, quod ad quemlibet civem praeter ipsos demagogos pertineat, id cives ad ostracismum iubendum permovere, senum milium consensum excitare, non posse, statim apparebit unicuique qui de ea re breviter cogitaverit.

Superest igitur ut quaeramus, quatenus contra demagogos possit excitari senum milium testarum consensus. Et hoc loco statim nobis se offert egregia difficultas, qua premitur intellegentia rationis ostracismi. Concilium populi enim regitur *voluntate populi*; ostracismus regitur *eiusdem voluntate*; qui fieri potest ut ad ostracismum se conferat et quasi refugiat populus, ad demagogi vocem e concilio populi tollendam, siquidem ei iam in ipso concilio licet vocem demagogi irritam facere et quasi tollere,

---

Kön. Pr. Akad. der Wissensch. Berlin 1866 „Über die Zeit der Archairesien in Athen") laudato libro viri d. Kubicki haec scripsit: „Mag man über die Bedeutung des Ostrakismos in der Attischen Verfassung urtheilen wie man will, so wird man nicht umhin können den Bezug desselben zu den Amtswahlen an zu erkennen; mit anderen Worten, das Scherbengericht war eine Art Präjudiz, durch welches für jene das Feld frei gemacht wurde, und musste also früher stattfinden." — Sed revera sententia viri d. Köhler prorsus diversa esse videtur a coniectura viri d. Kubicki (si quidem ego recte intellego illud „das Feld freimachen"), neque cogitavit K. de candidati relegatione, sed de alius hominis potentis exilio; itaque alio loco etiam nobis de ea agendum erit. — Cum eo consentit Gilbert (Beiträge, 1877, p. 231 et p. 237), qui etiam affirmavit, ostracismum institutum esse ut praeiudicium fieret non de uno candidato, sed de tota magistratuum creandorum ratione. — Ad id quod nunc a nobis tractatur propius accedit coniectura quam proposuit Müller-Strübing (Aristoph. u. d. Histor. Critik. p. 185—194), qui contra ipsos candidatos testas adhibitas esse rursus affirmat, quamquam ipse etiam non pauca scribit de illa re „das Feld frei machen"; sed ad electionem quaestoris, *ταμίου τῆς κοινῆς προςόδου*, quem reipublicae Atheniensi praefuisse coniecit, rettulit ostracismum. Quod de ea re scripsit p. 198: „denn bei der Procheirotonie an den Lenäen hatte das Volk durch die Bejahung der Frage, ob Ostrakophorie stattfinden sollte, das gesetzliche Mittel gegeben, die Partei, von welcher man etwa erwarten konnte, sie werde auf ungesetzlichem Wege sich der Staatsleitung zu bemächtigen suchen, im Voraus unschädlich zu machen" —, id sane novum est. Cogitavisse videtur candidatum quaesturae qui *vi* esset occupaturus honorem illum in Comitiis. Talis candidatus ne esset, prohibere voluisse Clisthenem, et ideo ostracismum instituisse. Hoc valde sapit illud decretum celeberrimum Consilii alicuius Municipalis: „ut vigiles cum machinis adessent in locis incendiorum, duabus horis antequam incendium aliquod exoreretur, ut omnia ad extinguendum praeparrarent." Praeterea ostendimus (supr. p. 136, p. 147, p. 162), democratiam non posse *vi* tolli, nisi seditione orta omnium nobilium. Denique frustra quaeras, cur, quod in Comitiis committere possit homo violentus vel factio nefaria, perficere non potuisse credatur is homo vel ea factio in Ostracismo.

Digitized by Google

repudiando sententias et rogationes huius demagogi? Attamen non solum constat e contemplatione huius instituti, quam modo habuimus, ostracismum adhiberi non potuisse nisi contra demagogos; sed etiam quod plus valet, constat ex rerum gestarum memoria ostracismum saepissime adhibitum esse contra demagogos. Quomodo hoc fieri potuit? Quae ratio suasit?

Ac primum quidem operam perderet, qui hac ratione difficultatem tollere conaretur, ut diceret, aliquanto minorem numerum civium solere in concilio populi adesse quam qui in ostracismo postuletur; fieri autem posse ut ei cives quibus per negotia sive propter domicilium longe ab urbe remotum, sive per alias res, non liceret concilium adire, ostracismo usi sint ut eos homines arcerent a rebus publicis, quos in concilio regere nollent, quod fidem eis non haberent; eos cives hoc studuisse, ut, concilio tradito hominibus fidis sibique amicis, ipsi securi domi manere possent; ita voluntatem quae ostracismum regat aliam esse quam voluntatem eorum qui concilio interesse soleant. — Hoc si quis tentaret, perhiberet ostracismum usurpatum esse ab eis qui metuerent ne *per infrequentiam* in concilio rogationes perferrent demagogi, contra veram populi voluntatem. Sed cum paulisper de ea re cogitaverimus, apparebit id absurdum fere esse. Cives qui metuunt ne rogationes malae per infrequentiam a malis demagogis perferantur in concilio, certe non expectabunt tempus ostracismo constitutum, sed facient quod multo magis in promptu est, ipsi adibunt concilium; quodsi res publicae non tantae eis curae sunt ut hoc faciant, etiam ad testarum lationem eos non coget studium politicum. Deinde, quod fortasse in paucos homines cadere possit, sane non pertinet ad tam ingentem multitudinem, quanta opus est ad superandam et tollendam, per testarum iudicium, voluntatem maioris partis eorum qui in concilio adesse solent. Denique, quod plurimum valet, ei qui a concilio populi semper absunt, ut certam de rerum publicarum gestione et de demagogorum fide opinionem habeant, fieri non potest. Ardor civilis, reipublicae cura, magna ira et favor demagogorum, in ipso concilio excitatur neque ab eis qui concilii expertes sunt suscipi potest; ipsa causa cur ex omnibus civibus demagogi soli sint qui in

Demagogi relegari possunt testis, quamquam voluntas populi quae in concilio regit, eadem est quae regit in ostracismo.

Digitized by Google

ostracismum cadant, est arta consuetudo, frequens aspectus, usus multus qui cum omnibus civibus in concilio demagogos iungit, quo fit ut hi soli cum singulis tum universis civibus aeque noti et familiares sint atque amici vel inimici privati. — Revera ita solvi vel ut potius dicam evitari difficultas non potest: voluntas populi quae concilium regit, eadem est quae in ostracismo comparet. Sex milia civium consentientium qui in ostracismo vincunt, in concilio populi quoque numero longe superiores esse, et omnia quae placeat accipere vel repudiare posse constat.

Quid igitur interest? Hoc solum, in concilio admissas esse deliberationes publicas, in ostracismo esse exclusas. Quae res cum prorsus sola sit quae intersit, in hac re lateat difficultatis explicatio *necesse est*. In transitu animadverto, argumentum hoc ipsum certissimum esse, quo probetur, revera fuisse exclusas deliberationes publicas [1]), quas in ostracismum introduxit primum, quantum novi, coniectura viri d. Schoemann; quod qui monitus negat, simul negat quidquam interfuisse inter decreta concilii et decreta testarum, et confiteri debet se non intellegere ostracismum.

Hoc enim interest, in ostracismo voluntatem populi liberam esse, cum exclusae sint deliberationes publicae.

Deliberationum publicarum haec est ratio et effectus, ut per eas persuadeatur populo, ut determinetur populi voluntas. In ostracismo vero, populi voluntas libera est, nullis suasionibus publicis determinari potest. Populus igitur, si extra concilium, exclusis deliberationibus, relegat demagogum, hanc ob causam id faciat necesse est, quod nolit ab hoc homine sibi persuaderi, et quod metuat ne ab eo sibi persuadeatur. Non omnes sane relegabit populus a quibus sibi persuaderi nolit; quorsum id pertineret, si non potuissent persuadere? Nemo relegari potest, nisi qui adeo valeat, ut populus sciat eum sibi persuadere posse.

Quod autem deinde quaerendum se offert, hoc est, in quosnam demagogos hoc cadat, utrum in omnes cuiusvis generis, an in paucos tantum et certam demagogorum speciem?

Demagogorum enim non est omnium eadem conditio. Nam

1) De ea re paullo post acturi sumus.

Digitized by Google

sunt alii, qui perpetuam rerum publicarum administrationem teneant. Hos nunc dicam *demagogos rempublicam gubernantes*. Inter hos fieri potest ut unus sit qui longe emineat; potest vero etiam ut plures ad communiter agendum coniuncti sint. Si unus eminet, reliqui qui cum eo faciunt, *demagogi socii* dici possunt. — Verum facile fieri potest, cum praesertim crebrae sint inter nobiles inimicitiae acerrimae, saepe iam a patribus vel avis acceptae, et cum ambitio et honoris cupido ad aemulationem et invidiam accendere soleat nobiles, ut sint inter demagogos qui nolint censeri inter socios et ministros illius qui tum forte rempublicam gubernet. Hi quoque, licet non sive nondum ad locum tam insignem et potentiam permanentem pervenerint, et omnino ad viros auctoritate inferiores referendi sint, nihilominus, cum ipsi quoque partem aliquam tueri soleant in gerenda republica, et in senatu sive ipsi sive per senatores amicos novi aliquid interdum proponere, et ad deliberationes publicas accedentes populi voluntatem nonnumquam secum ferre (τὸν δῆμον ἄγειν) conentur, demagogi dicendi sunt; sed cum fere ad pugnandum adhibeant quidcumque apud populum valeant, ad lacessendam auctoritatem adversarii, ad adversandum eius consiliis, nomine etiam ab illis eos distinguere et *demagogos oppugnantes* eos dicere nunc nobis liceat. De ipsa hac distinctione quin vera sit, nemo, opinor, dubitabit neque dubitavit. Sed hac in re tantum nonnullos viros doctos erravisse censeo, quod putaverint, certationi demagogorum semper subesse discidium civile, et quod obliti sint, odium et certamen haud minus acre geri posse de dignitate personarum inter paene consentientes, quam de commodis civium aut dissimilibus aut contrariis inter dissentientes. Demagogi enim ut certam partem politicam habeant cui praesint et cuius assensum perpetuum nacti sint, fieri quidem potest sed necesse non est. Nam quod demagogi plerique habent *factionem* quisque suam, cuius opibus et auxilio nituntur, ea prorsus alia res est [1]). Etiamsi multae

Non omnes demagogi aeque ostracismo et consensui senum milium testarum obnoxii sunt.

Demagogi oppugnantes aut habent partem aliquam politicam qua nituntur, aut per se stantes certant nulla parte civium nisi.

1) Cfr supr. pag. 149. — Factio est consociatio amicorum privata, sive nobilium sive humiliorum. Cfr. Sall. Iug. 31. 15: »haec inter bonos amicitia, inter malos

Digitized by Google

sunt factiones adversae, civitas esse potest sine parte politica; quo fit ut demagogi oppugnantes si qui tum sunt, nulli parti politicae praefecti, certent pro sua dignitate et pro sua de rebus publicis gerendis sententia. Sed concedo, ut primum in civitate prodierit pars politica, quae propria commoda defendat, eam suum demagogum statim nacturam esse, quin etiam ad ipsam partem politicam conformandam et excitandam multum facere et valere posse operam demagogi, qui huius partis populi causam suscepit. —

Itaque quaestio quam posuimus eo redit: sitne utrumque hoc genus demagogorum, cum gubernantes tum oppugnantes, ostracismo obnoxii, an alterutrum solum, an pendeat hoc a statu in quo versetur respublica.

Quamdiu in civitate perstat concordia publica, demagogi gubernantes soli obnoxii sunt ostracismo.

De ea re proferre et statuere quod probabile sit nemo posse mihi videtur, nisi recte distinxerit inter duas civitatis conditiones maxime diversas, pro quarum diversitate responsum quoque quod assecuturi sumus variet necesse esse videtur. Quarum altera est ea conditio, in qua concordia civium, pax civilis integra est; altera in qua partium studio et odio mutuo dilaceratur respublica. Eae conditiones eo diligentius distingui debere videntur, quo saepius nunc a nonnullis viris doctis neglegi et confundi videtur earum discrimen, cum temere res Athenienses publicae fere omnes, ex quovis tempore memoriae mandatae nobisque traditae, ad acerrimum aliquod duarum partium politicarum studium referri soleant, quasi omnino concordia publica nulla in civitate Graeca, nedum in Atheniensi, existere umquam

---

factio est". — Factio a parte politica non solum numero multo minore differt, sed inprimis hac re, quod factio tota pertinet ad personam eius circa quem constitit, et eatenus tantum consilia publica quaedam persequitur, quatenus is homo, princeps factionis, sua tenet et defendit consilia publica; pars politica vero ipsa persequitur consilia certa publica, suis commodis apta, et eatenus tantum ad hominem aliquem sibi praefectum pertinet, quatenus is homo bene eius causam agere et eius commoda fortiter defendere ei videtur. — Itaque saepe quidem, cum de ratione reipublicae gerendae acriter certat demagogus aliquis, parti politicae praefectus, factio eius est quasi „primum agmen" et „manus delecta" partis politicae, cui praecst; et ex sua utique parte politica amicos et socios suos sumit homo factiosus; sed etiam is cui nulla est pars politica, factionem circa se habere potest; cuius rei, si exemplo opus est, exemplum praebet id quod de Cleone finxit Aristophanes (supr. pag. 341); cfr. etiam supr. pag. 169 adn. 1.

Digitized by Google

potuerit. Contra eam opinionem iam supra invocavimus auctoritatem Aristotelis, qui docet, concordiam populi esse conditionem democratiis naturalem et propriam, discordiam civilem vero (*στάσιν ἐν τῷ δήμῳ*) pendere e causis singularibus [1]). Illi Aristotelis testimonio nunc addendum est alterum eiusdem, ex quo apparet, hoc ipsum discrimen plurimum valere ad ostracismi rationem. Aristoteles enim auctor est [2]), decretorum publicorum quae de cive relegando per testas fieri possint et facta sint, esse duo genera. Quorum alterum indicavit his verbis: *ὠστράκιζον τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει κ.τ.λ.*, — *ἔβλεπον πρὸς τὸ τῆς πολιτείας τῆς οἰκείας συμφέρον*. Hoc genus igitur eam proprietatem habet, ut pertineat ad civitatis formam defendendam et conservandam, ut respiciat salutem democratiae. Alterum genus ita describit: *ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς στασιαστικῶς*. Huic igitur proprium est, ut pertineat ad stabiliendam aut profligandam potentiam partis politicae. Considerantibus nobis haec genera, statim apparet, id quod secundo loco posui (*τὸ στασιαστικῶς χρῆσθαι*) ibi solum exclusum esse, ubi discordia et odium partium nulla sint in civitate; ubi vero adsint, facile fieri posse ut tam praeclaro telo, ad victoriam reportandam aptissimo, utantur partes inimicae; nam ea ipsa perversa et turpis cupiditas quasi natura insita est partibus vehementer certantibus, ut neutra satis habeat suum locum sibi vindicare, sed ut utraque alteram tollere et de loco detrudere studeat. Fuit igitur revera talis conditio, in qua odium civile (*στάσις*) nullum in civitate erat, quandoquidem ea sola est in qua, illo genere excluso, alterum genus (*τὸ χρῆσθαι τῷ ὀστρακισμῷ πρὸς τὸ τῆς πολιτείας συμφέρον*), quod aliquando solum obtinuisse Aristoteles auctor est, solum obtinere potuerit.

Mihi autem (ut responsum ad illam quaestionem quam posui iam hoc loco anticipem) ita statuendum esse videtur: Inconcordia publica sex milia testarum consentire non posse nisi contra demagogos rempublicam gubernantes (*τοὺς ὑπερέχοντας*) eorumque socios, et tum illud solum

1) Vid. supr. p. 144 adn. 3 et p. 161. — [A lectore precor, ut in eiusdem pag. 161 lin. 21 pro vocibus „lacunae tenui per currum hostilem" reponat: „fracturae per rivuli transitum".]

2) Aristot. Polit. 3. 13 p. 1284a et b.

Digitized by Google

genus relegationum obtinere, quod ad democratiam servandam pertineat; in discordia et odio civili vero non quidem exclusum esse illud genus relegationum, sed praeterea locum esse alteri generi (τῷ στασιαστικῶς χρῆσθαι), quo fiat ut in eo statu civitatis cum demagogi gubernantes tum demagogi oppugnantes obnoxii sint relegationi. Huius sententiae rationes in §§ sequentibus exponere mihi proposui; hoc loco iam mihi liceat, demonstratione paulisper dilata, ea sententia uti quasi iam de ea inter nos constet, ut quod institui de consilio Clisthenis, antea paucis absolvam.

Clisthenes instituit, ut quotannis civibus haec interrogatio proponeretur: πότερον δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν ἢ μή; et ut ad eam interrogationem cives responsum darent sine ulla deliberatione publica. Huius instituti qualis fuerit necessarius effectus, exposuimus; comperimus necesse fuisse ut aut nihil responderent cives, aut contra demagogum aliquem invocarent testes. Hic autem ostracismi necessarius effectus quatenus convenit cum consilio Clisthenis?

Ita ostracismi effectus necessarius plane congruit cum consilio Clisthenis, quamdiu omnes demagogi nobiles erant,

Meminimus, secundum consilia Clisthenis eos solos feriendos fuisse, qui essent in suspicione tyrannidis; hanc suspicionem vero in eos demagogos tantum cadere, qui essent rei militaris periti et gloria bellica excellentes et, quia imperium militare tum nobilibus fere reservatum esset, nobiles [1]). — At in describendo effectu ostracismi necessario, nihil invenimus neque inventuri sumus, quod ad huiusmodi demagogos contineat consensum senum milium testarum. Voluntas populi si eo pervenire potest, ut testas arripiat ad se ipsam liberam faciendam, ad levandum concilium auctoritate molesta demagogi alicuius, certe eo non solum se vertet si demagogus quem metuat rei militaris peritia excellit, sed etiam si quis alius est homo, imbellis, nulla rerum gestarum fama nisus, eloquentia populari tantum validus, quem suam voluntatem in concilio constrictam tenere sentiat. At eum hominem in suspicione tyrannidis neque esse neque esse posse, satis supra nobis apparuit. — Itaque hac in re longe a consilio suo aberravisse videtur Clisthenes? Videtur

1) Vid. supr. pag. 136 sq.

Digitized by Google

aliquid instituisse quod aut quale esset non satis perspexerit, aut qualem vim editurum esset non curaverit? — An non apud eum fuit haec culpa, neque revera fuit eius temporibus cur hunc perversum ostracismi effectum metueret, neque quomodo metuere posset? — Quid verum sit, plene certiores nos facit Aristoteles, qui verbis iam supra a me allatis [1]) docet, antiquorum tempore ad demagogiam omnino pervenire non potuisse homines qui peritia bellica carerent; postea demum vero, cum oratoria ars magis pervulgata esset (id autem Athenis sub Pericle factum esse notissimum est, et inprimis originem cepisse ex usu forensi et iudiciis popularibus) demagogos ex multitudine imbelli quoque existere potuisse. Itaque ne contra eos quoque testae adhiberentur, Clisthenes cavere conatus non est, neque cavendum esse scire potuit. Is in hoc fundamento inaedificavit ostracismum, demagogiam et tyrannidis suspicionem pertinere ad eosdem homines, et putavit ostracismum, si ad demagogos solos pertineret, non posse ad quemquam pertinere praeter eos qui essent in suspicione tyrannidis. Hoc fundamentum tolli posse non cogitavit, et eo minus cogitare potuit quia non a se ipso quaesitum neque artificiose constructum erat, sed ultro aderat et ipsi rerum naturae congruere videbatur. — Veruntamen tempus, progressus rerum, saeva Necessitas hoc fundamentum evertit, et cum eo eversus est ipse ostracismus. Hyperbolus primus fuit, qui relegatus sit quamvis non esset in ulla suspicione tyrannidis et esset nihilominus demagogus [2]) — sed idem fuit ultimus quem testae notaverint. Iam antea, cum primum post medium saeculum quintum orti sunt demagogi a re militari alieni, hoc intellegere potuissent Athenienses quod Clisthenes nullo modo praevidere potuit, nunc integram manere non posse ostracismi rationem, neque evitari posse effectum eius ab origine et vero consilio longe alienum. Sed quam parum etiamtum de ea re cogitaverint Athenienses, ostendit admiratio

---

1) Supr. pag. 137 adn 1.

2) Philoch. fr. 79b: *μονος δὲ Ὑπερβολος ἐκ τῶν ἀδόξων (δοκεῖ?) ἐξοστρακισθῆναι διὰ μοχθηρίαν τρόπων, οὐ δι' ὑποψίαν τυραννίδος.* — Thucyd. 8. 73. 3: *μοχθηρὸς ἄνθρωπος, ὠστρακισμένος οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως.* Plato Com. supr. p. 141. — Plut. Nic. 11: *διὰ μοχθηρίαν ἔπαθε ταὐτὰ τοῖς ἀρίστοις.*

Digitized by Google

populi festivissima, indignatio candidissima quam civibus iniecit Hyperboli relegatio, quam optime describit Plutarchus [1]). Sed ea indignatio etiam ostendit, quam praesens et penitus cognitum etiamtum omnibus fuerit consilium antiquum et ratio primaria huius instituti, et quam probe sciverint, ostracismum institutum non esse ut voluntatem populi ab auctoritate demagogi molesti liberaret, sed ut coerceret homines nobiles. Cives omnes *singuli* quidem, veluti necessitati cuidam vel fato concedentes (et revera ea erat necessitas cui singuli repugnare nullo modo poterant) ita adhibuerant ostracismum, quemadmodum necessario adhibendus erat: cum Hyperbolus, demagogus in concilio potentissimus [2]), cupiditate sua, qua alios testis tollere conaretur, iram vehementem populi excitavisset, ad testas provocatum est a civibus ut concilium levarent auctoritate eius molesta; sed *universi* postquam testae diribitae sunt et Hyperboli nomen renuntiatum est, obstupefacti conquesti sunt quod talis homo damnatus esset in iudicio quod in eos tantum paratum esset qui essent in suspicione tyrannidis. Sic auceps qui casses fringillis capiendis tetendit, indignatur cum, praedam inspicere properans, invenit ridiculum passerem; oblitus se ipsum tale paravisse aucupium quod passeribus quoque periculosum esset. — Itaque tunc primum [3]) eventu experti sunt cives,

---

1) Plut. Aristid. 7: *ἐκ δὲ τούτου δυςχεράνας ὁ δῆμος ὡς καθυβρισμένον τὸ πρᾶγμα καὶ προπεπηλακισμένον ἀφῆκε παντελῶς καὶ κατέλυσεν.* Id. Nicias 11: *καὶ παραυτίκα μὲν ἡδονὴν τοῦτο καὶ γέλωτα τῷ δήμῳ παρέσχεν, ὕστερον δὲ ἠγανάκτουν ὡς καθυβρισμένον τὸ πρᾶγμα τοῦτο πρὸς ἄνθρωπον ἀνάξιον γεγονέναι νομίζοντες κ.τ.λ.*

2) De Hyperbolo vid. Gilbert Beiträge p. 209—215.

3) Iam antea nonnumquam ab oratoribus frustra tentatum esse ut contra demagogos imbelles excitarent testes, significare videtur Plutarchus (Aristid. 7: *ἐπεὶ δ' ἥψαντό τινες ἀνθρώπους ἀγεννεῖς καὶ πονηροὺς ὑποβάλλειν τῷ πράγματι, τελευταῖον ἁπάντων Ὑπέρβολον ἐξοστρακίσαντες ἐπαύσαντο*). — Ostracismus si referretur ad demagogos qui de plebe essent, modo ab imperio militari non essent alieni, vix dici posset deflexisse a vero usu, quamvis ea res Clistheni sane ignota fuerit, cuius tempore imperium militare nobilibus fere reservatum esset; sed secundum *doctrinam* saltem quae fuit de origine tyrannidis, hi homines quoque in suspicione tyrannidis erant. Itaque si eae res omnes vere factae essent, quas de Cleone festive finxit Aristophanes (vid. supr. pag. 341 adn. 1), relegatio Cleonis sane non eandem indignationem movisset atque Hyperboli; apud Aristophanem Cleon revera fingitur *arma* et auxilia *militaria* (scuta Pylia, suam praedam) contra ostracismum paravisse. — Nihilominus eo maiorem ludibrii acerbitatem esse voluit Aristophanes, quo longius revera a tyrannidis suspicione abesse auditoribus videbatur Cleon cum ficticia factione sua coriariorum.

Digitized by Google

ostracismum non amplius aptum esse temporibus et conditionibus mutatis; et eodem anno 417 [1]) ad nomothetas latum esse videtur de lege Clisthenis abroganda, quod revera solum supererat [2]).

et quamdiu in civitate integra manebat concordia ordinum.

Itaque hoc fundamentum, temporis vi subtractum Ostracismo, non magno malo affecit civitatem, sed tantum effecit, ut ipse ostracismus, quippe qui obsoletus esset et inutilis factus, tolleretur. — Verum multo gravius damnum respublica cepit ex secundi fundamenti iactura, quod eodem modo sed iam antea ostracismo surripuit temporum et rerum vicissitudo, quod fuerat hoc: causas bellorum civilium nullas oriri in populo. Nam hoc fundamento everso, discordia publica primum in civitate orta, ostracismum non solum non sustulerunt cives, quamvis etiam sic vero consilio aptus manere non posset, sed etiam multo cupidius eo usi sunt, et tamquam firmamentum imperii popularis coluerunt, et diligenter cum sociis suis et oppidorum foederatorum civibus communicaverunt, ut ibi idem officium praestaret plebi, et eodem modo adhiberetur ad discutiendum pondus nobilium, ad excludendam ex deliberationibus publicis partem aristocraticam [3]). — Iamvero hunc ostracismi usum (*τὸ χρῆσθαι στασιαστικῶς*), quo relegarentur demagogi oppugnantes, non solum alienum fuisse a consilio Clisthenis, sed etiam ei fuisse contrarium et adversum et importunum, facile apparebit. Non ideo quidem, quod ita relegarentur homines qui prorsus in suspicione tyrannidis non essent. Hoc vitium imputari non potest huic usui ostracismi. Pericles fuit demagogus, fuit in suspicione; fuerunt item Cimon, Thucydides. Sed hanc ob causam, quod in ostracismum introduxit novum momentum quo fieret, ut non solum

1) De anno quo relegatus sit Hyperbolus, assentior viris d. Cobet (Plat. Com., 1840, p. 143) et Blass (die Attische Beredsamkeit, Leipzig 1868. 1. p. 623 n. 3) et Iul. Beloch (die Att. Politik seit Perikles, Leipzig 1884, p. 339 sq.), qui propter Theopompi fragm. 103 id factum esse statuerunt a. 417. — Cfr. etiam Curtius Gr. Gesch. 2. p. 870.

2) Philoch. fr. 79b; Plut. Arist. 7; Nicias 11. — Fieri quoque potest ut per aliquot annos etiam manserit ostracismus; ut effectu caruerit quod nullo anno extiterit senum milium consensus (ita etiam ratio habenda est verborum Thucydidis, 8. 72, quae tractavimus supr. p. 40 sq.); ut aut a. 410 a Theramene sublatus, aut a. 403 a populo non restitutus sit. Verba Philochori et Plutarchi hoc neque probant neque excludunt.

3) Cfr. supr. pag. 131 adn. 1. — Aristot. l.l.: *αἱ πόλεις στασιαστικῶς ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς.*

Digitized by Google

alii (et ei quidem in quibus levior esset suspicio tyrannidis) *magis* obnoxii essent relegationi, verum etiam alii (et ei ipsi in quibus gravissima esset suspicio) *minus* eam subinde timerent. — Clisthenes, ut supra vidimus, cum nollet omnes demagogos nobiles tollere, satis habuit instituisse ut interdum singuli ferirentur. Neque *sorti* commisit hos singulos eligendos, sicut facit imperator in decimatione cohortis, neque fortunae, ut fecerunt Spartani in κρυπτείᾳ, sed rem concessit libidini populi. Parum curavit, quae res, quae fortasse nugae, adducturae essent libidinem populi ad alios in civitate retinendos, alios eiciendos; ita enim aliquam aequitatem servari in ostracismo putavit, quatenus omnes demagogi aeque his nugis obnoxii essent; et quam aequus esset ostracismus, ipse subito sensit cum relegaretur. Sed iram populi maxime semper pertinere ad potentissimos, et quo magis aliquis excelleret potentia, divitiis, factione, eo propius eum abesse a relegatione, putavit; quod certe in demagogos gubernantes aut aeque cadebat ac in oppugnantes, aut magis etiam. — Hoc mutavit novus ostracismi usus; novum tegumentum aliis et potentioribus quidem obtulit demagogis, quo a testis se defenderent, odium civile; novum argumentum quo iram populi, si forte ipsi offensionem aliquam dedissent, sedare et a se avertere et in alios debiliores dirigere possent, avaritiam et partium cupiditatem; novum stimulum dedit quo suam libertatem sublatam esse et unius hominis voluntati se addictos esse facilius ferrent cives, modo adversariis noceretur et damnum inferretur, relegato eorum defensore. — Utilitatem quam ad tyrannidem praeveniendam habuerit ostracismus, de qua varie censeri et in varias partes disputari posse supra diximus, quamquam etiam sic non prorsus sublata est (nam *possunt* sane relegari demagogi gubernantes, quod in Hyperbolo ostendit ipse eventus, in Cleone finxit Aristophanes [1]), tamen in magno aliquo certaminis civilis discrimine minutam esse apparet; et addita ei est nova vis, a tyrannidis cautione quam maxime aliena, quam si praesentire potuisset Clisthenes, ipse facile repudiavisset inventum suum.

(*Continuabitur*).

1) Vid. supr. pag. 341.

Digitized by Google

Sub finem nobilis orationis, qua Hermocrates Siculos Gelae congregatos permovere studet ut, missis vel intermissis certe odiis suis et discordiis, adversus Athenienses communi patriae insidiantes se iungant, sic argumenta sua colligit orator Lib. IV cap. 63 § 2: Me igitur si auditis, liberarum civitatum, ut fuimus, sic in posterum quoque liberi erimus cives, et iura nostra adversus quemlibet tueri poterimus; sin Atheniensium fallacibus consiliis aurem praebuerimus, *οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα, ἀλλὰ καὶ ἄγαν εἰ τύχοιμεν, φίλοι μὲν ἂν τοῖς ἐχθίστοις, διάφοροι δ' οἷς οὐ χρὴ κατ' ἀνάγκην γιγνοίμεθα.*

Corrupta haec esse neminem opinor latere potest, nec mirum igitur varia tentata esse remedia. Nondum tamen, quod sciam, indicatum est verum. Quod cito inveniemus si reputamus recte in scholiis statui, ad verba *οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα* supplenda esse *ὁ ἀγὼν ἡμῖν ἔσται*. At non mente ea sunt addenda, sed scriptor totidem literis designaverat, ut debebat; talia enim sine vitio omitti nequeunt. In vocabulo *ἄγαν*, quod statim sequitur neque ulla ratione potest explicari aut defendi, latitat id ipsum quod quaerimus *ἀγών*. Quapropter non dubito quin Thucydidis manum restituturi simus sic corrigendo:

οὐ περὶ τοῦ τιμωρήσασθαί τινα <ἔσται> ἀγὼν, ἀλλὰ καὶ, εἰ τύχοιμεν, φίλοι μὲν ἂν τοῖς ἐχθίστοις, διάφοροι δ' οἷς οὐ χρὴ κατ' ἀνάγκην γιγνοίμεθα: — *non iam res in eo versabitur ut nescio quas iniurias ulcisci possimus, sed potius verendum erit ne, si fors id ferat, adversarios nostros iuvare sociosque adoriri cogamur* (nempe a novis dominis Atheniensibus).

Isdem fere verbis VI 11 § 7 legimus: *ὥστ' οὐ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ Ἐγεσταίων ἡμῖν ὁ ἀγὼν, εἰ σωφρονοῦμεν, ἀλλ' ὅπως* etc. Ibi autem *ἐστίν* mente addendum est, nostro vero loco futurum *ἔσται* requiritur, quapropter id inserui.

Optime autem graecum esse *εἰ τύχοιμεν* pro *εἰ τύχοι*, vix est quod moneam. Sic Aristophanes e. g. (Ran. 945): *εἶτ' οὐκ ἐλήρουν ὅτι τύχοιμ', οὐδ' ἐμπεσὼν ἔφυρον.* Eupolis (fr. 117 Kock) *νυνὶ δ', ὅταν τύχωμεν, | στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς.* Et sic elegantissimus quisque scriptor solet.

J. v. L. Jr.

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

II.

DE OSTRACISMO.

(*Continuatur ex huius Vol. pag.* 355.)

§ 5. *Deliberationes publicas nullas fuisse de ostracismo, neque in senatu neque in concilio populi.*

Si in concilio populi deliberatum est de ostracismo, Senatus Auctoritas de ea re facta sit necesse est.

Apud omnes constat, concilium populi esse interrogatum num habenda esse videretur ostracophoria, neque ullas umquam fuisse ostracophorias quas non haberi populi concilium antea iussisset maiore suffragiorum parte. Hanc suffragii lationem, sine qua ostracophoria haberi non possit, a Philochoro dici προχειροτονίαν notum est; eandem Aristoteles dicit ἐπιχειροτονίαν; utriusque verba mox afferemus. Constat etiam hoc suffragium de ostracophoria certo anni tempore habitum esse, qua de re infra agemus. — Sed ibi desinit virorum doctorum consensus; quaerentibus nobis quando de ea re interrogatum sit populi concilium, utrum quotannis an eis annis tantummodo quibus senatui placuisset, et quis ut interrogaretur auctor fuerit, et numquis ut *non* interrogaretur populus efficere potuerit, varie iam a viris doctis recentioribus respondetur.

Digitized by Google

Ac primum quidem, ut singulorum opiniones brevi percenseam, Schoemann statuisse videtur, quotannis interrogatum esse concilium, et ab eo *post deliberationem habitam* factum esse decretum [1]). — Grote vero statuit, quae eadem iam fuerat sententia viri d. Paradijs [2]), in senatu quoque de ea re esse deliberationes habitas. Sed tamen Grote etiam tenuisse videtur, penes concilium populi quotannis fuisse ostracophoriae iubendae aut differendae potestatem [3]). — Negari non potest, si quis probaverit sententiam viri d. Schoemann, in concilio populi deliberatum esse de hac re, is procedat necesse esse ad hanc sententiam viri d. Grote; nam nulla res in concilio populi deliberationibus civium subici potuit (*οὐδὲν εἰςφέρεσθαι δύναται*), de qua non antea in senatu deliberatum esset (*ἀπροβούλευτον*). — Equidem etiamsi non facio cum viro d. Grote, non satis tamen Lugebil eum hac in parte refutavisse mihi videtur. „Nimmt man an, ait [4]), es habe diese Frage dem Demos alljährlich in der 6ten Prytanie vorgelegt werden müssen, so wäre ein Probouleuma des Raths, wenn dieser sich gegen die Ostrakophorie entschieden hätte, werthlos gewesen, da die Frage in der Ekklesie auch bejahend beantwortet werden konnte. Wenn aber der Rath die Frage nur bejahend, und nicht verneinend, entscheiden konnte, so war jede Berathung darüber in seinem Schosz ganz unnütz." — Verum senatus per Auctoritatem suam omnino non decernit; senatus non magis potest iubere (bejahend entscheiden) quam vetare; atqui si quam utilitatem habitura esset

---

1) Schoemann de Comitiis p. 243 sq.: „etsi enim neque iustae accusationi neque defensioni in ostracismo locus fuit — tamen, cum haberi ostracismus populi iniussu non posset, necesse fuit aliquo ante tempore cum populo hac de re agi, eumque doceri quae esset ostracismi habendi causa, quive essent illi cives, quorum nimiae opes timeri atque tolli e civitate deberent. Neque minus tunc ei, qui sibi illud exilii periculum imminere sentirent, amoliri a se populi invidiam aut suspicionem studuerunt —." Cfr. id. Antiq. Iuris Publ. Graec. p. 232 sq ; Gr. Alt. (ed. 2) I. p. 410 sq.

2) Diss. liter. de Ostrac. Ath. (Lugd. Bat. 1793) p. 18.

3) Grote H of Gr. 4. p. 78 n. 3 (ed London 1869): „there was indeed previous discussion in the senate as well as in the ekklesia, whether a vote of ostracism should be entered upon at all"; 4. p. 83: „in the sixth prytany of the year, these two bodies debated and determined whether the state of the republic was menacing enough to call for such an exceptional measure."

4) Lugebil, über das Wesen und die Hist. Bedeutung des Ostr. in Athen., (Jahrb. f. Class. Phil. 4ter Suppl.) p. 138 adn. 41.

Digitized by Google

suasio senatus, quamvis eam repudiare posset populus, cur inutilis esset eius dissuasio? — Grote igitur suo iure statuisse videtur, si in concilio deliberandum fuerit, secundum legem quotannis hanc rem in senatu debuisse tractari, neque potuisse eam a senatu silentio premi; deinde eam ex Auctoritate senatus quotannis debuisse ad populi concilium ferri, ut de ea cives deliberarent et decernerent.

Post virum d. Grote, multo maiorem in hac re senatui potestatem tribuit Lugebil. Is enim censet, senatum potuisse aut Auctoritatem facere de hac re, et populo eam proponere, aut decreto suo rem premere. „Vielmehr, ait (p. 138 adn. 41), wird zuerst der Rath sein gutachten darüber abgegeben haben, ob Ostrakophorie vor zu nehmen sei oder nicht. War er dafür, so konnte die Ekklesie sich seinem gutachten anschlieszen oder es verwerfen. Hatte aber der Rath entschieden, dasz in dem jahr Ostrakophorie nicht stattfinden solle, so war sie eo ipso auch ausgeschlossen, und der demos hatte darüber nicht mehr zu berathen." — Notandus primum in ipsis his verbis error non levis. „Zuerst wird der Rath sein *gutachten* darüber abgegeben haben ob Ostr. vor zu nehmen sei oder nicht — hatte aber der Rath *entschieden*, dasz in dem jahre Ostr. nicht stattfinden solle — —." Quomodo *Auctoritate sua* (gutachten) senatus aliquid *decernere* (entscheiden) potest? in qua semper leguntur illa verba: *τὴν γνώμην τῆς βουλῆς συμβάλλεσθαι εἰς τὸν δῆμον*, quae semper res populo tradit decernendas. Ubi de aliqua re decernit senatus, non Auctoritatem (gutachten, *γνώμην*) sed decretum vel scitum senatus facit. Scribere igitur debuerat Lugebil huiusmodi aliquid: „Zuerst wird der Rath darüber beschloszen haben, ob er ein gutachten an die Ekklesie abgeben wolle (die Ekklesie konnte sich dann diesem gutachten anschlieszen oder es verwerfen), oder ob er kein gutachten abgeben wolle, sondern entscheiden dasz in dem jahr Ostrakophorie nicht stattfinden solle." — Haec non quidem scripsit Lugebil, sed cum ea quae scripserit vitiosa sint, haec substituenda videntur, quibus eius sententia satis et melius enuncietur. — Itaque censet Lugebil, secundum legem quotannis de hac re in senatu mentionem fieri debuisse, et prytanes quotannis de ea ad senatum debuisse referre; deinde senatui liberum fuisse aut decreto rem absolvere

Digitized by Google

(οὐ δοκεῖ τῇ βουλῇ τοὺς πρυτάνεις περὶ τῆς ὀστρακοφορίας τὴν ἐπιχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ), aut Auctoritate suadente rem ad concilium ferre (τοὺς πρυτάνεις τὴν γνώμην συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι ἐδόκει τῇ βουλῇ, δεῖν τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν). Hanc sententiam viri d. Lugebil accepit Duncker [1]). —

Gilbert quoque in priore libro suo (de duobus quos supra laudavi) se eam accipere professus est; idem addidit, quod non totidem verbis tetigerat Lugebil, cum certo illo anni tempore ex lege a prytanibus de ostracophoria ad senatum relatum esset, rem maxime versatam fuisse in eo, ut aliquis senator ad verba facienda surgens ostracismum suaderet et ostenderet civitati opus esse hac medela; sin vero nullus senator rem moveret, neque ullus ostracophoriae quasi rogator in senatu existeret, ad illud decretum faciendum silentio se convertisse senatum, quo differretur ostracophoria, rogatu prytanum; itaque si esset in senatu qui ostracismum suaderet, si deinde is senatorum maiorem partem ad sententiam suam permoveret, rem ad concilium etiam latam esse et eundem senatorem illum, totius rei auctorem, in concilio quoque suasorem prodiisse; sin vero nemo in senatu auctor esset, non potuisse testis uti cives eo anno [2]). — Hoc autem etiam viro d. Beloch probavit Gilbert [3]). — Verum

---

1) Duncker Gesch. d. Alt. 6. p. 606: „Das Verfahren — sollte nur dann statt haben, wenn auf dem Antrage des Raths ein vorgängiger Beschluss des Souveräns, der Volksversammlung, dasselbe für angezeigt erklärt hätte In der Mitte des attischen Jahres, im Winter — sollte der Rath — falls ihm Anlass dazu gegeben schien, in der Volksversammlung die Frage stellen, ob das Attische Volk dafür halte, dass Grund zur Verbannung eines Bürgers vorhanden sei. Die Frage wurde discutirt wie alle übrigen Angelegenheiten welche der Rath an das Volk brachte."

2) Gilbert, Beiträge zur innern Gesch. Athens 1877 p. 239: „ich glaube mit Lugebil — und die Stelle des Aristoteles spricht nicht dagegen —, dass diese Procheirotonie nicht alljährlich eo ipso in der angegebenen Weise von der Ecclesie vorgenommen wurde, sondern dass dieselbe nur dann erfolgte, wenn ein Probouleuma des Rathes dieselbe ausdrücklich beantragte." Idem deinde pergit p. 235: „wenn ich oben richtig mit Lugebil angenommen habe, dass der Antrag dazu (die Ostr. in diesem Jahre vor zu nehmen) auf ein Probouleuma des Raths basiert war, so müsste Hyperbolus denselben zunächst im Rathe durchgesetzt haben."

3) Beloch die Att. Pol. seit Perikles, Leipzig 1884 p. 55: „so stellte denn Hyperbolos — an das Volk die Vorfrage, ob in diesem Jahre ein Ostrakismos stattfinden solle; und sein Einfluss war gross genug es durch zu setzen, dass die Frage bejaht wurde."

Digitized by Google

postea, in recentiore libro, hanc sententiam deseruit Gilbert. Quod substituit, hoc est, *quotannis* rem ad concilium populi esse latam [1]); quod iam multo ante Hermann quoque statuerat [2]), quod idem etiam Müller-Strübing accepit [3]). — Nemo vero ex eis (Hermann, Gilbert in Handbuch, Müller-Strübing) plenius explicavit, putentne (cum viro d. Schoemann) de ea re deliberatum esse in concilio, an non, et num credant (cum viro d. Grote) senatum de ea re Auctoritatem interposuisse necne.

Variae quas percensui opiniones ad duas primarias igitur sententias referri possunt; alteram hanc: concilium populi quotannis interrogatur, et post deliberationem civium decernit (Schoemann, Grote); alteram hanc: concilium populi post deliberationem decernit si permisit senatus; senatui autem licet interrogare concilium, sed etiam licet vetare vel prohibere ostracismum (Lugebil, Duncker, Gilbert in Beiträge, Beloch).

Mihi autem primum propositum est, hanc secundam sententiam refutare, et demonstrare, etiamsi deliberatum fuerit in concilio, senatum non potuisse prohibere ostracophoriam. Duo argumenta afferam, alterum ex testimoniis Philochori et Aristotelis petitum, alterum ex ipsa rei natura. Primum audiamus grammaticum Philochori verba exhibentem [4]): Φιλόχορος ἐκτίθεται τὸν ὀστρακισμὸν ἐν τῇ τρίτῃ γράφων οὕτω· προὐχειροτόνει (sic Houtsma pro προχειροτονεῖ) μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας, εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν· ὅτε δ' ἐδόκει κ.τ.λ. [5]). Cum hoc loco ipsa verba Philochori attulerit grammaticus, cum deinde ἡ ὀγδόη πρυτανεία quotannis recurrat, apparet Philochorum tradidisse etiam quotannis procheirotoniam habitam esse in concilio. — Iterum audiamus eundem grammaticum, verba

Senatui non fuit potestas prohibendi ostracismi etimpediendi quominus epicheirotonia in concilio haberetur.

1) Gilbert, Handbuch 1. p. 294: „in der κυρία ἐκκλησία der 6 Prytanie eines jeden Jahres fand eine Vorabstimmung darüber statt, ob in dem laufenden Jahre der Ostracismos vorgenommen werden solle."

2) Hermann, Staatsalt. (ed. Bähr und Stark) p. 500 § 130: „der Ostracismus, eine Maszregel deren Anwendung — jährlich einmal zu Anfang der sechsten Prytanie bei der Volksgemeinde zur Erwägung gebracht werden musste."

3) Müller-Strübing, Aristoph. u. d. Hist. Crit. p. 185 sq.

4) Lexic. Rhetor. Cantabr. ed. Porson p. 675. 12; cfr. edit. E. O. Houtsma, dissert. liter. Lugd. Bat. 1870 p. 24.

5) Cfr. Schol. Aristoph. Eq. 855: προυχειροτόνει ὁ δῆμος ὄστρακον εἰσφέρειν.

Digitized by Google

Aristotelis referentem [1]): ἄμεινον οὖν Ἀριστοτέλης· τὰς γὰρ ἀρχὰς ἐν ταῖς κυρίαις ἐκκλησίαις φησὶν ἐπιχειροτονεῖσθαι, καὶ τὰς εἰσαγγελίας (τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαι), καὶ τὰ ἄλλα τῶν ἀναγκαίων χρηματίζειν —· ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης πρυτανείας πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονίαν (Meier et Rose et Houtsma perperam προχειροτονίαν) δίδοσθαι, εἰ δοκεῖ ἢ μή. — Quomodo licet, haec verba, ἐπιχειροτονίαν μὲν δίδοσθαι εἰ δοκεῖ ἢ μή, ita interpretari quasi eis addidisset Aristoteles: ὅταν δοκῇ τῇ βουλῇ τὴν ἐπιχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ· μὴ δίδοσθαι δὲ, ὅταν μὴ δοκῇ τῇ βουλῇ, ut interpretatus est Lugebil? Neque nobis licet credere, verba Aristotelis mutilata esse a Grammatico, quandoquidem prorsus nihil est quod suadeat et Philochorus idem tradidit. Multo minus etiam credibile est, Aristotelem ipsum mutila dedisse legis verba, et in eundem forte errorem incidisse Philochorum. Manifestum est legem praescripsisse: ἐν τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ τῆς ἕκτης πρυτανείας ἐπιχειροτονία δίδοται τῷ δήμῳ, et prytanibus quidem legem hoc praescripsisse; non igitur potuisse senatum id prohibere, neque potuisse vetare ne prytanes perficerent officium suum legitimum; nam scita senatus legibus subiecta sunt. Revera etiam melius defendi posset alia interpretatio huiusmodi, legem hoc tantum praescripsisse ut eis, qui ostracophoriam rogare vellent (τοῖς βουλομένοις), copia rogandi data esset in concilio sextae prytaneae; si nemo esset qui hac copia uteretur, rem silentio esse praetermissam. Mihi quidem haec quoque interpretatio verbis repugnare videtur, nam si res talis fuisset, in Aristotelis verbis etiam legeremus illud τοὺς βουλομένους (scil. αἰτεῖν τὴν ἐπιχειροτονίαν sive eiusmodi aliquid), quod legitur paulo antea eodem loco. Sed hanc interpretationem nemo defendit. Rem temere e concilio in senatum transtulerunt vv. dd.; quod Philochorus et Aristoteles *populo* concessum fuisse tradunt, ei, cum ita melius placeret, *senatoribus* concessum fuisse statuerunt, populo autem hoc solum relictum esse ut acciperet aut repudiaret senatus Auctoritatem, cuius rei non solum nemo auctor est, sed etiam contrarium e verbis ipsis auctorum constat. Sic nemo, opinor,

1) Lex. Rhetor. Cantabr. p. 672. 13; Houtsma p. 20; V. Rose, Aristot. Pseudepigr. Lips. 1863 p. 437.

Digitized by Google

contendit, *ἐπιχειροτονίαν τῶν ἀρχῶν* revera esse habitam in senatu, cum eam populo concessam esse affirmet Aristoteles. Cum clare loquantur auctores, opus iam non est opinionibus et coniecturis (glauben und auffassungen [1]), quae multis rebus claris et simplicibus magnas tenebras obduxerunt in disciplina nostra. Recte agnoverunt Schoemann, Grote, Hermann, Müller-Strübing, Gilbert in Handbuch, epicheirotoniam *quotannis* in concilio habitam esse, neque eam contra legem potuisse impedire senatum si in senatu nemo rogaret de epicheirotonia habenda.

Alterum argumentum peto ex ipsa rei natura. Fieri non potest ut Clisthenes, cum instituerat ostracismum et gravissimum hoc telum pararet quo libertatem popularem defenderet contra eos qui in suspicione tyrannidis essent, voluerit senatum pro libidine posse hoc telum civibus eripere. Cur enim dedisset civibus, si simul senatui potestatem concederet impediendi quominus uterentur cives? — Cogitare debuit, si essent concordes et unanimi senatus et populus, nulli usui fore impediendi potestatem senatui datam; sed eam potestatem ita demum valituram esse, si forte aliquando dissentirent, si populus flagitaret ostracophoriam, senatus vero abnueret. Manifestum autem erat multo maius periculum eos minari libertati populari, qui iam eo processissent ut in senatu dominarentur, quam eos qui in senatu nihil valerent. Primus et maximus hic erat gradus eis faciendus qui ad potentiam civili maiorem pervenire studerent, ut senatum sub dicionem suam redigerent; quod quam magnum esset, modo docuerat exemplum Pisistrati. Is enim cum regnum affectaret, non antea sibi visus erat quidquam perficere posse, neque quidquam ante facere conatus erat, quam senatum nactus esset cuius maiori parti accepta esse sua consilia nosset; talem senatum vero simulac nactus est, facile e rogatione Aristonis cuiusdam senatoris et ex Auctoritate senatus a concilio impetravit, ut armatos circa se habere sibi permitteretur [2]). Si talis

---

1) Lugebil p. 139 adn.: »die Entscheidung dieser Frage hängt von der *Auffassung* der oben angeführten Stelle des Aristoteles ab" (quasi obscura essent verba Philochori!). — »Ich *glaube* dass jene *Auffassung* der Worte nicht nothwendig ist."

2) Diog. Laert. 1. 2. 49: *καὶ ἡ βουλὴ, Πεισιστρατίδαι ὄντες . .*; Plut. Sol. c. 30: *Ἀρίστωνος δὲ γράψαντος, ὅπως δοθῶσι πεντήκοντα κορυνηφόροι τῷ Πεισιστράτῳ φυλακὴ τοῦ σώματος.*

Digitized by Google

aliquis initio anni 560 fuisset Athenis ostracismus, qualem finxerunt Lugebil et Duncker, nullam is ostracismus salutem afferre potuisset libertati nondum eversae quidem sed iam periclitanti. Nam senatus passus non esset populum interrogari de ostracophoria. Clisthenes, cum praecavere vellet insidias demagogorum qui tyrannidem affectaturi essent, hac impediendi potestate senatui concessa, stultus ipse tutissimam viam omnibus monstrasset, eandem qua nuper usus esset Pisistratus; curarent modo homines gratiosi ut in senatu dominarentur, sic enim ab ostracismo nihil erat quod metuerent. — In senatu per sortitionem lecto minus quidem quam in senatu per populi suffragia designato periculum erat, ne hominis alicuius gratiosi magnus assecularum numerus simul inesset; sed homines illi sorte in senatum vocati eo magis metuendum erat ne animis submissis nihil auderent contra virum aliquem in civitate praepotentem. In senatu sortito quantum saepe valuerint homines gratiosi, docent non solum verba Demosthenis [1]), sed inprimis docet exemplum Periclis. Is enim ita in senatu dominatus est, ut a. 431, cum iam populum et concilium metuere coepisset, aliquamdiu cives ad rempublicam gerendam convenire passus non sit, ne copia eis esset publice belli molestias conquerendi; quod facere nemo potuit nisi qui ut Pericles nutu suo et ore (scilicet per assentatores suos et amicos) senatum regeret [2]). Senatus Atheniensis bene quidem et diligenter fungi solebat officiis sibi lege impositis, quamdiu omnia tranquilla erant et per ripas notissimas placide currebat flumen rerum quotidianarum; sed ad res magnas fortiter tractandas, ad vim et audaciam cohibendam, prorsus deficiebat et deficeret necesse erat [3]). Huic senatui si sine ulla causa ac ratione tantum concessisset Clisthenes, ut posset homines sibi acceptos vel qui tantum timorem sibi incuterent ut contra eos respirare non auderet, ab ostracismi periculo prorsus tutos reddere, frustra ostracismum

---

1) Demosth. 22 § 37 sqq. — Idem § 38 nominat aliquot homines *οἵτερ δι' ἑαυτῶν εἶχον — τὸ βουλευτήριον.* — Cfr. Aristoph. Equit. 166: *βουλὴν πατήσεις* —, et 363, et 395 acerbam irrisionem continens.

2) Thuc. 2. 22. 1; Plut. Per. 33.

3) Exemplum notissimum praebet Thuc. 8. 70.

Digitized by Google

instituisset. Nemo ob nimiam potentiam relegatus esset. Ingens praemium proposuisset Clisthenes eis qui senatum sibi conciliarent, scilicet ut libere et tute regnum affectare possent; quod praemium ut assequeretur, facile esse debuit viro alicui nefario et perditi quotannis quamdiu necessarium erat quingentorum hominum maiorem partem aut blanditiis et obsequio in suas partes trahere, aut vi et minis, aut hercle etiam pecunia. — At id ipsum fuit ostracismi proprium, ut inexorabilis esset, ut nullos singulos auctores haberet qui possent timore vel lucro corrumpi, sed totius simul civitatis consensu et tacita omnium voluntate excitatus adhiberetur. Talem ostracismum novit etiam Aristophanes, cum Cleonem fingeret nihilominus metuentem ostracismum (Equit. 852 sqq.) quamvis confideret senatui (ibid. 395). Fieri non potest ut Clisthenes stultus hoc ostracismo ademerit, et ita omnem utilitatem suo instituto detraxerit, impediendi potestate parvo senatorum numero concessa. — His argumentis etiam aliud addendum esse videtur. Frustra enim quaeris, si Auctoritate et sapientia senatus opus esse visum esset ut caveretur ne testis abuteretur populus, cur tandem semel tantum quoque anno et nonnisi certo die hanc Auctoritatem facere senatui permiserit Clisthenes. Certus dies enim ab omni parte molestus videtur. Si Clisthenes expectabat senatum prudentius quam populum usurum esse hoc instituto, illam molestiam tollere potuit, et senatui permittere debuit et tute potuit, tum de ostracismo deliberare et populum rogare, cum maxime ea re opus esse ipsi videretur. Quod certus dies ostracismo finitus est, ostendit, nihil in ea re senatui fuisse concessum.

Superest altera sententia, de ostracismo quotannis in concilio deliberatum esse, postquam senatus per Auctoritatem suam cum populo communicavisset quid sibi de ea re visum esset. Huic sententiae non dubito meam opponere, quae est huiusmodi, nullam de ea re factam esse senatus Auctoritatem, nullam in concilio institutam esse deliberationem publicam.

Qua de re antequam argumenta mea proferam, claudendus esse videtur fons ex quo multi errores fluxerunt, et demonstrandum est, nihil de hac re ab auctoribus certis nobis esse praefinitum quod cogat illam sententiam accipere. Quamquam ipsa

Digitized by Google

Deliberationes in concilio habitas esse et senatus Auctoritatem factam esse, nulli tradiderunt auctores.

sententia perversa inprimis niti videtur oratione illa (Andocidis quarta) adv. Alcibiadem, quam in rem vocaverunt cum Schoemann tum post eum Lugebil [1]); brevi igitur ostendam, huic orationi nihil tribuendum esse.

De ipsa vero oratione quid multa scribam? De qua iam, ut lepide Blass, plus quam omnia dicta sint. Eam genuinam non esse (quod etiam contenderat Sluyter, virum d. Ruhnkenium secutus [2]), neque ab Andocide neque a Phaeace esse habitam nec scriptam, iam credamus viris d. Meier [3]), S. A. Naber [4]), Grote [5]), Blass [6]), Zurborg [7]), Lugebil [8]), Gilbert [9]) aliis. Facta sit oratio a discipulo aliquo vel imitatore Isocratis [10]). Verum ipse auctor orationis quid finxit? Finxit aliquando fuisse diem quo certaverint Phaeax, Alcibiades, Nicias, ne ipsi a civibus relegarentur [11]); quo vehementer Phaeax suaserit ut Alcibiadem testis notarent; quo Alcibiades post Phaeacem locuturus, misericordiam civium lacrimis moturus esse putetur [12]). — Verum quartum eventum qui cogitari posset, ut omnino ostracophoriam nullam haberi iuberent cives, non amplius suaderi potuisse eo die fingit scriptor orationis. Quamquam totum institutum valde improbare fingit Phaeacem [13]), Phaeacem tamen agnoscentem facit iam evitari ostracophoriam nullo modo posse. Quid enim? Sero est, *cives iam declaraverunt* ostracophoriam se habituros esse, procheirotonia iam peracta est. Idem etiam ab aliis obser-

1) l.l. p. 138: „die Pseudoandokideische rede gegen Alkibiades bezeugt, dasz dem Ostracismos darauf bezügliche debatten voranzugehen pflegten."

2) Sluyter lectiones Andoc. ed. C. Schiller Lips. 1848 p. 9 sqq.

3) Eam citavit Lugebil l.l. p. 121 adn. 2.

4) Naber de fide Andoc. Orat. de Myster. Lugd. Bat. 1850 p. 6 n. 6.

5) Grote 4. p. 78 n. 3.

6) Blass die Attische Beredsamkeit Leipzig 1868 1. p. 325—331.

7) Zurborg der letzte Ostrakismus in Hermes 1877 p. 198 sq.

8) l.l. p. 171.

9) Gilbert Beiträge p. 233.

10) Cfr, Blass l.l. p. 331.

11) § 2: *ὁ μὲν οὖν ἀγὼν ὁ παρὼν οὐ στεφανηφόρος, ἀλλ' εἰ χρὴ μηδὲν ἀδικήσαντα τὴν πόλιν δέκα ἔτη φεύγειν· οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι περὶ τῶν ἄθλων τούτων ἐσμὲν ἐγὼ καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Νικίας, ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν.*

12) § 39: *ἔστι μὲν οὖν Ἀλκιβιάδου — ἱκετεύειν καὶ δακρύειν οἰκτρῶς· — ἐνθυμοῦμαι δὲ τίνας καὶ πείσει δεδεμένος.*

13) § 3—7.

Digitized by Google

vatum est, scilicet a viris d. Grote et Blass [1]). Hac quidem in re quoque Lugebil plus vidisse sibi videtur quam Grote, sed fallitur [2]). Ne multus sim in re vix refutatione digna, hoc tantum eis quae modo attuli addam: Oratori huic fictitio, si nondum cum surgeret iussa erat ostracophoria, duae viae patebant quibus ingredi posset. Nam *aut* ostracophoriam suadere poterat, sperans fore ut adversarius suus relegaretur; sic ostendere debebat, in ostracismo inesse veram et unicam contra Alcibiadem patriae et libertatis salutem, et simul Alcibiadem accusare, simul ostracismum laudibus efferre debebat. Sed hac via eum non ingressum esse novit quicumque inspexit orationem; non satis suis viribus confisus orator, vehementer contra ostracismum disserit. — Restabat igitur altera via: omnibus viribus in hanc rem incumbere debebat, ut efficeret ne ullam ostracophoriam haberi iuberet populus. Id solum prorsus ex omni periculo eximere eum poterat, ea sola ei erat salus. Quod ut efficeret, tria argumenta habebat quae civibus probare deberet: 1° ostracismi rationem paulo iniquiorem esse; 2° se ipsum relegatione dignum non esse; 3° nullum alium tunc civem relegatione esse dignum. Itaque non solum se ipsum, sed etiam Alcibiadem et Nicias laudare et criminibus purgare debuit. Quid autem facit? Primos duos locos brevi tetigit, de iniquitate ostracismi et de sua innocentia; sed tertium locum prorsus omisit non solum sed etiam contrarie tractavit, tota enim oratio adversus Alcibiadem scripta est, id est (si virum d. Lugebil secuti statuimus procheirotoniam nondum habitam esse) ad *suadendam* ostracophoriam. Etiam altera igitur via non ingressus est, quod est absurdum. — Tota oratio clamat se non esse habitam ante procheirotoniam, et revera totidem verbis hoc dicit orator, de ostracophoria habenda iam esse decretum a civibus [3]). Haec cum non perspexisset Lugebil, paulo inconsideratius disputavit. —

---

1) Grote 4 p. 79 adn.; Blass p. 326 n. 6.

2) Lugebil l.l. p. 138 sqq.: „Vor der Beschlussfassung aber ob überhaupt Ostrakophorie vorzunehmen sei, müszen (die Debatten) jedenfalls stattgefunden haben. Dies geht aus dem inhalt der eben genannten übungsrede klar hervor."

3) § 7: *περὶ μὲν τούτου (τοῦ μέμψασθαι τὸν ὄντα τὸν νόμον) οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ μακρότερα λέγειν· πάντως οὐδὲν γὰρ ἂν πλεῖον εἰς τὸ παρὸν ποιήσαιμεν.* — § 2 *ἂν ἀναγκαῖον ἵνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν.*

Digitized by Google

Haec oratio igitur in rem vocari non potest ut probetur, de procheirotonia esse publice deliberatum. Num igitur probat oratio, accusatum esse et causam dictam esse post procheirotoniam? Nequaquam, immo contrarium ipse dicit orator. Non solum, si finxit orator quod Grote statuit [1]), hanc orationem habitam esse ipso die ostracophoriae, in foro, ad urnas, id falsum esse satis supra probavimus [2]); sed etiam omnino inter procheirotoniam et ostracophoriam habita esse non potest; huiusmodi orationi *nullus* omnino fuit locus, et cum id ipse affirmet scriptor, lepidissime ipse evertit et sustulit commentum suum [3]). — His addere vix opus est, scriptorem huius orationis habuisse ostracismi notitiam debilem et mancam, cum nesciat, certum numerum suffragiorum postulatum fuisse, et putet, de relegatione decerni maiore testarum numero; quod scribit: *ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν* (cfr. adn. 3 sup. pag.) aperte falsum est. —

Apud Plutarchum vero (quem in rem vocavit Gilbert) nihil legimus, quod ostendat de ostracophoria publice in senatu aut in concilio esse disputatum. Nam distinguendum est inter orationes de ipsa hac re habitas, sententias dictas, quas nullas fuisse contendo, et instigationes vel admonitiones oratorum de aliis rebus verba facientium, quas iam supra (p. 340) verbo tetigi. Ad hoc genus admonitionum pertinent omnia quae e Plutarcho afferri possunt. Eo pertinet illud dictum quod de Aristide populi auribus instillavisse traditur Themistocles [4]); et propter eiusmodi admonitiones saepius Plutarchus dicit, Aristidem a Themistocle esse e patria eiectum [5]). Sic Cimonem rele-

1) Grote 4. p. 79 adn.: „he assumes that the vote is actually about to be taken." Blass ll. —

2) Supr. p. 27.

3) § 3: *ἐν δὲ τῷδε τῷ καιρῷ οὔτε κατηγορίας γενομένης οὔτε ἀπολογίας ἀποδοθείσης.* — Obici non debet, deliberationes, in concilio habitas, non fuisse „iustas" accusationes et defensiones. Athenis enim non solum qui ad iudices, sed etiam qui in concilio accusabant, *κατηγορεῖν* dicebantur, qui causam dicebant, *ἀπολογεῖσθαι*. Quod si forte probandum mihi est, cfr. Herod. 6. 136; Xen. Hell. 1. 7. 9 et 16; Lys. 28 1 et 12 et sexcenti loci. Qui verba facere poterat de re sua, sicut fit hac oratione, etiam poterat *κατηγορεῖν* et *ἀπολογεῖσθαι*; cui potestas facta non erat accusandi et causae dicendae, etiam hanc orationem habere non potuit.

4) Plut. Aristid. 7.

5) Plut. Them. 5. a. f.: *τέλος κατεστασίασε καὶ μετέστησεν ἐξοστρακισθέντα τὸν*

Digitized by Google

gatum esse dicit ab oratoribus qui populum instigabant [1]). Sic Thucydidem a Pericle relegatum esse tradit [2]). Eodem pertinent certe omnia quae de Hyperbolo narrat Plutarchus. Οὗτος, ait, καταφανὴς ἦν ἡδόμενός τε τῇ διαφορᾷ καὶ παροξύνων τὸν δῆμον ἐπ' ἀμφοτέρους (Niciam et Alcibiadem) [3]). Apertum est hoc tantum significare posse haec verba, Hyperbolum modo hunc, modo illum, diversis temporibus, lacessivisse et quasi in transitu verbis perstrinxisse; nullo modo inesse potest, Hyperbolum de eorum relegatione sententiam dixisse in senatu et in concilio, ut censere videntur Gilbert et Beloch (supr. pag. 360 adn. 2 et 3). Nam etiamsi Plutarchus nescit, sex milia suffragiorum postulata fuisse, qua de re paulo post videbimus, id tamen nimis absurdum est eum putavisse, Hyperbolum *duos* ostracismi quasi candidatos proposuisse, cum unum tantum quisque civium suffragio suo notare posset. Idem significat alter Plutarchi locus: ἐχρῆτο δ' αὐτῷ πολλάκις ὁ δῆμος ἐπιθυμῶν προπηλακίζειν τοὺς ἐν ἀξιώματι καὶ συκοφαντεῖν. Ἀναπεισθεὶς οὖν ὑπ' αὐτοῦ, τότε τὸ ὄστρακον ἐπιφέρειν ἔμελλε [4]). Etiam haec non pertinent ad rogationem aliquam quam tulerit in senatu vel suaserit in concilio Hyperbolus, id enim ne credamus vetat alter locus, fortasse etiam consulto verbum τότε separatum est a verbo ἀναπεισθείς; utique illud ἀναπεισθεὶς referendum est ad instigationes Hyperboli tempore superiores. — Denique quod apud Plutarchum ibid. legitur; φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος κ.τ.λ., quae oratio Hyperboli fuisse videri possit, convenit nunc fere inter viros doctos, eam ipsam orationem respicere Plutarchum, quam nunc Andocidi attributam adv. Alcibiadem possidemus, quippe in qua id ipsum narretur, quod ex illa oratione parum accurate citaverit Plutarchus [5]); et statuendum

---

Ἀμυστείδην. — Them. 11: καταστασιασθεὶς ὑπὸ Θεμιστοκλέους. — Aristid. 25 s. f.: ἐπ' ἐκεῖνον ἐξοστρακισθείς.

1) Plut. Cim. 15: κατεβόων συνιστάμενοι καὶ τὸν δῆμον ἐξηρέθιζον, ἐκεῖνά τε τὰ τῆς τὴν ἀδελφὴν ἀνανεούμενοι καὶ Λακωνισμὸν ἐπικαλοῦντες; cfr. c. 17 μικρᾶς ἐπιλαβόμενοι προφάσεως.

2) Plut. Per. c. 14: τέλος — ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλε, κατέλυσε δὲ τὴν ἀντιτεταγμένην ἑταιρείαν.

3) Plut. Nic. 11.

4) Plut. Alcib. 13.

5) Cfr. Blass. l.l. p. 329 sq.

Digitized by Google

est, Plutarchum errore inductum nomen Niciae cum Phaeacis permutavisse, quod mihi verius esse videtur, quam pro verbis καὶ Φαίακος legendum esse ὑπὸ sive ὑπὲρ Φαίακος. Utique ea verba Plutarchi, cum respiciant orationem adulterinam, nihil probare possunt. — Ceterum vere Gilbert exposuit [1]), Plutarchum hoc loco errore inductum scripsisse, ostracismi timorem impendere coepisse *tribus* viris, Phaeaci, Niciae, Alcibiadi, quod repugnat ipsius narrationi quam aliis locis exhibet; neque dubitari posse quin eadem illa fictitia oratione (Andocidis), quam modo citavisset, in errorem inductus sit. Ex ipsis verbis quae deinde apud Plutarchum sequuntur error manifestus est.

Apparet igitur, auctores nobis rem integram reliquisse. Itaque transeo ad primum argumentum meum, quod petitur ex ratione epicheirotoniarum. Primum videamus de vocabulo ἐπιχειροτονεῖν.

Epicheirotoniae aut habentur de sententiis quas senatus et oratores dixerunt, aut de aliis rebus quae a populo probari possunt sine ulla suasione.

Ἐπιχειροτονία est suffragium *de* aliqua re. Praepositio ἐπὶ ad notionem suffragii ferendi propius adducit notionem rei quae suffragiis subicitur, quae aut accipitur aut repudiatur, sicuti, in vocabulis compositis διαχειροτονεῖν et διαχειροτονία, praepositio διὰ cum notione suffragii propius coniungit notionem eligendi, optandi, hoc aut illud decernendi, quae semper inest in suffragiis. Hinc, quamquam omnes χειροτονίαι sunt ἐπιχειροτονίαι — semper enim *de* aliqua re suffragium fertur —, et omnes sunt διαχειροτονίαι — semper enim duplex est interrogatio, πότερον δοκεῖ ἢ μή [2]) — tamen multae sunt verborum constructiones, quas admittit quidem verbum simplex χειροτονεῖν, sed quas nequaquam admittunt composita illa; ex. gr. populus dicitur στρατηγὸν χειροτονεῖν, *creare* praetorem, verum dici non potest (eodem sensu) ἐπιχειροτονεῖν στρατηγόν, quia non ὁ στρατηγός suffragiis subicitur, sed candidati subiciuntur; neque dici potest διαχειροτονεῖν στρατηγὸν ob similem causam, nam populus διαχειροτονεῖ πότερον οὗτος στρατηγὸς ἔσται ἢ ἐκεῖνος. Verbo ἐπιχειροτονεῖν, transitive usurpato, tamquam subiectum

1) Beiträge p. 232 sq.

2) Vulgata opinio falsa est, praepositionem διὰ in hoc verbo significare „per" sive „usque ad finem", quasi inesset, neminem non sententiam rogari in suffragiis („durchstimmen"). Immo praepositio idem significat, quod latine „dis" in compositis.

Digitized by Google

addi potest aut is qui suffragium init, populus, senatus [1]), aut is qui in suffragium mittit, praefectus, prytanes [2]), qui etiam dicitur ἐπιχειροτονίαν διδόναι. Res autem quae tamquam obiectum coniungi possunt cum verbo ἐπιχειροτονεῖν, vel quae in genitivo casu adiungi possunt substantivo ἐπιχειροτονία, sunt ipsae res aut personae quae suffragiis aut probantur aut repudiantur. Ita ἐπιχειροτονεῖν στρατηγὸν non est *creare* praetorem, sed *probare* eum qui iam antea dux factus est; quamquam creatio magistratuum per se haud dubie est epicheirotonia et diacheirotonia. — Epicheirotonia alicuius rei (aut personae) igitur est omne iudicium quod de ea re (aut persona) suffragiis suis fert populus. Verum huiusmodi iudicium populi nequaquam semper pendet ex deliberatione aliqua publica quae antecesserit; multae quidem epicheirotoniae sunt *de sententiis dictis*, ἐπιχειροτονίαι τῶν γνωμῶν, quales fere in omnibus ordinariis populi conciliis locum obtinent [3]), sed sunt etiam multae de aliis rebus aut de personis; eo pertinent omnes magistratuum creationes [4]), praedum probationes (ἐγγυητῶν καταστάσεις sive χειροτονίαι) [5]), aliae; duo genera epicheirotoniarum agnoscenda sunt, alterum περὶ γνωμῶν, alterum de rebus aut personis.

Primum consideremus ea quae propria sint priori epicheirotoniarum generi, quod est περὶ γνωμῶν. Huiusmodi suffragia haberi non possunt a praefecto concilii, nisi antea dicendi potestatem fecerit omnibus si qui sententiam suam cum populo communicare et suadere velint, quam potestatem facere dicitur λόγον sive γνώμας προτιθέναι [6]). Atqui id ipsum facere non licet praefecto concilii, nisi ratione habita sententiae senatus, τῆς

---

1) Gr. ap. Dem. 18. 205; Dem. 4. 30.

2) Dem. 24. 84; Gr. ap. Dem. 24. 39; cfr. Bake Schol. Hyp. 4. p. 283 sq.

3) Dem. 4. 30: ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ, χειροτονήσετε (ταῦτα).

4) Harpocration p. 123 s. v.: ἐπιχειροτονία ἡ τῶν χειροτονητῶν κατάστασις. — Hoc loco abusus esse videtur Stark (Hermann Staatsalt.) p. 493 adn. 4; quasi dubium esset quid esset κατάστασις. Harpocration cum in oratione Hyperidis quam citat legisset hoc verbum, cum eum non fugeret de magistratuum creatione ibi agi, id adnotavit quod citavimus.

5) Dem. 24. 84, Gr. ap. Dem. 24. 39.

6) Cfr. Xen. Memor. 4, 2. 3; Thuc. 3. 36. 5 (et adnot. v. d. Classen); 3. 38. 1; 1. 139; 3. 43. 1; 6. 14. 1.

Digitized by Google

γνώμης τῆς βουλῆς, quam populo proponere debet praefectus concilii, ut ea tamquam fundamento et principio deliberandi uti possint cives. Haec sententia senatus etiam esse debet inter eas sententias de quibus post finem deliberationis epicheirotoniam habiturus sit praefectus, nisi forte senatus nihil populo suadere et rem integram populo considerandam committere maluit (sed eiusmodi consultum senatus etiam dici solet „γνώμη") [1]); non enim licet populiscitum ἀπροβούλευτον facere, i. e. de quo ita deliberatum sit ut deesset deliberationi fundamentum sententiae senatus [2]). Qua de re hoc quod dixi nunc sufficiat; id enim tenere possumus etiamsi nunc non licet aberrare ad quaestionem paulo difficiliorem, quatenus sententiae quae repugnarent opinioni senatus vel ab opinione senatus alienae essent, potuerint statim accipi et populiscita ex eis fieri, quatenus senatui potestas facienda fuerit de integro de eis consultandi. — Verum quod diximus, non licere praefecto concilii γνώμας προτιθέναι et γνώμας ἐπιχειροτονεῖν nisi ratione habita sententiae senatus, id continetur regula notissima iuris publici quam nobis servavit Plutarchus [3]), μὴ ἐξεῖναι μηδὲν ἀπροβούλευτον εἰσφέρειν εἰς τὸν δῆμον; nam cum deliberatio haberi non possit nisi audita sit sententia senatus, inde sequitur, Auctoritate senatus opus esse ut aliquid deliberationibus populi subiciatur. — Sed de ipsa hac senatus Auctoritate, initio concilii postquam a praefecto cum populo communicata sit, populum in suffragium semper missum esse docet Harpocration [4]), et id suffragium quod semper habeatur antequam sententias roget praefectus, procheirotoniam dictam esse. De natura huius procheirotoniae cum valde inter se dissentiant viri docti, longiorem disputationem, qua opus est ad confirmandum quod nobis de ea videtur, differre debeo, et satis habeo pro vero affirmare quod Harpocration tradit et quod plerique vv. dd. acceperunt, procheirotoniam habitam esse de *om-*

1) Cfr. ex. gr. C. I. A. 2. 168: τοὺς προέδρους — χρηματίσαι, γνώμην δὲ συμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ, — τὸν δῆμον — βουλεύσασθαι ὅτι ἂν αὐτῷ δοκῇ ἄριστον εἶναι.

2) Cfr. Phot. p. 450, Harpocr. p. 48, Bekker, Anecd. p. 289. 31; Hesych. s. v. αὐτοτελὲς ψήφισμα; Lib. Demosth. p. 592.

3) Plut. Sol. 19.

4) Pag. 257 s. v. προχειροτονία.

Digitized by Google

nibus Auctoritatibus: ὁπόταν τῆς βουλῆς προβουλευσάσης εἰςφέρηται εἰς τὸν δῆμον ἡ γνώμη. — Ab altera parte vero, si ad concilium populi perlata est Auctoritas senatus, si ad deliberationem admissa est per procheirotoniam, deliberandi et dicendi potestatem civibus facere debet praefectus [1]), neque ei licet opprimere vel tollere deliberationem. — Itaque cum quaesiverimus quae propria essent huic epicheirotoniarum generi, quatuor ea esse apparet, et haec quidem: 1° senatus Auctoritatem cum populo communicari; 2° procheirotoniam de ea haberi; 3° sententias rogari, et contionem dari; 4° epicheirotonias haberi περὶ τῶν γνωμῶν, i. e. de singulis sententiis populum interrogari πότερον δοκεῖ ἢ μή, et de singulis bis manus porrigi a populo. — Haec omnia ita inter se cohaerent ut nexus divelli nequeat; nullum ex eis per se stare potest reliquis omissis; et ubi unum adest, reliqua omnia etiam adsint necesse est. Res autem publicae, quae hac ratione communiter administrantur a senatu et a populo, dicuntur εἰςφέρεσθαι εἰς τὸν δῆμον. Partim igitur oratoribus et omnibus qui in concilio sententiam dicere volunt idem tributum et concessum est quod senatui; nam sicuti illi sententias in populo dicere non possunt nisi etiam audita est sententia senatus, ita senatus sententiam suam ad populum ferre non potest nisi illis quoque dicendi potestas fit; utrorumque sententias enim, senatus et oratorum, cognoscere aeque expedit populo; si publica aliqua res eiusmodi erat, ut in oratoris et civis alicuius sententia de ea cognoscenda aliqua utilitas inesse posset, sane etiam utilitas erat in cognoscenda sententia senatus; cavendum erat ne ab oratore aliquo populus perduceretur ad decernendum de rebus novis quibus numquid obstaret non satis dispicere posset, cavendum quoque erat ne senatus abuteretur fide populi et suam sententiam ei improviso obtruderet. Verum partim plus tributum est senatui; is enim decernit quid ad populum ferendum sit quid minus; cuius rei etiamsi nequaquam libera senatui data sunt potestas et arbitrium, tamen eas res premere potest quae neque necessariae sint neque utiles sibi videantur; oratores vero occasiones expectare debent quas sibi praebeat senatus. Haec senatus maior potestas semper quidem

1) Cfr Aesch. Tim. 28.

Digitized by Google

valuit, neque umquam prorsus sublata est; sed tamen paulatim increscenti potestati concilii nimis subiectus est senatus (quod ipsius et praefectorum infirmitati maxime imputandum est) [1]), cum haud raro oratores populares abuterentur occasionibus datis, ad novas sententias suas populo proponendas, quo factum est ut crebro non a populo deliberaretur de senatus sententia, sed a senatu de populi voluntate, quin etiam ut populus nonnumquam decerneret non audita senatus sententia [2]). Sed tamen, quamvis saepe factum sit, praefecto numquam opus fuit, ne licuit quidem, quidquam suffragiis subicere (praeter ea quae ex lege decernebantur) cui non occasionem praebuisset senatus Auctoritas, quod satis excludi poterat cum ex edicto semper agendum esset [3]); et eatenus iure semper integra mansit regula *οὐδὲν ἀπροβούλευτον εἰς τὸν δῆμον εἰσφέρεσθαι*.

Omnia autem quae necessaria erant a senatu ad populum ferebantur. Quod partim fortasse legibus praecautum fuit ad senatum pertinentibus [4]), partim moribus publicis et ipsa necessitate nitebatur. Dubium non est quin, etiamsi plus tributum esset senatui in republica gerenda, et *omnia* quibus semper opus esset ita commissa fuissent senatui ut ab eo excitari et inchoari deberent, nihilominus nullum detrimentum captura fuisset respublica, neque magis a senatu metuendum fuisset ne desereret officium suum, quam a magistratibus hoc metuebatur; videtur optime tota respublica administrari potuisse communi hac opera senatus et populi, neque alio decretorum genere opus fuisse quam epicheirotoniis *περὶ γνωμῶν*. Quid? nonne etiam magistratuum creationes hac ratione fieri potuerunt, ut senatus quotannis, cum tempus lege definitum venisset, de ea re Auctoritate sua cum populo communicata, sententiam suam de candidatis

1) Cfr. Aesch. Ctes. 8.

2) Cfr. Lib. ap. Dem. p. 592.

3) Pollux 8. 95: *οἱ πρυτάνεις προγράφουσι πρὸ τῆς ἐκκλησίας, ὑπὲρ ὧν δεῖ χρηματίζειν.*

4) Cf. Gr. ap. Dem. 24. 20: *νόμοι βουλευτικοί.* — Sed verisimile videtur nullas de ea re leges fuisse praeter eas quas de officio prytanum partim servavit Pollux 8. 95 sq., quae prorsus sufficiebant ad regendum senatum (ex. gr. cum tertium concilium destinatum esset *κήρυξι καὶ πρεσβείαις*, satis cautum fuisse videtur ne legatis concilium dare omitteret senatus, cfr. Dem. 19. 185), et praeter leges quae erant de officio praefectorum concilii, quae pertinebant ad leges *περὶ εὐκοσμίας*, Aesch. Tim. 22 sq.

Digitized by Google

exponeret, ut deinde audirentur oratores si qui essent qui de candidatis verba facere vellent, ut denique *περὶ γνωμῶν* fierent epicheirotoniae? Nonne semper utilitatem aliquam habet consultatio, nonne expectari poterat meliores magistratus electurum esse populum a senatu et ab oratoribus edoctum et aliena sapientia insuper utentem quam ex ipsius sententia periclitantem? Sed tamen is qui democratiam instituit, voluit nonnullas epicheirotonias *non* esse *περὶ γνωμῶν*, sunt aliquot leges quae iubeant, certas quasdam res non *εἰςφέρεσθαι εἰς τὸν δῆμον* (ita enim quatuor illa quae supra percensui in eas caderent), sed de eis *ἐπιχειροτονίαν δίδοσθαι τῷ δήμῳ*; de his rebus igitur sine ulla senatus opera et Auctoritate, *ἀπροβουλεύτοις*, sed etiam sine ulla oratorum suasione decerni a populo voluit lex; et satis notum est eo pertinere omnes magistratuum creationes, *τὰς ἐπιχειροτονίας τὰς περὶ τῆς καταστάσεως τῶν ἀρχῶν*. Videamus quae fuerit eius rei ratio.

Ea ratio non haec fuit, quod eae res necessariae essent, et quod metui posset ne, si senatui commissum fuisset ut de eis ad populum ferret, fortasse a senatu premi et differri possent. Hoc enim satis caveri potuisset legibus ad senatum pertinentibus. Neque magis haec fuit ratio, quod inutilis fuisset opera senatus et Auctoritas et commendatio candidatorum quia de candidatis aliter decernere posset populus (cfr. supra pag. 358 sq.). Sed rationem hanc fuisse manifestum est, quod is qui democratiam instituit putavit, necessarium esse ut de magistratuum creatione decerneret populus *non admonitus*; quod noluit in ea re vincere quod de ea senatus forte populo persuadere posset, sed quod ipse sentiret populus. Eadem autem causa fuit, cur is qui democratiam instituit simul excluserit deliberationes et sententias oratorum. Utrisque enim, senatui et oratoribus, in hac re idem tribuendum et aut concedendum aut abnegandum erat; siquidem publica ea res (creatio magistratuum) talis erat ut nulla utilitas inesse videretur in cognoscenda sententia senatus, quia melius videretur populum decernere sine admonitione aliena, prorsus idem cadere debebat in sententias oratorum, et hae quoque excludendae erant.

Itaque pervenimus ad alterum genus epicheirotoniarum, quae sunt non *περὶ γνωμῶν*, neque de rebus quae *εἰς τὸν δῆμον εἰςενη-*

Digitized by Google

νεγμέναι εἰσι, sed de rebus aut personis quas ex propria sententia approbare aut improbare debet populus suffragiis suis. Huic generi quae propria fuerint si quaerimus, apparet non quatuor res sed unam rem necessarie huc pertinere, quae est ipsa epicheirotonia, quae constat ex interrogatione a praefecto proposita et suffragiis populi. Sed clarum est, de omnibus rebus quae hac ratione tractandae essent, speciales leges essent necesse fuisse; nam si lex specialis de aliqua re non esset, ea res cadere debebat sub eas quas nonnisi ex senatus Auctoritate ad populum ferre licebat. Argumentum autem epicheirotoniae, materies de qua decernendum erat, aut dari poterat ab ipsa lege; aut lex copiam et potestatem dare poterat ipsis civibus (τοῖς βουλομένοις) aut certis magistratibus, inveniendi et proponendi argumenti de quo futurum erat ut decerneretur. Hoc ex. gr. in magistratuum creatione valebat. Lex omnibus civibus copiam dabat, nominandi candidati (προβάλλεσθαι); decem praetores si creandi erant, pro singulis locis candidati nominabantur, et de singulis candidatis diacheirotoniae dabantur populo, quam ob causam necesse erat ut distinguerentur singula loca, ut unus candidatus unum tantum et certum locum petere posset, quam distinctionem Athenis κατὰ φυλὰς fuisse satis notum est. — Praeter leges de magistratuum creatione, aliae etiam leges speciales fuerunt, quae potestatem dabant aut civibus aut certis magistratibus, ut materiem et argumentum decernendi secundum legem populo proponerent; has leges enumerare nunc nihil attinet; exemplo sint lex quae civibus quibuslibet permittebat προβολὰς ποιεῖσθαι [1]), et lex Timo-

1) In probolis interrogatio haec fuisse videtur: πότερον δοκεῖ ἀδικεῖν ὁ δεῖνα — ἢ μή; (cfr. Harpocr. s. v.; Dem. 21. 206: καταγοὺς ἀδικεῖν). Hanc epicheirotoniam non fuisse περὶ γνωμῶν constat; λόγος non προυτίθετο de ea re. Nihilominus verba facta sunt publice (quod frustra Bake negare tentavit, Schol. Hyp. S. p. XXXIV sq.); scilicet cum is qui accusabat, tum is qui accusabatur, tum ei (quasi - testes) quorum nomina ab his delata erant ad praefectum concilii, videntur a praefecto concilii nominatim esse appellati ut si vellent verba facerent et populum docerent. Cfr. Dem. 21. 206: Εὔβουλος —, ὅτε ὁ δῆμος κατεχειροτόνησε Μειδίου, καλούμενος ὀνομαστὶ (scil. a praefecto concilii, ut mihi haud dubium videtur) ἀντιβολοῦντος τούτου καὶ λιταρεύοντος, ὡς ὑμεῖς ἴστε, οὐκ ἀνέστη. Καὶ μὴν εἴ μὲν μηδὲν ἠδικηκότος ἠγεῖτο τὴν προβολὴν γεγενῆσθαι, τοτ' ἔδει τόν γε φίλον δήπου συνεπεῖν καὶ βοηθῆσαι. Cfr. Lipsius (Mei. u. Schoem. Att. Proz.) p. 841 n. 899. — Probolarum ratio ab

Digitized by Google

cratis „de praedibus dandis" quae civibus aerario obligatis permittebat *ἐγγυητὰς καθιστάναι*, quae vetabat proedros ne recusarent interrogare populum de praedibus nominatis [1]). In his legibus autem cautum esse videtur a vocabulo *εἰσφέρειν*; ex. gr. *προβολαὶ* (accusationes) non dicuntur *εἰσφέρεσθαι*, sed cives *ἐποιοῦντο τὰς προβολάς*, praefectus concilii *παρεδίδου τὰς προβολάς*; thesmothetae dicuntur *τὰς εἰσαγγελίας εἰς τὸν δῆμον εἰσαγγέλλειν*, non vero *εἰσφέρειν* [2]), alia. Ad hoc genus legum autem pertinet ipsa quoque lex quae iubebat praefectos concilii, sententias a civibus quibuslibet dictas suffragiis subicere post finitam deliberationem; atqui oratores quoque non dicuntur *εἰσφέρειν γνώμην*, sed *λέγουσι γνώμας* sive *ψηφίσματα* [3]).

Duo epicheirotoniarum genera postquam satis distincta separavimus, superest ut quaeramus, quomodo agnosci possint; quae sint signa quae prae se ferant epicheirotoniae, propter quae ad hoc aut ad illud genus eas referre possimus. Ac primum quidem multo facilius nobis esset, de singulis epicheirotoniis diudicare ad utrum genus essent referendae, si una et constans esset ratio qua usurparentur a scriptoribus vocabula *ἐπιχειροτονεῖν* et *ἐπιχειροτονία*, et si res quae tamquam obiectum cum verbo, aut in genitivo casu cum substantivo, coniungerentur, semper essent ipsae res de quibus probandis aut improbandis suffragium habetur et interrogatio proponitur. Ita ad prius genus pertinerent hae locutiones solae: *ἐπιχειροτονία τῶν γνωμῶν* (ex. gr. *τῶν περὶ τῆς εἰρήνης εἰρημένων*), *ἐπιχειροτονεῖν τὰς γνώμας* (*τὰς περὶ τῆς εἰρήνης*); et ubicumque deesset illa vox *γνῶμαι*, de altero

Epicheirotoniae si lege speciali datae sunt populo, non sunt περὶ γνωμῶν, sed de aliis rebus aut personis quas probare aut improbare debeat populus.

initio haec fuisse videtur, ut possent facinora, quae non sub leges criminales vigentes caderent, tamquam *ἀδικήματα* a populo notari, ita enim poenae ab eis sumi poterant in iudicio, qui ea perpetraverant, quod sine populi Auctoritate fieri non potuisset, quia leges ansam accusandi non praeberent. Postea vero cum primum nonnumquam populiscitis (cfr. Xen. Hell. 1. 7. 35), deinde legibus nonnullis (cfr. Dem. 21. 175), probolae actio ad certa quaedam facinora et facinorum genera affixa esset, haec proprietas huius actionis minuta est, et in his facinoribus persequendis probole non magis valuit quam praeiudicium aliquod populi *iure* prorsus irritum et supervacaneum, *facto* gravissimum.

1) Dem. 24. 39 et 84.

2) Poll. 8. 87. De ipsa re autem Pollucem erravisse suspicantur viri docti, cfr. Mei. u. Schoem. Att. Proz. (ed. Lipsius) p. 324 n. 355.

3) Cfr. ex. gr. Dem. 24. 11 et 13, Thuc. 8. 67, et passim.

Digitized by Google

genere cogitandum esset. Sed facili et usitata translatione factum est, ut etiam substituerentur pro sententiis dictis res ipsae sive argumenta de quibus sententiae dictae essent. Sic Gr. ap. Dem. 18. 29 scripsit: *ἡ εἰρήνη ἡ ἐπιχειροτονηθεῖσα ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ.* Manifestum est *τὴν εἰρήνην ἐπιχειροτονεῖν* dictum esse pro: *ἐπιχειροτονεῖν τὰς γνώμας τὰς περὶ τῆς εἰρήνης*, nam diacheirotonia non haec fuit: *πότερον δοκεῖ ἡ εἰρήνη ἢ μή*; sed *πότερον δοκεῖ ἡ γνώμη ἡ περὶ τῆς εἰρήνης* [1]). Hic usus derivatus autem rarior esse videtur (revera finitur nisi fallor hoc uno loco Grammatici), neque recte adhiberi potest, nisi forte de aliqua re una tantum sententia affirmans proposita sit; quo fiat ut iudicium de hac sententia simul videatur esse iudicium de tota re; si essent plures sententiae de pace iudicandae, de quibus singulis singulae epicheirotoniae habendae essent, non esset una actio *ἡ ἐπιχειροτονία τῆς εἰρήνης.* Sed tamen cum appareat hac ratione derivata adhibitum esse illud verbum, semper quotiescumque epicheirotoniae mentionem factam invenimus, de integro dispicere et explorare debemus, ad utrum usum pertineat ille locus. Ex. gr. legitur apud Gr. ap. Dem. 18. 105: *ἐπεχειροτόνησεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος (τὸν νόμον ὃν εἰσήνεγκε Δημοσθένης).* Hoc loco sedulo inquirendum est utrum *„ὁ δῆμος ἐπεχειροτόνησε τὸν νόμον"* dictum sit pro *„ἐπεχειροτόνησε τὴν γνώμην τὴν περὶ τοῦ νόμου"* (sicut Gramm. dixit *ἐπιχειροτονεῖν τὴν εἰρήνην*), an fuerit lex illa ipsa res quae in interrogatione memorata erat et de qua iudicandum erat civibus. Utrum mihi verum videatur, cum ad nomothesiam longius nunc aberrare nolim, alio loco exponam. Aliud exemplum afferam quod minime est dubium. Dem. 24. 84, legem Timocratis percensens, ait: *τοὺς δὲ προέδρους ἐπιχειροτονεῖν ἐπάναγκες, ὅταν τις καθεστάναι βούληται (ἐγγυητάς).* Quid hoc loco populo probandum sive iudicandum fore et in interrogatione memoratum iri dicitur, utrum *αἱ γνῶμαι αἱ περὶ τῶν ἐγγυητῶν*, an *οἱ ἐγγυηταί*? Ἐγγυηταὶ sane; et monere vix opus est de praedibus non esse deliberatum, neque de eis factam esse senatus Auctoritatem, neque eam rem *εἰσενεχθῆναι* dici posse, sed

1) Cfr. cum Dem. 19. 15: *ἡ ὑστέρα ἐκκλησία ἐν ᾗ τὴν εἰρήνην ἔδει κυροῦσθαι*, verba Aeschinis 2. 65: *τῇ δ' ὑστέρᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι*, et ibid. 67.

Digitized by Google

praedes esse dictos secundum legem in concilio a cive ad quem ea res pertinebat; sufficit relegere legem Timocratis (Dem. 24. 39). Satis apparet, hanc epicheirotoniam referendam esse ad secundum genus, quod non est περὶ γνωμῶν. Timocrates enim nullam huius rei potestatem esse voluit neque senatui neque oratoribus. Satius ei videbatur, eos praedes accipi, quos populus *non admonitus* idoneos esse declaraturus esset; non quod ita meliores fore crederet praedes, sed quod eis qui aerario obligati essent, facilem se praebere vellet; hanc ob causam neque senatui neque oratoribus copiam dedit, propriae sententiae de praedibus dictis interponendae. — Verum cum non satis ex usu vocis epicheirotonia semper ostendi possit, de utro genere sermo sit, aliud signum quaerendum est. Atqui adest signum certissimum, nempe hoc, si ea epicheirotonia de qua sermo est nititur *lege speciali*, referenda est ad secundum genus [1]). Omnes quidem epicheirotoniae fiunt *secundum* leges; sed aliae sunt ex Auctoritate senatus (περὶ γνωμῶν), aliae ex lege speciali. Lex specialis, quae iubet τὴν ἐπιχειροτονίαν δίδοσθαι τῷ δήμῳ περὶ πράγματός τινος, πότερον δοκεῖ ἢ μή, excludit sententias et senatus Auctoritatem. De eis vero, quae ex Auctoritate senatus decerni debent, quae sunt longe plurimae res publicae, paces, bella, foedera, alia eiusmodi, numquam inveniemus leges speciales, quamquam leges generales (p. 374 adn. 4) etiam de eis epicheirotoniam populo dare senatum cogunt.

Hoc autem ita nobis persequendum est, ut de singulis epicheirotoniis aliquot brevi agamus, quas leges speciales populo dari iusserunt. Non paucas quae huc pertinent omittemus (nonnullas iam supra tetigimus, veluti legem de creatione magistratuum, legem Timocratis de praedum probatione, legem de probolis, legem de sententiarum epicheirotonia), sed nonnullas percurremus quae maxime ad quaestionem nostram pertinent. Ac primum quidem memorabo procheirotoniam quae de omnibus senatus Auctoritatibus habetur. Legem specialem qua nititur

1) Cfr. Dem. 22. 5: οὐδὲν δεῖ, φησί, προβουλεύματος ἐνταῦθα· κατὰ γὰρ νόμον ἦν τὰ γιγνόμενα. Hoc valet de aliis rebus, etiamsi constat rem, de qua eo loco agitur, *non* ex lege subiectam esse suffragiis, sed ex rogatione Androtionis (§ 16 s. f.), et propterea etiam deliberationes de ea habitas esse (§ 10), et *adversus* legem eam latam esse ad populum (§ 10).

Digitized by Google

memorat Aesch. Tim. 23, quae est lex de officio proedrorum, sive πῶς δεῖ τοὺς προέδρους χρηματίζειν, quae si forte tempore recentior est, etiam alia de ea re fuit lex antiquior, et Solonis quidem. Eam procheirotoniam non fuisse περὶ γνωμῶν, sed de ipsa hac quaestione πότερον δοκεῖ σκέψασθαι τῷ δήμῳ — ἢ μή, satis opinor constat. Revera neque senatus de ea re sententiam suam declaravit quomodo populo accipienda esset Auctoritas sua, neque eam rem εἰς τὸν δῆμον εἰσήνεγκε (scil. ipsa γνώμη εἰσφέρεται, non vero iudicium quod de eius admissione populo ferendum sit), neque contio de ea re datur oratoribus [1]). Hanc ipsam ob causam dicitur procheirotonia, quia ad finem perducta esse debet antequam incipere possint deliberationes. — Deinde considerabimus tres illas epicheirotonias, quas populo dari iusserunt leges, quas ad certa tempora affixerunt leges, quae sunt τῶν ἀρχῶν, τῶν νόμων, τῆς δστρακοφορίας.

Quarum prima est epicheirotonia illa τῶν ἀρχῶν, quae quaque prytanea populo dari debuit. De omnibus enim magistratibus a populo creatis singulis et nominatim, novem archontes interrogabant populum in primo concilio cuiusque prytaneae, num bene officio fungi viderentur, πότερον δοκοίη καλῶς ἄρχειν ἕκαστος, ἢ μή; et in suffragium mittebant populum [2]). Eis autem, qui hoc suffragio notabantur, qui ἀποκεχειροτονεῖσθαι dicebantur, nihil pro magistratu agere licebat, et ab archontibus in iudicium vocati causam dicebant. Huius instituti Solonem fuisse inventorem ipsa instituti ratio verisimile reddere mihi videtur, sed dubitari potest cum taceant auctores nostri. — Secunda est epicheirotonia τῶν νόμων, quam nobis descripsit Demosthenes in Timocratea. Initio enim cuiusque anni prytanes populum interrogabant de singulis partibus iuris publici et legum vigentium; diacheirotoniae, quarum tot habebantur quot partes erant legum, tales fere erant: πότερον δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι (οἱ βουλευτικοί — οἱ κοινοί — οἱ τῶν ἐννέα ἀρχόντων — οἱ τῶν ἄλλων ἀρχῶν), ἢ

1) Sententia, quam de procheirotonia tenet Schoemann, minime quidem probata mihi est; sed tamen recte intellexit de procheirotonia publice disputatum numquam esse, de Comit. p. 99 sq.

2) Vid. Aristoteles ap. lexicogr. Cantabr. supr. p. 862; Aristot. ap. Pollucem et alios, V. Rose, Aristot. Pseudepigr. Lips. 1863, p. 486 sq.; Poll. 8. 87 et 95.

Digitized by Google

εἰσιστέος ἐστὶ καινὸς νόμος; [1]). Quodsi pars aliqua legum suffragiis notata erat (non enim tollebantur leges hoc suffragio, neque abrogabantur, quod Westermann videtur cogitavisse, sed notabantur [2]), nomothetae constituebantur, et novas leges ferre (εἰσφέρειν, scil. εἰς τοὺς νομοθέτας) licebat omnibus civibus; de his novis rogationibus autem et de veteribus legibus quas aggressi erant (ἐγράψαντο) latores, deliberabatur et iudicabatur in concilio nomothetarum. Hanc epicheirotoniam a Solone inventam et institutam esse notum est [3]). — Tertia denique est epicheirotonia de qua agimus, περὶ τῆς ὀστρακοφορίας; quotannis enim certo tempore populus interrogabatur, πότερον δοκοίη τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν ἢ μή; huius instituti Clisthenes auctor fuit, et supra ostendimus idem valuisse hanc interrogationem, ac si diserte populus interrogatus esset, haberentne demagogum aliquem quem in decem annos relegari vellent, an minus.

Ac primum quaeritur quomodo interpretandae sint illae formulae „epicheirotoniae τῶν ἀρχῶν, τῶν νόμων, τῆς ὀστρακοφορίας." Hae epicheirotoniae fueruntne περὶ γνωμῶν, an minus? Suntne ita accipiendae et dissolvendae hae formulae, quemadmodum supra dissolvimus illud ἐπιχειροτονεῖν τὴν εἰρήνην quod scripsit Grammaticus, ut sint pro his ἐπιχειροτονία τῶν γνωμῶν τῆς βουλῆς ἢ τῶν ῥητόρων αἳ εἰρημέναι εἰσὶ περὶ τῶν ἀρχῶν — περὶ τῶν νόμων — περὶ τῆς ὀστρακοφορίας sive περὶ τῶν δημαγωγῶν? Quid respondendum esset, dubium esse posset si solae hae formulae nobis cognitae essent. Sed omnis dubitatio tollitur, cum *ipsae interrogationum formulae legitimae*, certissime et ab optimis auctoribus traditae, nobis servatae sint. De epicheirotonia magistratuum verba Pollucis minime dubia sunt, cum ea quae ex Aristotele eum hausisse apparet [4]), tum ea quae paulo ante scripsit (8. 87): τοὺς ἄρχοντας καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾶν εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος; minime dicit, de sin-

Epicheirotoniarum tria genera, de magistratibus, de legibus, de demagogis, non fuerunt περὶ γνωμῶν. et ab eis alienae fuerunt omnes deliberationes publicae.

1) Dem. 24. 25, Gr. ap. Dem. 24. 20.

2) Westermann, Untersuch. über die eingelegten Urkunden (Abh. der k. Sächs. Ges. d. Wiss. Leipzig 1850) 1. p. 17.

3) Dem. 20. 90 et 93.

4) 8. 95, cfr. V. Rose l.l. p. 436.

Digitized by Google

gulis magistratibus quaque prytanea a senatu singulas Auctoritates factas esse, quibus declararet senatus utrum imperio abigendus an in imperio retinendus sibi videretur quisque; quod ita fere dictum esset: *τοὺς προδέρους ἐπερωτᾶν πότερον δοκεῖ ἡ γνώμη τῆς βουλῆς ἡ εἰς τὸν δῆμον συμβεβλημένη περὶ ἑκάστων, ἢ μή*; Neque minus certos auctores habemus de epicheirotonia *τῶν νόμων* (Demosthenem) et de epicheirotonia *τῆς ὀστρακοφορίας* sive *τῶν δημαγωγῶν* (Aristotelem et Philochorum), qui praecise negant has epicheirotonias fuisse de sententia a senatu aut ab oratoribus dicta. Apparet igitur, has res non pertinuisse ad eas res quae *εἰς τὸν δῆμον εἰσφέρεσθαι* dicuntur, Auctoritatem de eis nullam factam esse, exclusas esse deliberationes publicas, nullam in eas cadere ex eis quatuor rebus quas supra monuimus semper coniunctas fuisse cum *περὶ γνωμῶν* essent epicheirotoniae, neque ullo modo singulas per se stare potuisse.

Sed obici potest, etiamsi certam interrogandi formulam praebuerint leges, quae credere nos vetent haec suffragia *περὶ γνωμῶν* habita fuisse, fieri nihilominus potuisse ut necessarium esset, de eis rebus in concilio verba fieri. Quid? Nonne in probolis (accusationibus) etiam certam interrogandi formulam dedit lex, nempe hanc: *πότερον δοκεῖ ἀδικεῖν ὁ δεῖνα ἢ μή*; (cfr. p. 376 adn. 1); atqui vidimus, necessarium fuisse, de hac ipsa re verba fieri in concilio, ut populus audiret quale fuerit facinus, et ut opinionem aliquam de ea re suscipere posset, aut hoc facinus revera perpetratum esse ab illo homine, aut fictitium esse (Dem. 21. 214), quod idem deinde diligentius persecuturi essent iudices. Nonne idem cadit in *εἰσαγγελίας* quas fecit *ὁ βουλόμενος* aut quas fecerunt themothetae in concilio? Nonne eodem modo in aliis diacheirotoniis quas instituerunt leges, verba facienda fuerunt, ex. gr. nonne in creatione magistratuum et in probatione praedum nominari debuerunt candidati, dici debuerunt praedes, antequam in suffragium mitti posset populus? Ita autem fieri posse ut etiam in his diacheirotoniis verba facienda fuerint, quae, quamvis *γνῶμαι* non essent, tamen pertinerent ad deliberationem aliquam publicam. — At respondeo hoc non cadere in has interrogationes; nam in his interrogationibus iubendis lex non certis personis (sive *τοῖς βουλομένοις*, sive magistratibus quibusdam) copiam et potestatem

Digitized by Google

dedit inveniendi et proponendi argumenti de quo decreturus esset populus; sed in his interrogationibus argumentum et materiem decernendi ipsa dedit lex, et in ipsas interrogationum formulas inseruit. Quodsi lex ita interrogat (ut fit in probolis): πότερον ἀδικεῖν δοκεῖ ὁ δεῖνα ἢ μή; ante didicisse debet populus quis sit ὁ δεῖνα, quale sit facinus, numquis id facinus ab eo viro perpetratum esse neget (quamquam haec quoque ne cum deliberationibus ordinariis confundas, diligenter cavendum est). Sed cum interrogatur: πότερον εὖ ἄρχειν δοκοῦσιν αἱ ἀρχαὶ ἢ μή; — πότερον ἀρκεῖν δοκοῦσιν οἱ νόμοι ἢ μή; — πότερον δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰςφέρειν ἢ μή; argumenta interrogationum plena sunt, nihil in eis desideratur, neque quidquam superest de quo certior faciendus sit populus. Nam ab illis interrogationibus diligenter distinguendae sunt hae: „utrum vobis vera et idonea esse videntur argumenta quae dicta sunt contra hanc legem, an minus?" — „utrum vobis videtur deliquisse hic homo, siquidem id perpetravit quod ab accusatore nunc ei imputatum est, an minus?" — „utrum vobis videtur condemnandus esse hic demagogus propter haec crimina quae contra eum attulerunt oratores, an minus?" — Omnes hae interrogationes fiunt quidem, sed prorsus alienae sunt a tribus generibus epicheirotoniarum de quibus nunc agimus, et omnes pertinent ad res et occasiones quam maxime ab eis diversas. Prima enim pertinet ad nomothetarum concilium; ita enim interrogantur nomothetae postquam satis ab omnibus partibus consultatum est de legibus antiquis et de rogationibus novis; secunda pertinet ad probolas quae fiunt in concilio; tertia pertinet ad iudicia populi, cum in concilio accusatur, per actionem eisangeliae, demagogus aliquis qui populi fide abusus esse videtur. — Verum in tribus illis epicheirotoniis non tales fuisse interrogationes, a certissimis auctoribus nobis traditum est; ibi ita interrogatur populus, ut simul in ipsa interrogatione totum argumentum insit, de quo sententiam suam declarare debeat populus.

Sed de omnibus his interrogationibus verba fierent et deliberationes haberentur et sententiae dicerentur *necesse fuisse* contendit Schoemann, non quod id traditum esset ab auctoribus, sed quod ipsi magis placeret; et ita in ea re sui similis fuit, ut aeque corruperit omnium harum epicheirotoniarum intelle-

Digitized by Google

gentiam, quamvis iam ante eum fuissent [1]), qui quid verum esset intellexissent. Sic primum de epicheirotonia magistratuum scripsit [2]): „hae ἐπιχειροτονίαι eo maxime consilio institutae videntur, ut, si quis haberet, quod de magistratus alicuius in rempublicam aut in privatum quempiam delictis quereretur, id hoc die populo proponeret. — Neque aliter, ut puto, suffragium de magistratibus a populo ferri poterat, nisi si quis esset qui eos criminaretur; qui autem a nemine accusarentur, de eis nulla erat ἐπιχειροτονία." Hoc docuit Schoemann, neque intellexit aliquid interesse inter interrogationem epicheirotoniae (πότερον δοκεῖ εὖ ἄρχειν ὁ δεῖνα ἢ μή) et interrogationem probolae (πότερον δοκεῖ ἀδικεῖν ὁ δεῖνα ἢ μή); utrique interrogationi responderi non potuisse statuit sine accusatione. Neque eum attendit discrimen quod est in ipsis formulis quibus responsum populi enuntiari solet, quibus is qui in probola condemnatus est dicitur καταχειροτονηθείς [3]), qui absolutus est, ἀποχειροτονηθείς (Dem. 21. 204), magistratus vero qui in epicheirotonia suffragiis notatus est, dicitur, ἀποχειροτονηθείς, ἀποστράτηγος factus et reliq. [4]). Iam illud ἀπο eum monere potuisset in epicheirotoniis nullum locum esse accusationibus, cum ne condemnatio quidem ulla fuisse dicatur (κατα-) sed imperii abrogatio sola (ἀπο-). Itaque ex priore errore in novum errorem fere necessarie incidit Schoemann, qui hic fuit, ut permutaret et aequaret epicheirotonias cum probolis, cum insuper non animadvertisset, in epicheirotonia interrogationem fieri a novem archontibus, in probolis vero a proedris (Dem. 21. 9), et iudicio ex epicheirotonia derivato praeesse novem archontes, iudicio vero ex probola orto praeesse thesmothetas (Poll. 8. 87). Schoemann, ut notum est, ita confudit epicheirotoniam τῶν ἀρχῶν cum probolis, ut crederet utrumque nomen in eandem rem cadere, et epicheirotoniam magistratus alicuius tum unice fieri, cum probole eius facta esset, et probolae contra magistratum faciendae eo die unice copiam fuisse civibus, quo

1) Veluti de epicheir. legum Petit. Leg. Att. p. 178, quem ego non consultavi, Schoemann eum citavit de Comit. p. 254 n. 18.

2) De Comit. pag. 231; fere idem repetivit p. 330, et in aliis libris.

3) Harpocr. p. 165; Becker Anecd. p. 268; Dem. 21. 2 et passim.

4) Poll. 8. 87; Dem. 58. 27; (Dem) 26. 5; Dem. 23. 149. et 167; (Dem.) 49. 9 sqq

Digitized by Google

die epicheirotonia indicta esset [1]). Hunc errorem quidem partim castigaverunt alii, ut Boekh et Lipsius [2]). Sed e primarii erroris vinculis non se potuerunt solvere viri docti, et eum errorem etiam permanavisse videmus ad recentissimos et optimos libros qui sunt de disciplina nostra. Lipsius, cum vix melius quam Schoemann distingueret inter epicheirotoniam τῶν ἀρχῶν et probolen, sive inter suffragium *sine* et suffragium *cum* accusatione, eo pervenit ut adversus grammaticorum auctoritatem [3]) suspicaretur nullas fuisse probolas contra magistratus, et ut contenderet eos cives, qui a magistratu aliquo poenas repetere vellent, si eisangeliae actio eis non pateret, in epicheirotonia debuisse accusare et de imperio eius magistratus abrogando ad populum ferre; quae omnia sunt conturbationis plena [4]). Ita omnes errare pergant necesse est, qui non intellegant naturam epicheirotoniarum, quae populo propositae sunt sine ulla suasione, sine ulla accusatione, sine ullis verbis factis in concilio.

Deinde Schoemann eodem suo errore obscuravit naturam epicheirotoniae secundae, quae fuit περὶ νόμων. De qua re haec docuit [5]) „populi fuisse arbitrium, utrum veteres leges immutatas manere vellet, an novas subrogari permitteret; qua de re iudicare et suffragium ferre non poterat, nisi edoctus antea ab oratoribus, aut reliquendas veteres, aut alias

---

1) Locus quem modo laudavi (Comit. p. 231) plenus hic est: „Hae epicheirotoniae eo maxime consilio institutae videntur, ut, si quis haberet, quod de magistratus alicuius in rempublicam aut in privatum quempiam delictis quereretur, id hoc die populo proponeret et προβολὴν faceret. Neque aliter, ut puto, suffragium de magistratibus a populo ferri poterat, nisi si quis esset, qui eos criminaretur et προβολὴν institueret; qui autem a nemine accusarentur, de eis nulla erat epicheirotonia." — Cfr. Schoem. de reddendis magistratuum gestorum rationibus, 1855, Opusc. Acad. 1, p. 393 sqq.

2) Boekh Kleine Schr. 5. p. 169 n. 1 (citavit Lipsius); cfr. Lips. (Mei. u. Sch. Att Proz.) p. 387 et n 389.

3) Harpocr. p. 165; Bekker Anecd. p. 268; Phot. p. 144.

4) Lipsius (Mei. u. Sch. Att. Proz.) p. 767; et p. 387: „eher darf man zweifeln, ob zu einer probole gegen Beambten neben den regelmässigen epicheirotonisi überhaupt ein Bedürfniss vorlag, und ihrer Annahme nicht lediglich ein ungenauer Ausdruck der Grammatiker zu Grunde liegt." — De epicheirotonia magistratuum non melius Gilbert (Handbuch p. 213): „es konnten alsdann gegen jeden Beambten etwaige Beschwerden vorgebracht werden." Cfr. Herm. Staatsalt. (ed. Baehr u. Stark) p. 590.

5) Comit p. 254.

Digitized by Google

earum loco substituendas suadentibus." — Ita Schoemann ipsius illius instituti publici Atheniensis, de quo ceterum ipse optime meritus est, nomothesiae, plerosque viros d. prohibuit quominus recte intellegerent naturam et perspicerent temperationem. Nam eius auctoritate motus cum Westermann in optimo et notissimo opere, tum alii omnes qui de ea re egerunt (ex quorum numero ne Bake quidem eximi potest, cfr. Schol. Hyp. 5 p. 269), in eos errorres inciderunt e quibus se recipere nequirent ad veritatem. Sed de hac re iam alio loco nobis mox agendum erit.

Eadem autem haec fuit causa, cur ostracismi naturam nondum intellexerint viri docti. Nam de epicheirotonia ostracophoriae idem hoc docuit Schoemann, in errore perseverans [1]): „cum haberi ostracismus populi iniussu non posset, necesse fuit, aliquo ante tempore cum populo hac de re agi, eumque doceri, quae esset ostracismi habendi causa, quive essent illi cives, quorum nimiae opes timeri atque tolli e civitate deberent" — etc. Quod cum acceperint omnes viri docti, explicare non potuerunt quomodo eum potuerit relegare populus, qui ob id ipsum potentia nimia frueretur, quod posset per sententias suas et suasiones ad voluntatem suam dirigere voluntatem populi.

Nos autem iam satis refutavimus illum errorem qui ad omnia tria illa genera epicheirotoniarum pertinet, cum ex ipsis interrogationum formulis ostenderimus, has epicheirotonias neque fuisse περὶ γνωμῶν, neque argumento interrogationis, quod populo iudicandum proponitur, quidquam defuisse quo fieret ut indigeret opera senatus vel privatorum hominum, sed plenum fuisse, et quod a populo penitus posset aestimari, et cui ex animi sententia respondere possent cives. — Sed tamen operae pretium esse videtur, paulo longius etiam considerare naturam huius instituti admodum memorabilis, et consilium quo id invenerit vir sapientissimus, Solon; quod ideo etiam necessarium esse videtur, ut appareat, has epicheirotonias non potuisse ad certum tempus annuum affixa esse si in Auctoritate senatus et sententiis oratorum cognoscendis ullam utilitatem inesse credidissent earum auctores, Solon et Clisthenes.

Tria genera epicheirotoniarum de quibus agimus, ab una

1) Comit. p. 243.

Digitized by Google

parte sunt consimilia et natura quasi cognata. Omnia enim pertinent ad res quasdam publicas, si molestae factae sint populo, mutandas aut tollendas; quae sunt primum leges, deinde magistratuum potestas, denique demagogorum auctoritas. Hae res multa communia habent. Primum hoc, quod in longius tempus valere solent et debent; lex postquam semel accepta est, in infinitum tempus valet, neque utile visum est ei qui democratiam instituit, certum tempus constituere, quo mutari deberet lex quaeque et novae legi locum cedere; magistratibus plerisque annuum est imperium; demagogi postquam semel fidem populi nacti sunt, nihil est quod possit ab eorum auctoritate liberare rempublicam, nisi forte aut alius surgat qui fama et fide longius etiam emineat, aut ipsi deficiant et publice aliquid admittant, quod accusandi occasionem praebeat inimicis, quo fiat ut iudicio opprimi possint. Deinde hoc commune eis est, quod facile paucis civibus singulis molestae et ingratae esse possunt. Sed tamen non solum utile visum est, verum etiam prorsus necessarium fuit, stabilitatem et tenorem harum rerum servare et defendere, et quatenus opus esset etiam vi et coercitione tueri, contra paucos cives qui eas aegre fortasse ferrent. Lex nulla esse potest, si civibus singulis licet, obsequium ei renuntiare cum primum placeat; idem valet de potestate magistratuum; denique res publica administrari non potest, si unicuique civi licet ex publicis deliberationibus arcere et excludere cives excellentes et de patria optime meritos quia suam libertatis et gratiae partem virilem ab eorum gravitate opprimi putet, et iam ipsa hoc vetant aequitatis principia. Itaque conservandae et confirmandae et tuendae erant eae res etiam invitis singulis civibus; si maior pars semel legem accepit, magistratum creavit, demagogum fide publica ornavit, huic maioris partis voluntati se subicere debent singuli omnes. Verum fieri potest, ut ita subito mutentur tempora et status rerum publicarum, ut molestia legis aut magistratus aut demagogi, quam antea pauci tantum singuli interdum fortasse senserant, iam ad ipsam maiorem partem civium permanare et pertinere coeperit; fieri potest, ut lex aliqua, quae antea commodis maioris partis apta

Solon et Clisthenes non putaverunt permittendam esse consilio publico civitatis, ut ab eo possent corrigi leges, abrogari magistratus, reiiari demagogi.

Digitized by Google

fuerat, impedimento facta sit saluti aut prosperitati multorum; ut magistratus, in quo bonam spem posuerat civitas cum electiones fierent, in anni cursu contra se irritet animos, sive quod, si urbanus magistratus est, crudelem se praebuit aut iniustum aut ineptum, sive, si militari imperio ornatus fuit, quod imperitia sua aut temeritate aut socordia in periculum adduxit salutem patriae, sive aliam ob causam, cum tamen aut copia non sit in iudicium vocandi mali magistratus, aut tempus et rerum discrimen non sinat eam occcasionem expectare; fieri denique potest ut demagogi auctoritas non paucis tantum civibus, sed multis simul vel omnibus ingrata esse coeperit, neque tamen ea quae ab hoc demagogo in republica gerantur et perferantur, per se reipublicae utilia videri negari possit. Atqui id ipsum, quod civibus singulis non potuit concedere ius publicum dum pauci essent et per se starent, id maiori parti concedendum esse crediderunt ei qui democratiam instituerunt, Solon et Clisthenes — quae ipsa res perquam memorabilis esse mihi videtur et admodum digna quae attendatur; a maiore parte populi exigi non posse putaverunt ut invita toleraret legem nocentem, magistratum malum, demagogum nimis potentem. Verum ea res difficilis fuit et magnae cautionis. Eam curandam nullo modo committi posse crediderunt communi operae potestatium civilium, cui reliqua summa respublica gerenda concessa erat; quin etiam ab hac re sedulo arcendum et excludendum esse putaverunt consilium civitatis publicum, nisi ipsi irritam reddere vellent operam suam et a proposito suo longe aberrare.

Sed ratio reddenda est, cur maxime cavendum esse putaverint Solon et Clisthenes, ne in hanc rem se immiscere eiusque compos se facere sinerent consilium civitatis publicum, quo tamen in rebus publicis nihil magis necessarium neque pluris faciendum esse facile unusquisque censere possit. — Primum enim magnum periculum esse credebant, si civitati potestatem darent ut consilio suo publico tollere posset leges, magistratus, demagogos, ne ea potestate abuterentur homines gratiosi. Consilium publicum civitatis dicimus consilium quod semper adhibetur a civitate, i. e. in democratia Atheniensi, a potestatibus civilibus quae communi

Primum enim consilium civitatis publicum oritur ex consiliis publicis singulorum hominum; neque utile videbatur res tam graves committere horum auctoritati.

Digitized by Google

opera rempublicam administrant, a senatu et concilio populi et Areopago et concilio nomothetarum. Hoc consilium non semper idem est neque certum et constans, sed efficitur et constat ex multis consiliis publicis singulorum hominum, quorum aliud per longius tempus, aliud in brevius tempus vel semel tantum accipitur et adhibetur a potestatibus civilibus, prout auctor consilii alicuius persuadet semper et optima semper invenisse vel invenire posse videtur; ex consiliis publicis singulorum hominum varie electis constat et effectum est consilium publicum civitatis. Cum autem proprie omne consilium ex persona pendeat, et sequatur naturam et indolem ingenii in quo nascitur, neque separari possit ab ingenio auctoris sui, accipere consilium alienum magis est fidei et obsequii, quam cognitionis plenae et certae. Atqui consilia publica singulorum hominum non solum determinantur peritia rerum, animi habitu, ingenii praestantia eius qui tenet consilium, sed multo magis etiam voluntatibus et studiis quae persequitur auctor consilii. Cum autem facile homines in animis suis plus valere patiantur studia quae pertinent ad felicitatem suam et amicorum quam studia publica quae tendunt ad salutem publicam, inde sequitur, consilia publica singulorum hominum facile declinare et deverti posse a vero proposito, quod solum reipublicae utile et salutare et vere publicum reddit consilium aliquod, a persequenda salute publica. Magno vitio igitur obnoxia sunt consilia publica singulorum hominum, et hoc vitio ne adulteretur quoque et corrumpatur consilium publicum civitatis, magnopere metuendum est [1]). Hanc ipsam ob causam ei qui democratiam instituerunt, *leges* invenerunt et sanxerunt, ut aliquid esset *supra* consilium publicum quo dirigeretur et cogeretur et quantum fieri posset ab erroribus retineretur [2]); legibus ordinaverunt et stabiliverunt quidquid ex rebus publicis huiusmodi moderationem et confirmationem in se recipere videbatur; eas tantum res quae supererant, quae natura

1) Hanc causam fuisse manifestum est, cur adeo esset metuenda demagogorum fraus, cfr. supr. p. 138 et 170.

2) Cfr. Aesch. Tim. 4: διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες καὶ ὀλιγαρχίαι τοῖς τρόποις τῶν ἱδρυσαμένων, αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις. Cfr. Dem. 24. 5; Plut. Mor. p. 151 F. — Ea laus antiquitus concessa fuit Athenis, leges ibi inventas esse, cfr. Aristot. ap. Diog. Laert. 5. 17; Dem. 24. 210; Lucret. 6 3; Cic. pro Flacc. 26. 62

Digitized by Google

sua ab hac temperatione alienae erant, consilio publico civitatis curandas et administrandas commiserunt. Atqui si qua alia in re, maxima singulis hominibus peccandi illecebra inerat in illis tribus rebus. Facillime fieri poterat, ut aliquis cuperet legem aliquam aboleri et novam legem accipi, magistratum aliquem imperio abigi, demagogum aliquem ex deliberationibus publicis excludi, non quod hoc ad patriae salutem pertinere vel a maiore parte civium flagitari putaret, sed quod suaderent voluntates et studia ipsius privata, odium, aemulatio, imperandi cupido, commoda propria aut paucorum hominum amicorum; quod ipsi aut amicis molesta facta esset lex aut magistratus aut demagogus aliquis. Talis vir autem si copiam nactus esset, in his rebus etiam consilii sui civitati commendandi, et auctoritate sua efficiendi ut acciperetur, expectabant fore ut avide hac copia uteretur. Id autem fieri non posse credebant nisi cum magno detrimento publico, quia ita sublata foret stabilitas illa harum rerum quae maxime necessaria esset, et quia futurum erat ut singuli homines, qui auctoritate excellerent, vincere et delere possent vim legum, potestatem magistratuum, auctoritatem demagogorum qui minus quam ipsi in republica valerent, quin etiam securitatem et patriae usum cuiuslibet civis quem ob rationes privatas eicere eis placebat. Iam hic metus multum valuit apud Solonem et Clisthenem, eosque permovere debuit, ut has ipsas res inprimis a legibus defendi curarent contra consilium publicum civitatis. — Sed multo plus apud eos valuit alia res. Nam si *civitati* potestatem darent ut consilio suo tolleret leges magistratus demagogos, id ipsum nequaquam se assecuturos esse intellegebant quod propositum esset, ut *populus* esset illarum rerum compos, et a populi voluntate eae res interdum tolli possent si maiori parti molestae factae essent. Etiamsi nemo esset, qui privatis consiliis perductus abuti conaturus esset potestate civitati concessa, tamen id quod in eis rebus effecturum esset consilium publicum civitatis, quamvis bonis studiis et salutis publicae cura ductum esset, nequaquam id fore intellegebant quod assequi vellent. — Sed fortasse hoc negatur, et obicitur, quandoquidem ad consilium publicum civi-

Deinde in suffragiis concilii quae sunt περὶ γνωμῶν, populus non decernit ex propriis studiis et voluntatibus ultro susceptis, sed partim ex praestantia sententiarum, partim ex auctoritate demagogorum.

Digitized by Google

tatis constituendum ipse etiam populus accedat in democratia, neque quidquam decerni possit in republica quod non confirmatum sit approbatione et suffragiis maioris partis populi, fieri non posse ut quod iubeat *civitas*, non sit *populi* voluntas. Et additur fortasse, eadem hac re satis quoque sublatam esse illud periculum quod modo tetigi, cum facile etiam populus prohibere potuerit ne quid se invito peccaretur a consiliorum auctoribus, neve studia privata singulorum hominum plus valerent quam studia et voluntates maioris partis populi. Quae dissensio cum maxime versetur in significatione ambigua vocis „voluntas populi", breviter exponendum esse videtur quid intersit inter voluntatem popularem sponte ortam, et voluntatem populi quae prodit in suffragiis publicis quae sunt *περὶ γνωμῶν*.

Satis constat animos civium varie affici posse rebus quae semper in civitate adsunt et accidunt, casibus et eventis publicis quotidianis, fortuna reipublicae, si res aliqua quae accidit et ad populi cognitionem pervenit offendit aut fovet sensum communem eius quod fas est et quod honestum, quod patriae et democratiae conducit, quod commodis civium convenit. Dolor autem et voluptas quae ex his rebus suscepit populus, ubi coniunguntur cum cogitatione personae quae auctor, aut rei quae causa, esse videtur doloris aut voluptatis, oriuntur ira odium suspicio favor; tum alias res aut personas quae molestae visae sunt aliquo modo tollere aut affligere aut malo afficere studet populus, alias quae benignas se praebuerunt efferre et beneficiis remunerari cupit. Et ita quidem inprimis fieri poterit ut in eandem rem efflagitandam convertantur studia omnium, si cives non caruerunt admonitione aliqua quae viam monstraret studiis; sive eam acceperunt singuli ex exemplo quod alius civis alii dare solet, sive eam audivit populus extra concilium sive in concilio, sive a demagogo sive ab alio aliquo homine; qualis admonitio non creat studia, sed in unum dirigit. Inter multa et varia quin etiam innumerabilia rerum aut personarum genera, contra quos ex usu quotidano et experientia longiore aut breviore suscipi possunt a populo ira et odium et taedium, etiam sunt leges, magistratus, demagogi. Haec autem voluntas populi quae in vita privata orta est, numquid et quantum valeat in suffragiis publicis quae sunt *περὶ γνωμῶν*, ita optime ostendere

Digitized by Google

posse mihi videor, si antea paucis verbis indicavero, quibus rebus determinentur et dirigantur suffragia populi quae feruntur περὶ γνωμῶν; hae res ad duo genera pertinere videntur. — Alterum genus rerum, quibus diriguntur suffragia, continetur *natura sententiarum* quae in concilio dicuntur et defenduntur. Primum enim sententiae nonnullae sunt, quae cupiditatem populi excitent, cum referri possint ad studia illa vehementiora et animorum perturbationes, si quae forte adsunt, quae modo tetigi, ad iram aut odium aut favorem ex rerum publicarum cognitione ultro a populo suscepta. Fieri enim potest ut illius modi perturbationibus commoti forte sint animi tum ipsum cum ad concilium conveniant cives, et cum deliberandum sit de aliqua re quae pertineat ad id quod perturbavit animos. Ita animi eorum qui conveniunt iam ante deliberationis initium quodammodo praeparati sunt ad eas sententias praeferendas et meliores ducendas, quae ad animorum desiderium explendum et satiandum magis idoneae videantur quam sententiae oppositae. Illae sententiae igitur sua natura se commendant populo, quia aestimari possunt ex animorum affectibus aliunde acceptis. — Deinde sententiae nonnullae sunt, quae cum magna et nova bona aut civibus singulis aut patriae toti promittere videantur, cum a civibus referri possint ad studia publica communia (qualia sunt studia eius quod fas est et quod honestum et iustum, studium gloriae patriae et optimae formae civitatis, studium commodorum communium civium), in novas animorum perturbationes adducant populum, in novam spem et cupiditatem. Hae sententiae igitur sua natura se commendant populo, quia aestimari possunt ex animorum affectibus quos ipsae excitent. Verum multae praeterea sunt sententiae, quae ad neutrum genus pertinent. Demagogi enim ipsi, cum non eodem modo afficiantur quo populus, sed de rebus omnibus publicis ex consilio suo iudicent, ad inveniendas sententias quas dicant et ad aestimandas sententias adversariorum suorum alia ratione perveniunt quam qua populus pervenit ad sententias dictas aestimandas; atqui demagogi, quo magis constantes sunt, quo magis certo et libero et bene spectato utuntur consilio, eo minus operam dabunt ut eiusmodi sententias inveniant et dicant, in quibus aliquam illecebram et voluptatis stimulum inesse cre-

Digitized by Google

dant; praeterea multae res publicae sunt, de quibus omnino sententiae populo per se gratae nullae dici possunt. Inde sequitur, magnam esse multitudinem sententiarum (quas „ambiguas" dicere velim) quarum natura nihil habeat quod alliciat populum; sive res proposita ansam non praebuit ad eiusmodi sententiam dicendam, sive consilia demagogorum eis non permiserunt ut eiusmodi sententiam dicendam eligerent. — Hac ratione igitur sententiae ipsa sua natura differre videntur. Nam eis nullo modo assentiri possim, si qui forte sint, qui contendant sententiarum suavitatem et pravitatem totam pendere e facundia oratoris qui eas defendat aut eas impugnet. Non quod nihil velim in ea re tribuere eloquentiae; sententia enim ad delectandos animos apta, si bonum oratorem nacta est qui admoneat et verbis suis praeeat et mentes auditorum ducat, qui quidquid in sententia insit apte exponere et studiis civium applicare valeat, facilius et certius placebit quam quae bono defensore careat; sed tamen certi fines positi sunt facultati oratoris, et ei in ipsis sententiis insunt; eis autem qui permultum hac in re tribuant oratoris operae, videndum est ne errore confundant et permutent potestatem quam habeant omnes demagogi excogitandi et consulto eligendi eiusmodi sententias quas gratas fore populo noverint (eo enim pertinet tritum illud, demagogos malos solere lucrum capere ex animorum perturbationibus quas ipsi in populo excitaverint, sed de ea re nunc non agimus), cum potestate aliqua virorum facundorum, quae mihi nulla esse videtur, qua pro sua libidine populo gratas reddere possint sententias quaslibet propter rationes quae ab illis sententiis revera alienae sint. — Alterum genus rerum, quibus determinantur suffragia, continetur fide quam demagogis habet populus. Demagogo fidem habere ita dicitur populus, si credere paratus est, consilium demagogi bonum esse. Ea fides nititur omnibus rebus quae ad demagogum pertinent quae ad cognitionem populi pervenerunt. Ex eis multum valent fama bellica et res in bello praeclare gestae, quae ostendant hunc hominem cum praeditum esse patriae, de qua optime meritus sit, amore, tum imprimis imbutum esse eo genere peritiae quod maxime necessarium est ad rempublicam bene administrandam, nempe peritia militari, quae eum prohibitura sit, ne in bella periculosa

Digitized by Google

et funesta temere civitatem adducat suis consiliis. Deinde ad fidem confirmandam multum valet, si vir bonus esse creditur demagogus, quo fiat ut idoneus videatur qui rebus gravissimis sed nonnumquam contraria suadentibus, religioni et iustitiae et humanitati, gloriae patriae, commodis privatis civium, singulis tantum tribuerit in consilio suo quantum aequum esset et oporteret. Praeterea is qui vir bonus et integer et patriae amans esse credatur, pignus aliquod reipublicae dare videtur, se nulla studia in animo suo valere passurum esse praeter ea quae in republica gerenda sola valere oporteat, studia salutis publicae. His accedunt alia leviora quae ad fidem confirmandam valeant, habitus et oris dignitas, amicorum multitudo quae ostendat virum probatum esse multis qui penitus eum noverint, divitiae quae suspicari sinant etiam privatas rationes demagogo esse cur patriam salvam esse velit, neque magnam causam ei esse cur lucro privato sibi faciat publicam rem, locus quo natus sit splendidus; quamquam ex odio civili diuturno accidere potest ut hae ipsae res magis a fide absterrere coeperint populum quam ad fidem allicere. Verum quod ad fidem demagogorum confirmandam plurimum valet, est ipse status reipublicae, si bonus est et boni illorum consilii fructus esse creditur. Alia viliora omitto, quae paulatim persequi coeperunt demagogi nonnulli humiliores, ut ad aurem praebendam populum propensum facerent, veluti dicacitatem scurrilem et ioca popularia [1]). Demagogus autem qui his et huiusmodi rebus excellit, si praeterea satis quod sentit eloqui potest, et ostendere se potest bene cogitandi et recte ratiocinandi peritum, facilius ad approbandam sententiam aliquam quam dixit adducit populum, quam qui eis rebus caret. Sententiae enim non solum aestimantur — si occasionem praebent — ex ipsarum natura, sed etiam ex praestantia consilii e quo derivatae sunt; atqui ea praestantia consilii nihil aliud est quam praestantia ipsius auctoris. Consilium enim, sicut supra dixi, separari non potest ab ingenio in quo nascitur et in quo nasci semper pergit; populus qui consilium alicuius demagogi accipit ut eo semel utatur ad hanc rem quae nunc proposita est, hoc facit non ideo quod univer-

1) Cfr. Plut. Phoc. 8 et alibi.

Digitized by Google

sum eius consilium quasi in se translatum receperit, quod fieri nullo modo potest, sed quod fidem habet auctori consilii, et quod fidem quam viro habet transtulit primum in eius consilium, deinde in sententiam ab eo dictam. Cum autem omnes sententiae habeant certum auctorem, nulla sententia est quae non possit a populo aestimari ex auctoris praestantia, i. e. ex animorum affectu quem excitet auctor sententiae. Eos autem, qui eo pervenerunt ut fide praestarent et meliores essent auctores, iam supra demagogos gubernantes diximus.

Populus autem cum in concilio de sententiis contrariis iudicare debet, quae ex Auctoritate senatus dictae sunt, inter quas est primum ipsa sententia quam senatus accepit, quam in concilio defendere solent demagogus qui in senatu eam pertulit, ὃς ἐκφέρει τὸ προβούλευμα, eiusque amici, deinde sententia contraria sive negativa si quam dixit demagogus oppugnans, quae ab ipso eiusque amicis defenditur, ex binis sententiis alteram [1]) eligere debet ut eam suffragiis suis accipiat; iudicium quod suffragiis suis ferat populus, semper est *comparativum*, non ea sententia accipitur quae prorsus per se placeat, sed quae *magis* placeat quam altera. Utraque sententia autem ut defendatur opus est, si quidem ullam rationem eius habiturus est populus. Nam quamvis sententiam negativam etiam populo accipere liceat etsi non defendatur, tamen adeo videtur necessaria esse vox defensoris, ut vix umquam Athenis accidisse videatur ut acciperetur sententia negativa non defensa [2]). Tantum valet admonitio praesens in excitandis animorum affectibus, ut, si altera sententia defensorem nacta sit, altera, etiamsi per se idonea sit quae

---

1) De singulis rebus enim semper *binae* sententiae sunt quarum altera accipienda altera reicienda sit, omnia suffragia sunt διαχειροτονίαι, πότερον δοκεῖ — ἢ μή; quamquam series suffragiorum quae ad idem argumentum pertinent, longa esse potest, si etiam sententiae dictae sunt augentes, τὰ μὲν ἄλλα ὥσπερ ἡ βουλή.

2) Causam cur a. 404 a concilio acceptum sit populiscitum Dracontidis, quo instituti sunt triginta tyranni, eam fuisse monet Lysias, quod defensore caruerit sententia negativa; eandem causam fuisse significat Thucydides, cur a. 411 acceptum sit populiscitum Pisandri quo mutata est civitatis forma. Lys. 12. 72: καὶ παρόντων Λυσάνδρου καὶ Φιλοχάρους καὶ Μελτιάδου, περὶ τῆς πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἵνα μήτε ῥήτωρ αὐτοῖς μηδεὶς ἐναντιοῖτο μηδὲ ἀπειλοῖ, ὑμεῖς τε μὴ τὰ τῇ πόλει συμφέροντα ἕλοισθε, ἀλλὰ τἀκείνοις δοκοῦντα ψηφίσαισθε. — Thuc. 8. 69. 1: ἐπειδὴ δ' ἡ ἐκκλησία οὐδενὸς ἀντειπόντος ἅμα κυρώσασα ταῦτα διελύθη.

Digitized by Google

magis placeat, non posse videatur per se animorum affectum ullum excitare si admonitore praesenti careat. — Quodsi autem sententiae contrariae defensae eiusmodi sunt, ut neutra habeat quod in populo excitare possit cupiditatem aliquam, quarum sententiarum (ambiguarum) maiorem multitudinem esse supra diximus, utque neutra possit ex ipsius natura aestimari a populo, tum semper vincat necesse est ea sententia, quae meliorem habeat auctorem. Sin vero ita res nata est, ut altera sententia per se et naturam suam sit gratior populo, altera minus grata, fieri potest ut duo stimuli ad optionem faciendam valeant, qui contrarii esse possint. Fieri enim potest ut sententia, quae per se minus placeat, dicta sit ab auctore meliore, sententiae vero quae magis delectet, auctorem habeat deteriorem. Huiusmodi stimulorum repugnantia si adsit in populo, apertum est, discrimen in hac re versari, utra res magis et longius superet rem sibi oppositam, auctoritas alterius demagogi, an praestantia alterius sententiae; utrum plus intersit inter gravitatem demagogorum qui contraria suadeant, an inter praestantiam sententiarum quae oppositae sint; neque ullo modo in universum posse definiri, utrum stimulum praelaturus sit populus. Hoc sufficiat, saepe quidem in eiusmodi rerum conditione vicisse praestantiam sententiae [1]), sed etiam exempla suffragiorum non deesse in rerum Atheniensium memoria, quibus a demagogo praepotente victa sit cupiditas populi. Pericles inprimis haud raro vicisse traditur sententias adversariorum populo gratissimas et sustulisse spem

1) Aliquot exempla verbo indicabo. A. 493 vicerant in concilio sententiae Themistoclis archontis, de Piraeo muniendo et de classe aedificanda rogatio prior, quae ad patriae salutem et ad belli Aeginetici necessitatem longe praestare videbantur (Thuc. 1. 93. 4, Herod. 7. 144, Plut. Them. 4), quamvis eas dissuaderet Miltiades ex consilio Aristidis demagogi gubernantis. — A. 431 accepta est sententia demagogi alicuius nobis ignoti de legatis Spartam mittendis qui pace Lacedaemoniis oblata finem belli quaererent, cum belli molestias graviter ferret populus, et frustra sententiam negativam tum defendit Pericles melior auctor, Thuc. 2. 59. 2. — A. 427, secundo deliberationis die, vicit sententia Diodoti qua absolvebantur Mytilenaei, cum populus iracundia iam sedata eam longe meliorem esse intellegeret ex ratione humanitatis, quamvis Cleon, gubernator reip. et melior auctor (Thuc. 3. 42 5. sq.: *ὁ τὰ πλεῖστα εὖ βουλεύων, ὁ κατορθῶν*) eam dissuaderet. — Memorabile inprimis est certamen demagogorum, quod finxit Aristophanes, Eq. 868—948; Fartor, novus homo, populum obruit multitudine beneficiorum, neque possunt eius sententiae, quae ad commoda populi manifeste pertinent, vinci a Cleone demagogo gubernante.

Digitized by Google

et metum ab aliis demagogis in populo excitata [1]); et ea praecipua apud Thucydidem eius est laus et potentiae incredibilis significatio: *κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ ἢ αὐτὸς ἦγε — ἔχων ἐπ' ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν κ.τ.λ.* [2]).

Iamvero revertentibus nobis ad quaestionem quam modo posui, numquid et quantum valeat in suffragiis quae sint *περὶ γνωμῶν* voluntas populi quae in vita privata sponte orta sit et ex experientia quotidiana ultro sit suscepta, apparet tantum abesse ut haec populi voluntas rexerit civitatem in democratia Atheniensi, ut, etiamsi nunc rationem non habeamus potestatis Areopagi, a. 460 sublatae, qui antiquitus poterat omnia populiscita irrita facere si legi repugnare viderentur, omnino eam parum valuisse iure dicere possimus. Neque quidquam esse quod magis ad reipublicae salutem necessarium fuerit, facile mecum censeat quispiam, nisi forte illud tenere placeat, vocem populi commoti esse vocem Dei, aut (ut Cicero alicubi scripsit) consensum omnium esse naturae vocem. Verumtamen constat Solonem voluisse, in una re gravissima (nam omittimus nunc magistratuum creationes et alia leviora) vincere et superiorem esse et libere dominari ipsam illam voluntatem populi, scilicet in legibus conservandis aut abrogandis aut mutandis; cui rei (siquidem verum est quod suspicamur, *τὴν ἐπιχειροτονίαν τῶν ἀρχῶν* quoque a Solone esse inventam, qua de re tamen dubitari potest) etiam alteram addidit, cum etiam ex hac voluntate populi pendere vellet stabilitatem et tenorem potestatis magistratuum annuorum. — Itaque cur eas res non potuerit committere consilio civitatis publico, cum eas vellet committi voluntati populi ex usu quotidiano legum et magistratuum ortae, etiam clare apparet. Nam ab altera parte si forte accideret ut populus aegre ferret legem aliquam aut magistratum, prorsus incertum erat et a fortuna pendebat, num huius populi voluntatis ullam rationem habiturum esset eique morem gesturum esset consi-

Solon autem de legibus et magistratibus a populo iudicari voluit ex eo quod iam de eis do-

1) Cfr. Thuc. 2. 65. 9: *ὁπότε γοῦν αἴσθοιτό τι αὐτοὺς παρὰ καιρὸν ὕβρει θαρσοῦντας, λέγων κατέπλησσεν ἐπὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ δεδιότας αὖ ἀλόγως ἀντικαθίστη πάλιν ἐπὶ τὸ θαρρεῖν.*

2) Thuc. 2. 65. 8; cfr. Plut. Per. 15.

Digitized by Google

ceret usus quotidianus, non vero ex nova spe quam inicere possent sententiae demagogorum, neque ex eorum auctoritate.

lium civitatis publicum. Fieri poterat ut ex eis qui rempublicam eo tempore gubernarent, nemo certo sciret quomodo animatus esset populus. Fieri deinde poterat ut is, ad quem ea res maxime pertineret, demagogus gubernans, consilio suo prohiberetur quominus gratificaretur populo. Quamquam concedendum est, aliquid esse quod demagogos potentes stimulare atque pungere soleat, ut rationem habeant voluntatis populi quatenus sibi nota sit, utque caveant ne eam neglegant; scilicet metuere debent ne adversarius inferior eam occasionem evincendi arripiat, nam qui nactus est occasionem sententiae dicendae quae a populo ex ipsius natura aestimari possit, eo ipso habet quo possit fortasse compensare infirmitatem auctoritatis suae. Hoc si metuerit demagogus gubernans, fortasse properabit in senatu excitare rogationem aut ipse aut per amicos, quae populo satisfaciat. Sed huiusmodi stimulus non optimus est quo possint duci demagogi; pertinet enim ad eorum studia privata, ad ambitionem et imperandi cupidinem; atqui nihil in demagogis approbari potest quod non faciant studiis publicis et curs salutis publicae ducti; neque credibile est Solonem ei stimulo, quem per se improbare debuit, tantum tribuisse ut ab eo pendere voluerit rem quae per se utilis videretur; verum quod plus valet, is stimulus non semper adest, nam adversarii metuendi non semper sunt demagogis gubernantibus: itaque fieri poterat ut demagogi potentiores, etiamsi nossent voluntatem populi, ei morem gerendum non esse putarent. Sed obicitur fortasse, si revera illud desiderium vigeat et vehemens sit in populo, ut lex aliqua mutetur aut magistratus aliquis imperio abigatur, fore ut senator aliquis, quamvis careat demagogiae usu et peritia, surgat et populi interpres factus, consilium publicum cogere conetur. Concedo, verum qualem huius rei exitum fore putabimus? Homo cui nulla omnino auctoritas est, quomodo contra demagogum auctoritate praevalidum respirare poterit, etiamsi populo gratum sit quod defendit? Ancipitem huius rei eventum esse, supra ostendimus; et eo minor homini novo erit victoriae spes, quo magis excellit eius adversarius. Quid Thersites contra Ulixem? Quid adversus Periclem valebit civis aliquis ignotus, qui dolori populi remedium aliquod afferre

Digitized by Google

conatur, cum populus in republica gerenda neque morbum suum solum respicere soleat, neque remedii naturam maxime, sed multo magis gravitatem et peritiam et fidem medici. Itaque fieri poterat ut id quod populi voluntati conveniret, etiamsi defensorem nactum esset aut demagogum inferiorem aut hominem novum, reprimeretur auctoritate demagogi potentioris, non solum in senatu, sed etiam in concilio populi. — Ab altera parte vero, si forte nihil esset in legibus aut in magistratuum collegiis quod molestum esse et tolli debere apparuisset populo in usu quotidiano, futurum erat ut nihilominus auctores consiliorum publicorum putarent se hanc rem curandam sumere debere, non solum si studia privata suaderent, sed etiam si lex aliqua aut magistratus alicuius persona non talis esse videretur qualis quae per se optima esset; et fieri poterat ut de eiusmodi re populo persuaderetur ab homine auctoritate valido, sive quod sententia eius insuper apta esset quae in novam spem et cupiditatem induceret populum, sive quod effecisset ut sibi de ea re crederetur. Sed id ipsum noluit Solon; in legibus cavendum esse censuit ab experimentis periculosis, cum quidcunque in ea re a consilio impetrari posset ipse sibi satis perfecisse visus esset; in magistratibus satis factum esse credebat cum populo data esset potestas eligendi et cum brevia essent imperiorum tempora. Has ob causas primum a mutatione legum exclusit consilium publicum civitatis; in senatu nihil proponi passus est, quod adversus leges suas esset aut ad eas mutandas pertineret; γραφὴν παρανόμων tamquam firmum impedimentum imposuit senatui et concilio, eiusque compotem fecit Areopagum custodem legum. Verum simul, cum nollet leges immutabiles esse [1]), invenit epicheirotoniam legum annuam, quae cum non esset περὶ γνωμῶν, sed de interrogatione quam lex populo proponeret, πότερον δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ νόμοι — ἢ μή, non esset in lucem editura voluntatem populi quatenus regendae civitatis et consilii civitatis publici ipse particeps esset, sed voluntatem

1) Cfr. Plut. Sept. Sap. Conv. 7 (Mor. p. 151). — Herod. 1. 29 ostendere videtur τὴν ἐπιχειροτονίαν τῶν νόμων primum habitam esse decem annis postquam acceptae essent leges Solonis. — Plut. Sol. 25 fortasse eo pertinet, leges Solonis primum mutatas esse ab Aristide paulo post pugnam Salaminiam, quae fuit fere centum annis postquam leges dedit Solon.

Digitized by Google

populi quatenus ipse regeretur. Ea occasione populum usurum esse credebat, si forte vitium aliquod in legibus inesse vehementer sentiret, et si ad flagitandam mutationem conspirarent omnium studia, sive is consensus in gremio populi natus esset ex sermonibus et admonitionibus privatis, sive ex admonitione demagogi alicuius qui in cursu anni fortasse operam dedisset ut paucis verbis animos instigaret et studia in unum dirigeret; id enim nullo modo a Solone prohiberi poterat, neque magnopere repugnabat eius consilio, cum nihil valiturae essent admonitiones demagogorum nisi iam ultro congesta esset materies cupiditatis quo scintilla ab eis apportari posset. Itaque epicheirotonia legum inventa est, ut cognosceretur et valeret voluntas populi consilio carentis; quam hac in re non modo spernendam non esse, sed etiam solam sequendam esse putavit, cum non id ageretur ut scisceret populus quod per se optimum videretur, sed cum apparere deberet, numquid a civibus moleste ferretur; hoc a deliberationibus publicis, si admitterentur, quin obscuraretur fieri non poterat. Hoc enim, quid molestum esset in legibus, quid minus, vitae quotidianae et privatae usum cives solum et satis docere posse credidit; qui si nihil hac in parte eum docuisset, etiam nihil mutandum esse putavit. Revera raras fuisse legum mutationes quamdiu integra valerent instituta a Solone inventa, auctor est Demosthenes [1]); nobis satis sit perspexisse quid voluerit Solon, cum copiam nobis non dederit memoria rerum manca et rara, accuratius cognoscendi quis fuerit eius institutorum effectus. Verum Solon, quidquid tribuit voluntati populi consilio carentis, numquam in eum errorem incidit ut putaret hanc voluntatem idoneam esse quae novi aliquid et utile perficeret et constitueret. Populus consilio carens potest iudicare de legibus vigentibus et de vitiis legum, sicut iudicare potest de sententiis auditis et de candidatis; numquam poterit leges novas invenire, vitia legum corrigere, non magis quam ipse potest sententias dicere. Illud rursus consilio civitatis publico committendum erat; suffragia populi annua hoc tantum effectura erant, ut nomothetae convocarentur, quos sine iussu

1) Demosth. 20 § 91: *καὶ γὰρ τότε μὲν, ὅσος τὸν τρόπον τοῦτον ἐνομοθέτουν, τοῖς μὲν ὑπάρχουσι νόμοις ἐχρῆντο, καινοὺς δ' οὐκ ἐτίθεσαν.*

Digitized by Google

illius suffragii annui convocari non licebat [1]). Tum consiliorum publicorum auctores evocandi erant; hi leges antiquas a populo notatas aggredi (γράψασθαι) poterant, novas leges invenire; rogationes εἰσφέρειν (i. e. ad nomothetas ferre) licebat omnibus quicumque utile aliquid habere sibi viderentur quod proponerent. *Signum* solum a populo sponte in epicheirotonia dari voluit Solon: hoc signum omnibus expectandum erat, neque quidquam sine eo facere licebat consilii publici auctoribus. — Deinde ex simili ratione inventa est epicheirotonia magistratuum, ut ita tantum novae electiones haberi possent, si populus declarasset se non amplius ferre posse alicuius potestatem.

Quod ipsum in instituto epicheirotoniarum ex certis temporibus a Solone constitutis manifestum est.

Verum si etiam a me poscitur, ut demonstrem Solonem revera ita distinxisse inter voluntatem populi legibus utentis sponte ortam et consilio carentem, et voluntatem populi rempublicam gerentis, qualis esset auditis sententiis demagogorum et consiliis publicis, respondeo hoc certissime demonstrari ex ipso epicheirotoniae instituto, cum certo anni tempori affixa fuerit. Ipsa enim haec temporis definitio ostendit, aliis temporibus nihil potuisse mutari in legibus, nam si potuisset, nulla fuisset definitio temporis; atqui si quid consilio civitatis publico tribuere voluisset Solon, certo tempore opus nullo modo fuisset; quod idem etiam clarius, si clarius potest, apparet in magistratuum epicheirotoniis. Nam ut ex consilio eae res agerentur, ita facillime assequi potuisset Solon, si senatui potestatem dedisset, quovis tempore Auctoritatis interponendae de lege aliqua mutanda aut magistratu abrogando; neque epicheirotoniis ullis neque lege speciali opus fuisset. Sic licet semper senatui, εἰσφέρειν τὴν γνώμην de bello indicendo, neque ulla umquam fuit epicheirotonia annua de bellis declarandis. Sed fortasse obicitur, fieri tamen potuisse ut aliam ob causam utilia visa essent Soloni certa tempora annua et menstrua; veluti, ut in administratione reipublicae ordo rerum et modus aliqui servarentur,

1) Notum est hac in parte post Solonem mutatum esse ius publicum Atheniense, cum introductum sit nomothetas posse convocari ex populiscito; quod fortasse etiam ante 460 nonnumquam tentatum est cum permisisset Areopagus. Inde ad ultimum accidit, quod sane ut accideret necesse erat, ut epicheirotonia annua legum facta sit caerimonia supervacanea, quin etiam fere inepta. Cfr. Dem. 20. 90 sq.; 24. 18.

Digitized by Google

utque caveretur ne res tam graves in mediis aliis rebus moverentur. Ego quidem illud argumentum etiam per se nihil valere censeo; sed tamen paulisper fingam id verum esse, et eam fuisse certi temporis constituendi rationem. Ita, si consilio civitatis publico eas res committendas et reservandas esse censuisset Solon, lege speciali senatui permittere debuerat, ut Auctoritatem suam interponeret certis illis diebus de lege aliqua mutanda aut magistratu abrogando; ita in concilio deliberari et suffragium haberi potuisset de illis legibus et magistratibus solis quos senatus Auctoritate lacessendos esse putasset. An ne id quidem sufficiebat, et copia danda erat oratoribus in concilio aggrediendi leges et magistratus quos vellent? Ita lege speciali occasionem dare debuerat τοῖς βουλομένοις, illis diebus in concilio poscendae epicheirotoniae. Hoc si praetulisset Solon, exclusae quidem essent deliberationes publicae, cum ipse in universum constituisset μὴ ἐξεῖναι ἀπροβούλευτον μηδὲν εἰσφέρειν; sed tamen (ut fit in probolis) aliqua accusatio et defensio et quasi testimoniorum demonstratio admitti potuisset a praefecto et audiri a populo, et populus satis edoctus de eis rebus decernere potuisset. Etiam sic de omnibus legibus et magistratibus quos nemo lacessendos esse putasset, de quibus verba nulla facta essent, in suffragium missus non esset populus. Sed neutrum fecit Solon. Constat enim non solum illis temporibus epicheirotonias dari *potuisse* populo, quatenus placuisset senatui aut oratoribus eam rem excitare et poscere, sed eam populo utique dari *debuisse*, et de *omnibus* quidem legibus generatim, *omnibus* magistratibus nominatim; quod de epicheirotonia legum sine dubio tradidit Demosthenes [1]), quod idem de epicheirotonia magistratuum non minus constat ex auctorum testimoniis [2]). At inde sequitur, Solonem eam rem non reservandam esse putavisse consilio publico. Suffragia enim data sunt populo de rebus quae excitatae non erant ab auctoribus consiliorum publicorum, de legibus et de magistratibus quos nemo coram populo aggressu-

1) Dem. 24. 24—28; Gr. ibid. 20.

2) Vid. supr. pag. 380 adn. 2; et verba Aristot. supr. pag. 362. — De epicheirotonia magistratuum hoc temere et contra auctoritatem scriptorum negavit Schoemann, vid. supr. pag. 384 adn. 3; de epicheirotonia legum vero non potuit negare; de Comit. p. 254.

Digitized by Google

rus erat. Nam frustra quoque, qui illud concedere nolit, eo refugiet ut coniciat, Solonem fortasse instituisse ut senatui lege coacto de omnibus legibus et magistratibus Auctoritas illis diebus necessario interponenda foret, itaque suffragia, etiamsi utique lata sint de omnibus legibus et magistratibus, tamen habita non esse sine aliquo consilio publico, sine aliqua sententia audita. Hanc coniecturam enim, quae primum, quantum novi, nullum umquam inter viros d. defensorem nacta est (nam ne Grote quidem, supr. p. 358, de ostracophoriae epicheirotonia diserte hoc se sentire affirmavit), quae deinde, ut iam supra dixi, repugnat ipsis interrogationum verbis, quae denique prorsus contraria est moribus publicis Atheniensibus (hi enim Auctoritates lege coactas omnino non noverunt), minime etiam per se sufficere facile perspicitur. Quid enim interest inter hanc rationem, et rationem illam quae etiam Soloni eligenda in promptu erat, qua τοῖς βουλομένοις (oratoribus, sive ei forte senatores erant, sive demagogi, sive homines novi) permitteretur lacessere leges et magistratus quos vellent? Nihil aliud interest quam hoc, ut secundum hanc rationem (si res commissa esset τοῖς βουλομένοις) a populo decerni nihil posset de legibus et magistratibus quos nemo aggressurus esset, ut non posset a populo decerni si consilio alieno careret et proprias tantum cupiditates haberet quibus obsequeretur; ut secundum illam rationem vero (si senatus coactus esset Auctoritatem dare) populo potestas data esset, de eis legibus et magistratibus quoque decernendi, quos nemo lacessiturus esset, et ita quidem ut aut de eis acciperet sententiam senatus negativam et dissuadentem, propriis cupiditatibus, si quae forte essent, repressis, aut repudiata sententia senatus negativa, libere indulgeret suis cupiditatibus. Alterutram ob causam igitur, si illam rationem Auctoritatis coactae praetulit Solon, haec ei placuerit et praeferenda visa sit necesse est; aut ob hanc, quod populum repressurum esse crederet suas cupiditates motum auctoritate senatus, aut ob illam, quod fore putaret ut libere suis cupiditatibus indulgeret populus; nam qui praefert aliquam rationem, eam praefert propter id quod proprium ei est. At utrumcumque populum de his legibus et magistratibus decreturum esse credebat Solon, sive putabat in populo valituram esse sententiam senatus, sive

Digitized by Google

nihil valituram eam esse, nequaquam opus ei erat illa ratione molesta (qua ad Auctoritatem dandam cogeret senatum), et ad utrumque aliae rationes faciliores ei in promptu erant quibus poterat idem assequi. Nam si credebat valituram esse in populo sententiam senatus quae a nullis oratoribus impugnaretur, prorsus ei sufficiebat ratio illa qua τοῖς βουλομένοις rem permittere poterat; sin vero credebat, victuras esse populi cupiditates tum cum obstaret sola sententia senatus negativa, et cum nemo auctor esset, et si hoc fieri malebat et assequi volebat, etiam sic opus ei non erat senatum cogere, sed debuerat excludere omnes sententias et auctoritates; nam si illud (cupiditates populi vincere) ei placebat cum decernendum esset de legibus et magistratibus quos nemo aggressurus esset, de omnibus hoc ei placuerit necesse est. — Hoc enim fieri non poterat ut alio tempore valitura esset sententia senatus negativa, a nullis oratoribus impugnata, adversus populi cupiditates, alio tempore vero inferior esset futura, pro variis et fortuitis irarum causis et viribus. Nam sententiae negativae qualis a senatu dari debuisse perhibetur, hoc proprium est, ut nequeat instrui et confirmari ullis argumentis ex rerum statu fortuito petitis; si quid in populo valitura est, valebit non argumentis et rationibus ad iram populi pertinentibus, quae pro vario rerum statu firmiora aut debiliora esse possint, sed valebit gravitate senatus et auctoritate eius consilii, quae semper eadem est neque pendet a rebus fortuitis. Sed addere mihi liceat, numquid ego credam valituram fuisse sententiam senatus negativam quae sola audita esset, si forte eiusmodi aliquid instituisset Solon, contra cupiditates populi cui nullus alius esset suasor et auctor. Mihi autem constat utique victuram fuisse sententiam senatus. Ex. g. populus magnam iram suscepit contra magistratum aliquem qui se crudelem praebuit; fortasse etiam instigatione alicuius oratoris nuper audita in unum directa sunt studia civium, et omnes eius imperium abrogari concupiscunt. Venit epicheirotoniae dies; recitatur sententia senatus: εὖ ἄρχειν δοκεῖν τὸν δεῖνα; apparet, senatui melius videri eum virum in imperio manere, quamquam ignota ei esse non potest causa irae popularis. Rogantur deinde sententiae, circumspicit populus; nemo surgit ad virum accusandum et ad impugnandam senatus sententiam; hoc si accide-

Digitized by Google

rit, sententiam senatus fere omnibus suffragiis acceptum iri censeo. Eam enim vim esse credo praesentis admonitionis, ut numquam a populo accipi possit sententia contraria non defensa, si altera sententia, etiamsi per se minus apta sit quae delectet, etiamsi obstet voluntatibus et studiis a populo ultro susceptis, sola nacta sit suasorem gravem et idoneum. Hoc iam supra confirmavi duobus exemplis gravissimis [1]). Itaque tantum abest ut assentiar viro d. Lugebil, qui de ostracophoriae epicheirotonia agens statuit nullam omnino Auctoritatis coactae utilitatem esse potuisse (supr. p. 358 sq.), ut contra statuere malim certum semper eius futurum fuisse effectum, nisi forte vinceretur a demagogo aliquo gratioso. Hic enim constans effectus deliberationis aut suasionis publicae esse mihi videtur, ut, postquam semel in aliquam rem admissa sit, ea carere non possint cives et toti in ea re ab ea pendeant. E contrario, si in exemplo quod modo attuli hoc mutatur, ut nulla dari potuerit sententia a senatu, nulla ab oratoribus, certissime victuram esse credo iram populi, eumque magistratum fere omnibus suffragiis condemnatum iri. — Sed etiamsi Soloni fortasse aliter visum est, nihil tamen fuit, ut dixi, quod eum ad senatum cogendum permovere potuerit. Ex certis epicheirotoniarum temporibus, et ex epicheirotoniis de *omnibus* legibus et magistratibus utique populo datis, plene demonstratur Solonem voluisse excludere consilium civitatis publicum, et rem committere voluntati populi consilio carentis, cui eidem commissae erant magistratuum creationes et paucae aliae res publicae. Hoc argumentum prorsus sufficit; optime id etiam perspexit Schoemann, sed is maluit contra scriptorum auctoritatem negare ipsum principium huius argumenti, suffragium utique habitum esse de omnibus magistratibus, quam pati se eo ad veritatem duci.

Operae pretium esse duxi, paulo diutius in hac re subsistere. Nam, opinor, non sine aliquo detrimento rerum antiquarum memoriae factum est, ut opiniones virorum d. obscuraverint et ex iure publico Atheniensi exemerint totum hoc epicheirotoniae legitimae institutum. Nonne, quod saepe viros politicos agitavisse accepimus, cum distinguendum esse crederent (quo

1) Vid. supr. pag. 395 adn. 2.

Digitized by Google

iure, nunc non quaero) inter populi, ipsius commodorum conscii, vera aliqua et genuina studia, et fictitia quaedam et nimia desideria, quae in populo excitare facile possent illecebrae et blanditiae fallaces demagogorum, cum hi numquam contenti essent tamquam veri civium interpretes prodere quod revera posceret populus, sed semper aut populum docere conarentur de eis quae utilia ei esse ipsi crederent, aut malo dolo incitare ad ea quae sibi conducerent, nonne hoc idem Soloni iam antiquitus cordi fuisse apparet? Ratio autem quam Solon invenisse sibi visus est, primum ut leges et magistratus simul committeret et subiceret voluntati civium, simul vero defenderet contra arbitrium demagogorum, deinde ut populi voluntatem simul publice prodire et effectum edere curaret, simul vero integram servaret a consiliis et regimine demagogorum, quae est ipsa epicheirotoniae legitimae ratio, per se quoque memorabilis esse videtur neque indigna sapientia et alta mente Solonis; etiamsi ea ratio apta tantum fuit temporibus priscis et hominibus simplicioribus, et etiamsi a nobis certo cognosci non potest num quam utilitatem praebuerit et quatenus ediderit effectum optatum. — Sed inde ad ostracismum revertentibus, apparet eam rationem, quam invenerit Solon, persecutum esse Clisthenem, cum in ostracismum et in demagogos transferret epicheirotoniam legitimam. Clisthenes quoque eam rem non commisit arbitrio senatus, quod supra (p. 361—365) satis probavi; neque τοῖς βουλομένοις eam excitandam reliquit (supr. p. 362); epicheirotonias demagogorum utique quotannis a populo haberi iussit; at inde apparet, eum quoque ex ea re excludere voluisse consilium civitatis publicum, et populi cupiditatibus eam concedere. Neque id ita fecit ut senatum Auctoritatem quotannis dare cogeret, quod aut supervacaneum foret, aut rationi contrarium (et revera Auctoritas coacta ostracismum subiectura fuisse videtur voluntati senatus et oratorum, et impeditura fuisse libertatem voluntatis et irae populi), sed ita ut omni suasione et deliberatione prohibita, ad interrogationem a lege propositam ex animi sententia respondere iuberet cives. Demagogorum consilia eo magis ab hac re excludere debuit, quo magis contra ipsos demagogos comparata erat. Itaque quaestionem quam supra tetigimus, utrum aliunde translatus fuerit ostracismus, an Athenis inventus, ita

Digitized by Google

solvendam esse apparet, ut statuamus Clistheni exemplo fuisse institutum Solonis, et ex huius sapientiae fonte uberrimo quasi derivatum esse inventum recentius, quod deinde multo celebrius factum studiosorum animos in se potissimum convertit.

Primo argumento, quod nobis praebuit ratio epicheirotoniae legitimae, adiungimus secundum argumentum, petitum ex nomine *procheirotoniae*, quod huic epicheirotoniae [1]) de ostracophoria habitae indidit Philochorus (supr. p. 361). — De omnibus enim Auctoritatibus senatus, ad concilium latis, habetur procheirotonia, quam nobis descripsit Harpocration (supr. pag. 372 sq.). At si de ostracismo ad populum ferenda fuisset Auctoritas senatus, de hac quoque ut procheirotonia haberetur necesse esset. Sed hoc si verum esset, ipsum suffragium quod de ostracophoria deinde habendum esset, non potuisset procheirotonia dici, si iam altera antecederet procheirotonia. — Deinde, si recte perspeximus naturam procheirotoniae quam descripsit Harpocration, ideo instituta est ut populo copia daretur recusandi, si quid ad eum introducere vellet senatus; ut populus declarare posset se nolle de ea re deliberare et suffragium inire et scitum facere, neque se eam rem admittere ad concilium, *μὴ δοκεῖν περὶ τούτου σκέψασθαι τῷ δήμῳ*. At fieri non potest ut recusandi copia data sit populo, si quidem lex epicheirotoniam haberi iussit. Si lex iubet *ἡ ἐπιχειροτονία δίδοται τῷ δήμῳ*, fieri non potest ut populo licuerit declarare, se suffragium hoc anno inire nolle. Itaque nulla fuit procheirotonia de Auctoritate senatus; at ita

Ostracophoriae epicheirotonia habita non est ex Auctoritate senatus, cum de hac Auctoritate procheirotonia habenda fuisset.

1) Iam supra p. 362 animadverti, fuisse qui ex verbis Aristotelis demerent vocem *ἐπιχειροτονίαν*, et ex coniectura in eius locum substituerent vocabulum *προχειροτονίαν*. Huius coniecturae libenter refutarem rationes, si ullae essent. Sed frustra quaero. Quid? *τὴν ἐπιχ. διδόναι* non recte dicitur concilii praefectus, cum populum in suffragium mittit? At ita scripsit Gr. ap. Dem. 24. 50, et *τὴν ἐπιχ. ποιεῖν* scripsit Gr. ap. Dem. 24. 20, et *διαχ. διδόναι* scripsit Aesch. Ctes. 39, et *τῶν ἐπιχειροτονιῶν οὐσῶν* scripsit (Dem.) 58. 27. An vero dubium est quin suffragium unumquodvis, sive est *προχ.* (propter tempus quo habetur) sive *ἀποχ.* sive *καταχ.* (propter exitum suffragii), semper sit cum diacheirotonia tum epicheirotonia? Certe dubium non est; neque magis dubitari potest quin suffragium quod de ostracophoria habetur esset et maneret epicheirotonia, etiamsi forte Aristoteles alia voce aliqua usus esset. Sic suffragium, quod de legibus habetur, manet epicheirotonia, quamquam id rectissime diacheirotoniam dicit Dem. 24. 25. Itaque metuo ne nugas egerit vir clarissimus, qui ex verbis Philochori eam vocem primus in fragmentum Aristotelis transtulerit.

Digitized by Google

exclusa est Senatus Auctoritas, neque magis locus est deliberationi, quarum omnium rerum nexum nullo modo divelli posse supra monui (p. 373). Contra si accipimus, quotannis initio concilii primi sextae prytaneae, antequam ad alias res transiretur, populum a prytanibus ex lege subito interrogatum esse de ostracophoria, clare apparet quomodo hoc suffragium procheirotoniam dicere potuerit Philochorus. Cum altera procheirotonia frequentiore enim, etiamsi non est prorsus ei similis, maximas habet similitudines. Primum quod habetur ante omnes deliberationes, neque ullum de eadem re praecedit suffragium. Deinde quod habetur de interrogatione ex lege proposita. Tertium quod, si accipitur negativa (*οὐ δοκεῖ εἰςφέρειν τὸ ὄστρακον — οὐ δοκεῖ σκέψασθαι περὶ τούτου*) res uno suffragio transacta erit, et ad rem ordine edicti insequentem silentio transibitur; sin vero accipitur prius membrum, tum demum ad ipsum negotium aggredi incipiet populus, post alteram procheirotoniam ad ostracophoriam, post alteram ad deliberationem et suffragium.

De ostracismo publice deliberatum non esse, apparet ex scriptura in ostracismo adhibita.

Tertium argumentum certissimum inest in modo et ratione suffragii testularum, quod *per scripturam* fit. Notum est, hoc proprium fuisse ostracismo, ut testis nomina inscriberentur; at id ipsum probat, nullas in ostracismo habitas esse deliberationes. Haec enim scripturae ratio gravissimas exhibet molestias. Clisthenes eam certe non introduxisset ad suffragium populare, si ullo modo evitari potuisset; quae ne in magistratuum quidem creationibus Athenis umquam adhibita sit. Atqui si ante ostracophoriam decretam admissas esse credimus deliberationes, nulla causa inveniri potest cur non populo permiserit Clisthenes, ut etiam populiscita in eodem concilio faceret ex rogationibus oratorum; cur non praescripserit ut variae rogationes, nomina „candidatorum" continentes, submitterentur cheirotoniae, et is renuntiaretur quasi candidatus ostracismi, de quo rogatio accepta et populiscitum factum esset; sive (quod fortasse cuipiam magis placebit) ut bini aut plures candidati renuntiarentur, scilicet ei omnes de quibus acceptae essent rogationes [1]). — Deinde de

1) Obicitur fortasse, ita fieri non potuisse, ut in ipsa ostracophoria ex duabus

Digitized by Google

his candidatis habendum erat suffragium calculorum simplicissimum eiusmodi quale paulo ante a nobis descriptum est, quale haberi solebat de civitatis datione; id enim necessarium erat siquidem certus numerus sex milium suffragiorum postulabatur; singulae (denae) urnae ponendae erant singulis candidatis, et singuli calculi dandi civibus. Ita inscribendi et legendi testas molestia facile supersederi potuisset. — Cur nihilominus eam molestiam susceperit Clisthenes, ab eis tantum explicari potest qui intellexerunt, deliberationes fuisse prohibitas; nam manifestum est, scripturam propterea a Clisthene esse inventam et introductam, quia nollet ullum nomen publice audiri; contra satis constat deliberationis, si quae fuerit, hanc solam rationem fuisse, ut publice nominarentur, accusarentur, defenderentur Candidati. Hoc omnes agnoverunt viri docti qui deliberationes habitas esse statuerunt. Sic Schoemann eas necessarias esse affirmavit quia, ut dicit, „necesse esset populum doceri qui essent illi cives quorum nimiae opes timeri atque tolli e civitate deberent —" etc. (supr. p. 358 adn. 1); idem Duncker et alii. Inprimis operae pretium est cognoscere quid de ea re scripserit Lugebil, qui plurimum huic rationi deliberationum tribuit. „Obgleich also, inquit p. 140, am schlusze dieser discussion nicht darüber abgestimmt wurde *wer* zu verbannen sei, sondern nur darüber, ob überhaupt scherbenabstimmung stattfinden solle, durch welche der eine oder der andere Staatsmann zur verbannung verurtheilt werden könnte, so muszten doch schon diese debatten enthüllen, gegen wen die eine oder die andere partei zu stimmen gedenke". — Audimus quod ait „am schlusz dieser discussion wurde nicht darüber abgestimmt"; sed *cur* in suffragium missus non sit populus, frustra quaerimus; quod tamen quaerere eo magis in promptu erat viro docto, cum eo progressus sit, ut statuerit ipsam deliberationem quae de

---

partibus politicis adversis singuli candidati simul populo propositi essent. Sed revera, cur hoc necessarium aut utile fuisse putandum sit, nemo qui credit deliberatum esse rationes reddere potest. Si erat de partibus politicis iudicandum, quidni iudicari poterat in procheirotonia? Num propter infrequentiam concilii? Sed ea frequentia, quae nunc in ostracophoria fuisse creditur, tum in procheirotonia poterat expectari. Nulla omnino ratio est, cur discrimen et momentum ostracismi potius in ostracophoria quam in procheirotonia inesse debuisse putetur.

Digitized by Google

candidatis habita esset, licet nullis suffragiis confirmata esset, nihilominus *tenuisse populum*. Statuit enim, cum a. 417 de ostracismo deliberatum esset, et candidati ab oratoribus nominati essent Nicias et Alcibiades, *non licuisse* populo Hyperbolum relegare. „Die gelegentlich der procheirotonie stattfindenden debatten, ait p. 173, bildeten eine art präjudiz gegen die männer, die man verbannt zu sehen wünschte: wenn also ostrakophorie beschlossen war, so hatten die parteien dafür gestimmt, um den von ihnen bei dieser gelegenheit angegriffenen gegner zu verbannen —. Insofern also war das verfahren der hetärien (gegen Hyperbolos) illegal, als infolge davon das resultat der Scherbenabstimmung in widerspruch stand mit den beweggründen, welche das volk veranlaszt hatten die ostrakophorie zu beschlieszen." Tantum igitur tribuit deliberationibus, ut eos qui populum a sententiis oratorum privatim avocare conarentur, *non legitime* (illegal) egisse censeat. Iam mitto quaerere quid tandem id esse putaverit vir doctus; quod mihi semper visum sit significare „contra legem"; at tunc ne contra populiscitum quidem actum est; verum hoc fortasse levius est. Hoc solum monere et concludere volui, eos qui accipiant deliberationes habitas esse, necessario eo pervenire ut statuant, populiscitum de Candidatis fuisse faciendum (revera enim a deliberatione non potest divelli suffragium de eadem re, supr. p. 373), et scripturam suffragiorum omni sana ratione carere neque ullam esse potuisse. — Sed cum constet scripturam adhibitam esse, inde sequitur deliberationes nullas habitas esse; et cum constet deliberationum hoc fuisse proprium ut nominarentur Candidati, manifestum est ideo a Clisthene exclusas esse deliberationes, ut ne ulla nomina audirentur. Quod libenter nunc etiam magis confirmarem, ratione habita alius suffragiorum generis quod cum testarum suffragio magnam habet similitudinem, quod aptissime cum eo composuit Grammaticus quidam, nempe *ἐκφυλλοφοριῶν* [1]). Harum usurpatio triplex est, pertinent enim ad Areopagum et ad senatum et ad demotas [2]). Sed cum eius rei

1) Bekker Anecd. 1. p. 248: *ἡ βουλὴ — φύλλοις ἐλαίας ἐχρῆτο ᾧ ἕκαστος ἐπεσημήνατο τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ὥσπερ ἐπὶ ὀστρακισμοῦ ὀστράκοις.*

2) Poll. 8. 16.

Digitized by Google

ratio parum nota sit, et quae magis ex ostracismo lucem accipere debeat quam ei lucem afferre possit, nunc eo aberrare caveo; hoc sufficiat, ea foliorum olagineorum suffragia etiam hoc consilio instituta esse, ut posset a multitudine hominum indicari nec tamen opus esset accusatione et accusatore et reorum nominatione, et ut clam ferrentur suffragia.

Cum hoc tertio argumento cohaeret quartum, quod est huiusmodi: ab eis qui de ostracismo publice disputatum esse statuant, vim et pondus et terrorem omnem detrahi ostracismo; maximam enim ostracismi vim inesse in exclusa deliberatione publica.

de ostracismo deliberatum est, nullus fuit ostracismus sine certo auctore.

Quicunque tenet sententiam vulgatam, ostracismum a Clisthene commissum esse consilio publico civitatis, is simul etiam accipere, et recte quidem accipere, videtur, ab ostracismi usurpatione prohibitam et interclusam fuisse operam et vim populi sponte agentis. Eo enim similiter tendunt omnium opiniones, quamvis inter se diversae sint, ut statuant neminem potuisse testis relegari, de cuius relegatione non esset ad populum latum neque esset persuasum populo ab aliquo oratore. Nam licet omnes opiniones variae eiusmodi sint, ut agnoscant *a lege* licentiam aliquam sive minorem sive maiorem relictam esse populo inconsulto, tamen omnes statuunt populum *facto* et *rei ipsius natura* impeditum fuisse ne ea licentia uteretur. Sic ei primum qui credunt ostracismum adhiberi non potuisse, nisi in senatu ab aliquo oratore esset excitatus (Lugebil, Duncker, inprimis Gilbert in Beitr., Beloch) concedunt quidem *ex lege* populo licuisse, ostracismum, postquam semel excitatus esset, aliter adhibere quam suaderent oratores [1]), sed tamen credunt hoc fieri non potuisse. Deinde ei qui putant, ostracismum adhiberi non potuisse nisi in concilio populi excitatus esset ab oratore quolibet (*ὑπὸ τοῦ βουλομένου*), etiam concedunt *ex lege* populo licuisse, ostracismum, postquam excitatus esset et oratores varie verba fecissent, ex propria sententia libere adversus oratorum

1) Nam quod Lugebil scripsit, relegationem Hyperboli fuisse *non legitime* excitatam (supr. p. 410), id iam tamquam lapsum aliquem leviorem omitto, neque ad eius veram sententiam pertinere censeo.

Digitized by Google

sententias adhibere, sed tamen id fieri potuisse negant. Denique ei, si qui sunt, qui credant Auctoritatem senatus coactam quotannis rem populo commisisse, concedunt *ex lege* quidem populo semper licuisse testis pro libidine uti, sed tamen statuunt ea licentia populum numquam usum esse adversus Auctoritatem senatus dissuadentem, nisi orator in concilio prodiisset qui excitaret ostracismum; neque aliter a populo usurpatum esse ostracismum quam suaderet aut senatus aut oratores cum senatu dissentientes. Hi omnes aliquid quidem tribuunt studiis et voluntatibus et irae populi, sed eatenus tantum ea studia et voluntates populi aliquem effectum edere potuisse censent, quatenus populus nactus esset certum aliquem auctorem sive interpretem publicum. Ego autem verissime eos id sentire et rectissime concludere arbitror; quamvis constet aperte et manifeste eos refutari ab ipsa rerum gestarum memoria, cum Hyperbolum relegatum esse noverimus, quem in concilio et deliberatione publica a nullo oratore lacessitum, ne nominatum quidem, esse omnes credant. Verum hoc quomodo explicare velint singuli, ipsis videndum est; neque me fugit, plerosque dicere hanc fuisse *exceptionem*, eiusque exceptionis causam fuisse machinationes virorum politicorum, qui, deliberationibus clam et malo dolo quasi translatis ex concilio populi et ex luce negotiorum publicorum in vitam privatam et in domos civium, populo ita persuasissent privatis admonitionibus, ut hae superiores factae oppressissent et ex animis sustulissent effectum deliberationis publicae; quasi hoc ullo modo fieri posset ut privatim (nam privatim nihil valent gravitas et fides auctoris) persuaderetur populo de aliqua sententia, si ambigua populo esset haec sententia (cfr. supr. pag. 392) neque conveniret cupiditati alicui, sive odio et irae sponte susceptis, sive lucro privato cum pecuniae largitiones fierent ab admonitoribus. Itaque opiniones illae aperte refutantur ab ipsa rerum gestarum memoria; sed tamen per se verae et integrae manent, nam vitium, quo repugnant rerum gestarum memoriae, non in ipsis inest, sed in principio e quo proficiscuntur, de ostracismo publice deliberatum esse. Si concedimus, deliberationes publicas fuisse, et penes consilium publicum civitatis eam rem fuisse, etiam concedere debemus neminem umquam relegatum esse neque

Digitized by Google

relegari potuisse, de cuius relegatione non ad populum tulisset orator aliquis. Eatenus valet et verum est quod Schoemann scripsit: „necesse fuit doceri populum" (supr. p. 358 n. 1). Sic caprearum greges, libere vagantes neque ullo pastoris regimine assueti, ipsi pericula circumspiciunt, numquam securi, ad fugam semper parati, suae salutis ipsi custodes; oves vero, cum noverint pastorem vigilare cui pericula sua curae sint, securae et inertes pascuntur neque sibi metuendum esse credunt dum nullam audiant vocem pastoris lupum clamantis; et si quid formidinis ultro ingreditur, ad discutiendum timorem vanum sufficit ipse aspectus pastoris fidi quem tranquillum adstantem vident, aut saltem vox eius leniter increpantis et placida admonitio qua ad tranquillitatem revocat stultas; tum demum in trepidam fugam se coniciunt, cum clamat et concitat et cogit pastor ipse perterritus. Schoemann autem et reliqui hoc omnino non consideraverunt, fieri potuisse ut Clisthenes exemplo Solonis ductus capreis illis similes esse voluerit cives; de ovibus tantum cogitaverunt, et ita optimo iure statuerunt, nullum fuisse ostracismum sine certo auctore.

Atqui hic ostracismus, qui nullus esset sine certo auctore, prorsus inutilis esse debuit Clistheni; siquidem aliquid invenire voluit, quod contra potentissimos cives (*τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν διά τινα πολιτικὴν ἰσχύν, τοὺς ἐν ὑποψίᾳ τυραννίδος ὄντας*) defendere posset civitatem. Certamen testularum ita factum est certamen quod inter demagogos geritur, in quo superior esse debet qui potentior est; omnis vis, omne pondus detracta sunt ostracismo. Hoc primum tum valet, si potentia demagogi inprimis sita est in divitiis, in factione, in largitionibus, si nititur cupiditate regendi et imperandi amore. Tum saepe fiet, cum ex lege audita erit interrogatio: „numquis est qui de ostracismo verba facere velit?" ut altum sequatur silentium, quamvis multi cives unum hominem ambitiosum mente et fere gestu designent, quamvis unum nomen omnibus in ore positum sit, cum nemo audeat surgere ad nomen illud eloquendum; ut accipiatur senatus Auctoritas „neminem relegandum esse videri", quamvis omnes sciant eam sententiam senatus metu magis expressam quam sinceram et

Sed ostracismus, si nullus est sine certo auctore, non plus valet quam variae actiones quae a demagogis adversus illos demagogos semper initi possunt.

Digitized by Google

integram esse [1]). Quam facile enim extra concilium, vi et minis, quin etiam scelere, omnes absterrere potuit is qui hoc genere potentiae excelleret, ne contra se in senatu aut in concilio ostracismum excitare auderent, cuius rei exemplo sint ea quae tradidit Thuc. 8. 65. Quam facile deinde in ipsa deliberatione eum, qui nihilominus de relegatione sua mentionem faceret, verbis potuit obruere et affligere, inprimis si is esset homo novus, loquendi parum peritus et sola sua probitate fretus. Eius rei habemus exemplum illustre. Quis umquam propugnator libertatis fuit alacrior, pastor civium magis fidus quam Solon? Atqui accepimus, Solonem in concilio, cum moneret cives ut a Pisistrato caverent et repudiarent rogationem Aristonis, nihil egisse, perculsum conviciis senatorum Pisistrato amicorum, qui eum mente captum esse et senectute insanire docerent populum; itaque si tunc talis fuisset ostracismus, qui nullus esset sine certo auctore, ab eo viro solo adhiberi potuisset qui, non Solonem, sed ipsum Pisistratum eiusque amicos auctoritate superaret; quod sane ignotum non fuit Clistheni [2]). Huc pertinet quidquid veri est in sententia quadam viri d. Roscher, quam citavit Lugebil: „ich frage, wie ist es überall nur möglich, dasz ein übermächtiger seiner macht wegen aus dem Lande gejagt wird? Wenn er in wahrheit übermächtig ist, wird er sich verjagen lassen?" [3]). Omitto, in hac sententia turpiter ludi voce „übermächtig"; nam necesse non est ut is qui potentia praestet reliquis omnibus singulis, etiam plus valeat quam reliqui omnes coniuncti, quam populus et leges et vis magistratuum; praeterea potentia propter quam relegari dicitur aliquis, non est ea quam habeat tum ipsum cum in exilium eat, sed quam paulo ante habuit; sed hoc veri inest, eum qui regat consilium publicum civitatis, non posse a consilio publico civitatis relegari, nisi antea amiserit gubernationem, et demagogos praepotentes satis tutos esse ab ostracismo, si ad demagogorum aliquod certamen totus redigatur ostracismus. — Deinde

1) Cfr. quae supra scripsimus de epicheirotoniis legum et magistratuum pag. 404 sq.
2) Diog. Laert. 1. 2. 49; cfr. Plut. Sol. 30; supr. p. 363 adn. 2.
3) W. Roscher, Leben Werk u. Zeitalter des Thuc. Gött. 1842 p. 381 sq.; citavit Lugebil p. 121.

Digitized by Google

illud aeque valet, si potentia demagogi inprimis sita est in eius auctoritate et gravitate, si nititur fide amoris patriae et peritiae rerum. Tum hoc inprimis considerandum est, nullum argumentum quod revera ad rem pertineat afferri posse ab eo qui excitare conetur ostracismum. Unicum argumentum enim revera ad rem pertinens, quo possit uti demagogus qui suadeat ut alium demagogum releget populus, huiusmodi est: „Hic homo vobis persuadebit, vos suffragiis vestris eius sententias accipietis. Sed mihi hoc parum placet, quia eius consilia mihi videntur esse mala. Neque tamen tum cum de aliqua eius sententia erit deliberandum, vobis demonstrare potero eius sententiam malam, meam meliorem esse, nam is auctoritate sua et fide vestra plus valet quam ego. Itaque a vobis posco, ut nunc eum in decem annos excludatis e deliberatione publica; ita enim ego libere meas sententias, quae multo meliores sunt, vobis obtrudere potero, et vos periculum effugeritis, quod semper vobis eo praesente impendet, ne malo auctori obsecuti decernatis quod noceat reipublicae". Atqui adversus huiusmodi argumentum, etiamsi nemo responderit, tamen omnes cives secum animis ita agant necesse est: „Quid? Num liber non est populus? Quid attinet, auctorem consiliorum relegare? Utrum malis artibus nobis persuasurum esse credis hunc hominem quem aggrederis, an bonis? Si malis, audesne contendere cives ei obsecuturos esse? Quod etiamsi ita forte placeret, per se bonum esset, nam nobis liberum est decernere quod volumus. Sin vero bonis, quomodo conaris populum cogere, et boni consilii auctorem ei adimere, et impedire quominus ex arbitrio ipse semper decernat? An credis, populum non posse dignoscere sententias malas a bonis, neque posse eligere quod optimum sit, et democratiam esse aliquod stultorum delenimentum, quasi per iocum populo oblatum, quod ne serio et vere vim et effectum edat tibi cavendum sit? Quasi ulla alia re valeant demagogi, quam nostra voluntate et persuasione libera. Tu, si meliora habere tibi videris quae nobis suadeas, expecta occasionem, tum surge et doce et in ipso discrimine profliga adversarium probis argumentis; nos tibi obsequemur si persuaseris; sed noli a nobis postulare ut relegemus adversarium

Criminationes quaedam conquiri debuerunt, cum verum argumentum proferre non posset orator cur demagogum inimicum relegari vellet.

Digitized by Google

tuum ut tu solus regere possis. Immo apparet te, cum a malis sententiis alterius demagogi nos integros servare te velle prae te feras, ipsum velle dominari et cogere neque liberos nos esse sinere; te ipsum igitur relegabimus, qui pugnes adversus libertatem et imperium populi".

Itaque cum unico argumento quod revera ad rem pertineat non possint uti demagogi, quia hoc argumentum non adversus demagogum potissimum, sed adversus ipsam democratiae rationem et imperii popularis infirmitatem tendit, neque sine maxima offensione et gravissima contumelia populi proferri potest, nihil superest quam ut in deliberatione moveantur ab oratoribus ambages quaedam et nugae, ab ipsa re alienae [1]). Criminationes igitur conquirendae sunt, suspiciones movendae; male facta et delicta demagogi denuntianda sunt. Sed ea si vera sunt ad ius criminale et iudicia pertinere debebant, si falsa sunt, nihil valebunt. Hoc enim iam supra monui (pag. 393), ne quis credat cupiditatem populi argumentis posse pro libidine oratorum excitari. Si adest ira populi, valet ostracismus, sed tum argumentis opus non est, sufficit levissima instigatio, quae ne ipsa quidem necessaria est; si nulla ira est, argumenta quoque irrita sunt. Ita manifestum est, argumentorum non esse hanc rem, sed irae et cupiditatis et studii popularis consilio carentis. Verissime Plutarchus significat, Aristidem relegatum esse a populo, quod eius iustitiae pertaesum esset populum (Arist. c. 7), i. e., quod molestum factum esset illud argumentum quo abuterentur oratores, Aristidi obsequendum esse quod esset omnium iustissimus. Sed quis potuit hoc in deliberatione de ostra-

1) Hoc aliquatenus praesensisse videtur Lugebil, cum coniceret (p. 154—158) crimen affectatae tyrannidis tam crebro in his deliberationibus memoratum et iactatum esse ab oratoribus, ut inde orta esset falsa opinio, ostracismum inventum esse contra eos qui in suspicione tyrannidis essent. Itaque confessus esse videtur, Themistoclem contra Aristidem, Periclem contra Cimonem et Thucydidem non potuisse afferre verum argumentum cur eos relegari voluerint, nempe ut potius soli populum regerent quam ab aliis praepediti, et idcirco ad alia omnia eos devertisse in deliberatione; quamquam non addidit, potuerintne sine rubore pudoris oratores contendere, sine ingenti risu populus audire, ab Aristide et Cimone et Thucydide tyrannidem affectari. Neque addidit quomodo probabile sit huiusmodi argumentum quidquam in populo valuisse, siquidem Solonem, de Pisitrato vere sane monentem, insanire libenter crediderit populus.

Digitized by Google

cismo eloqui? Nemo certe, nedum Themistocles, nisi credimus eum ausum esse se ita populo commendare, ut ipse parum iustitiae amantem se esse diceret. Idem valet de omnibus quae in hac re ab adversariis contra demagogos allata esse tradit Plutarchus. Aptissima ea omnia fuerunt instigationibus demagogorum, si iam aderat ira populi, ut in unum dirigerentur studia, et cum irae sensu in animis coniungeretur cogitatio ostracophoriae mox futurae; argumentis vero quibus persuaderetur populo, et quae in deliberatione proferrentur, non solum apta ea non fuerunt, sed etiam contraria et quam maxime ab eis aliena. Ita factum est ut ea omnia, quae vere et recte tradat Plutarchus, cum tamquam argumenta publice prolata a viris d. acciperentur, inepta eis viderentur, utque saepius nimis cupide reiecta et spreta sint, quam vere aestimata.

Verum cum in deliberatione nulla alia argumenta proferri potuerint, quam quae ad delicta quaedam fictitia et male facta ab hac re prorsus aliena pertinerent (quorum optimum exemplum praebet oratio illa frigida et insulsa quae est adv. Alcib.), hic ostracismus qualem finxerunt Lugebil et Duncker natura sua et vi nihil differt ab aliis artibus vulgatis eorum qui in republica luctantur, ab aliis telis et instrumentis quibus contra se invicem uti solent demagogi dimicantes; quorum sunt primum rogationes contrariae et dissuasiones, quibus alter alterum superare semper conatur; deinde obtrectationes et denuntiationes quibus alter alterum fide populi privare studet; denique accusationes, eisangeliae et aliae actiones criminales, veluti euthynae actio, quibus in perpetuum se invicem opprimere saepe conantur. In media hac serie etiam hic ostracismus locum suum habet. Proprium ei nihil est praeter certum tempus annuum, et magnum numerum suffragiorum quae condemnare debent, et poenam leviorem; his rebus solis differt ab eisangelia; cum ea convenit inprimis hac re, quod actio ostracismi (ficti) et eisangeliae (quinti saeculi) aeque nituntur ἀδικήμασιν ἀγράφοις, i. e. delictis quae non cadunt sub ius criminale legitimum. Sicuti reliquae actiones quae suppetunt demagogis, haec actio quoque est mitis et lenis et ancipite eventu si usurpatur a demagogo debili; metuenda est, si ab adversario forti; irrita si a viro rerumpublicarum imperito aut auctoritate carente. Cur eam invenerit

Digitized by Google

Clisthenes, cum iam tam multae actiones in promptu essent, frustra quaeris; cur celebre factum sit hoc institutum, nulla causa ostendi potest; nisi forte id factum esse credis propter ambages aliquot inanes, numerum suffragiorum, certum tempus, sollemnitatem fori, testas delatas, scripturae molestiam, quae potius caerimoniae supervacaneae ornamenta quaedam inepta, quam viri sapientis inventa esse videantur.

Vera ostracismi vis et terror fuerunt in ea ipsa re, quod certum auctorem nullum haberet.

At longe alius fuit verus ostracismus. Is non pependit a certo auctore, neque fuit debilis si debilem, firmus si firmum auctorem nactus erat. Is pependit a libera voluntate populi consilio carentis. Quae voluntas si quis forte dubitet an nihil potuerit efficere auctore et consilio carens, certis testimoniis refellitur. Primum testimonium, quod iam supra excitavi, praebet rerum gestarum memoria, cum sine ullo auctore publico, sine ulla suasione et deliberatione, ex ira populi privatis tantum admonitionibus directa et instigata, relegatus sit Hyperbolus. Secundum testimonium praebet Aristophanes. Cleon, ita fingit poeta Equit. 843—858, tantum valet auctoritate et fide populi, ut eum accusare non possit adversarius. Fartor frustra quaerit, frustra permulta animo volvit. Ansam accusandi, irae populi movendae, nullam ei praebet demagogus. *Λαβὴν οὐκ ἐνδίδωσι.* Sed subito aliquid invenit Fartor; contra ostracismi periculum enim, quod ex factionis invidia sibi impendeat, se confirmavisse videtur Cleon, vel certe populo persuaderi poterit, Cleonem insidias paravisse ne testis circumveniretur. Et tum, postquam hoc ei occurrit, Fartor exclamat: *λαβὴν γὰρ ἐνδέδωκας*, possum te calumnia aliqua obruere. Itaque factio, qua gloriatur Cleon, talis est ut populus credatur quidem ultro ex ea re iram suscipere posse, non vero credatur ex argumentis demagogi eam rem denuntiantis ad iram posse cogi. Fartor intellegit se operam perditurum esse si ad populum prodiens ipse Cleonem accuset quod magna factione nitatur, neque iram sed risum se esse moturum; sed intellegit fieri posse ut sponte eam rem attendat et in iram vertat populus, qui tum *βριμήσεται καὶ βλέψεται ὀστράκινδα*. Neque hoc argumentum certissimum ita refutari potest ut dicas, nimium me tribuere levitati poetae comici. Nam cum constet (et simile aliquid monuit Müller-Strübing in: Aristoph.

Digitized by Google

u. d. Hist. Crit. p. 136 sq., 143 sq.) ab eis aestimari non posse sales Aristophaneos qui non intellegant quid fingere potuerit poeta, quid minus, quale veritatis fundamentum subesse debeat commentis et mendaciis comici, ut ne careant vi comica, id in hac re totum pro me stare credo; quin etiam affirmare audeo, totum hoc demagogorum certamen quod in Equit. finxerit Aristophanes, ita ad veritatem delineatum esse, ut cognitionis fons nobis sit uberior et purior, quam nonnulla historicorum aut oratorum (veluti pseudo-Andoc. illius) testimonia. — Verum multo plus etiam valent ad demonstrandum, non ex singulorum hominum auctoritate pependisse ostracismum, sicuti reliquas actiones criminales, effectus quem in rebus publicis edidisse videmus ostracismum, terror quem semper eum movisse audimus, vis quam habuit in viris politicis quinti saeculi. Nam vis ostracismi non maxime cernitur in paucis illis occasionibus, quibus adhibitus est, sed multo magis in studiis et consiliis eorum qui relegati non sunt. Quid Syracusis effecerit terror ostracismi, Diodorus (11. 87) narrat his verbis: *τῶν μεγίστων ἀνδρῶν φυγαδευομένων, οἱ χαριέστατοι τῶν πολιτῶν — ἀφίσταντο τῶν δημοσίων πράξεων, καὶ διὰ τὸν ἀπὸ τοῦ νόμου φόβον ἰδιωτεύοντες διετέλουν, ἐπιμελόμενοι δὲ τῆς ἰδίας οὐσίας εἰς τρυφὴν ἀπέκλινον, οἱ δὲ πονηρότατοι τῶν πολιτῶν — ἐφρόντιζον τῶν δημοσίων.* Tum ipsum, cum nemo Syracusis relegaretur, terror ostracismi dominabatur in republica. Quid in Pericle valuerit ostracismi terror, verbo monuit Plutarchus, primum ubi de initiis eius et inventute agit (Per. c. 7): *ὁ δὲ Περικλῆς νέος ὤν — φοβούμενος ἐξοστρακισθῆναι, τῶν μὲν πολιτικῶν οὐδὲν ἔπραττεν*; deinde ubi describit vitam eius privatam: *ἀλλ' ὡς ἔοικε δεδιὼς μὲν ὑποψίᾳ τυραννίδος — εὐθὺς καὶ τοῖς περὶ τὴν δίαιταν ἑτέραν τάξιν ἐπέθηκεν*, et quae sqq. Saepe quidem parum tributum est a viris d. his verbis Plutarchi. Et revera insanire Plutarchus videri debet, si nullus fuit ostracismus sine certo auctore. Primum enim nulla causa erat cur ostracismum solum memoraret ex ingenti multitudine impedimentorum quae Pericli obiectura erant odium et invidia competitorum; deinde his periculis nemo non obnoxius erat qui Athenis ad rempublicam gerendam accederet, et eo minus ea metuere oportebat aliquem, quo magis sibi confideret et quo melioribus armis instructus se conferret

Digitized by Google

ad certamen illud perpetuum cum competitoribus gerendum, quod erat certamen ipsius ingenii praestantiae et fortitudinis et eloquentiae; Pericles in undas civiles se prorepturus non magis eis retineri potuit, quam is qui ingreditur vitam militarem retinetur metu telorum hostilium et hostis peritioris cogitatione. Sed postquam vere aestimatus est ostracismus, aestimari quoque possunt verba Plutarchi. Hoc non erat certamen cum certis adversariis gerendum, in quo usus aliquis esset eloquentiae, consilii, audaciae; periculum ostracismi simile erat periculo quod navi minitatur caecus scopulus in mediis fluctibus latens, nocte et tenebris circumfusus; eum scopulum navi suae interitum minaturum esse noverat Pericles quotannis, a primo die quo evectus esset in undas fallaces favoris popularis; idque periculum quo longius in altum provectus esset, quo magis mari assuetus sibi videretur, quo maior esset numerus victoriarum quas reportavisset, adversariorum quos profligasset, laborum quos feliciter pertulisset, quo propius ad ipsum dominatum et summum in republica locum pervenisset, non deminuturum esse sciebat neque idem mansurum, sed semper increscens auctum iri; in eo revera inerat quod metueret homo audax cui audacia nihil esset profutura. — Causa autem cur adeo metuendus fuerit ostracismus, haec est, quod regebatur affectibus et cupiditatibus populi sine ullo consilio. Supra vidimus quantum valerent cupiditates populi in decretis et scitis concilii; quomodo primum interdum vinci possent fide et auctoritate et pondere demagogi praepotentis, quis deinde earum potestatis esset terminus, cum saepe a fortuna penderet numquid forte in concilio proponeretur et deliberationi subiceretur, quod ad causam illius concitationis pertineret. Inprimis si ira populi forte excitata est contra demagogum praepotentem cui magnam fidem habere solet populus, non desunt viae et rationes quibus is demagogus possit operam dare ad evitandam et declinandam, vel etiam sedandam et vincendam iram; iamvero si, quod rarius accidit, ea res eius adversariis copiam dedit perferendae sententiae quam ipse improbet et impugnet, tamen repulsam quam tulit fortasse paulatim maiore prudentia poterit reparare, et pedetentim reverti ad locum elatum quo paulo ante stetit; itaque multa sunt quae possint praevenire aut differre ultimum

Digitized by Google

discrimen, ut accusatione inimicorum eversus in perpetuum profligetur demagogus. Verum institutum Clisthenis longe alium gladium suspendit supra capita demagogorum. Is enim primum non a fortuna, neque a voluntate et opera adversariorum, consilii publici auctorum, hoc pendere voluit num posset ira populi contra demagogum suscepta in suffragio concilii aut in iudicio populari se ostendere; sed Legem iussit quotannis sententiam condemnantem proponere populo, quam accipere tantum opus esset populo si a demagogo liber esse vellet. Deinde voluit altum silentium de ea re servari, ne posset ullo modo huic rei se immiscere consilium publicum, neque permisit ut ullum nomen audiretur, ut ullum argumentum proferretur quod posset refutari; Legem iussit omnia sedulo arcere quae apta essent ad iram populi ullo consilio discutiendam, quin etiam ullas rationes et causas irae palam eloqui vetuit omnes, ne turpes et absurdas eas esse forte manifestum fieret civibus; inprimis is ipse cui periculum impenderet, ne posset quemquam minis aut largitionibus ab incepto revocare, ne posset provocare ad fidem suam diuturnam, ad beneficia multa, ad integritatem et innocentiam, ad patriae salutem, diligenter Legem iussit cavere. Denique Legem hac notione imbuere iussit populum ut sciret, se ipsum esse demagogorum suorum dominum, sibi nihil aegre ferre, nihil pati et tolerare opus esse, cum semper instaret ulciscendi occasio; populumque a Lege admoneri voluit ut foveret iracundias suas, ut se observari et coli a demagogis postularet, ut nihil in eis neglegeret neque quidquam eis condonaret, ut quaereret occasiones irae et insisteret levissimis fastus signis; ut tum ipsum maxime surgeret, *βριμώμενος καὶ ὀστράκινδα βλέπων*, cum maxime omnia tranquilla esse viderentur et potentia haud dubia gauderet demagogus. — Quid contra haec omnia cavebit is qui testulas metuit? Quid parabit, quo se vertet? Circumspicit adversarium quem aggredi possit, contionem quam exoret, crimina quae diluat, insidias quas dolo superet — nihil adest. Hic est verus ostracismus, inexorabilis, invictus, qui habeat vim suam et terrorem. Pericles solus eum vicisse dici potest, sed ita tantum, ut se ei subiecerit. Is solus plene perspexit, quod demagogis qui ante se fuerunt minus clarum fuit, hoc telum ita unice

Digitized by Google

posse eripi populo, si quis regeret non solum voluntatem populi quae consilii publici particeps est, sed etiam ipsos affectus animorum et cupiditates populares. Is solus, ab ostracismo coactus, eam viam elegit et tenuit quam iam ante eum pauci interdum tentaverant, et regie et magnifice usque ad finem ea via decurrit, hac scilicet, ut beneficiis haud dubiis a populo sibi emeret libertatem agendi et regnandi, emeret aemulorum interitum; et revera regnavit, ab ostracismo tutus [1]), donec eum quoque paulisper oppressit fortuna et consiliorum eventus insperatus. Sed quid in Pericle valuerit ostracismus, et in consilio eius politico quod his verbis descripsit Plato: *τὸ τὰς ἐπιθυμίας ἀποπιμπλάναι καὶ τὰς αὐτοῦ καὶ τὰς τῶν ἄλλων* [2]), alii viderint. Nobis satis est ostendisse, totam vim ostracismi inesse in verbis legis Clisthenis: *ἐπὶ δὲ τῇς ἕκτης πρυτανείας περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονία δίδοται εἰ δοκεῖ ἢ μή*, neque quidquam his addere, nihil quoque eis detrahere, nobis licere.

His addendum videtur, eam rationem qua ostracismum Athenis nonnumquam adhibitum esse sciamus, ut dirimeret certamen partium politicarum, ut alteri parti politicae potentiori praeberet victoriam haud dubiam, et ex deliberationibus publicis excluderet ducem partis infestae debilioris, eiusmodi esse ut omnino vetet et prohibeat deliberationes. Hoc quidem ad nostram sententiam non valde pertinet; nos enim hunc ostracismi usum (*στασιαστικόν*) a consilio Clisthenis alienum fuisse credimus, itaque hoc argumento ostendi tantum a nobis potest, deliberatum nonnumquam non esse, non vero, deliberationem lege prohibitam esse; verum eis qui tenere malunt, ostracismum a Clisthene ex hoc consilio institutum esse, ut eo discuterentur partes politicae debiliores, et ostracismum semper ex hoc consilio esse adhibitum, opus est concedere, Clisthenem hoc consilio coactum excludere debuisse deliberationes. Quid enim? Si res versatur inter duces partium politicarum, et hi de ostra-

1) Cfr. Cratin. ap. Plut. Per. 13:
ὁ σχοινοκέφαλος Ζεὺς ὁδί προσέρχεται
Περικλέης τῷδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου
ἔχων, ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται.

2) Plato Gorg. p. 503 C, cfr. p. 515 sq.

Digitized by Google

cismo certant, sola argumenta quae afferri possunt sunt politica, et quae ad consilia contraria utrimque impugnanda pertineant. Verum haec argumenta, ut supra p. 415 satis ostendi, non possunt proferri sine maxima offensione populi, quia tendunt adversus rationem et praestantiam imperii popularis; qui eis contra adversarium utitur populum incitat non ad adversarium, sed ad se ipsum relegandum. Nam demagogi eatenus sunt demagogi, quatenus de suis sententiis persuadent populo. Populo autem semper potestas data est de omnium sententiis singulis iudicandi; numquam populus in longius temporis spatium se obligat consilio demagogi alicuius (sicut semper faciunt apud nos ei quibus ius suffragii est, cum „repraesentatores" eligunt); hoc facere nullo modo potest populus Atheniensis, neque posset etiamsi fortasse mallet; semper de singulis sententiis iudicare debet, et semper discedere potest a consilio quod nuper adhibuit, i. e. a demagogo cui nuper suffragatus est, ut transeat ad consilium alienum, i. e. ut accipiat sententiam alius demagogi. Nemo igitur alia ratione populo suadere potest ut reiciat consilium alicuius demagogi, quam hac, ut certam aliquam sententiam eius non accipiendam esse demonstret. Pericles non poterit contra consilia Thucydidis agere apud populum, nisi in ipso discrimine, cum de certa aliqua Thucydidis sententia deliberatur. Si hoc nihilominus facere conatur, et ad ostracismi procheirotoniam populum docere conatur, consilia Thucydidis patriae nocere, cives ei respondebunt: quid hoc ad nos? quae nobis est utilitas cognoscendi consilii Thucydidis, antequam certam sententiam dixerit de qua iudicandum nobis sit? Tamdiu res nobis integra manere debet. Hanc occasionem expecta, tum doce sententiam Thucydidis esse mali consilii; si libet, si nobis apparuerit sententiam Thucydidis optimatibus utiliorem esse quam plebi, aut aliam ob causam malam esse, nos tibi obsequemur; sin vero nobis magis tum placet Thucydidis sententia, quae nunc aeque nobis ignota est ac tibi, cum nondum dicta sit, si fortasse optimates deseruisse tum apparuerit Thucydidem, aut si ostenderit aliquid quod optimatibus conducat etiam patriae expedire, tum eam accipiemus, neque hanc libertatem nobis eripere te decet. Contra haec autem si perseverat et insistit Pericles, et pergit relegationem Thucydidis poscere propter perversitatem eius con-

Digitized by Google

silii, apparebit Periclem nolle, sententias Thucydidis audiri a populo; sive quod revera non credat eas populo displicituras esse, sive quod intellegat fore ut tum non satis ostendere possit Thucydidi non esse obsequendum, sive quod ipse malit evitare molestiam refutandi. Itaque demagogus qui relegationem adversarii poscit propter rationes politicas, ostendit se velle minuere libertatem et imperium populi, et propterea suam relegationem commendabit populo. Prorsus idem autem cadit in alios cives qui pro aliquo demagogo aut adversus aliquem demagogum verba faciunt; si laudibus efferunt consilium Periclis, si impugnant consilium Thucydidis, si *hanc ob causam* relegare cives iubent Thucydidem, eo ipso ostendunt se velle civium voluntatem subicere consilio Periclis, itaque inviti suadent ut Pericles relegetur. Aliquatenus hoc obversatum est viro d. Grote, cum haec scriberet (4. p. 85); „Then again, Kleisthenes did not permit the process of ostracising to be opened against any one citizen exclusively. If opened at all, every one without exception was exposed to the sentence; so that the friends of Themistokles could not invoke it against Aristeides, nor those of the latter against the former, without exposing their own leader to the same chance of exile. It was not likely to be invoked at all, therefore — —." Haec vere scripta esse mihi videntur, modo pro „to the *same* chance of exile" legas „to the *only* chance of exile". Verum Grote, cum ex his vinculis se extricare nequiret, nodum vi solvit, his verbis additis: „— — until exasperation had proceeded so far as to render both parties insensible to this chance — the precise index of that growing internecive hostility, which the ostracism prevented from coming to a head." Ita retraxit quae modo scripserat. Sed nego hoc fieri potuisse ut qui noverit se ad ostracismum provocare non debere si ipse salvus esse velit, furore et odio ita se obcaecare patiatur ut id ipsum faciat quod sciat sibi perniciosum, adversario utilissimum esse. Paulo melius Duncker, qui aliquanto accuratius rem consideravit, simile quid tentavit, sed is etiam media in re substitit. „Die Frage, ait (6. p. 606 sq.), wurde discutirt wie alle übrigen Angelegenheiten welche der Rath an das Volk brachte. Die Führer der Parteien waren nicht in der Lage, an derselben (der Discussion) Theil zu nehmen, für oder

Digitized by Google

gegen die Bejahung zu sprechen. Sprachen sie für die Bejahung, so muszten sie fürchten, dasz sie selbst ihre Verbannung herbeiführten; sprachen sie dagegen und lieszen sie ihre Anhänger dagegen stimmen, so lieszen sie Besorgnisse für ihre Person offenbar werden, gaben sie Grund, ihren Absichten zu mistrauen. Sie muszten diese Debatte den Unparteiischen und Unabhängigen unter den Bürgern überlassen." — His omnibus plene assentior; excepta tantum novissima sententia, qua verbis bene sonantibus sed sensu cassis difficultatem superare et nodum solvere posse sibi visus est Duncker. Qui tandem sunt illi homines „liberi atque neutris partibus addicti"? Opinor, ut primum aliquis in concilio surrexerit, sive sit demagogus sive orator sive homo novus, et verba ea facere coeperit e quibus appareat utrum demagogum relegari iubeat, eum eo ipso „liberum" esse desiisse et alteri parti se addixisse. Nam quamdiu in universum asseverat Orator, testis utendum videri, neque posse amplius civitatem ferre hoc certamen, non arguit sed nugas agit et minus etiam efficit quam si taceret; cum primum arguere incipit, necesse est ut ostendat utrum relegari malit, et ut eo tendant eius argumenta. Unus civis fuisse traditur, qui cum cuperet ostracismum adhiberi, nihil curaret quis relegaretur; is fuit Hyperbolus. Is cum Nicias et Alcibiades multum valerent in civitate, alterutrum de medio tolli sibi utile esse censebat, scilicet ut ipse in locum relegati succedens, suam potentiam confirmaret (Plut. Nic. 11). Num huiusmodi hominem forte dixerit Duncker „liberum et neutris partibus addictum"? Fuit sane; scilicet fuit suae parti addictus. Sed tamen is etiam, si ad deliberationem illam fictitiam accessurus erat, optionem facere debebat utrius relegationem potius commendandam sibi esse censeret; itaque debebat ostendere, se alterius consilio civitatem subicere velle, quod satis admoniturum erat cives, ne ei obsequerentur neve libertatem suam devincirent. Quod quam verum sit, nihil melius docet quam id ipsum quod Hyperbolo accidit. Nam cum iam dudum instigationibus suis ambiguis et duplicibus ostendisset se ideo tantum ad testas provocare ut ipse potentia potiretur, neque aliud se respicere quam sua commoda, eum ipsum relegare non dubitaverunt cives.

In hoc ostracismi usu στασιαστικῷ praesertim apparet, ostra-

Digitized by Google

cismum non esse *consilii publici* sed *affectuum* et *cupiditatis* et *irae*. Ita unice hic usus cogitari potest, si magna est discordia civilis; si plebs odio et furore agitatur contra optimates. Tum, si adest demagogus ceterum populo fidus et acceptus, fieri potest ut contra hunc demagogum testas poscat populus, quia subito intellexerit eum virum esse inimicis suis magis etiam acceptum et gratum quam sibi, eum esse propugnatorem optimatium. Tum populus, immemor libertatis suae et imperii sui et democratiae, cum omne odium quo adversus optimates agitatur transfuderit in illum demagogum, eum relegare potest, nullo consilio sed ira caeca perductus. In ea rerum conditione autem plurimum valet instigatio adversarii. Quid? Cimon in eo esse videtur ut populo persuadeat de Areopago restituendo, quem nuper eo absente per seditionem evertit populus ex auctoritate demagogorum democraticorum, et videtur Cimonis auctoritas etiam multum valere in populo? Ita utile erit populum verbo monere, hunc Cimonem esse virum moribus dissolutum, *φιλολάκωνα*, imprimis, eum esse ducem aristocraticum. Thucydides aliquid valet eloquentia sua et factione et sententiarum praestantia? Brevi admonitione tantum opus est, qua in animis civium cum cogitatione et nomine Thucydidis coniungatur primum cogitatio optimatium infestorum et sensus odii civilis, deinde ostracismi opportunitatis illecebra, ut Thucydides relegetur tamquam „demagogus aristocraticus." In hac una voce fere omnia insunt quibus opus est ad convertendam in unum hominem iram a plebe contra optimates susceptam; quae vox quam saepe sola suffecit ad tempestatem in animis excitandam contra viros bonos et graves, et ad opprimendam vocem consilii, aequitatis, sapientiae! Sed manifestum est, sine hac ira et odio partium nihil effici posse ab oratoribus, quamvis eloquenter demonstrare conentur, consilia alicuius demagogi tam parum popularia esse, ut populus se ipse prohibere debeat quominus eius sententias audiat, ne forte ab eis si bonae sint sibi persuadeatur; et manifestum est eum, qui haec demonstrare conetur, testas invitum excitare contra se ipsum, vel contra eum cuius causam agat.

(*Continuabitur*).

Digitized by Google

SPICILEGIUM STRABONIANUM.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Quicumque post Kramerum Geographorum principem nova, qualem hoc tempus postulat, donabit editione, opus suscipiet et utilissimum et iucundissimum. In Strabone enim, scriptore corruptissimo, emendando post illum multa ac praeclara dederunt rarae sagacitatis et immensae eruditionis specimina tres summi aetatis nostrae philologi, Meinekius Madvigius Cobetus, quorum duos primos iam Orcus rapuit, tertius senex longa eheu et atroci morbo tabescit. Quorum virorum certissima inventa si quis una cum iis quae olim reperta ab aliis et ab ipso Kramerus nimia cautela in annotatione sua reliquit in ipsum textum introduxerit, Strabonem legemus multo emendatiorem quam etiam Carolus Mueller, qui minus meticulosus brevi post hunc apud Didotium Ponticum scriptorem perite recensuit, legendum tradidit philologis. Verum etiam post illorum heroum operam ab eo qui hoc agat satis multa rectius quam hucusque factum est constitui poterunt. Quam rem demonstraturo lubet mihi e commentariolis meis promere quaecumque utiliter monere posse mihi videor, omissis quae plurima ab aliis occupata esse animadverti. Haud ita paucos etiam hodie locos minima mutatione redintegrari posse videbis.

Ad librum I.

Cap. I, 2 init. de Homero: ὃς οὐ μόνον ἐν τῇ κατὰ τὴν ποίησιν

Digitized by Google

ἀρετῇ πάντας ὑπερβέβληται, ἀλλὰ σχεδόν τι καὶ τῇ κατὰ τὸν βίον ἐμπειρίᾳ τὸν πολιτικόν κτἑ. Melius aberit praepositio ἐν.

§ 6 ὥστ' οὐκ εὖ ἀπειρίαν αὐτοῦ καταγινώσκουσιν, ὡς μίαν ἄρκτον ἀντὶ δυεῖν εἰδότας· οὐδὲ γὰρ εἰκὸς [ἦν] πω, τὴν ἑτέραν ἡστροθετῆσθαι, ἀλλ' ἀφ' οὗ οἱ Φοίνικες ἐσημειώσαντο. Procul dubio Strabo voluit intellegi οὐδὲ γὰρ εἰκός ἐστί πω κτἑ., quare interpreti reddatur vocula ἦν.

§ 7 ἔν τε τῇ ὁπλοποιίᾳ τῆς Ἀχιλλέως ἀσπίδος κύκλῳ περιτίθησι τὸν ὠκεανὸν ἐπὶ τῆς ἴτυος. Mirificus verborum ordo. Vocabula τῆς — ἀσπίδος transponenda videntur post ἴτυος, nisi forte sunt illata ex margine. Quaenam enim ἴτυς significaretur, nemini obscurum esse poterat.

§ 10 καὶ μὴν καὶ τὸν Κιμμερικὸν βόσπορον οἴδε, οὐ δήπου τὸ μὲν ὄνομα τῶν Κιμμερίων εἰδώς, αὐτοὺς δὲ ἀγνοῶν, οἳ κατ' αὐτὸν ἢ μικρὸν πρὸ αὐτοῦ μέχρι Ἰωνίας ἐπέδραμον τὴν γῆν τὴν ἐκ βοσπόρου πᾶσαν. αἰνίττεται γοῦν καὶ τὸ κλῖμα τῆς χώρας αὐτῶν ζοφῶδες ὂν κτἑ. His ita scriptis, nemo suspicaretur post οἴδε in libris et editionibus legi verba prorsus supervacanea τοὺς Κιμμερίους εἰδώς, quae e margine illata esse crediderim, ubi adscripta videntur e gemino loco I 2, 9 extr.

§ 11 τὸν δὲ Ἑκαταῖον καταλιπεῖν γράμμα, πιστούμενον ἐκείνου εἶναι ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς. Iniuria Cobetus requirit πιστευόμενον. Verte „quod illius esse *fidem facit* reliqua eius scriptio." Vide v. c. 1, 2. 13 init. Πιστούμενον = βεβαίως πιστευόμενον.

§ 16 χώρα γὰρ τῶν πράξεων ἐστὶ γῆ καὶ ἡ θάλαττα, ἣν οἰκοῦμεν. Mueller „aut γῇ legendum aut ἡ ante θάλασσαν delendum." Voluit, opinor „aut ἡ γῇ legendum cett." Equidem hic articulo aegre carerem, sed nescio an fuerit ἡ γῇ καὶ θάλαττα, ἣν οἰκοῦμεν, cum propter relativum singulari numero positum tum propter sequentia μεγίστη δ' ἡ σύμπασα (sc. γῇ καὶ θάλαττα), ἥντερ ἰδίως καλοῦμεν οἰκουμένην. Ita γῇ καὶ θάλαττα uno articulo praeposito arctissime iuncta erunt.

§ 17 extr. τοπομαχούντων τῶν βαρβάρων καὶ τὰ ἐγγὺς πόρρω ποιούντων τοῖς ἀγνοοῦσι. Hoc sane nemo mortalium facere potest. Intellegam: καὶ τὰ ἐγγὺς πόρρω ποιούντων <δοκεῖν εἶναι> τοῖς ἀγνοοῦσι.

§ 19 Strabo dicit εἴ τις λέγοι τὰ περὶ τὴν Ὀδυσσέως πλάνην

Digitized by Google

καὶ Μενελάου καὶ Ἰάσονος εἰς Φρόνησιν μὲν οὐδὲν ἂν συλλαμβάνειν δόξειεν, ἣν ὁ πράττων ζητεῖ, πλὴν εἰ καταμίσγοι καὶ τῶν γενομένων ἀναγκαίων τὰ παραδείγματα χρήσιμα. Ultima verba non intellego, quid enim ad prudentiam parandam conferre potest rerum quae illis necessario evenerunt (sic enim vertunt ἀναγκαίων) cognitio, nisi simul novimus quibus consiliis quaque prudentia fatales illas difficultates superaverint? Tale igitur quid dicendum fuerat, v. c. πλὴν εἰ καταμίσγοι καὶ τῶν γενομένων <αὐτοῖς φυγῶν ἐκ τῶν> ἀναγκαίων παραδείγματα χρήσιμα.

§ 21 οὐ μὴν οὐδ' οὕτως ὑπάρχειν ἁπλοῦν δεῖ τὸν ἐντυγχάνοντα τῇ γραφῇ ταύτῃ καὶ ἀργόν, ὥστε μηδὲ σφαῖραν εἰδέναι, μηδὲ κύκλους ἐν αὐτῇ, τοὺς μὲν παραλλήλους, τοὺς δ' ὀρθίους πρὸς τούτους, τοὺς δὲ λοξούς· μηδὲ τροπικῶν τε καὶ ἰσημερινοῦ καὶ ζωδιακοῦ θέσιν, δι' οὗ φερόμενος ὁ ἥλιος τρέπεται καὶ διδάσκει διαφορὰς κλιμάτων τε καὶ ἀνέμων. Sol, opinor, decurrens per signiferum conversionibus suis discrimina climatum et ventorum indicat, itaque aliquanto rectius dicitur ea διδάσκειν quam aut ἀλλάσσειν aut διατάσσειν, (Strabonis foret ἀλλάττειν et διατάττειν), quorum verborum alterum utrum substituebat Madvigius. Cum tamen ceterorum quoque quae praecedunt cognitio ad observanda illa discrimina conducat, nescio an verius scribas: δι' οὗ — τρέπεται· ἃ διδάσκει διαφορὰς κτέ. Insuper pro ΑΡΓΟΝ, *pigrum*, praetulerim ΑΠΕΙΡΟΝ, *imperitum*.

§ 23 extr. ὅτι μὲν οὖν σπουδαῖον τὸ προκείμενον ἔργον καὶ φιλοτόφῳ πρέπον, ταῦτα εἰρήσθω. Malim τοσαῦτα.

Cap. 2 § 1 init. ὑπολαμβάνομεν δ' ἄλλων ἄλλο τι κατορθωσάντων [ἄλλο] πολὺ μέρος ἔτι τοῦ ἔργου λείπεσθαι. Expunxerim ἄλλο errore repetitum cum codd. BC. Contra hiulca et corrupta sunt verba sequentia καὶ γὰρ δὴ πολύ τι τοῖς νῦν ἡ τῶν Ῥωμαίων ἐπικράτεια καὶ τῶν Παρθυαίων τῆς τοιαύτης ἐμπειρίας προσδέδωκε· καθάπερ τοῖς μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου στρατείαν, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης. Pro quibus nunc video iam Muellerum coniecisse καθάπερ τοῖς <προτέροις> μέγα τι ἡ Ἀλεξάνδρου στρατεία, in qua coniectura mihi quidem minus placet προτέροις propter adiecta verba ὥς φησιν Ἐρατοσθένης. Ipse suspicabar καθάπερ τοῖς μετ' <Ἀλέξανδρον> ἡ Ἀλεξάνδρου στρατεία, ut legitur I 3, 3 init. εἰπὼν δὲ καὶ αὐτὸς (Eratosthenes) ὁπόσον προύβη τὰ τῆς οἰκουμένης εἰς γνῶσιν τοῖς μετ' Ἀλέξανδρον. An forte

Digitized by Google

καθάπερ τοῖς μετ' Ἀλέξανδρον μέγα τι ἡ Ἀλεξάνδρου στρατεία? Attamen μέγα τι praegresso πολύ τι, quod mente repetendum, abundare videtur, quare priorem rationem praetulerim.

§ 5 init. Ἡ δὲ ῥητορικὴ Φρόνησίς ἐστι δήπου περὶ λόγους· ἣν ἐπιδείκνυται παρ' ὅλην τὴν ποίησιν Ὀδυσσεὺς ἐν τῇ Διαπείρᾳ, ἐν ταῖς Λιταῖς, ἐν τῇ Πρεσβείᾳ, ἐν ᾗ φησίν·

ἀλλ' ὅτε δὴ ὅπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει κτέ.

Cum legantur tres versus Homerici Γ 221 sqq., itaque in ea parte Iliadis, quae Τειχοσκοπία dicebatur, ab ipso Strabone appositi esse sic tantum potuerunt, si pro ἐν ᾗ scripsit ἐν οἷς. Sed quia praeterea suspectum est tanquam diversas partes afferri Preces et Legationem, nescio an potius verba ἐν τῇ Διαπείρᾳ usque ad versuum finem tribuenda sint eidem scholiastae, cui tam multa huius generis deberi demonstravit Meinekius.

§ 7 Ἀλλ' οὐδὲ τὰ σύνεγγυς μόνον, ὥσπερ Ἐρατοσθένης εἴρηκε, καὶ τὰ ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ τῶν πόρρω πολλὰ λέγει, καὶ δι' ἀκριβείας Ὅμηρος καὶ μᾶλλόν γε τῶν ὕστερον μυθολογεῖται, οὐ πάντα τερατευόμενος, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἐπιστήμην ἀλληγορῶν ἢ διασκευάζων ἢ δημαγωγῶν ἄλλα τε καὶ τὰ περὶ τὴν Ὀδυσσέως πλάνην κτέ. Ut apparet collatis Eratosthenis, quem Strabo impugnat, verbis in media fere § 3, ille minus negaverat multa etiam de regionibus longe dissitis dixisse Homerum quam δι' ἀκριβείας id eum fecisse. Praeterea vero difficile dictu est quid aliud sit δι' ἀκριβείας μυθολογεῖσθαι quam *mythos diligenter enarrare*, cum hic intellegi debeat *fabulas narrantem diligentem esse in locis, ubi illa accidisse dicantur, describendis* (cf. § 19 extr.), quam notionem haec verba vix et ne vix quidem admittere videntur. Quibus de causis hic a librariis turbatum esse credo. Conieci: Ἀλλ' οὐδὲ τὰ σύνεγγυς μόνον, — εἴρηκε, ἀλλὰ καὶ τῶν πόρρω πολλὰ λέγει καὶ δι' ἀκριβείας Ὅμηρος, καὶ μᾶλλόν γε τῶν ὕστερον μυθολογούντων, οὐ πάντα τερατευόμενος κτέ. Cf. § 20 init.

§ 8 κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ἀνάγκη τοιούτοις δελέασι χρῆσθαι, προϊούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων μάθησιν ἄγειν, ἤδη τῆς διανοίας ἐρρωμένης καὶ μηκέτι δεομένης κολάκων. Aptius videri potest κολακειῶν vel κολακευμάτων, nec tamen κολάκων sollicitaverim. Sed procul dubio in marginem releganda sunt in sequentibus verba ἥ τε γὰρ Λάμια μῦθός ἐστι καὶ ἡ Γοργὼ καὶ

Digitized by Google

ὁ Ἐφιάλτης καὶ ἡ Μορμολύκη, quae inepte interrumpunt hanc orationem: τοῖς τε γὰρ παισὶ προσφέρομεν τοὺς ἡδεῖς μύθους εἰς τροπήν, εἰς ἀποτροπὴν δὲ τοὺς φοβεροὺς, οἵ τε πολλοὶ τῶν τὰς πόλεις οἰκούντων εἰς μὲν τροπὴν ἄγονται τοῖς ἡδέσι τῶν μύθων, ὅταν ἀκούωσι τῶν ποιητῶν ἀνδραγαθήματα μυθώδη διηγουμένων, οἷον Ἡρακλέους ἢ Θησέως — εἰς ἀποτροπὴν δέ, ὅταν κολάσεις παρὰ θεῶν καὶ φόβους καὶ ἀπειλὰς προσδέχωνται κτέ. Ut enim in ultimis apte utriusque fabularum generis Strabo dedit exempla, ita in praegressis aut utriusque aut neutrius exempla apponere debuit. Praeterea autem sententia saltem postulasset ut scriberet φοβερὸς γὰρ ἥ τε Λάμια μῦθός ἐστι κτέ.

§ 10 extr. Ἀριμασπούς — οὓς ἐν τοῖς Ἀριμασπείοις ἔπεσιν ἐνδέδωκεν Ἀριστέας. Madvigius proponens ἐνδέδεικεν (sic) voluit sane ἐνδέδειχεν, quod compositum propter notam eius significationem parum aptum videtur. An fuit ἐπιδέδειχεν, ostendit?

§ 16 (C. 25) συμβαίνειν δέ ποτε καὶ τιτρώσκεσθαι διὰ τοῦ σκαφιδίου τὸν κωπηλάτην διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ξίφους τῶν γαλεωτῶν καὶ τὸ τὴν ἀκμὴν τοῦ ζώου συαγρώδη εἶναι καὶ τὴν θήραν. Quam probabilis videtur Coraesii coniectura ὁρμὴν pro ἀκμὴν, tam improbabilis Madvigiana δηκτηρίαν pro τὴν θήραν, quoniam neque apri neque xiphiae morsu sed ictu vulnerant, neque vero τὴν θήραν sollicitaverim, nam re vera utriusque bestiae venationem Eratosthenes comparasse, sed eius narratio in brevius contracta a Strabone subobscura facta esse videtur. Fortasse autem hic dederat: διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ξίφους τῶν γαλεωτῶν· καὶ τήν τε ἀκμὴν (ὁρμὴν?) τοῦ ζώου συαγρώδη εἶναι καὶ τὴν θήραν.

§ 17 τῆς δὲ διαθέσεως ἐνέργειαν εἶναι τὸ τέλος. Imo ἐνάργειαν, quod dudum coniectum sed male spretum est ab editoribus.

§ 27 init. ταῦτα δὲ δὴ — λέγοι ἄν τις — καὶ ἄλλα τούτων ἐπιεικέστερα, ἀφ' ὧν τὴν πολλὴν ἄγνοιαν ἀφαιρήσεται τοῦ ποιητοῦ. Hic quoque corrigendum ὑφ', quod vitium aliis locis bene multis sustulerunt Meinekius et Cobetus.

§ 30 Strabo afferens hyperbolicae dictionis varia exempla in his ponit ἐλάττω δ' ἔχειν γῆν τὸν ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. Mihi quidem permire dictum videtur ὁ ἀγρὸς ἔχει γῆν ἐλάττω ἐπιστολῆς Λακωνικῆς pro eo quod natura postulat ὁ ἀγρὸς ἐλάτ-

Digitized by Google

των ἐστὶν ἐπ. Λ. Quare nescio an *τὸν ἀγρὸν* sit interpretamentum aut potius varia lectio huius proverbii, quod fuerit aut: *ἐλάττω ἔχειν γῆν* aut *ἐλάττω ἔχειν τὸν ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς*. Itaque aut *γῆν* aut *τὸν ἀγρὸν* expungendum esse iudico. — Paucis interiectis, ubi legitur *ὥστ' ἐπεὶ καὶ γνώριμον ἦν τὸ πάθος τοῦ ποταμοῦ τῷ ποιητῇ, ὡς παραμεμυθήμεθα, καὶ κέχρηται τῷ ἐπιθέτῳ τούτῳ* (sc. *τῷ διϊπετής*) *κατ' αὐτοῦ, οὐκ ἄλλως δεκτέον ἢ ὡς εἰρήκαμεν*, notandum est *παραμεμυθήμεθα*, quod verbum numquam habet eam vim quam ei tribuit interpres Latinus vertens *„ut contra aliorum opinionem docuimus."* Est enim *blandis verbis alloqui, consolari, lenire;* Strabo autem sic usurpare solet ut sit *persuadere conor.* Cf. I 3, 6 init.

Cap. 3, § 2 init. *καὶ κελεύσας* (Eratosthenes) *ἡμῖν μὴ ῥᾳδίως τοῖς τυχοῦσι πιστευειν, καὶ τὰς αἰτίας διὰ μακρῶν ἀποδοὺς δι' ἃς οὐδὲ πιστευτέον — αὐτὸς ἐπίστευσε τοῖς τυχοῦσι.* Perpetuo librarios confundere notum est *οὐδὲ* et *οὐδὲν*, quod est huius loci, *cur nulla iis fides habenda sit.* Sin minus, simplici Strabo usus esset negatione. Post pauca (C. 48 init.) haereo in his verbis male compositis: *εἰπών τε τοὺς ἀρχαιοτάτους πλεῖν καὶ κατὰ λῃστείαν ἢ ἐμπορίαν, μὴ πελαγίζειν δέ, ἀλλὰ παρὰ γῆν, — ὕστερόν φησι τὸ παλαιὸν οὔτε τὸν Εὔξεινον θαρρεῖν τινὰ πλεῖν, οὔτε παρὰ Λιβύην κτέ.* Nam male iunguntur *καὶ* et *ἤ*, nec recte post *πελαγίζειν* ad *παρὰ γῆν* mente suppleri potest verbum *πλεῖν*. Expectabam: *εἰπών τε τοὺς ἀρχαιοτάτους, πλέοντας κατὰ λῃστείαν ἢ ἐμπορίαν, μὴ πελαγίζειν, ἀλλὰ <πλεῖν> παρὰ γῆν, — ὕστερόν φησι κτέ.*

§ 4 init. *περὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἄμμωνος καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ ὁδόν.* Pro soloeco dativo legatur genetivus *αὐτοῦ*. Contra dativum requiro pro genetivo in his (ibidem C. 50) *τάχα δὴ καὶ τὸ τῆς Ἄμμωνος ἱερὸν πρότερον ἐπὶ τῆς θαλάττης ὂν ἐκρύσεως γενομένης νῦν ἐν τῇ μεσογαίᾳ κεῖσθαι*, ut post pauca sequitur: *εἰκάζει τε τὸ μαντεῖον εὐλόγως ἐπὶ τοσοῦτον γενέσθαι ἐπιφανὲς — ἐπὶ θαλάττῃ ὄν.*

§ 13 (C. 56) *ἐπειδὴ τὸ συνάπτειν σημαίνει καὶ τὸ σύνεγγυς καὶ τὸ ψαύειν.* Rectius dictum foret *σύνεγγυς εἶναι* vel *συνεγγίζειν*.

§ 21 init. *προστιθέασι δὲ καὶ τὰς ἐκ τῶν μεταστάσεων μεταβολὰς ἐπὶ πλέον τὴν ἀθαυμαστίαν ἡμῖν κατασκευάζειν ἐθέλοντες.*

Digitized by Google

Non *rerum conversiones*, sed *populorum migrationes* significare voluit Strabo, itaque scripsit μεταΝΑστάσεων, ut recte cum alibi saepe legitur tum III 4, 19.

Cap. 4 § 8 γένοιτο γὰρ ἂν καὶ ἐπὶ τούτων ἡγεμόσι μεγάλοις ἀμφισβήτησις, τῷ μὲν ἔχοντι τὴν Ἀσίαν, τῷ δὲ τὴν Λιβύην, ὁποτέρου δ' ἐστὶν ἡ Αἴγυπτος. Quo sensu post ὁποτέρου addita sit vocula δέ, non perspicio. Aut delenda, quod malim, aut mutanda in δή.

Ad librum II.

Cap. I § 9 πᾶνας — ὄφεις τε καὶ βοῦς καὶ ἐλάφους σὺν κέρασι καταπίνοντας. Veteres scribere solent in tali sententia αὐτοῖς κέρασι, saepe etiam recentiores, sed non raro addita praepositione. An hic Strabo dederat ἐλάφους <αὐτοῖς> σὺν κέρασι καταπίνοντας?

Cap. 3 § 4 In Posidonii narratione de temptata ab Eudoxo Africae circumnavigatione legitur ἐξ ὧν (τῶν ξύλων navis quae perierat) τρίτον λέμβον συμπηξάμενον πεντηκοντόρῳ πάρισον πλεῖν, ἕως ἀνθρώποις συνέμιξε τὰ αὐτὰ ῥήματα φθεγγομένοις ἅπερ πρότερον ἀπογέγραπται. Ultima vox sana non est, quia ῥήματα illa non Strabo, sed Eudoxus scripto mandaverat. Cf. supra ἀπογράφεσθαι τε τῶν ῥημάτων ἔνια. Requiritur igitur aut ἀπεγέγραπτο aut ἀπογεγράφθαι.

§ 5 θαυμαστὸς δὴ κατὰ πάντα ἐστὶν ὁ Ποσειδώνιος, τὸν μὲν τοῦ μάγου περίπλουν, ὃν Ἡρακλείδης εἶπεν, ἀμάρτυρον νομίσας, καὶ αὐτῶν τῶν ὑπὸ Δαρείου (ipsius Strabonis errore pro Νεκὼ) πεμφθέντων, ὃν Ἡρόδοτος ἱστορεῖ, τὸ δὲ Βαργαῖον διήγημα τοῦτο ἐν πίστεως μέρει τιθεὶς κτέ. Cum desit necessarius articulus et male abundet αὐτῶν, emendandum est καὶ αὖ τὸν τῶν ὑπὸ Δαρείου πεμφθέντων, vel, si mavis, καὶ τὸν κτέ.

Cap. 3 § 1 τὰ μὲν γὰρ πρὸς τῷ ἰσημερινῷ καὶ τῇ διακεκαυμένῃ ζώνῃ διὰ καῦμα ἀοίκητά ἐστι, τὰ δὲ πρὸς τῷ πόλῳ διὰ ψῦχος, τὰ δὲ μέσα τὰ εὔκρατα καὶ [τὰ] οἰκήσιμα. Pessime in his duplici articulo distinguuntur τὰ εὔκρατα et τὰ οἰκήσιμα, quae eadem esse constat, itaque alter certe articulus expungendus est, sed vel sic locus laborare videtur. Melius enim ultima verba cum prioribus iuncta erunt, si scripseris τὰ δὲ μέσα, τὰ εὔκρατα, οἰκήσιμα (sc. ἐστι), vel τὰ δὲ μέσα, ὄντα (s. ἅτε) εὔ-

Digitized by Google

κρατα (= διὰ τὸ εὔκρατον) οἰκήσιμα vel denique τὰ δὲ μέσα εὔκρατα καὶ οἰκήσιμα. Quibus omnibus addi potest τὰ δὲ μέσα οἰκήσιμα, deletis quae ex interpretamento nata esse videri possunt. Sed prima ratio, ut lenissima, praeferenda; scribam igitur τὰ δὲ μέσα, τὰ εὔκρατα, [καὶ τὰ] οἰκήσιμα.

§ 7 ποιούμενος τὴν ζήτησιν πρὸς οὐδὲν χρησίμως. In his χρήσιμον corrigere occupavit Cobetus. Locus me admonet Pausaniae IV 13, 4 ubi legendum ὡς <πρὸς> οὐδὲν ὠφέλιμον γένοιτο Φονεῦς θυγατρὸς, potius quam <ἐς>, ut nuperrime proponebam Mnem. XV pag. 60 [1]).

Cap. 5 § 17 ἄλλων δ' ἄλλας ἀρετάς τε καὶ κακίας καὶ τὰς ἀπ' αὐτῶν χρείας ἐπιδεικνυμένων ἢ δυσχρηστίας, τὰς μὲν Φύσει τὰς δὲ ἐκ κατασκευῆς, τὰς Φύσει δεῖ λέγειν· διαμένουσι γὰρ, αἱ δ' ἐπίθετοι δέχονται μεταβολάς. His ita scriptis, crederes Strabonem additurum esse, silendum esse de adsciticiis, quia tamen deinde monet etiam haec partim saltem commemoranda esse, apparet excidisse πάσας vel μάλιστα vel πρῶτον, ex quibus vocabulis ultimum scriptum nota numerali A facillime ante Δεῖ elabi potuit. Nihilominus aptissimum videtur <μάλιστα> τὰς Φύσει δεῖ λέγειν.

§ 26 Ῥωμαῖοί τε πολλὰ ἔθνη παραλαβόντες καὶ (aut dele aut cum Tyrrhwitto l. κατὰ) τὴν Φύσιν ἀνήμερα διὰ τοὺς τόπους ἢ τραχεῖς ὄντας ἢ ἀλιμένους ἢ ψυχροὺς ἢ ἀπ' ἄλλης αἰτίας δυσοικήτους ΠΟΛΛΟΙΣ τούς τε ἀνεπιπλέκτους ἀλλήλοις ἐπέπλεξαν καὶ τοὺς ἀγριωτέρους πολιτικῶς ζῆν ἐδίδαξαν. Legerim ΠΟΛΛΑΚΙΣ.

Ad librum III.

Cap. 1, 5 extr. ἔΦη γὰρ νύκτωρ μηδένα ἐπιβαίνειν, ὥστ' οὐδὲ

1) Delatus ad Pausaniam hac utar occasione ut cum lectore communicem iuvenem doctissimum A. M. Desrousseaux per litteras me docuisse Paus. I 8, 1 scribendum sibi videri μέγιστον δέ <τόδε> ἐστιν οἱ τῶν ἔργων· Γαλάτας γὰρ κτέ. [non male; ego γὰρ expungebam, quia aberat τόδε, et saepius ita loquitur Pausanias]; 22, 2 Φῦναι δὲ <οὕτως> οὐκ ἐξ ἀρχῆς αὐτὴν λέγουσιν [non improbo]; II 31, 1 ὅτι ἀνδρίᾳ τοὺς <συν>αποθανόντας ὑπερέβαλεν ὁ Ἀστερίων. Haec emendatio meam lenitate et probilitate longe superat, et quo pacto me latere potuerit non assequor. Loco VIII 16 (vide me p. 67) pro δι' ὀλίγης acute ΔΙ ϵΑΤΤΗϹ coniecit, ut nuper mihi scripsit Anglus quidam criticus, cuius nomen haec scribenti excidisse mihi doleo. Ipse aliquando monebit.

Digitized by Google

δυομένου ἡλίου οὐδεὶς ἂν ἐπιβαίνοι, εἴπερ εὐθὺς ἡ νὺξ καταλαμβάνει. Imo ἐπείπερ.

Cap. 2, 4 αἱ γὰρ ἐν τοῖς ποταμοῖς ναυτιλίαι διὰ τὴν σφοδρότητα τῆς πλημμυρίδος ἰσχυρότερον τῇ ῥύσει τῶν ποταμῶν ἀντιΠΝΕουσαν κίνδυνον οὐ μικρὸν ταῖς ναυκληρίαις ἐπιφέρουσι, κατακωμιζομέναις τε ὁμοίως καὶ ἀνακομιζομέναις. αἱ δὲ ἀμπώτεις ἐν ταῖς ἀναχύσεσίν εἰσι βλαβεραί. Ferri nequit σφοδρότητα ἀντιτνέουσαν. Legendum ἀντιΤΕΙΝουσαν, obnitentem.

§ 10 Πολύβιος δέ, τῶν περὶ Καρχηδόνα Νέαν ἀργυρείων μνησθείς, μέγιστα μὲν εἶναι φησι —, ὅπου τέτταρας μυριάδας ἀνθρώπων μένειν τῶν ἐργαζομένων. Veresari (sic enim interpretantur) Graece non dicitur μένειν. Strabo dedisse videtur ἐνεῖν<αι>.

Cap. 3, 6 ἐνίους δὲ τῶν προσοικούντων τῷ Δουρίῳ ποταμῷ Λακωνικῶς διάγειν φασίν — ψυχρολουτροῦντας καὶ μονοτροφοῦντας καθαρείως καὶ λιτῶς. Quae adduntur καθαρείως καὶ λιτῶς parum favent Madvigii coniecturae κομοτροφοῦντας, et optime huic loco convenit traditum μονοτροφεῖν, quod volgo μονοσιτεῖν dictum est τῆς λιτῆς διαίτης et saepe commemoratur apud Galenum et in scriptis Hippocrateis. — In verbis sequentibus στλαγχνεύονται δὲ καὶ δι' ἀνθρώπων αἰχμαλώτων καλύπτοντες στάγοις quid sibi velint duo ultima vocabula, quae extorum inspectionem mirifice impedire videntur, frustra quaesivi.

Cap. 4 § 7 Μεταξὺ δὲ τῶν τοῦ Ἴβηρος ἐκτροπῶν. Melius Kramerus ἐκβολῶν, quo vocabulo sexcenties Strabo usus est, coniecit quam Madvigius ἐκροῶν, quo alibi non utitur.

§ 11 παρ' οἷς πέρναι διάφοροι συντίθενται. Mirabilis verbi usus de conficienda re non composita.

Cap. 5, 1 init. εἰσὶ δὲ καὶ πελάγιαι μᾶλλον αἱ Πιτυοῦσσαι καὶ πρὸς ἑσπέραν κεκλιμέναι τῶν Γυμνησίων. Manifestum huius loci vitium non sanatur speciosa ob solam lenitatem Madvigii coniectura πλάγιαι. Omnino sanum videtur πελάγιαι, quo vocabulo Strabo ubicumque de insulis orae maritimae non proximis loquitur uti solet. Vide v. c. infra § 11 init. et IV 4, 6 init. Rectius, ni fallor, Muellerus: εἰσὶ δὲ [καὶ] πελάγιαι, μᾶλλον <δ'> αἱ Πιτυοῦσσαι, καίπερ πρὸς ἑσπέραν κεκλιμέναι, τῶν Γυμνησίων. Ipse conieci εἰσὶ δὲ, καίπερ οὖσαι πελάγιαι, μᾶλλον αἱ Πιτυοῦσσαι (αἱ Πιτυοῦσσαι μᾶλλον?) πρὸς ἑσπέραν κεκλιμέναι τῶν Γυμνησίων. — Ibidem non ita procul a fine mendose scriptum

Digitized by Google

est de Balearibus διὰ δὲ τὴν αὐτὴν ἀρετὴν ἐπιβουλευόμενοι, καίπερ εἰρηναῖοι ὄντες, ὅμως σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται. Postulat enim sententia διὰ δὲ αὐτὴν τὴν ἀρετήν, *propter ipsam virtutem*, nulla alia de causa.

§ 3 dicitur de Gaditanis πλέον οἰκοῦντες τὴν θάλατταν, ὀλίγοι δ' οἰκουροῦντες ἢ ἐν Ῥώμῃ διατρίβοντες, ἐπεὶ πλήθει γε οὐδεμιᾶς ἂν ἀπολείπεσθαι δόξειε τῶν ἔξω Ῥώμης πόλεων. Ultima verba „nam sin minus, Gades nulli extra Romam urbi multitudine civium cedere videretur" non intellego, nisi legatur, transpositis verbis: πλέον (l. τὸ πλέον, *plerique*) οἰκοῦντες τὴν θάλατταν ἢ ἐν Ῥώμῃ διατρίβοντες, ὀλίγοι δ' οἰκουροῦντες, ἐπεὶ κτἑ. — Paucis intermissis, ubi legitur ὀλίγοι γὰρ οἰκουροῦσιν ἐν αὐτῇ διὰ τὸ πάντας θαλαττεύειν τὸ πλέον, τοὺς δὲ καὶ τὴν περαίαν οἰκεῖν, oppositis frontibus inter se pugnant vocabula πάντας et τοὺς δέ, quare delendum puto πάντας, quod qui addidit non intellexit τὸ πλέον idem valere quod τοὺς πλείους, sed habuit pro adverbio.

§ 4 in paragraphi fine legitur τεκμαίρονται δ' ἐκ τούτου πεπλάσθαι τὸν μῦθον τὸν περὶ τὰ βουκόλια τοῦ Γηρυόνου· κοινῇ μέντοι συνῴκισται πᾶς ὁ αἰγιαλός. Ultima verba male cohaerere cum praegressis dudum intellegentes viri docti statuunt lacunam post Γηρυόνου. Vide tamen ne nihil exciderit, scripseritque Strabo κοινῇ μέντοι αὐτὸν (s. τοῦτον) οἰκειοῦται πᾶς ὁ αἰγιαλός, scil. τὸν μῦθον.

Ad librum IV.

Cap. 1, 13 supplendum puto τούτων (sc. τῶν Τεκτοσάγων) δ' εἶναι καὶ τοὺς κατασχόντας τὴν Φρυγίαν τὴν ὅμορον τῇ Καππαδοκίᾳ καὶ τοῖς Παφλαγόσι· τούτου μὲν οὖν ἔχομεν τεκμήριον τοὺς <ἐκεῖ> ἔτι καὶ νῦν λεγομένους Τεκτοσάγας. — Prope finem paragraphi sensu caret articulus in verbis ἐν δὲ τῇ Τολώσσῃ καὶ τὸ ἱερὸν ἦν ἄγιον, τιμώμενον σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων. Legerim καί τι ἱερὸν κτἑ.

Cap. 6, 4 extr. τῶν δὲ μεταξὺ τοῦ Οὐάρου καὶ τῆς Γενούας Λιγύων οἱ μὲν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τοῖς Ἰταλιώταις εἰσιν οἱ αὐτοί, ἐπὶ δὲ τοὺς ὀρεινοὺς πέμπεταί τις ὕπαρχος. Qui eodem sunt iure Italis, propterea tamen non recte his οἱ αὐτοὶ dicuntur. Latere videtur ἰσοπολῖται. Quod attinet ad ὀρεινούς, saepius

Digitized by Google

apud Strabonem pro eo reperitur forma ὄρειος, quae nescio an huiusmodi locis ubique sit restituenda. Nisi enim fallor, inter utramque sic distinguendum, ut ὀρεινός usurpetur de locis et regionibus, quemadmodum constanter legitur ἡ ὀρεινή, ὄρειος contra de iis quae in montibus sint nascantur vivantque, sive de hominibus ceterisque animalibus sive de herbis plantisque aut lapidibus fiat sermo.

Ad librum V.

Cap. 1, 8 extr. Ποσειδώνιος δέ φησι ποταμὸν τὸν Τίμαυον — ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι. Permire et vitiose, ni fallor, dictum pro εἰς τὴν θάλατταν.

§ 9 τοὺς δ' ἀπ' ἐκείνου διαδεξαμένους τότε καυτήριον Φυλάξαι καὶ τοὔνομα τῷ γένει τῶν ἵππων, ἔθος δὲ ποιῆσαι, θήλειαν μὴ ἐξαλλοτριοῦν, ἵνα μένοι παρὰ μόνοις τὸ γνήσιον γένος. Notabile παρὰ μόνοις pro παρ' αὐτοῖς μόνοις. Alterum exemplum legitur XV 1, 58 init. ubi deteriores quidem libri addunt αὐτοῖς.

Cap. 2, 6 διὸ καὶ δοκεῖ μοι μόνη τῶν Τυρρηνίδων τῶν παλαιῶν αὕτη (Populonia) ἐπ' αὐτῇ τῇ θαλάττῃ ἱδρῦσθαι· αἴτιον δ' ἐστὶ τὸ τῆς χώρας ἁλίμενον· διόπερ παντάπασιν ἔφευγον οἱ κτίσται τὴν θάλατταν, ἣ προυβάλλοντο ἐρύματα πρὸς αὐτῆς, ὥστε μὴ λάφυρον ἕτοιμον ἐκκεῖσθαι τοῖς ἐπιπλεύσασιν. Optime additum πρὸς αὐτῆς, i. e. πρὸς θαλάττης, *a mari*, unde periculum imminebat, et omnino repudianda Madvigii coniectura προσάντῃ, quod adiectivum *de via* usurpatur, non de castello aut munimento.

§ 7 (C. 224 extr.) ἔστι δὲ αὐτῆς (Corsicae) τὸ πολὺ μέρος τραχὺ καὶ οὐκ εἰρηναῖον, πολὺ δὲ καὶ χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς τᾶσι. Certa corruptela, minus certa medicina. Madvigius coniecit εὔεργον vel ἐργάσιμον. Mihi in mentem venit οὐκ εὐδιεινόν, i. e. χειμερινὸν καὶ προσήνεμον. Hanc vocabuli formam obiter redde Straboni VI 3, 9 ἡ δὲ χώρα εὐδινὴ διὰ τὴν κοιλότητα τῶν πεδίων.

Cap. 3, 2 τὴν δὲ (Rheam Sylviam), ἵνα ἄτεκνος διαμείνῃ, τῆς Ἑστίας ἱέρειαν κατέστησε [παρθενείας χάριν]. Deleatur putidum glossema.

§ 7 τὸν Κουιρῖνον λόφον ἐτείχισαν, ὃς ἦν οὕτως εὐεπίβατος τοῖς ἔξωθεν, ὥστ' ἐξ ἐφόδου Τίτος Τάτιος εἷλεν [ἐπελθών]. Alterum

Digitized by Google

utrum, aut ἐξ ἐΦόδου aut ἐπελθών, quae prorsus idem significant, turpiter abundat. Expunxerim participium.

Cap. 4, 3 Ὀπικοὺς γάρ Φησι (Polybius) καὶ Αὔσονα οἰκεῖν [τὴν χώραν ταύτην] περὶ τὸν Κρατῆρα. Quae seclusi vocabula errore repetita videntur e praegressis Ἀντίοχος μὲν οὖν Φησὶ τὴν χώραν ταύτην (scil. τὴν περὶ τὸν Κρατῆρα) Ὀπικοὺς οἰκῆσαι. Retinenti saltem cum Coraesio corrigendum fuerit τὴν χώραν ταύτην <τὴν> περὶ τὸν Κρατῆρα.

§ 5 (C. 245 init.) ὕστερον δὲ διαΦθαρῆναι τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ βασιλέως τινός, οὐκ ἀποβάντος αὐτῷ τοῦ χρησμοῦ, τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι συμμένειν. Straboni redde του χρησμοῦ, nescio quo oraculo.

§ 7 init. Suppleverim Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις <κτίσμα> Κυμαίων, nam sic Strabo solet, et facile κτίσμα elabi potuit propter sequentium litterarum ΚΤΜΑ similitudinem. — Post pauca exulato articulus ex his: μηνύει δὲ τὰ τῶν δημάρχων ὀνόματα, τὰ μὲν πρῶτα Ἑλληνικὰ ὄντα, τὰ δὲ ὕστερα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἀναμὶξ [τὰ] Καμπανικά, ut ad Καμπανικά referri possit praegressum ὄντα.

Ad librum VI.

Cap. 1, 8 Dionysius tyrannus degens Locris συναγαγὼν τὰς ὡραίας παρθένους περιστερὰς ὁλοπτέρους ἐν τοῖς συμποσίοις ἠΦίει, κἀκείνας ἐκέλευσε θηρεύειν γυμνάς, τινὰς δὲ καί, σανδάλια ὑποδουμένας ἄζυγα, τὸ μὲν ὑψηλόν, τὸ δὲ ταπεινόν, περιδιώκειν τοῦ ἀπρεποῦς χάριν. Gaudebam cum olim haec legens certa, ut putabam, coniectura pro ὁλοπτέρους rescriberem κολοπτέρους, sed brevi intellexi me sero venisse, Meinekium enim in eandem incidisse emendationem. Quam rem non commemorarem, nisi viderem Cobetum exstitisse volgatae lectionis patronum in Mnem. nov. IV p. 105 scribentem: „Recte Meineke θηρεύειν „[pro γυρεύειν] restituit, sed quod κολοπτέρους pro ὁλοπτέρους „reponebat, fugit eum ratio: non fuisset enim longa venatio si „columbis pinnas incidisset, quae alis integris circumvolitantes „multum laboris et molestiarum miseris puellis exhibebant." Non fugit me iudice Meinekium ratio, sed intellegebat, opinor, primo ὁλοπτέρους, si hoc Strabo voluisset, *abundare*, deinde vero, quod caput est, fieri omnino non potuisse ut venantes

Digitized by Google

puellae columbas integris alis circumvolitantes et lacunar petentes caperent. Deinde nego columbas incisis pinnis omnino volare posse; volitant quidem, sed humiles et parvo intervallo, itaque satis laboris et molestiae exhibebant capere nitentibus, praesertim iis quae sandalia indutae essent inaequalia. Praeterea, si non longa esset venatio, quid impediebat quominus tyrannus miseras puellas, dimissis quas cepissent columbis, eam saepius repetere iuberet?

§ 4 (C. 255 init.) *περίπλους δ' ἐστι τῆς ἀπολαμβανομένης χώρας πρὸς τὸν Πορθμὸν ἐντὸς στάδιοι δισχίλιοι.* Vocula *ἐντός*, quae hoc certe loco misere abundat, aut transponenda inter *τῆς* et *ἀπολαμβανομένης*, aut (quod malim) recidenda utpote errore repetita e praegressis *Ἰταλοὺς μόνος ἔφη καλεῖσθαι τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ πρὸς τὸν Σικελὸν κεκλιμένους πορθμόν* Antiochus. Antiochus ergo non ad Italiam pertinere *censebat* Tarentum, ut dicit Strabo paullo ante, ibi enim *τὴν δὲ Ταρεντίνην — ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας νομίζει* scripsisse videtur, non quod volgatur, *ὀνομάζει.*

§ 5 extr. Supple: *ἀπὸ δὲ <τῆς> στυλίδος ἑκατὸν εἰς Ῥήγιον.*

§ 12. Auctor oraculi

Μύσκελλε βραχύνωτε, παρὲκ θεὸν ἄλλο ματεύων
κλαύματα θηρεύεις· ὀρθὸν δ' ὅτι δῶ τις ἐπαινεῖν.

βραχύνωτε dixisse videtur pro *βραχυνότε*, qua re non intellecta, posteri *ὑπόκυφον* hominem fuisse finxerunt, licet cur *gibbosus βραχύνωτος* dicatur difficile dictu sit.

§ 13 extr. *ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους* (*λουμένους*?) *καὶ ἄλλα πολλὰ πάθη ἰᾶται.* Pro ΑΛΛΑ lege ΑΜΑ, *ἅμα.* Eodem errore saepius Strabonis libri habent *ἄλλως* pro *ἀμῶς*, quod ubique correxit Madvig.

Cap. 2, 4 (C. 270 init.) *τὸν δ' Ἀρχίαν κατασχόντα πρὸς τὸ Ζεφύριον τῶν Δωριέων εὑρόντα τινὰς δεῦρο ἀφιγμένους ἐκ τῆς Σικελίας παρὰ τῶν τὰ Μέγαρα κτισάντων ἀναλαβεῖν αὐτούς, καὶ κοινῇ μετ' αὐτῶν κτίσαι τὰς Συρακούσας ἀπιόντας.* Parum proficitur transponendo participium sensu cassum post *κτισάντων*, ubi misere abundaret, nec tuto cum Meinekio delebimus, quia nulla excogitari causa potest cur quis participium, in optimis codicibus lectum, adscriberet. Quare quin corruptela natum sit vix dubito. Conieci: *καὶ κοινῇ μετ' αὐτῶν κτίσαι τὰς Συρακούσας;*

Digitized by Google

ἐπ' Ἀνάπῳ. Ibidem legitur ἡ δ' Ὀρτυγία συνάπτει γεφύρᾳ πρὸς τὴν ἤπειρον οὖσα. Quod coniecit Meineke ὁμοροῦσα de insula recte dici dubito. Melius Muellerus <μικρὸν ἀπ>οῦσα. Possis etiam <ἐγγὺς> οὖσα.

§ 8 εἰ δὲ καταρριφείη, φθάνει (l. φθάνειν cum Coraesio) ἂν διαφθαρὲν πρὶν ἀναρριφείη πάλιν. Haec facile intelleguntur, sed quid quaeso sibi volt quod additur ὁποῖον παρελήφθη πρότερον? Interpres Latinus ap. Didotium „quod si autem (in Aetnae cra„tera) quid iniciatur, multo ante *eius formam* corruptum iri, „*qua erat iniectum*, quam ipsum rursus eiceretur." At Graeca significant: *quale acceptum* (sumtum) *erat prius*. Vereor ne ista verba sint interpretamentum aliquod verbis praegressis, quorum structura id repudiat, male agglutinatum. Quid sciolus voluerit fortasse recte intellexit interpres.

Impedita quoque sunt sed facilia ad corrigendum ipsa sequentia: τὸ μὲν οὖν ἐκλείπειν ποτὲ τὰ πνεύματα καὶ τὸ πῦρ ἐπιλειπούσης τῆς ὕλης οὐκ ἄλογον, οὐ μὴν ἐπὶ τοσοῦτόν γε, ὥστ' ἀντὶ τῆς τοιαύτης βίας ἐφικτὸν ἀνθρώπῳ γενέσθαι τὸν πλησιασμόν. Vertunt „contra istam vim", sed eo sensu Graecum est ἀντίον (ἐναντίον).

§ 10 ταύτης δὲ μεταξύ πως ἐστι καὶ τῆς Σικελίας <ἡ Θέρμισα> ἣν νῦν Ἱέραν Ἡφαίστου καλοῦσι. Insula Ἱέρα audiebat (cf. Thuc. III 88, 2), quare adiectum genetivum Ἡφαίστου interpretis esse suspicor. Strabo saltem scripsisset ἣν νῦν ἱερὰν Ἡφαίστου <οὖσαν Ἱέραν> καλοῦσι aut aliquid huiusmodi, quod si quis praetulerit, non pugnabo. Post pauca legimus haec ἐκ δὲ τῆς τηρήσεως πεπίστευται, διότι τοῖς ἀνέμοις συμπαροξύνονται καὶ αἱ Φλόγες αἵ τε ἐνταῦθα καὶ αἱ κατὰ τὴν Αἴτνην, παυομένων δὲ παύονται [καὶ αἱ Φλόγες]. Quanto elegantius tria ultima vocabula, perperam me iudice a ludimagistro repetita, aberunt. — Verior forma ἄπωθεν, quae passim apud nostrum imprimis in posterioribus libris servata est, obiter restituatur in sequentibus ὥστε μηδὲ τὴν Σικελίαν ἄποθεν Φαίνεσθαι et ubique.

§ 11 Ἐρικοῦσα. Rectius Ἐρεικοῦσσα insula vocatur a Ptolemaeo, quippe quae nomen habeat a planta ἐρείκη, pro qua similiter saepius apparet varia lectio ἐρίκη. Moneo quia silet Cobetus in diligenti pravarum apud Strabonem formarum recensione pag. 213 sqq. Qui quod hic et alibi damnavit in hac nominum

Digitized by Google

forma duplex Σ, in eo fallitur, ut ex vetustis titulis abunde constat.

Cap. 3, 2 extr. Ἰάπυγας δὲ λεχθῆναι πάντας φασὶ μέχρι τῆς Δαυνίας ἀπὸ Ἰάπυγος, ὃν ἐκ Κρήσσης γυναικὸς Δαιδάλῳ γενέσθαι [φασὶ] καὶ ἡγήσασθαι τῶν Κρητῶν. Deleatur alterum φασί.

§ 4 init. de Tarentinis scribit Strabo πεζοὺς ἑστελλον τρισμυρίους, ἱππέας δὲ τρισχιλίους, ἱππάρχους δὲ χιλίους. Madvigius proposuit διμάχας ex Hesychio s. v. Aut hoc latet aut ἀμίππους. Cf. Harpocr. s. v. et Bekk. Anecd. I p. 205.

§ 11 init. οἱ δὲ περιοικοῦντες ἰδίως Ἄπουλοι προσαγορεύονται, εἰσὶ δὲ ὁμόγλωττοι μὲν τοῖς Δαυνίοις καὶ Πευκετίοις, οὐδὲ τἄλλα δὲ διαφέρουσιν ἐκείνων τό γε νῦν, τὸ δὲ πάλαι διαφέρειν εἰκός, ὅθενπερ καὶ ΤΑ ΟΝΟΜΑΤΑ ΕΝΑΝΤΙΑ ΠΑΝΤΩΝ ἐπικρατεῖν. Vertunt „unde et *diversa* omnium nomina obtinuerint" quamquam nemo ignorat ἐναντίος *contrarius* esse, non *diversus*. Quid scriptor voluerit indicat locus VI 3, 8 extr. τὴν δὲ συνεχῆ Δαύνιοι νέμονται, εἶτα Ἄπουλοι μέχρι Φρεντανῶν. ἀνάγκη δέ, Πευκετίων καὶ Δαυνίων μηδ' ὅλως λεγομένων ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, πλὴν εἰ τὸ παλαιόν, ἀπάσης δὲ ταύτης τῆς χώρας Ἀπουλίας λεγομένης νυνί, μηδὲ τοὺς ὅρους ἐπ' ἀκριβὲς λέγεσθαι τῶν ἐθνῶν τούτων. Dicit igitur solum Apulorum nomen permansisse et unum obtinuisse pro tribus: Apulis Dauniis et Peucetiis, itaque scripsit: ὅθενπερ καὶ ΤΟ ΟΝΟΜΑ (Apulorum) ΕΝ ΑΝΤΙ ΑΠΑΝΤΩΝ ἐπικρατεῖν, vel potius ὅθενπερ καὶ τὸ ὄνομα αὐτῶν ἓν ἀντὶ ἁπάντων ἐπικρατεῖν. Quae si vera est correctio, praeterea legendum: οὐδὲ τἄλλα διαφέρουσιν ἐκείνων γε νῦν (τὸ γὰρ πάλαι διαφέρειν εἰκός), ὅθενπερ καὶ κτέ.

Cap. 4, 1 med. Dele importunam copulam in his: προσθήκη δ' ἐστὶν ἡ Σικελία τῷ μήκει (Italiae) τοσαύτη οὖσα [καὶ] τοσούτῳ, καθάπερ μέρος. Sed non est satis: praeterea reddatur insulsum additamentum καθάπερ μέρος interpreti vocabuli προσθήκη et relegetur in marginem.

Ad librum VII.

Cap. 1, 5 Ὁ δ' Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τ' ἐστι καὶ μεγαλόδενδρος. Madvig temptabat πυκνόσπορος vel πυκνόδενδρος, quorum prius ineptum praesertim de sylva, ut hodie dicunt, *virgine*, alterum nusquam repertum est. Si quid mutandum,

Digitized by Google

legatur πυκνότατός τ' ἐστι; ut saepissime comparativorum et superlativorum terminationes a librariis permutantur. In antiquo scriptore Attico quin eiusmodi comparativus ferri nequeat non dubito, de sequioribus, apud quos multo crebrius reperitur, nihil affirmo.

Cap. 3, 11 Βοτριβίστας, ἀνὴρ Γέτης, ἐπιστὰς ἐπὶ τὴν τοῦ ἔθνους ἐπίστασίαν. Quamquam Strabo non est elegans scriptor, tamen difficulter admitto eum ita scripsisse ubi in promptu erat scribere ἐπιστὰς — προστασίαν.

§ 13 μεταναστάσεις γὰρ δέδεκται, τῶν πλησιοχώρων ἐς τοὺς ἀσθενεστέρους ἐξανΑστάντων. Recte Madvig e codicibus revocavit ἐξανΙστάντων, delens voculam ΕΣ. Praetulerim: τῶν πλησιοχώρων τοὺς ἀεὶ ἀσθενεστέρους ἐξανιστάντων.

Cap. 4 § 5 ἔχουσι δ' αὐτὴν (Chersonesum) οἱ τοῦ Βοσπόρου δυνάσται κεκακωμένην πᾶσαν ὑπὸ τῶν συνεχῶν πολέμων, πρότερον δ' εἶχον ὀλίγην μὲν τὴν πρὸς τῷ στόματι τῆς Μαιώτιδος καὶ τῷ Παντικαπαίῳ μέχρι Θεοδοσίας τῶν Βοσπορίων τύραννοι, τὴν δὲ πλείστην — Ταῦροι. Si verba τῶν — τύραννοι, nimis ferme otiosa ob praegressa οἱ — δυνάσται, genuina sunt, dubium non est quin praefigendus sit illis articulus.

Cap. 7 § 12 Σουΐδας μέντοι Θετταλοῖς μυθώδεις λόγους προσχαριζόμενος, ἐκεῖθέν τέ Φησιν εἶναι τὸ ἱερὸν (Dodonaeum) μετενηνεγμένον ἐκ τῆς περὶ Σκοτοῦσσαν Πελασγίας· ἔστι δ' ἡ Σκοτοῦσσα τῆς Πελασγιώτιδος Θετταλίας· συνακολουθῆσαί τε γυναῖκας ΤΑC ΠΛΘΙCΤΑC, ὧν ἀπογόνους εἶναι τὰς νῦν προφητίδας. Pro τὰς πλείστας minus feliciter ταχθείσας coniecisse mihi videtur Madvigius. Aut fallor, aut emendata lectio ΠΘΛΑCΓΙΑC, olim in margine adscripta, loco alieno in textum recepta est. Scripserim: ἐκ τῆς περὶ Σκοτοῦσσαν· ἔστι δ' ἡ Σκοτοῦσσα τῆς Πελασγιώτιδος Θετταλίας· συνακολουθῆσαί τε γυναῖκάς τινας Πελασγίας, ὧν ἀπογόνους κτέ.

VII fragm. 1, 3 μετηνέχθη κατὰ χρησμὸν ἐν Δωδώνῃ. Sic eclogarius Byzantino sermone scripsit pro εἰς Δωδώνην.

fragm. 12. Ὅτι Πηνειὸς μὲν ὁρίζει τὴν κάτω καὶ πρὸς θαλάττῃ Μακεδονίαν. Verba supervacanea καὶ πρὸς θαλάττῃ eclogario, non Straboni, tribuenda sunt.

fragm. 23. Ὅτι τὴν Πέλλαν — εἰς μῆκος ηὔξησε. Sic eclogarius pro εἰς μέγεθος, quod ipsum melius abesset, ut in fr. 20

Digitized by Google

de eadem re recte dicitur *ηὔξησε τὴν πόλιν ἐκ μικρᾶς Φίλιππος*.

Ad librum VIII.

Cap 2 § 3 vers. fin. *ἀπὸ μέντοι Ἀχελῴου ἐπὶ τὸν Εὔηνον Ἀκαρνᾶνές εἰσιν, εἶθ' ἑξῆς ἐπὶ τὸ Ἀντίρριον Αἰτωλοί, τὸ δὲ λοιπὸν μέχρι Ἰσθμοῦ Φωκέων ἐστὶ καὶ Βοιωτῶν καὶ τῆς Μεγαρίδος*. Cur Strabo Locros habitantes inter Aetolos et Phocenses non commemorat, cum tamen paullo ante in hac ipsa paragrapho Locridis mentionem iniecerit? Expectes igitur: *Λοκρῶν ἐστὶ καὶ Φωκέων καὶ Βοιωτῶν κτέ*. At cf. Cap. 6 § 21, ubi prope finem describens sinum Crisaeum dicit *περιεχόμενος ὑπὸ τῆς Φωκίδος καὶ τῆς Βοιωτίδος καὶ τῆς Μεγαρίδος*, ubi similiter expectes *ὑπὸ τῆς Λοκρίδος καὶ τῆς Φωκίδος κτέ*. Nihil lucis hic praebent reliqui Strabonis de his Locrensibus loci.

Cap. 3, 2 extr. *ῥεῖ δὲ διὰ τῆς πόλεως ὁ Πηνειὸς ποταμὸς παρὰ τὸ γυμνάσιον αὐτῆς*. Pronominis abundantia facit ut suspicer Strabonem dedisse *αὐτό*, *praeter ipsum gymnasium*, i. e. proxime.

Cap. 3, 12 *πρόκειται δὲ καὶ ταύτης* (Φείας sc.) *νησίον καὶ λιμήν, ἔνθεν εἰς Ὀλυμπίαν τῷ ἐγγυτάτῳ ἐκ θαλάττης ἐστὶ στάδιοι ἑκατὸν εἴκοσιν*. Corrige *εἰς Ὀλυμπίαν ἐγγυτάτω* (*τὸ ἐγγυτάτω* exhibet B) *ἐκ θαλάττης*. Cf. v. c. VIII 5, 1 extr. *εἰς δὲ Κώρυκον — ἐγγυτάτω πλοῦς ἐστὶ σταδίων διακοσίων πεντήκοντα*.

§ 26 (C. 350 extr.) *παρίησι δὲ τὸν εὐθὺν πλοῦν ἡ ναῦς* (Telemachi) *καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς* KAI TON *εἰς Ἰθάκην διὰ τοὺς μνηστῆρας ἐκεῖ τὴν ἐνέδραν θέσθαι*. Mendosum esse posterius *καὶ τὸν* bene observavit Madvig, sed parum apte coniecit *ἔναλον* (quo enim alio modo quam *per mare* Ithacam navis perveniret?), cum debuisset *πελάγιον*, nam relicto recto cursu *per altum*, ut dicit Strabo, *ἡ ναῦς ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἐπιστρέφει*, petens Echinades insulas littori proximas.

§ 33 *διὰ δὲ τὴν τοῦ Ὀξύλου Φιλίαν πρὸς τοὺς Ἡρακλείδας συνομολογηθῆναι ῥᾳδίως ἐκ πάντων μεθ' ὅρκου τὴν Ἠλείαν ἱερὰν εἶναι τοῦ Διός, τὸν δ' ἐπιόντα ἐπὶ τὴν χώραν ταύτην μεθ' ὅπλων ἐναγῆ εἶναι, ὡς δ' αὕτως* [*ἐναγῆ* dele] *καὶ τὸν μὴ ἐπαμύνοντα εἰς δύναμιν· ἐκ δὲ τούτου καὶ τοὺς κτίσαντας τὴν Ἠλείων πόλιν ὕστερον ἀτείχιστον ἐᾶσαι, καὶ τοὺς δι' αὐτῆς τῆς χώρας ἰόντας στρατοπέδῳ, τὰ ὅπλα παραδόντας, ἀπολαμβάνειν μετὰ τὴν ἐκ τῶν ὅρων ἔκβασιν*. *Per ipsam regionem* inepte dictum esse

Digitized by Google

nemo erit quin monitus sentiat. Requiritur aut δι' αὐτῶν τῆς χώρας, aut simpliciter διὰ τῆς χώρας, ut αὐτῆς dittographia natum putemus ex ΑΤΗΣ, quod vitii genus perfrequens esse constat. Eundem errorem infra corrigam XVII, 1, 3.

Cap. 6, 6 Θουκυδίδης — τὸν ποιητὴν μηδαμοῦ βαρβάρους εἰπεῖν φησι διὰ τὸ μηδὲ Ἕλληνάς πω [τὸ] ἀντίπαλον εἰς ἓν ὄνομα ἀποκεκρίσθαι. Male editores retinent absurdum istud τό, quod non Strabo legit apud Thucydidem, sed geographi librarii textui intulerunt, ortum e praegresso ΠΩ. Contra legit iam ἓν, quod tamen nec ipsum genuinum esse perspexit Badham, quem in mea Thucydidis editione secutus sum. Plurimis autem vitiis iam Dionysii Halicarnassensis et Strabonis aetate inquinatus fuit textus Thucydideus.

§ 20 καὶ οἱ Βακχιάδαι τυραννήσαντες πλούσιοι καὶ ΠΟΛΛΟΙ καὶ γένος λαμπροί, διακόσια ἔτη σχεδόν τι κατέσχον τὴν ἀρχήν. Notio *multi* (sic enim vertunt) neque de Bacchiadis dicta per se probabilis est neque ferri potest posita inter *diviles* et *splendidos*. Quare, nisi forte Strabo scripsit πολυτελεῖς, intellegam *praepotentes ac vehementes*, βίαιοι.

§ 21 ὄρος — καλεῖται δὲ Ἀκροκόρινθος, οὗ τὸ μὲν πρὸς ἄρκτον μέρος ἐστὶ τὸ μάλιστα ὄρθιον, ὑφ' ᾧ κεῖται ἡ πόλις — πρὸς αὐτῇ τῇ ῥίζῃ τοῦ Ἀκροκορίνθου. Duo ultima vocabula vix addidit ipse Strabo, nec magis huic tribuerim idem nomen in sequentibus verbis: συμπεριείληπτο δὲ τῷ περιβόλῳ τούτῳ καὶ τὸ ὄρος αὐτὸ ὁ Ἀκροκόρινθος. Nimis patienter huiuscemodi glossemata ferre solent editores. Statim sequitur καὶ ἡμῖν ἀναβαίνουσιν ἦν δῆλα τὰ ἐρείπια τῆς σχοινίας. Leniter sane Madvig κονίας coniecit, nec tamen diffiteor aptius mihi videri οἰκοδομίας. Agitur de veteris muri ruderibus.

Cap. 7 § 5 μετὰ δὲ τούτους Πάτραι, πόλις ἀξιόλογος· μεταξὺ δὲ τὸ Ῥίον, καὶ τὸ Ἀντίρριον, ἀπέχον Πατρῶν στάδια τετταράκοντα. Verba καὶ τὸ Ἀντίρριον ut glossema delent Kramer et Meineke. Utut est, scripsit sive glossator sive Strabo κατὰ τὸ Ἀντίρριον, i. e. *e regione*.

Ad librum IX.

Cap. 1, 4 ἀπὸ δὲ τῶν ἄκρων τούτων καταιγίζοντα σκαιὸν τὸν

Digitized by Google

'Αργέστην Σκείρωνα προσηγορεύκασιν 'Αθηναῖοι. Additum σκαιὸν non satis intellego.

§ 22 Sophoclis fragmentum olim correxi in *Exercitationibus Criticis*. Cf. Dindorf, lex. Soph. v. τετράορος.

Cap. 2, 11 καὶ ὁ Μυκαλησσὸς δὲ κώμη τῆς Ταναγραϊκῆς — ὡς δ' αὕτως καὶ τὸ Ἄρμα, τῆς Ταναγραϊκῆς κώμη ἔρημος περὶ τὴν Μυκαλητ̣τὸν (-σσὸν recte Meineke). Permire Mycalessus primum masculino deinde feminino genere appellatur. Neque inter pagum et montem hic distinxisse videtur Strabo, ita enim posteriore loco τὸ ὄρος addidisset, ut arbitror. Fortasse igitur corrigendum est περὶ τὸν Μυκαλησσόν. Ceterum articulus in solo codice A legi videtur. Montem commemorat Plinius IV 7, 12; Stephanus B. s. v. agnoscit tantum montem sic dictum ἐναντίον Σάμου.

§ 16 σεισμοὶ γενόμενοι — τοὺς μὲν ἔφραξαν τῶν πόρων, τοὺς δὲ ἀνέῳξαν, τοὺς μὲν μέχρι τῆς ἐπιφανείας, τοὺς δὲ δι' ὑπονόμων· συμβαίνει δὴ καὶ τοῖς ὕδασι, τοῖς μὲν δι' ὑπονόμων φέρεσθαι τῶν βείθρων, τοῖς δ' ἐπιπολῆς. Suspectum habeo additum τῶν βείθρων, quod alibi frequentissimae locutioni δι' ὑπονόμων nusquam additur (vide v. c. mox § 19) quodque, si Strabonis esset, addidisset potius priori δι' ὑπονόμων quam posteriori.

§ 18 πάλιν δ' ἐγχουμένων τῶν πόρων, ὁ μεταλλευτὴς Κράτης, ἀνὴρ Χαλκιδεύς, ἀνακαθαίρειν τὰ ἐμφράγματα ἐπαύσατο, στασιαζόντων τῶν Βοιωτῶν. Soloeca structura, nec satis clara sententia. Groskurdius, probante Muellero, post ἐμφράγματα putabat excidisse ἄρξας, nescius aut immemor eo sensu quem volebat Graecum esse ἀρξάμενος. Fortasse, mutata interpunctione et recepta correctoris codicis A emendatione ἀνακαθαίρων, rescribere sufficit: Κράτης — ἀνακαθαίρων τὰ ἐμφράγματα, ἐπαύσατο στασιαζόντων τῶν Βοιωτῶν. Attamen vel sic ad ἐπαύσατο adiectum malis τούτου vel τοῦ ἔργου, quare nescio an praestet cum Groskurdio opinari excidisse aliquod participium, velut ἐγχειρήσας sive ἀρξάμενος.

§ 26 init. Μετὰ δὲ Θεσπιὰς καταλέγει Γραῖαν κτέ. Multis praegressis, quae Homerum non tangunt, perdure hic eius nomen omissum est, sive ὁ ποιητής, quod nescio an recte veteres editiones e deterioribus libris addant post Θεσπιάς. In cod. A super καταλέγει m. 2 scripsit ὁ πολίτης (sic). Eo minus subiec-

Digitized by Google

tum hic omitti potuit quod in praegressa paragrapho non Homerus citatur, sed Hesiodus.

Cap. 4, 4 init. *χωρίον — καθ' ὃ τὸ Κήναιον [ἐκ] τῆς Εὐβοίας ἀντίκειται.* Deleatur praepositio.

Cap. 5, 15 prope fin. supplendum: *οὕτως καὶ τὰς Φέρας συνέστειλαν <συν>εξαρθείσας ποτὲ καὶ συγκαταλυθείσας τοῖς τυράννοις.*

Ad librum X.

Cap. 2, 3 init. *Αἰτωλῶν δ' εἰσὶ Καλυδών τε καὶ Πλευρών, νῦν μὲν τεταπεινωμέναι, τὸ δὲ παλαιὸν πρόσχημα τῆς Ἑλλάδος ἦν ταῦτα τὰ κτίσματα.* Imo *προσχήματα.* Ultimam syllabam hausit sequens articulus.

Cap. 4, 8 *καὶ αὐτὴ δ' ἐστὶ προσβόρειος.* Graeci *βορεῖος* dicunt, sed *προσβόρεος* sive *πρόσβορρος.* Strabo utraque forma utitur, sed pro *πρόσβορρος* librarii saepissime dederunt *πρόσβορος*, quod ubique corrigendum.

§ 10 prope init. *Δορύλαος γὰρ ἦν ἀνὴρ τακτικός, τῶν Μιθριδάτου τοῦ Εὐεργέτου Φίλων· οὗτος διὰ τὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἐμπειρίαν ξενολογεῖν ἀποδειχθείς, πολὺς ἦν ἔν τε τῇ Ἑλλάδι, πολὺς δὲ καὶ τοῖς παρὰ τῆς Κρήτης ἰοῦσιν, οὔπω τὴν νῆσον ἐχόντων Ῥωμαίων.* Quid sit *ἰέναι παρὰ τῆς Κρήτης* non intellego, nec magis quid sit *πολύς εἰμί τισι.* Nisi gravius latet mendum, rescripserim: *πολὺς δὲ καὶ παρὰ τοῖς <ἐκ> τῆς Κρήτης ἰοῦσιν.*

§ 20 extr. *ἐκφέρουσι δὲ καὶ τὰς πληγάς, τὰς μὲν διὰ χειρός, τὰς δὲ καὶ δι' ὅπλων σιδηρῶν* (*ἀσιδήρων* recte Coraes). Restituenda nota locutio palaestrica scribendo *ἐπιφέρουσι*, nec articulum recte additum esse affirmare ausim.

Cap. 5, 1 *ἐστὶ δὲ μακρὰ ἡ Θήρα, διακοσίων οὖσα τὴν περίμετρον σταδίων.* Veritati hoc congruum esse videbis inspiciens tabulam geographicam, neque erat cur Madvig coniceret *μικρά.* Sic mox § 15 *ἡ δὲ Τῆλος ἐκτέταται παρὰ τὴν Κνιδίαν, μακρά — τὴν περίμετρον ὅσον ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα σταδίων,* itaque etiam minor Telus erat quam Thera, sed *longa*, ut illa.

Ad librum XI.

Cap. 4, 7 *Ἱεράται δ' ἀνὴρ ἐντιμότατος μετά γε τὸν βασιλέα προεστὼς τῆς ἱερᾶς χώρας, πολλῆς καὶ εὐάνδρου, καὶ αὐτῆς καὶ τῶν ἱεροδούλων.* Straboni *εὔανδρος* est *πολυάνθρωπος*, sed terra

Digitized by Google

sacra praeter hierodulos non admodum multos homines alere solebat, itaque vereor ne pro ΕΤΑΝΔΡΟΥ scriptor dederit ΕΤΔΕΝΔΡΟΥ, *εὐδένδρου*, ut in proximis sylvae commemorantur. Vocabulo saepius usus est Strabo, v. c. XII 3, 39 extr.

Cap. 7, 1 init. *εἶτ' ἔρημος πρόκειται μεταξύ, καὶ ἐφεξῆς ἡ Τρκανία, καθ' ἣν* ΗΔΗ *πελαγίζει μέχρι τοῦ συνάψαι τοῖς Μήδιοις ὄρεσι.* Melius intellegam *καθ' ἣν ἤδη ἡ γῆ* (sive mavis *ἤδη ἡ γῆ*) *πελαγίζει*, nam quid inundetur, dicendum erat.

§ 2 *τῆς μέντοι προσηκούσης ἐπιμελείας οὐκ ἔτυχεν οὔτε αὐτὴ οὔτε ἡ ἐπώνυμος αὐτῇ, ἁπλους τε οὖσα καὶ ἀργός· νῆσοί τε εἰσιν οἰκεῖσθαι δυνάμεναι.* Neglexerunt librarii, ut saepe, lineolam, qua littera N significabatur, nam requiritur *νῆσοί τ' ἔνεισιν κτἑ.* Praeterea cum Cobeto *αὐτῆς* praetulerim, licet fatendum sit illud vitium, quo contra sanam rationem *ὁμώνυμος* cum secundo, contra *ἐπώνυμος* cum tertio casu iungitur, adeo saepe in sequiorum scriptis reperiri, ut paene dubites num ubique in culpa sint librarii. Cur enim veterum scripta isto errore sunt libera?

Cap. 13, 4. *Οἱ δ' οὖν Καδούσιοι πλήθει τῷ πεζῷ μικρὸν ἀπολείπονται τῶν Ἀριανῶν, ἀκοντισταὶ δ' εἰσὶν ἄριστοι, ἐν δὲ τοῖς τραχέσιν ἀνθ' ἱππέων πεζοὶ διαμάχονται.* Quia in locis asperis omnes gentes peditibus, non equitatu rem gerere solent, nec quidquam de Cadusiorum equitibus dictum est, suspicor in hac sententia aliquid periisse. Intellegerem v. c. *ἀκοντισταὶ δ' εἰσὶν ἄριστοι, <οἱ ἐν μὲν τοῖς πεδίοις ἀΦ' ἵππων> ἐν δὲ τοῖς τραχέσιν ἀνθ' ἱππέων πεζοὶ διαμάχονται.* Sed non tanto indigemus molimine; corrigere suffecerit: *ἱππακοντισταὶ δ' εἰσὶν ἄριστοι κτἑ.* et sic melius intellegitur cur in sequentibus adiecerit *ἀνθ' ἱππέων.* Vocabulum notum ex Arriano et Polluce.

Cap. 14, 14 *Φασὶ δὲ καὶ Θρᾳκῶν τινάς, τοὺς προσαγορευομένους Σαραπάρας [οἷον κεΦαλοτόμους] κτἑ.* Dele glossema petitum ex ipsius Strabonis verbis sequentibus *περισκυθιστάς τε καὶ ἀποκεΦαλιστάς· τοῦτο γὰρ δηλοῦσιν οἱ Σαραπάραι.*

Ad librum XII.

Cap. 2, 4 *τὸ δὲ ἔδαΦος — πέτρινον, βαθύ τι καὶ στενὸν τελέως ἔχον διὰ μέσου ῥῆγμα, ὥστε καὶ κύνα καὶ λαγὼ διάλλεσθαι.* Requiro: *ὥστε κἂν κύνα κτἑ.*

Digitized by Google

§ 6 init. ἔχει δὲ καὶ ἱερὸν τὸ τοῦ Κατάονος Ἀπόλλωνος καθ' ὅλην τιμώμενον τὴν Καππαδοκίαν, ποιησαμένων ἀΦιδρύματα ἀπ' αὐτοῦ. Non probabile arbitror Strabonem ita scribere maluisse quam τὴν Καππαδόκων.

Cap. 3, 20 ὁμοίως δὲ καὶ Βρύγοι καὶ Βρύγες (sic epitome, codd. Βρέγες; legendum Βρίγες) καὶ Φρύγες οἱ αὐτοί, καὶ Μυσοὶ [καὶ Μέρονες] καὶ Μαίονες καὶ Μῆονες κτἑ. Verba seclusa delent editores utpote errore nata e sequenti Μαίονες, neque eam sententiam impugno. Nescio tamen an pro iis Strabo posuerit καὶ Μοισοί, quos eosdem esse cum Mysis saepius dixit. Cf. VII 3 § 2 et § 10.

§ 22 extr. vitiose scriptum est ὀπόσῳ pro πόσῳ.

§ 34 ἦν δ' οὗτος Ἀρχέλαος υἱὸς μὲν τοῦ ὑπὸ Σύλλα καὶ τῆς συγκλήτου τιμηθέντος. Periit necessarius articulus. Fortasse Strabo per crasin scripserat Ἀρχέλαος.

§ 40 ἐνταῦθα Μιθριδάτης — τὰς Νικομήδους — δυνάμεις ἄρδην ἠΦάνισεν, οὐδ' αὐτὸς παρατυχών, ἀλλὰ διὰ τῶν στρατηγῶν. Malim οὐκ αὐτὸς κτἑ.

Cap. 8, 7 init. supplendum: τό <τε> τελευταῖον Γαλατῶν.

§ 11 ὤνησε δὲ καὶ λιμὸς τῷ τοσούτῳ πλήθει τῆς στρατιᾶς ἐπιπεσών, ὃν οὐ προεῖδετο ὁ βασιλεύς, ὡς ἀπῆλθε πολλοὺς ἀποβαλών. Corrigendum aut ὃς aut potius ὥστ', pro quo ne sequiores quidem ὡς ponunt, ubi non sequitur infinitivus.

§ 14 extr. ὥστε, καίπερ πολλῆς οὔσης τῆς ἐπὶ θάλατταν ἀγωγῆς τῶν τηλικούτων Φορτίων, ὅμως καὶ κιόνες καὶ πλάκες εἰς Ῥώμην κομίζονται. Quis haec quaeso potest intellegere, nisi pro πολλῆς reponatur χαλεπῆς aut certe aliquid in eandem sententiam?

§ 17 εὔθρυπτός τε γάρ ἐστιν ἡ γῆ καὶ ψαθυρά, πληρής τε ἀλμυρίδων καὶ εὐεκπύρωτός ἐστι. Posterius ἐστι male abundat offenditque aurem.

§ 18 suppleo: διόπερ εἰκός ἐστι καὶ τὸν Ποσειδῶ τιμᾶσθαι παρ' αὐτοῖς καίπερ μεσογαίοις οὖσι, καὶ ἀπὸ Κελαινοῦ τοῦ Ποσειδῶνος ἐκ Κελαινοῦς μιᾶς τῶν Δαναΐδων γενομένου κεκλῆσθαι <Κελαίνας> τὴν πόλιν ὁμώνυμον. Ipsum enim urbis nomen, etsi notum ex § 15, hic abesse non potest, cum praesertim in proxime praegressis agatur de Apamea. Similiter lacunosa sunt sequentia, ubi suppleas καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν τὴν ὑπ' αὐτῷ κατέβα-

Digitized by Google

λον σεισμοί, ἡνίκα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων <πόλεων> τὰς ἐπιφανεστάτας — διελυμήναντο.

Ad librum XIII.

Cap. 1, 5 vers. fin. οἰκείως τούτων καὶ ἀκρώρειαν ἀφορίζει Γάργαρον, ἄκρον λέγων. Imo τούτοις, ut recte editur § 7 οἰκείως δὲ τούτοις καὶ τὸ ὑπὸ τῆς Ἀνδρομάχης λεχθὲν κτέ. et supra § 5 τοῖς οὖσιν οἰκείως τοῦ ποιητοῦ φράζοντος.

§ 54 εὐθὺς γὰρ μετὰ τῆς Ἀπελλικῶντος τελευτὴν Σύλλας ἦρε τὴν Ἀπελλικῶντος βιβλιοθήκην, [ὁ] τὰς Ἀθήνας ἑλών. Sententia postulat „captis Athenis" non „qui cepit Athenas", itaque articulus exulato. Etiam alterum nomen Ἀπελλικῶντος Strabonis esse dubito.

Cap. 2, 3 necessario supplendum: Ἀθηναῖοι δ' ἐκινδύνευσαν μὲν ἀηκέστῳ ψόγῳ περιπεσεῖν, ψηφισάμενοι Μιτυληναίους ἠβηδὸν ἀποσφαγῆναι, μετέγνωσαν δὲ, καὶ ἔφθη μιᾷ θᾶττον ἡμέρᾳ τὸ <β'> ψήφισμα ἀφιγμένον ὡς τοὺς στρατηγούς, πρὶν ἢ πρᾶξαι τὸ προσταχθέν.

Cap. 4, 14 (C. 630) ταῦροι γοῦν εἰσαχθέντες (sc. εἰς τὸ Πλουτώνειον) πίπτουσι καὶ ἐξέλκονται νεκροί, ἡμεῖς δὲ στρουθία ἐπέμψαμεν καὶ ἔπεσεν εὐθὺς ἐκπνεύσαντα. Lege εἰσεπέμψαμεν.

§ 20 extr. τότε δὲ καὶ <τὸ> τῶν Κουρήτων ἀρχεῖον συνάγει συμπόσια. Manifesto quem addidi articulus abesse nequit.

Ad librum XIV.

Cap. 1, 26 πρεσβεύσας δὲ ὁ Ἀρτεμίδωρος, ὥς φησι, τάς τε λίμνας ἀπέλαβε τῇ θεῷ, καὶ τὴν Ἡρακλεῶτιν ἀφισταμένην ἐξενίκησε, κριθεὶς ἐν Ῥώμῃ. Duplici vitio hic locus laborat, nam neque Heracleotis *deficiebat*, sed *defecerat*, nec causae patronus Artemidorus ἐκρίθη, sed quae defecerat regio, itaque legendum: καὶ τὴν Ἡρακλεῶτιν ἀφεσταμένην (hac forma pro ἀφεστηκυῖαν sequiorum more utitur Strabo) ἐξενίκησε κριθεῖσαν ἐν Ῥώμῃ.

§ 27 θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμόν, ἐρινεὸς ὅσους ὀλύνθους
οὗτος ἔχει, μικρός περ ἐών· εἴποις ἂν ἀριθμόν;

In his Melampodiae versiculis vitium metricum plerique praeeunte Boissonadio sic curant, ut scribant ὅσους ἐρινεὸς ὀλύνθους, correpta vocali iota, quae in ἐρινεός constanter producitur.

Digitized by Google

Goetlingius contra in sua Hesiodi editione pag. 289 Xylandri correctionem ὅσσον ὀλύνθων praetulit. Equidem scripserim

ἐρινεὸς ὅσσος ὀλύνθους

admisso Accusativo plurali Doriensium more correpto, quo epicos Boeotios interdum usos esse constat.

§ 48 extr. post σχολάς bis σχολὴν ab interprete illatam expunxerim.

Cap. 2 § 3 ὅτι Στρατόνικος ὁ κιθαριστὴς ἰδὼν ΕΠΙΜΕΛΩΣ χλωροὺς τοὺς Καυνίους, τοῦτ' εἶναι ἔφη τὸ τοῦ ποιητοῦ· οἵη περ Φύλλων γενεή, κτἑ. Temptant alii aliis infelicius ἐπιεικῶς, ἐκπάγλως, ὑπομελάνως, ὑπομέλανας καὶ, ἐπιπολῆς. Mihi non displicat ἰδὼν ΗΠΙΑΛΩΙ (ἠπιάλῳ) χλωροὺς τοὺς Καυνίους. Caunios habitantes regionem δυσάερον καὶ τοῦ μετοπώρου <νοσερὰν? Mueller> διὰ τὰ καύματα καὶ τὴν ἀφθονίαν τῶν ὡραίων *febri* laborasse probabile est.

§ 5 extr. κἀνταῦθα δὲ (Rhodi) ὥσπερ ἐν Μασσαλίᾳ καὶ Κυζικῷ, τὰ περὶ τοὺς ἀρχιτέκτονας — ἐσπούδασται διαφερόντως, καὶ ἔτι γε τῶν παρ' ἄλλοις μᾶλλον. Imprimis post διαφερόντως istud παρ' ἄλλοις supra quam dici potest absurdum est. Aperte requiritur παρ' αὐτοῖς vel παρὰ τούτοις, sc. Massiliensibus et Cyzicenis.

§ 10 initio Strabo narrat de Rhodiis: ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Ὀλυμπικῆς θέσεως συχνοῖς ἔτεσιν ἔπλεον πόρρω τῆς οἰκείας ἐπὶ ΣΩΤΗΡΙΑΙ τῶν ἀνθρώπων. Nonne potius id fecisse existimandi sint ἐπὶ ΙΣΤΟΡΙΑΙ τῶν ἀνθρώπων, i. e. hominum in plagis longe remotis viventium cognoscendorum causa, ut veteres illi καθ' ἱστορίαν non minus quam κατ' ἐμπορίαν itinera suscipere solebant?

§ 19 καὶ Ἀρίστων ὁ ἀκροασάμενος τοῦ περιπατητικοῦ καὶ κληρονομήσας ἐκεῖνον. Muellerus vertens „Aristo, qui Aristonem peripateticum audivit" nihil ad h. l. annotavit. Certum tamen est Strabonem, si hoc voluit, scripsisse καὶ Ἀρίστων ὁ <Ἀριστώνος> ἀκροασάμενος τοῦ περιπατητικοῦ. Quinam fuerint Aristones peripatetici Strabonis aequales (de his enim loquitur) ignoro.

§ 24 Narratur Labienus, Parthorum societate fretus, Hybreae Mylasensis, qui ipse Rhodum confugerat, domum vastasse et diripuisse, ὡς δ' αὖτως (sic pergit Strabo) καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐκάκωσε, ἐκλιπόντος δ' ἐκείνου τὴν Ἀσίαν ἐπανῆλθε (Hybreas) καὶ ἀνέλαβε ἑαυτόν τε καὶ τὴν πόλιν. At Labienus, ut aliunde

Digitized by Google

novimus, profugus in Cilicia a Ventidio captus est et, ut videtur, occisus. Quare suspecta habeo verba τὴν Ἀσίαν, quae si abessent, intellegere posses τὴν πόλιν.

§ 26 init. Ἀλάβανδα — ὑπόκειται λόφοις δυσὶ συγκειμένοις οὕτως, ὥστ' ὄψιν παρέχεσθαι κανθηλίου κατεστρωμένου, καὶ δὴ καὶ ὁ Μαλακὸς Ἀπολλώνιος σκώπτων τὴν πόλιν εἴς τε ταῦτα καὶ εἰς τὸ τῶν σκορπίων πλῆθος, ἔφη αὐτὴν εἶναι σκορπίων κανθήλιον κατεστρωμένον· μεστὴ δ' ἐστὶ καὶ αὕτη καὶ ἡ τῶν Μυλασίων πόλις τῶν θηρίων τούτων. Rationem genetivi σκορπίων non intellego, nisi suspensus fuit a μεστόν, quod post terminationem MENON et ante μεστή proclivi errore a librariis omissum esse suspicor. — Ceterum hic locus cum aliis multis apud Strabonem argumento est iniuria Cobetum negare pag. 101 eum dicere potuisse τὴν Ῥωμαίων πόλιν pro τὴν Ῥώμην (sic alii quoque v. c. Polyaenus I, 45, 5 τὴν Θηβαίων πόλιν) licet probem eius emendationem loci pag. 206, quam ibi proposuit.

Cap. 3, 3 καὶ περὶ πολέμου δὲ καὶ εἰρήνης καὶ συμμαχίας ἐβουλεύοντο (Lyciae urbes) πρότερον, νῦν δ' οὐκ εἰκός, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις ταῦτ' ἀνάγκη κεῖσθαι, πλὴν ΕΙ ἐκείνων ἐπιτρεψάντων, Η ὑπὲρ αὐτῶν εἴη χρήσιμον. Quia semper opus erat Romanorum permissu, eaque venia dabatur si res urbibus illis conduceret, transpositis voculis scripserim πλὴν Η ἐκείνων ἐπιτρεψάντων, ΕΙ ὑπὲρ αὐτῶν εἴη χρήσιμον.

Cap. 5, 3 (C. 670) deleantur verba παράπλους σταδίων temere repetita.

§ 16 ταύτην τε γὰρ τὴν ἔριν μεταφέρουσιν ἔνιοι, καθάπερ καὶ Σοφοκλῆς, εἰς τὴν Κιλικίαν, καλέσας ἐκεῖνος αὐτὴν Παμφυλίαν τραγικῶς, καθάπερ καὶ τὴν Λυκίαν Καρίαν καὶ τὴν Τροίαν <Μυσίαν> καὶ Λυδίαν καὶ Φρυγίαν. Sic locus, in quo perperam auctore Xylandro editores delent ultimam copulam, fuerat redintegrandus ope eorum quae Strabo scripsit supra cap. 3, 3 extr. οἱ ποιηταὶ δέ, μάλιστα οἱ τραγικοί, συγχέοντες τὰ ἔθνη, καθάπερ τοὺς Τρῶας καὶ τοὺς Μυσοὺς καὶ τοὺς Λύδους Φρύγας προσαγορεύουσιν, οὕτω καὶ τοὺς Λυκίους Κᾶρας.

Ad librum XV.

Cap. 1, 5 extr. supple: ὡς σεμνὸν <ὂν> τό — αὐτὸν καὶ στρατόπεδον διασῶσαι κτέ.

Digitized by Google

Goetlingius contra in sua Hesiodi editione pag. 289 Xylandri correctionem ὅσσον ὀλύνθων praetulit. Equidem scripserim

ἐρινεὸς ὅσσος ὀλύνθους

admisso Accusativo plurali Doriensium more correpto, quo epicos Boeotios interdum usos esse constat.

§ 48 extr. post σχολάς bis σχολὴν ab interprete illatam expunxerim.

Cap. 2 § 3 ὅτι Στρατόνικος ὁ κιθαριστὴς ἰδὼν ΕΠΙΜΕΛΩΣ χλωροὺς τοὺς Καυνίους, τοῦτ' εἶναι ἔφη τὸ τοῦ ποιητοῦ· οἵη περ Φύλλων γενεή, κτἑ. Temptant alii aliis infelicius ἐπιεικῶς, ἐκπάγλως, ὑπομελάνως, ὑπομέλανας καὶ, ἐπιπολῆς. Mihi non displicat ἰδὼν ΗΠΙΑΛΩΙ (ἠπιάλῳ) χλωροὺς τοὺς Καυνίους. Caunios habitantes regionem δυσάερον καὶ τοῦ μετοπώρου <νοσερὰν? Mueller> διὰ τὰ καύματα καὶ τὴν ἀΦθονίαν τῶν ὡραίων *febri* laborasse probabile est.

§ 5 extr. κἀνταῦθα δὲ (Rhodi) ὥσπερ ἐν Μασσαλίᾳ καὶ Κυζικῷ, τὰ περὶ τοὺς ἀρχιτέκτονας — ἐσπούδασται διαΦερόντως, καὶ ἔτι γε τῶν παρ' ἄλλοις μᾶλλον. Imprimis post διαΦερόντως istud παρ' ἄλλοις supra quam dici potest absurdum est. Aperte requiritur παρ' αὐτοῖς vel παρὰ τούτοις, sc. Massiliensibus et Cyzicenis.

§ 10 initio Strabo narrat de Rhodiis: ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Ὀλυμπικῆς θέσεως συχνοῖς ἔτεσιν ἔπλεον πόρρω τῆς οἰκείας ἐπὶ CΩΤΗΡΙΑΙ τῶν ἀνθρώπων. Nonne potius id fecisse existimandi sint ἐπὶ ICTOPIAI τῶν ἀνθρώπων, i. e. hominum in plagis longe remotis viventium cognoscendorum causa, ut veteres illi καθ' ἱστορίαν non minus quam κατ' ἐμπορίαν itinera suscipere solebant?

§ 19 καὶ Ἀρίστων ὁ ἀκροασάμενος τοῦ περιπατητικοῦ καὶ κληρονομήσας ἐκεῖνον. Muellerus vertens „Aristo qui Aristonem peripateticum audivit" nihil ad h. l. annotavit. Certum tamen est Strabonem, si hoc voluit, scripsisse καὶ Ἀρίστων ὁ <Ἀριστώνος> ἀκροασάμενος τοῦ περιπατητικοῦ. Quinam fuerint Aristones peripatetici Strabonis aequales (de his enim loquitur) ignoro.

§ 24 Narratur Labienus, Parthorum societate fretus, Hybreae Mylasensis, qui ipse Rhodum confugerat, domum vastasse et diripuisse, ὡς δ' αὖτως (sic pergit Strabo) καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐκάκωσε, ἐκλιπόντος δ' ἐκείνου τὴν Ἀσίαν ἐπανῆλθε (Hybreas) καὶ ἀνέλαβε ἑαυτόν τε καὶ τὴν πόλιν. At Labienus, ut aliunde

Digitized by Google

novimus, profugus in Cilicia a Ventidio captus est et, ut videtur, occisus. Quare suspecta habeo verba τὴν Ἀσίαν, quae si abessent, intellegere posses τὴν πόλιν.

§ 26 init. Ἀλάβανδα — ὑπόκειται λόφοις δυσὶ συγκειμένοις οὕτως, ὥστ' ὄψιν παρέχεσθαι καν θηλίου κατεστρωμένου, καὶ δὴ καὶ ὁ Μαλακὸς Ἀπολλώνιος σκώπτων τὴν πόλιν εἴς τε ταῦτα καὶ εἰς τὸ τῶν σκορπίων πλῆθος, ἔφη αὐτὴν εἶναι σκορπίων καν θήλιον κατεστρωμένον· μεστὴ δ' ἐστὶ καὶ αὕτη καὶ ἡ τῶν Μυλασίων πόλις τῶν θηρίων τούτων. Rationem genetivi σκορπίων non intellego, nisi suspensus fuit a μεστόν, quod post terminationem MENON et ante μεστή proclivi errore a librariis omissum esse suspicor. — Ceterum hic locus cum aliis multis apud Strabonem argumento est iniuria Cobetum negare pag. 101 eum dicere potuisse τὴν Ῥωμαίων πόλιν pro τὴν Ῥώμην (sic alii quoque v. c. Polyaenus I, 45, 5 τὴν Θηβαίων πόλιν) licet probem eius emendationem loci pag. 206, quam ibi proposuit.

Cap. 3, 3 καὶ περὶ πολέμου δὲ καὶ εἰρήνης καὶ συμμαχίας ἐβουλεύοντο (Lyciae urbes) πρότερον, νῦν δ' οὐκ εἰκός, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς Ῥωμαίοις ταῦτ' ἀνάγκη κεῖσθαι, πλὴν ΘΙ ἐκείνων ἐπιτρεψάντων, Η ὑπὲρ αὐτῶν εἴη χρήσιμον. Quia semper opus erat Romanorum permissu, eaque venia dabatur si res urbibus illis conduceret, transpositis voculis scripserim πλὴν Η ἐκείνων ἐπιτρεψάντων, ΘΙ ὑπὲρ αὐτῶν εἴη χρήσιμον.

Cap. 5, 3 (C. 670) deleantur verba παράπλους σταδίων temere repetita.

§ 16 ταύτην τε γὰρ τὴν ἔριν μεταφέρουσιν ἔνιοι, καθάπερ καὶ Σοφοκλῆς, εἰς τὴν Κιλικίαν, καλέσας ἐκεῖνος αὐτὴν Παμφυλίαν τρωγικῶς, καθάπερ καὶ τὴν Λυκίαν Καρίαν καὶ τὴν Τροίαν <Μυσίαν> καὶ Λυδίαν καὶ Φρυγίαν. Sic locus, in quo perperam auctore Xylandro editores delent ultimam copulam, fuerat redintegrandus ope eorum quae Strabo scripsit supra cap. 3, 3 extr. οἱ ποιηταὶ δέ, μάλιστα οἱ τραγικοί, συγχέοντες τὰ ἔθνη, καθάπερ τοὺς Τρῶας καὶ τοὺς Μυσοὺς καὶ τοὺς Λύδους Φρύγας προσαγορεύουσιν, οὕτω καὶ τοὺς Λυκίους Κᾶρας.

Ad librum XV.

Cap. 1, 5 extr. supple: ὡς σεμνὸν <ὂν> τό — αὐτὸν καὶ στρατόπεδον διασῶσαι κτέ.

Digitized by Google

§ 24 in Theodectis versibus de Aethiopibus:

(ἥλιος) συνέστρεψεν κόμας
μορφαῖς ἀναυξήτοισι συντήξας πυρός

valde mihi arridet, in quam et ipse incidi, Meinekii coniectura ὁρμαῖς, sed praeterea suspectum habeo ἀναυξήτοισι, pro quo dubitabundus propono ἀνικήτοισι. In sequentibus verbis μηδ' οὕτω πεπεισμένως ἐπικεκαῦσθαι expectatur quod τελέως significet, sed omnino repudianda Coraesii et Madvigii commenta, πεπλημένως scilicet et πεπιεσμένως serio Straboni obtrudentium.

§ 37 καὶ τίγρεις δ' ἐν τοῖς Πρασίοις φησὶν ὁ Μεγασθένης μεγίστους γίνεσθαι, σχεδὸν δέ τι καὶ διπλασίους λεόντων, δυνατοὶ δὲ ὥστε τῶν ἡμερῶν τινά, ἀγόμενον ὑπὸ τεττάρων, τῷ ὀπισθίῳ σκέλει δραξάμενον ἡμιόνου, βιάσασθαι καὶ ἑλκύσαι πρὸς ἑαυτόν. Insolenter dictum τεττάρων pro τεττάρων ἀνδρῶν, sed ne sic quidem locum intellego. Non enim satis assequor quid ad rem faciat quatuor illorum virorum commemoratio, nisi hos quoque obnitentes belua ad se pertraxerit. Subesse videtur aliquis error, quem non expedio.

§ 43 verba lacunosa sic ediderim: ἄκος δὲ πρὸς ὀφθαλμίαν μὲν βόειον γάλα προσκλυζόμενον, τοῖς πλείστοις δὲ τῶν νοσημάτων ὁ μέλας οἶνος πινόμενος, τραύμασι δὲ ποτὸν μὲν * * * βούτυρον (ἐξάγει γὰρ τὰ σιδήρια), τὰ δ' ἕλκη σαρξὶν ὑείαις * * * πυριῶσιν. Exempli gratia lacunas sic expleo: τραύμασι δὲ ποτὸν μὲν <γάλα, χρῖσμα δὲ> βούτυρον - -, τὰ δ' ἕλκη σαρξὶν ὑείαις <καλύψαντες, τοὺς κάμνοντας> πυριῶσιν. Supplevit iam Madvigius χρῖσμα δέ.

§ 44 τοῦθ' (τὸ ψῆγμα) ὑποζυγίοις μετίασιν οἱ πλησιόχωροι λάθρα· ΦανερΩς γὰρ διαμάχονται (οἱ χρυσωρύχοι μύρμηκες scil.) καὶ διώκουσι Φεύγοντας. Adverbium recte haberet, si scriptum esset Φανερῶς γὰρ μετιοῦσιν διαμάχονται vel εἰ γὰρ Φανερῶς, διαμάχονται. Nunc autem requiro ΦανερΟΙς γὰρ κτἑ.

§ 45 Νέαρχος τὸ τῶν ἑρπετῶν θαυμάζει πλῆθος καὶ τὴν κακίαν· ἀναΦεύγειν γὰρ ἐκ τῶν πεδίων εἰς τὰς κατοικίας τὰς διαλανθανούσας ἐν ταῖς ἐπικλύσεσι καὶ πληροῦν τοὺς οἴκους. Nullo iure vertunt „quae inundationibus *non operianlur*", quia contra *delitescunt*, opinor, *operta*. Quare fidentius proponerem τὰς μὴ λανθανούσας, nisi potius expectarem τὰς ἐπιπολαζούσας aut aliquid simile. Quaerant alii.

Digitized by Google

§ 53 med. *οἶνόν τε γὰρ οὐ πίνειν, ἀλλ' ἐν θυσίαις μόνον.* Malim *ἀλλ' <ἢ> ἐν θυσίαις μόνον.* In iis quae deinde leguntur *ταῦτα μὲν δὴ σωφρονικά, τἄλλα δ' οὐδ' ἄν* TIC *ἀποδέξαιτο* correxerim potius *οὐδ' ἂν* ЄIC (*εἷς*), quam e dett. codd. cum Coraesio et Meinekio recipiam *οὐκ.*

§ 57 extr. *μῦθος δὲ καὶ τὸ ὑπὸ Τιμαγένους λεχθὲν ὅτι χαλκὸς ὕητο σταλαγμοῖς* [*χαλκοῖς*] *καὶ σύροιτο.* Dele manifestum glossema.

§ 64 *ἰδόντα δ' ἐκεῖνον χλαμύδα καὶ καυσίαν φέροντα καὶ κρηπῖδα.* Imo *κρηπῖδα* C.

§ 73 extr. In Zarmanochegae Brachmanis epitaphii non nudum *κεῖται* legebatur, opinor, sed *<ἐνθάδε> κεῖται*, quae est formula sollennis, lecta etiam infra XV 3, 7 extr. *ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος βασιλεύς.*

Cap. 2 § 6 *πόρρω δὲ τῶν ὑδρείων ἐστρατοπεδεύοντο — τοῦ μὴ ἐμφορεῖσθαι κατὰ δίψος· πολλοὶ γὰρ ἐμπίπτοντες σὺν ὅπλοις ἔπινον ὡς ἂν ὑποβρύχιοι, φυσώμενοι δ' ἐπίπλεον ἐκπεπνευκότες.* Non magis intellego quod corrigunt *ἔπινον ἕως ἦσαν ὑποβρύχιοι.* Post *ἔπινον* excidisse quaedam videntur.

§ 13 *γαμεῖ δ' οὐδεὶς, πρὶν ἂν πολεμίου κεφαλὴν ἀποτεμὼν ἀνενέγκῃ ἐπὶ τὸν βασιλέα.* Pro *ἐπὶ* requiritur *πρὸς* vel *παρὰ.*

Cap. 3, 5 *Ὀνησίκριτος δὲ πάντας φησὶν ἐκβάλλειν εἰς τὴν λίμνην, τόν τε Εὐφράτην καὶ τὸν Τίγριν· ἐκπεσόντα δὲ πάλιν τὸν Εὐφράτην ἐκ τῆς λίμνης ἰδίῳ στόματι πρὸς τὴν θάλατταν.* De duobus fluviis dici nequit *πάντας*, quod igitur mendosum est. Suspicor *πάντως, utique.*

§ 9 init. *πάντα δὲ τὰ ἐν τῇ Περσίδι χρήματα ἐξεσκευάσατο εἰς τὰ Σοῦσα.* Horum verborum subiectum *Ἀλέξανδρος* Strabo, qui in proximis de Cyro locutus est, omittere non potuit, quare inserendum est post *χρήματα.*

§ 10 med. *διὸ καὶ ταῖς στέγαις ἐπὶ δύο πήχεις τὴν γῆν ἐπιτίθεσθαι, ὑπὸ δὲ τοῦ βάρους ἀναγκάζεσθαι στενοὺς μὲν μικροὺς δὲ ποιεῖσθαι τοὺς οἴκους, ἀπορουμένους μακρῶν μὲν δοκῶν, δεομένους δὲ μεγάλων οἴκων διὰ τὸ πνῖγος· ἴδιον δέ τι πάσχειν τὴν φοινικίνην δοκόν· στερεὰν γὰρ οὖσαν παλαιουμένην οὐκ εἰς τὸ κάτω τὴν ἔνδοσιν λαμβάνειν, ἀλλ' εἰς τὸ ἄνω μέρος κυρτοῦσθαι τῷ βάρει καὶ βέλτιον ἀνέχειν τὴν ὀροφήν.* Palmae, quales oculis meis conspexi in Hispania, admodum procerae sunt arbores et sic comparatae ut longas praebere possint trabes, suntque, nisi fallor,

Digitized by Google

in Asia etiam altiores. Cum igitur hac de causa (agitur enim de tignis transversariis, gravia longarum aedium tecta sustinentibus) tum ob universum huius loci tenorem, nescio an Strabo dederit *οἴκους, <οὐκ> ἀπορουμένους*, vel *εὐπορουμένους*. Trabes istae siccatae lineam referebant convexam, non concavam, ut aliae, itaque gravi oneri sustinendo erant aptiores. Praeterea vocula *μὲν* melius legeretur statim post participium quam post *μακρῶν*.

Ad librum XVI.

Cap. 1, 5 med. De Beli templo sic scribit Strabo: *ἦν δὲ πυραμὶς τετράγωνος ἐξ ὀπτῆς πλίνθου, καὶ αὐτὴ σταδιαία τὸ ὕψος, σταδιαία δὲ καὶ ἑκάστη τῶν πλευρῶν*. Si nihil addideris, in ultimo sententiae membro cogitatione repetendum erit *τὸ ὕψος*, quod absurdum, quia non potest pyramidis altitudo eadem esse quam eius laterum. Sed procul dubio scriptor dixit laterum (humi) tantam fuisse latitudinem quantam ipsius pyramidis altitudinem, scripsitque: *καὶ αὕτη* (eaque) *σταδιαία τὸ ὕψος, σταδιαία δὲ καὶ ἑκάστη τῶν πλευρῶν <τὸ εὖρος>*. Ductuum similitudo in ΤΩΝ ΠΛΘΤΡΩΝ causa fuit cur ΤΟ ΘΤΡΟΣ a festinanti librario neglegeretur.

§ 10 *διαφέρει δ' οὐδὲν [ἡ] τῷ πλήθει τῶν ὑδάτων κατακλύζεσθαι τοὺς καρποὺς ἢ τῇ λειψυδρίᾳ τῷ δίψει διαφθείρεσθαι*. Manifesto prius H tollendum est.

§ 15 *περὶ μὲν οὖν τῆς ξηρᾶς εἴρηται, πόσον τὸ χρήσιμον τὸ ΕΚ τῶν οἰκοδομιῶν μάλιστα· φασὶ δὲ καὶ πλοῖα πλέκεσθαι, ἐμπλασθέντα δ' ἀσφάλτῳ πυκνοῦσθαι*. Pro *ἐκ* requiro *ἐπὶ*.

§ 18 med. *Ἀντίοχον μὲν οὖν τὸν Μέγαν τὸ τοῦ Βήλου συλᾶν ἱερὸν ἐπιχειρήσαντα ἀνεῖλον ἐπιθόμενοι καθ' αὐτοὺς οἱ πλησίον βάρβαροι. ἐκ δὲ τῶν ἐκείνῳ συμβάντων παιδευθεὶς ὁ Παρθυαῖος χρόνοις ὕστερον ἀκούων τὰ ἱερὰ πλούσια παρ' αὐτοῖς, ὁρῶν δ' ἀπειθοῦντας, ἐμβάλλει μετὰ δυνάμεως μεγάλης, καὶ τό τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶλε καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος κτἑ*. Nimis obscure haec dicta sunt, non enim licet verba *ὁρῶν δ' ἀπειθοῦντας* cum interpretibus vertere „videretque haudquaquam ultro concessuros (barbaros)". Num forte Strabo scripsisse existimandus est *ὁρῶν δ' ἀπειλοῦντας*?

§ 28 init. *ἧττον μὲν Σκηνῖται [οἱ νομάδες] οἱ τῷ ποταμῷ πλη-*

Digitized by Google

σίον κτέ. Dele interpretamentum, quod nusquam alibi, ubi Arabes *σκηνῖται* (*νομάδες*) a nostro commemorantur, additum reperies.

Cap. 2, 23 *πολὺ γὰρ ἐξήτασται πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη πορφύρα· καὶ ἡ θήρα πλησίον καὶ τἆλλα εὔπορα τὰ πρὸς βαφὴν ἐπιτήδεια· καὶ δυσδιάγωγον μὲν ποιεῖ τὴν πόλιν* (Tyrum) *ἡ πολυπληθία τῶν βαφείων, πλουσίαν δὲ διὰ τὴν τοιαύτην* ΑΝΔΡΕΙΑΝ. Quid tandem latet sub ultimo vocabulo, pro quo nemo non expectet *εὐτεχνίαν*? Minus enim apta videntur quae ductibus propiora sunt *εὐπορίαν* et *ἐμπορίαν*. Nihil vero horum Strabo scripsisse videtur, sed ΑΗΔΕΙΑΝ, i. e. *ἀηδίαν*; quod quam aptum sit fugiet neminem. Tyrum ipsa illa iniucunditas (*τὸ δυσδιάγωγον* supra dixit) faciebat locupletem.

§ 31 *εἶτα Ῥινοκόρουρα ἀπὸ τῶν εἰσφκισμένων ἐκεῖ τὸ παλαιὸν ἀνθρώπων ἠκρωτηριασμένων τὰς βῖνας οὕτω καλουμένη.* Nominis origo declarat veram esse codicum scripturam Ῥινοκόλουρα, quam iniuria editores posthabuerunt Stephani B. s. v. testimonio. Cf. XVI 4, 24, ubi denuo libri exhibent scripturam per *λάβδα*. — Post pauca corrige: *ὡς οὐκ ἂν ἔτι τολμήσαντας κακουργεῖν διὰ τὴν αἰσχύνην τῆς ὄψεως* pro soloeca lectione *τολμήσοντας*.

§ 43 init. *γόητας δὲ ὄντας σκήπτεσθαί φησιν ἐπῳδὰς ὁ Ποσειδώνιος τοὺς ἀνθρώπους καὶ οὖρα καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρὰ* [, *ἃ*] *περικαταχέαντας καὶ ἐκπιάσαντας* (librariis potius quam Straboni, apud quem saepius apparet forma proba et antiqua, hanc scripturam tribuerim) *πήττειν* (sic solet scribere pro *πηγνύναι*) *τὴν ἀσφαλτον, εἶτα τέμνειν.* Succenseas paene editoribus hanc certissimam Coraesii correctionem vilipendentibus. Nonne enim meridiana luce clarius est retinentibus pronomen relativum verba *καὶ οὖρα — ὑγρά* absurde iungenda esse cum verbo *σκήπτεσθαι*?

Cap. 3, 2 init. *φησὶ δὲ περὶ αὐτῆς Ἐρατοσθένης οὕτως, ὅτι τὸ μὲν στόμα φησὶν εἶναι στενὸν οὕτως, ὥστ' ἐξ Ἀρμόζων — τῆς Ἀραβίας ἀφορᾶται τὸ ἐν Μάλαις* (promuntorium). Quidni potius scripsit: *φησὶ δὲ περὶ αὐτῆς Ἐρατοσθένης τὸ μὲν στόμα εἶναι στενὸν οὕτως, ὥστ' κτέ.*? ut in tali re scribunt omnes tam pagani quam Christiani scriptores? Non quidem admodum eleganti utitur Strabo scribendi genere, sed istiusmodi tamen sordes nimis difficulter concoquimus, nec quidquam, quod sciam, apud eum reperitur quo quod volgatur tueri possis.

Digitized by Google

Cap. 4, 5 *προκεῖσθαι δὲ νήσους τρεῖς* (auctor est Artemidorus) — *εἶθ' ἑξῆς τὸν Ἀκάθαρτον κόλπον — ὄντως δὲ ἀκάθαρτον· καὶ γὰρ ὑΦάλοις χοιράσι καὶ ϳαχίαις ἐκτετράχυνΤαι — ἐνταῦθα δὲ ἱδρῦσθαι Βερενίκην.* Quia non Strabonis est sed Apollodori observatio, dudum correctum oportuit *ἐκτετραχύνΘαι.*

§ 11 *οἱ δὲ ταῖς δοραῖς τῶν στρουθῶν σκεπασθέντες κτἑ.* Idem venandi genus hodieque in usu esse apud gentes quasdam in Africa meridionali Orientem versus habitantes nuper legi in libro *Tour du monde.*

§ 24 init. *Συνέβαινε δὲ τοῦτο τοῦ μὲν βασιλέως τοῦ Ὀβόδα μὴ πολὺ Φροντίζοντος τῶν κοινῶν καὶ ΜΑΛιστα τῶν κατὰ πόλεμον.* Perdura dicendi ratio, qua ad verba *τῶν κατὰ πόλεμον* non solum verbum *Φροντίζοντος* sed simul *μὴ πολὺ* mente supplere cogimur. Nonne Strabo scripsit potius *καὶ ΗΚιστα τῶν κατὰ πόλεμον*?

Ad librum XVII.

Cap. 1, 3 *τὸ δ' ὑπερδέξιον — ἀοίκητον διεξιὼν ἑκατέρωθεν καὶ ἔρημον διὰ τὴν [αὐτὴν] ἀνυδρίαν.* Dele absurdum pronomen, dittographia natum. Simile vitium supra correximus VIII 3, 33.

§ 5 fere med. *εἰ γὰρ ἄρα, τοῦτ' ἐχρῆν ζητεῖν — τί δήποτε θέρους, χειμῶνος δ' οὔ, καὶ ἐν τοῖς νοτιωτάτοις, ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι καὶ τῇ περὶ Συήνην οὐ CTMπίπτουσιν ὄμβροι· τὸ δ' ὅτι ἐξ ὄμβρων αἱ ἀναβάσεις μὴ ζητεῖν κτἑ.* Primum Graecum non est *συμπίπτουσιν*, sed *πίπτουσιν ὄμβροι*, cui verbo adhaesit praepositio e praegresso OT (unde primum CT factum, deinde CTM correctum est), praeterea vero non exputo quo sensu verbis *ἐν τοῖς νοτιωτάτοις* addita sit copula, neque enim *vel, etiam* interpretari sententia patitur. Corrigam igitur: *τί δήποτε θέρους, χειμῶνος δὲ οὔ, ἐν τοῖς νοτιωτάτοις, ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι καὶ τῇ περὶ Συήνην οὐ, πίπτουσιν ὄμβροι κτἑ.* — Ibidem post allatum versum Homericum de Nilo Strabo ait sua aetate duos philosophos peripateticos, Eudoxum et Aristonem, libros de hoc fluvio composuisse stilo quidem et rerum ordine diversis, sed prorsus eadem continentes. Tum ita pergit: *ἐγὼ γοῦν ἀπορούμενος ἀντιγράΦων εἰς τὴν ἀντιβολὴν ἐκ θατέρου θάτερον ἀντέβαλον· πότερος δ' ἦν ὁ ταλλότρια ὑποβαλλόμενος, ἐν Ἀμμωνος εὕροι τις ἄν.* Quae sic vertunt: *itaque libros inter se collaturus quum exempla-*

Digitized by Google

rium nulla copia fieret, alterum cum altero comparavi. Quid hoc est? πότερον ῥήματα ἢ θαύματα? Exemplaribusne carens utrumque librum inter se comparavit? Accedit quod ἐκ θατέρου θάτερον ἀντιβάλλειν significare nequit *unum cum altero comparare.* Suspicor Strabonem dixisse *se ambos scriptores eadem tradidisse scientem, propter exemplarium inopiam alterum eorum librorum pro utroque adhibuisse* et scripsisse: ἔγωγ' οὖν ἀπορούμενος ἀντιγράφων εἰς τὴν ἀντιβολήν, ἑκατέρου θάτερον ἀντέλαβον, *alterum sumsi pro utroque.*

§ 6 extr. τῶν γὰρ ἀρχιτεκτόνων γῇ λευκῇ διασημαινομένων τὴν τοῦ περιβόλου (Alexandriae) γραμμήν, ἐπιλιπούσης τῆς γῆς καὶ τοῦ βασιλέως ἐπιόντος, οἱ διοικηταὶ τῶν ἀλφίτων μέρος τῶν παρεσκευασμένων τοῖς ἐργάταις παρέσχον, δι' ὧν καὶ αἱ ὁδοὶ κατετμήθησαν ΕΙC πλείους. Melius equidem intellegam ΑΙ πλείους. Postea, opinor, novam γῆν λευκὴν nacti, platearum partem hac delineaverunt

§ 10 εἶθ' Ἱππόδρομος (l. ὁ Ἱππ.) καλούμενός ἐστι καὶ αἱ παρακείμεναι ἄλλαι μέχρι τῆς διώρυγος τῆς Κανωβικῆς. Kramero post ἄλλαι periise κατοικίαι, Meinekio καλιαί substituendum videbatur. Neutrum probans reposuerim mutatione propemodum nulla ἅλαι, *salinae*, quod similiter depravatum Cap. 3, 12 extr. ex Caesaris B. Afr. c. 8 pro ἄλλαι restituit Madvig, ad vocabulum comparans XII p. 546 et 561.

§ 13 init. Ῥωμαῖοι δ' εἰς δύναμιν [ὡς εἰπεῖν] ἐπηνώρθωσαν τὰ πολλὰ κτἑ. Deleantur quae saepsi uncinis nihil prorsus hic significantia. Errore nata sunt ex ipsis sequentibus τὴν μὲν πόλιν διατάξαντες, ὡς εἶπον, κατὰ δὲ κτἑ.

§ 31 εἰς ταύτην δὲ τὴν αὐλὴν ἐξαφιᾶσι τὸν Ἄπιν καθ' ὥραν τινά, καὶ μάλιστα πρὸς ἐπίδειξιν τοῖς ξένοις· ὁρῶσι μὲν γὰρ καὶ διὰ θυρίδος ἐν τῷ σηκῷ, βούλονται δὲ καὶ ἔξω. Si ita Strabo scripsisset, addidisset, opinor, frustra necne id voluerint. Corrige: <εἰ> βούλονται δέ, καὶ ἔξω.

§ 32 utique supplendum πόλις δ' ἐστὶ <Μέμφις> μεγάλη τε καὶ εὔανδρος, δευτέρα μετ' Ἀλεξάνδρειαν, hoc quoque argumento, quod πόλις caret articulo, quem addere non sufficit.

§ 44 εἴς τε τὴν Ῥώμην κομισθεῖσι τοῖς κροκοδείλοις ἐπιδείξεως χάριν συνηκολούθουν ΟΙ Τοντυρῖται. Imo ἕνιΟΙ, nam paucos tantum eorum crocodilos Romam comitatos esse quis dubitat?

Digitized by Google

§ 50 ὁ δὲ πάντων διὰ σκυταλίδων πεπηγός ἐστι σκάφιον, ὥστ' ἐοικέναι διαπλοκίνῳ· ἑστῶτες δ' ἐν ὕδατι ἢ καὶ ταινιδίοις προσκαθήμενοι ῥᾳδίως ἐπεραιώθημεν. Nulla causa est cur hunc lintrem rimas egisse putemus, itaque suspectum est ὕδατι, sub quo ἐδάφει latere putaverim. Cf. Dem. 32, 5. Plut. Thes. 19.

§ 54 extr. πάντων δὲ τυχόντων, ὧν ἐδέοντο, ἀφῆκεν αὐτῶς καὶ τοὺς φόρους οὐκ ἐπέστησε. Per grammaticam sane stare potest τυχόντων, neque igitur sollicito. Nihilominus et propter amphiboliam vocis πάντων et propter cacophoniam melius Strabo scripsisset τυχοῦσιν.

Cap. 2, 4 init. ἡ δὲ περσέα ἐνταῦθα μόνον καὶ παρ' Αἰθίοψι δένδρον μέγα. Veritati magis congruum foret δένδρον <οὐ> μέγα, et fortasse haec fuit scriptoris manus.

§ 4 med. ἡ ἀσπὶς ἡ Αἰγυπτία, ἴδιόν τι ἔχουσα παρὰ τὰς ἐν ἄλλοις. Cum τόποις omitti nequeat, neque intellegi possit ἀνθρώποις (dicitur enim παρ' ἄλλοις, velut infra cap. 3 § 19), corrigendum ἐν ἄλλαις, scil. χώραις, ut mox est ἄλλοθι.

Post pauca legitur: καὶ ὁ νυκτικόραξ ἰδιότροπος ἐνθάδε (in Aegypto)· παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ ἀετοῦ μέγεθος ἴσχει καὶ φθέγγεται βαρύ, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ κολοιοῦ μέγεθος καὶ φθογγὴ διάφορος. Una mutata littera emenda διάΤορος, i. e. ὀξυτάτη.

Cap. 3 § 3 init. περὶ ὧν ἐμνήσθημέν που καὶ πρότερον, καὶ νῦν δὲ λέγΟμεν. Imo λέγΩμεν, ut recte editur cap. 3 initio. Idem vitium aliis quibusdam locis iam sanavit Meinekius.

§ 8 prope init. Sententia commendat: πῶς γὰρ <ἂν> ἐν αὐχμώδεσι καὶ καυματηροῖς τόποις ταῦτ' εἶναι; „quomodo enim — haec *esse posse?*"

§ 20 post med. ἡ Βερενίκη τὴν θέσιν ἔχει παρὰ λίμνην τινὰ Τριτωνιάδα ἐν ᾗ μάλιστα νησίον ἐστὶ καὶ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν αὐτῇ. Ferri non posse sic usurpatum μάλιστα nemo non concedet Madvigio, qui sub eo vocabulo delitescere coniecit insulae nomen nobis ignotum. Eodem iure suspicari possis depravatum esse ex superlativo κάλλιστον. aptum sane insulae Veneri sacrae epitheton. Neutram tamen suspicionem veram esse existimo, sed paucis insertis litteris legendum esse ἐν ᾗ <μέσῃ> μάλιστα νησίον ἐστὶ καὶ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν αὐτῇ. Post ϵNHI facile elabi potuisse MϵΣHI quis negabit?

§ 24 extr. ταύτης δὲ τῆς συμπάσης χώρας τὴν ὑπὸ Ῥωμαίοις

Digitized by Google

ἡ μὲν βασιλεύεται, ἣν (= τὴν) δ' ἔχουσιν αὐτοὶ καλέσαντες ἐπαρχίαν, καὶ πέμπουσιν ἡγεμόνας καὶ Φορολόγους. Romani imperium extra Italiam non *provinciam* vocabant, sed *provincias*, nec scriptores Graeci, quod sciam, collective ἐπαρχία singulari numero de provinciis Romanis usurpare consueverunt. Quare ἐπαρχίαΣ Straboni reddendum esse existimo. Praeterea requiro καὶ <ἐπι>πέμπουσι, quo erroris genere, ut $\overset{\epsilon}{\pi}$ et $\overset{\epsilon}{\varepsilon}$ ante litteras πι a librariis neglegantur, nihil frequentius esse constat.

Scribebam Traiecti ad Rhenum m. Aprili a. 1887.

AD ARISTOPHANIS EQUITUM VS. 742.

Loco, quem tractaturus sum, leve vitium densam praetendit caliginem. Paucis exponamus contextum.

Satis diu conviciis se prosciderunt botularius et servus Paphlago sive Cleo; supervenit ipse dominus Demus. „O here" Paphlago queritur „fer opem famulo fideli!" — „Immo mihi" clamat insiciarius „aurem praebe; male dispeream nisi oculorum „instar te diligo; sed tu totum te das isti mastigiae. Dudum „tibi utilem me praestitissem, nisi furcifer iste probos viros a „te arceret omnes. Huicce te tua omnia concredere!"

Tumide Cleo respondet ad molesti homuncionis verba; quem satis refelli arbitratur brevi illo dicterio quo saepe captavit auram popularem: εὖ ποιῶ τὸν δῆμον! *democratiam ego tueor.* Nunc videamus sequentia:

ΠΑΦΛΑΓΩΝ.
εὖ γὰρ ποιῶ τὸν δῆμον.
ΑΛΛΑΝΤΟΠΩΛΗΣ.
εἰπέ μοι, τί δρῶν;
ΠΑΦΛΑΓΩΝ.
742 ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμὼν τῶν ἐκ Πύλου,
πλεύσας ἐκεῖσε, τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.
ΑΛΛΑΝΤΟΠΩΛΗΣ.
ἐγὼ δὲ περιπατῶν γ' ἀπ' ἐργαστηρίου
ἕψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὠφειλόμην.

Digitized by Google

In his versus 742 sensu caret, cetera sunt perspicua. Partem tamen veri vidit Bentleius — quem quod fugere poterat vitium? — restituit enim τοὺς ἐκ Πύλου, sine dubio recte, nam ὑποτρέχειν, ut ὑποπίπτειν vs. 47, ὑπιέναι vs. 269, requirit *accusativum* personae neque cum genitivo coniungi potest. Elmsleius aliam maculam detersit, scribendo ὅ τι cum signo interrogandi. Sed vel sic ridiculum restat mendum, quod cum detexeris statim nascitur admiratio non dudum esse expurgatum; id autem veri reperti solet esse indicium. Sed priusquam id eximamus, ostendere liceat qualia hodie excudantur. Velsenus, deteriores quosdam codices (Parisinum et secundam manum Florentini) secutus, dedit: ὅ τι; τὸν στρατηγὸν ὑπεκδραμὼν τὸν ἐκ Πύλου. Kockius de coniectura ὅ τι; τῶν στρατηγῶν ὑποτρεμόντων ἐκ Πύλου, simul ὑποτρεσάντων commendans in adnotatione; illud recepit Blaydes. Meinekius edidit ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμόντων ἐκ Πύλου; C. F. Hermannus ἀποδραμόντων. Alii fortasse aliter, sed taedet plura excribere, omnes enim hae correctiones eodem redeunt: parcunt vitiosis, sana corrumpunt, et longius longiusque a tradita lectione et vero loci sensu nos avocant. Quid igitur rei est? ABUNDAT ARTICULUS τῶν ante στρατηγῶν. Hunc dele, et vide quam bene procedat oratio:

ὅ τι; στρατηγῶν, ὑποδραμὼν τοὺς ἐκ Πύλου,
πλεύσας ἐκεῖσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

quid fecerim rogas? Praetor Pylum navigavi, et Lacedaemonios surreptos ducibus qui illic erant huc in urbem adveri.

Poeta igitur hominem ventosissimum magna cum superbia et sublata voce illud στρατηγῶν fecit proferentem: *praetor ego fui! quid rogas plura!* — quo maiores cachinnos movere debuit alterum participium subnexum ὑποδραμών, quod in ore lixarum et calonum circa trivia altercantium aptius foret quam in ore praetoris αὐτοκράτορος. Accurate autem concinunt ea quae refert botulorum venditor: *at ego non tibi cedo; habeo quod reponam; aliquanto enim nobilius a me perpetratum est facinus. Namque nuper, cum otiose obambularem, ex officina quadam ollam suffuratus sum quam alius coquebat.* Participium igitur περιπατῶν, veluti glossae glossema, respondet participio στρατηγῶν, quod nimis diu pro genetivo pluralis numeri habuerunt scribae et editores.

J. v. L. JR.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA

COLLEGERUNT

S. A. NABER, J. VAN LEEUWEN J. F., I. M. J. VALETON.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. M. Francken, J. J. Hartman, H. van Herwerden, A. E. J. Holwerda
H. T. Karsten, E. Mehler, J. C. Naber, H. J. Polak, K. G. P. Schwartz,
M. C. Valeton, J. van der Vliet, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN SEXTUM DECIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1888.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Quaestiones Graecae, II. De Ostracismo, scripsit I. M. J. VALETON (*Continuantur ex Vol.* XV *pag.* 426) . . .	1— 25.
Homerica, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F. (*Continuantur ex Vol.* XV *pag.* 119)	26— 38.
De Tibulli Elegiarum structura (*pars tertia*), scripsit H. T. KARSTEN	39— 77.
Ad Symmachum, scripsit J. VAN DER VLIET	77.
Epistula critica, scripsit U. PH. BOISSEVAIN	78— 81.
Ad annalium Romanorum reliquias a Diodoro servatas, scripsit C. P. BURGER JR.	82— 90.
Selecta, scripsit S. A. NABER	91—118.
Ad Sophoclis Aiacis vs. 646 sqq. scripsit J. VAN LEEUWEN J.F.	119—120.
Ad Plauti Captivos, scripsit J. S. SPEIJER.	121—155.
Ad Apuleium, scripsit J. VAN DER VLIET	156—161.
Quaestiones Graecae, II. De Ostracismo, scripsit I. M. J. VALETON (*Continuantur ex huius Vol. pag.* 25) . .	162—238.
Ad Sophoclis Antigonae vs. 280 sqq., scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	239—240.
Ad Xenophontis Commentarios, scripsit A. H. GARRER .	241—250.
Quaestiones ad historiam scenicam pertinentes, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F.	251—288.
Notulae Criticae ad Silium Italicum, scripsit J. S. VAN VEEN.	289—292.

Digitized by Google

Pag.

Lectiones Venusinae, scripsit J. J. CORNELISSEN. . . . 293—315.

De Carminibus e papyris Aegyptiacis erutis et eruendis, scripsit H. VAN HERWERDEN. . . . . 316—347.

Ad Ciceronis Laelium, scripsit J. J. C.. . . . . 347.

Ad Zosimi Historiam, scripsit H. VAN HERWERDEN. . . 348—353.

Ad Homeri Il. A 272, scripsit H. VAN HERWERDEN. . . 354.

Nuculae, apposuit S. A. NABER . . . . . 355—390.

Miscella, scripsit C. M. FRANCKEN. . . . . 391—397.

Ad Vergilii Aen. VI, 664, scripsit P. J. SCRINERIUS . . 397.

Ad Lysiae Or. I § 18, scripsit P. H. DAMSTÉ. . . . . 398.

Quaestiones ad historiam scenicam pertinentes, scripsit J. VAN LEEUWEN J. F. (*Continuantur ex pag.* 288) . 399—438.

De inscriptione Romana apud Frisios reperta, scripsit U. PH. BOISSEVAIN . . . . . 439—447.

Nonnullae doctorum Batavorum epistulae, edidit E. NESTLE. 448—452.

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

II.

DE OSTRACISMO.

(*Continuatur ex Vol.* XV *pag.* 426.)

§ 6. *De ostracismi temporibus et modo.*

De tempore quo interrogatum sit concilium populi, iuberetne hoc anno ostracophoriam fieri an minus, non prorsus consentiunt, certe non prorsus idem dicunt, auctores nostri. Aristoteles enim scripsit: *ἐν τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ — ἐπὶ τῆς ἕκτης πρυτανείας περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονίαν δίδοσθαι εἰ δοκεῖ ἢ μή*; Philochorus vero: *προὐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας, εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰςφέρειν* (vid. Volum. Sup. pag. 361 sq.). — Haec inter se repugnare contendit Lugebil; itaque coniectura opus esse recte censuit ad ea concilianda; et coniecit in concilio *κυρίῳ* sextae prytaneae non utique suffragium habitum, sed rem ad concilium populi ferri coeptam esse; suffragium autem, si forte deliberationes in illo concilio ad finem pervenissent, in eodem concilio habitum esse, sin vero longius ducendae esse viderentur, ipsum quoque suffragium in septimam prytaneam differri potuisse [1]). Haec coniectura autem, quae repugnat verbis

Procheirotonia tur a Philocho- ro ante octavam prytaneam habita esse dicatur.

1) Lugebil l.l. p 187 n. 41: „Oder kann man beide stellen vielleicht durch die

Digitized by Google

Aristotelis, cadat necesse est, siquidem ut satis probavimus omnino non est publice deliberatum. Alii vero contenderunt, nullam in illis repugnantiam inesse, ut Meier (quem citavit Lugebil l.l.), Köhler (loco Vol. Sup. p. 344 n. 1 laudato), Müller-Strübing (Aristoph. u. d. H. Kr. p. 189). Nihilominus coniectura opus esse credidit etiam Müller-Strübing; et tam violenter in ea re agere sibi licere arbitratus est (l.l. p. 188—192), ut coniecerit, sententiam Philochori a Grammatico corruptam tradi. Philochorum enim scripsisse, *ostracophoriam* habitam esse *in* octava prytanea, et antecessisse procheirotoniam; ex his Grammaticum hoc tantum quasi excerpsisse, *procheirotoniam* habitam esse *ante* octavam prytaneam. Sed huius coniecturae [1]), quam accepit et defendit Gilbert (Beitr. p. 229 sqq., Handb. p. 294 n. 4) nulla est ratio, nedum veri similitudo ulla. Verba Grammatici (qui dicit se ipsa Philochori verba exhibere, quod mire confirmatur similitudine eorum quae scribit Schol. Aristoph. Equit. 855, quae quin ex eodem Philochoro sumpta sint dubium non esse videtur) haec sunt: *προὐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας, εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν· ὅτε δ' ἐδόκει, ἐφράσσετο σανίσιν ἡ ἀγορά κ.τ.λ.*; at verba Philochori (si recte eius sententiam odoratus est M.-Str.) huiusmodi fuisse debent: *προὐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος (ἐν τῇ ἕκτῃ πρυτανείᾳ), εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν· ὅτε δ' ἐδόκει, ἐφράσσετο σανίσιν ἡ ἀγορὰ ἐν τῇ ὀγδόῃ πρυτανείᾳ κ.τ.λ.* Quis sanus credat, ita errare potuisse Grammaticum, ut ex his illa efficeret? Hocne est excerpere? neglegenter scribere? Immo hoc est consulto mutare, vi corrumpere, sine ulla causa subvertere sententiam auctoris; quod fecisse Grammaticum (qui idem paulo ante Aristotelis verba de eadem re cum fide reddidisse credatur), cum prorsus nihil sit quod suadeat, credere nobis non licet. Accedit quod sententia, quam Philochoro obtrudere conatur M.-Str., per se valde displicet; mox enim ostendam credibile non esse, tam magnum temporis spatium, duarum fere prytanearum, interfuisse inter

annahme vereinigen, die Debatten, welche der procheirotonie voraus zu gehen pflegten, hätte man in der 6n prytanie eröffnet, und, wenn sie in dieser nicht zum abschluaz kamen, in der folgenden fortgesetzt, aber in dieser nothwendig schliessen und zur abstimmung schreiten müssen?"

1) Cuius initia iam posuerat Köhler, loco supr. laud. (vol. sup. p. 344 n. 1).

Digitized by Google

procheirotoniam et ostracophoriam. Sed qui factum sit ut in coniecturam tam violentam et tam parum probabilem inciderit M.-Str., ipse satis explicat, cum addat, hoc consilio potissimum eam factam esse, ut affirmari posset quod per se placeret, ostracophoriam semper esse habitam in octava prytanea, tempore magnorum Dionysiorum; huius opinionis, quae nullum habet auctorem antiquum, argumentum aliquod in Philochori verba inferre studuit; sed ea ratio non optima esse videtur ad explicandos auctores. — Nobis autem primum tenendum esse videtur id quod ab Aristotele traditum est; is enim rem clare definivit, et ipse melior auctor est. Cum autem nota sit quaestio, quotnam in quaque prytanea fuerint *κύριαι ἐκκλησίαι*, singulae an ternae an quaternae, hanc quaestionem iam pridem satis solvisse videtur Schoemann [1]), quocum consentiunt etiam recentiores [2]); cum his vv. dd. tenemus, *unam* fuisse *κυρίαν ἐκκλησίαν* in quaque prytanea, quod iam ipsum in verbis Aristotelis de quibus agimus certo inesse videtur; Aristoteles igitur tradidit, *unum* et certum quoque anno diem lege destinatum fuisse procheirotoniae, nempe *κυρίαν ἐκκλησίαν* sextae prytaneae, neque a lege hoc liberum relictum esse senatui, ut alium aliquem diem constitueret, quod ex Philochori verbis effici possit. — Deinde quaerimus quid faciendum sit verbis Philochori. Coniectura opus esse ego quoque arbitror ut explicemus qui fieri potuerit, ut Philochorus, cum eandem legem respiceret quam Aristoteles, tam diversa scriberet. Itaque hanc coniecturam profero. Manifestum mihi videtur, legem Clisthenis non ex paucis verbis constitisse, sed satis amplam fuisse, et accurate tractavisse nonnullas res, quemadmodum in legibus fieri soleat, quae ad administrationem rerum publicarum necessariae fuerint, quas vero suo iure omiserit Aristoteles cum ad iuris publici notitiam vix ullius momenti essent; eodem modo legem de legum epicheirotonia longiorem (cfr. Dem. 24 § 20 sqq.) in pauca verba coartavit Aristoteles. Sic fieri non potest opinor, quin lex de

1) Schoemann Antiq. Iur. Publ. Gr., (Gryphisw. 1838) p. 219; is repugnantiam testimoniorum satis explicavit, cum coniceret, legitima concilia aliquando recentiore tempore ipsa quoque *κύρια* interdum dicta esse.

2) A. Rensch, de diebus contionum ordin. apud Athen. Diss. Phil., Argentor., p. 1 sqq.; citavit Gilbert, Handbuch 1 p. 269 adn. 1.

Digitized by Google

ostracismo facta multam et alias fortasse poenas iniunxerit prytanibus sextae prytaneae et praefecto concilii illius κυρίου, si forte de ostracismo cives edicto monere et in suffragium vocare omisissent; tales poenas etiam in consimilibus legibus et in populiscitis additas invenimus [1]). Sed huic rei etiam alio modo prospicere debuit lex. Scilicet si prytanes vel praefectus concilii nihilominus officio abusi omisissent populum in suffragium mittere de ostracismo, curandum tamen erat ne eorum scelere ostracismus impeditus eo anno tolleretur, tum ipsum, cum minime differri posse appareret. In ostracismo enim tam gravia nonnumquam commoda agitabantur, ut non prorsus absonum esset metuere ne forte aliquando prytanes, veluti pecunia corrupti aut promissis victi aut partium studio perducti, ultro minas legis et poenas spernerent. Itaque in lege additum esse debuit opinor, si in concilio κυρίῳ sextae prytaneae epicheirotonia ob aliquam causam facta non esset, eam habendam esse in concilio κυρίῳ proximo, i. e. septimae prytaneae [2]). Ita enim lex id ipsum assecutura erat, quod poenis iniunctis efficere non poterat, ut scelus prytanum prorsus prohiberetur, cum effectus omnis huic sceleri ademptus esset. Fieri potest ut novis praescriptis et minis gravioribus, quae etiam fortasse ad archontes et omnes senatores pertinerent, cautum sit ne tum iterum idem accideret; neque incredibile est (etiamsi hoc ut credamus necesse non est) additum fuisse, ulterius differri non posse epicheirotoniam. Talis fere si fuit lex, facile dubites uter magis accurate eam in pauca verba contraxerit, Aristoteles an Philochorus; ita id quod scribit Aristoteles (ἐν τῇ ἕκτῃ πρυτανείᾳ)

1) Sic in lege de legum epicheirotonia (Dem. 24. 22) multa iniungitur prytanibus primae prytaneae, mille drachmae singulis, et proedris illius diei, dena milia drachmarum singulis (cfr. Westermann Untersuch. p. 34), si eorum culpa omissa esset epicheirotonia, et insuper etiam ἐνδείξεως actio acerrima contra eos datur volentibus, ὡς καταλύοντας τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων. Cfr. quoque populiscitum de honoribus Peisitheidis Delii factum (C. I. A. II 115b), in quo multa iniungitur proedris et praefecto, si ad nomothetarum concilium ferre omiserint legem quam populus rogat de apodectarum officio.

2) In lege de epicheirotonia legum nihil huiusmodi quidem scriptum est. Sed in ea re nihil metuendum erat nisi ne neglegentia vel oblivione peccarent prytanes; hoc ne fieret satis cautum esse videri potuit gravi poena iniuncta. Et si forte tamen fieret, iam in eo acquiesci potuisse videtur, ut eo anno epicheirotonia legum nulla fieret.

Digitized by Google

in universum verum est, quod vero tradit Philochorus (*πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας*) accuratius dictum est quatenus etiam attendit casum illum cui prospexerit lex, prytanes sextae prytaneae temere officium deseruisse. Sed tamen ideo deterior est ratio Philochori, quia id quod usitatum erat et semper fiebat obscurari sinit casu aliquo, quem lex accurate scripta attendere quidem debebat, sed quem revera, cum lex satis praecavisset, numquam eventurum fuisse vel evenisse fere constabat. — Hanc coniecturam, quamvis nequaquam certa sit, facilem esse credo et rei aptam; itaque sufficiat eam veram esse posse.

Ostracophoria ex lege habebatur die proximi concilii postquam accepta esset procheirotonia.

Postquam ostracophoriam iusserit populus in sexta prytanea, quo tempore habita sit ostracophoria, a nullis auctoribus directe traditur. Hoc tempus quoque *lege* constitutum sit necesse est. Nam in aliis quidem suffragiis senum milium, quae de civitate conferenda habentur, tempus quo in suffragium mittenda sint sena milia semper constituitur ipsis *populiscitis*, ut supra vidimus; horum populiscitorum est formula tralaticia: *τοὺς πρυτάνεις τοὺς τὴν εἰσιοῦσαν πρυτανείαν πρυτανεύοντας δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν*, vel *ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ* quod idem est (vid. Volum. Sup. p. 25 sq.). Sed in ostracismo procheirotonia tantum accipitur aut reicitur; populiscitum nullum scribitur in quo tempus constitui possit; itaque legi hoc fuit providendum. Primum autem quaeritur, num ostracophoriam quoque distulerit lex in proximam (septimam) prytaneam, sicuti suffragium senum milium de civitatis et de impunitatis datione non haberi soleat in eadem prytanea, in qua populiscitum de ea re factum est, sed in proximam prytaneam differri soleat. Ego non crediderim; ratio huius dilationis quam supra indicavi (Vol. Sup. p. 26), quae haec fuit ut ne eidem prytanes praeessent suffragio senum milium, quorum auspiciis et favore factum esset populiscitum, non cadit in ostracismum; non solum enim id quod in procheirotonia responderant cives, ad prytanes qui tum forte erant omnino non pertinebat, cum res fieret ex lege, non ex senatus Auctoritate; sed etiam, quod plus valet, ostracophoriis non praeerant prytanes, sed novem archontes et omnes senatores, itaque nulla causa erat cur nova prytanea expectaretur. Neque alia ulla ratio in-

Digitized by Google

veniri potest quae ad discrimen differendum permovere potuerit Clisthenem. Quamquam aliquid invenisse sibi videtur Müller-Strübing; nam, ait pag. 186, si longum temporis spatium intercedebat — „so hatten die Bürger bis zur entscheidenden Abstimmung — immer noch Zeit zu ruhiger Erwägung, zur Abkühlung ihres Zorns u. s. w.". Sed ego non video cur Clisthenes, quamvis multum concedendum esse putasset inconstantiae civium, eos rem diligenter secum considerare maluerit post quam ante procheirotoniam habitam; cur putaverit iracundias populi non ante procheirotoniam quoque fortasse sedari, non post procheirotoniam etiam acrius fortasse surgere posse. Nam accepta procheirotonia prorsus nihil mutabat in statu rerum publicarum, causae relegandi vel in patria retinendi prorsus eaedem manebant; et aliquando utique tandem si decernendum erat, cur potius decernendum erat post sexaginta dies quam post sex aut septem? Sed suspicor, ad hanc sententiam viri docti etiam aliquantum valuisse cogitationem deliberationum publicarum, quae satis a nobis sublata est. E contrario autem multa Clistheni suadebant ne tempus teri pateretur. Utile non erat, ut civis aliquis qui testarum periculum sibi impendere sentiret, procheirotoniae eventu admonitus quam magnum esset periculum, longius tempus etiam se habere sciret antequam de se et salute sua decerneretur; nonne haec longioris temporis occasio ultro instigatura et fere invitatura erat homines praepotentes desperatos, factionem periclitantem, ad struendas machinationes nefarias, ad cives pecunia corrumpendos, ad vim quoque parandam, ad extremum tentandum? Haec ratio sufficit ut statuamus legem iussisse, ostracophoriam quantum fieri posset citissime haberi post acceptam procheirotoniam. — Sed, sicut formula modo laudata docet suffragium de civitatis datione semper esse indictum *εἰς ἐκκλησίαν* vel *ἐν ἐκκλησίᾳ*, sed tamen constat hoc suffragium habitum esse in foro, itaque partem aliquam fuisse concilii praecedentem (vid. Volum. Sup. p. 26), ita etiam ex similitudine statuere licet ostracophorias, quae itidem in foro habitae sint, indictas esse *εἰς ἐκκλησίαν*; et concludimus, postquam accepta esset procheirotonia, ostracophoriam ex lege habendam fuisse *die proximi concilii*, postquam accepta esset procheirotonia.

Digitized by Google

Probandum nunc suscipimus, legem de ostracismo postulavisse ut sena milia minimum suffragiorum in unum hominem conspirarent, si quidem futurum esset ut aliquis relegaretur; qua de re quae sint opiniones virorum doctorum, iam supra exposui (Vol. Sup. p. 33 sq.). Quamquam libenter concedo, vix ullis argumentis opus esse rei, cuius habeamus auctorem certissimum. Philochorus enim, nobilis Atthidis scriptor, sex milia sententiarum consentire debuisse dilucide affirmavit; et ad testimonium quod de eius sententia dedit Grammat. Cantabrig. [1]) accedunt testimonia Pollucis [2]) et Scholiastae Aristophanis [3]), qui cum Philochoro consentiunt sed certum auctorem non nominant; atqui Philochori auctoritas numquam Plutarcho [4]) cedere debuerat. Deinde omnem dubitationem tollit similitudo aliarum legum, quae sunt de suffragiis senum milium, de quibus supra (Vol. Sup. p. 35—40) sine ulla veterum testimoniorum ope statuimus quod certum esset. Sed tamen libet rem etiam per se brevi considerare, et argumenta afferre etiamsi eis opus non sit.

Lex eum relegari iussit qui tulisset partem maiorem suffragiorum latorum, modo ea pars senis milibus maior esset.

Ac primum quidem cum consideremus legem qualem eam esse voluerunt Lugebil Fränkel alii, et paulisper accipiamus rationes quas huic legi subesse et quibus Clisthenem ductum fuisse contendant hi viri, nihil apertius esse potest quam hoc: legem hanc esse pessime inventam, pessime factam, cum quam

---

1) Lex. Rhet. Cantabr. s. v. *ὀστρ. τρόπος* (Phil. fr. 79b Müll): *Φιλόχορος ἐκτίθεται τὸν ὀστρακισμὸν ἐν τῇ τρίτῃ γράφων οὕτω· .... εἰσιόντες κατὰ φυλὰς ἐτίθεσαν τὰ ὄστρακα, στρέφοντες τὴν ἐπιγραφήν· ἐπεστάτουν δὲ οἵ τε ἐννέα ἄρχοντες καὶ ἡ βουλή· διαριθμηθέντων δέ, ὅτῳ* (cod. Cant. *ὅτε*) *πλεῖστα γένοιτο καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον ἔδει τὰ δίκαια δόντα καὶ λαβόντα ὑπὲρ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως ἔτη δέκα, ὕστερον δ' ἐγένοντο πέντε, καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐπιβαίνοντα ἐντὸς Γεραιστοῦ, Εὐβοίας ἀκρωτηρίου.* — Locus nullam praebet difficultatem; nam quod obiecit Fränkel (die Att. Geschw. Ger. p. 92 adn.) ad *διαριθμηθέντων* non posse intellegi *ὀστράκων*, id nihil valet, cfr. Lipsius in Bursian's Jahresber. 1880 p. 302.

2) Poll. 8. 20.

3) Schol. Aristoph. Eq. 855.

4) Plut. Aristid. c. 7: *οἱ ἄρχοντες πρῶτον μὲν διηρίθμουν τὸ σύμπαν ἐν ταὐτῷ τῶν ὀστράκων πλῆθος· εἰ γὰρ ἑξακισχιλίων ἐλάττονες οἱ γράψαντες εἶεν, ἀτελὴς ἦν ὁ ἐξοστρακισμός· ἔπειτα τῶν ὀνομάτων ἕκαστον ἰδίᾳ θέντες, τὸν ὑπὸ τῶν πλείστων γεγραμμένον ἐξεκήρυττον.*

Digitized by Google

maxime in promptu esset alia legis forma quae prorsus idem assequeretur et illis vitiis careret. Aiunt enim illi: Clistheni visum est fore, ut non multo plures quam sena milia civium ad partium politicarum studia et certamina exercenda se conferrent, et is numerus ei satis magnus visus est; hanc ob causam iussit, quod tam magni civium numeri maiori parti placeret, ita ratum esse, quasi placeret πᾶσιν Ἀθηναίοις, et ei numero (senum milium amplius) illud ipsum nomen dedit πάντας Ἀθηναίους. Horum maiori parti concedi voluit, ut de administratione summae reipublicae decernere, ductores partium adversariarum relegare, suam sententiam in republica gerenda perferre posset. Itaque postulavit ut in ostracismo sex milia minimum suffragiorum ferrentur, scilicet ut πάντες Ἀθηναῖοι in suffragium irent; inter eos victoriam dedit maiori parti. — Sed manifestum est, si haec omnia voluisset Clisthenes (quod ego quidem pernego, sed si voluisset), optime eum haec potuisse assequi praescribendo, ut relegaretur is quem plurimae sententiae notassent, modo *tria* milia amplius suffragiorum in eum hominem conspirarent. Talis lex enim omnibus illis rationibus prorsus satisfacit, et caret magno vitio quo laborat lex quam finxit Lugebil, hoc: eam prorsus deficere quoties non duo ostracismi quasi candidati adsunt, sed aut unus, aut tres vel plures. Atqui is qui legem scribit, omnibus casibus et condicionibus quae cogitari possint prospicere debet, quod si non facit, malam et inutilem legem scribit. Fac autem, maiorem partem τῶν πάντων Ἀθηναίων (ex. gr. 3500) velle aliquem civem testis notare; poterunt, si minor quoque pars aliquem civem relegandum sibi elegerit et suffragium inierit; non vero poterunt, si minor pars forte neminem habet quem relegari cupiat; id autem absurdum esse videtur. — Fac deinde, magnam partem τῶν πάντων Ἀθηναίων inter se de cive qui relegandus sit dissentire, et, ut saepe fit in suffragiis publicis, eorum sententias in varias personas, veluti tres aut quatuor aut plures, divisas esse. His si forte satius visum erit suffragium inire, et diversas illas personas testis notare, ita ut fere 2500 suffragia in tres vel plures personas divisa sint, maior pars (3500) poterit relegare suum candidatum; sin illis vero forte placeat, cum de eventu desperent vel rem non tanti faciant, suffragium non inire, nihil

Digitized by Google

etiam poterit maior illa pars contra candidatum suum. — Legem illam, quam informavit Lugebil, ita interrogantibus: „qui 3500 suffragia contra se habet, debetne de patria discedere?" — si forte alius etiam civis unus tribus milibus suffragiorum notatus est, vel duo alii binis singuli milibus, vel plures minore etiam numero, Lex nobis respondebit: „discedat, satis factum mihi est hanc esse voluntatem τῶν πάντων Ἀθηναίων, cum 3500 cives eam prae se tulerint"; sin vero forte nemo cum illo suffragiis notatus est, aut unus minus quam 2500 suffragiis, Lex ad eandem interrogationem respondebit: „ne relegetur, 3500 suffragia nequaquam sufficiunt ad declarandam civitatis voluntatem". — Verumtamen, si forte permulti candidati adsunt, et permagnus suffragiorum numerus in varias partes distributus est, Lex respondebit, ne hoc numero 3500 suffragiorum quidem neque maioris partis senum milium consensu opus esse ad relegandum hominem; eventus cogitari potest ut 1100 suffragia sufficiant, si quinque vel sex candidati mille suffragia tulerint singuli. — Nullam talis legis rationem invenio. Libidinem quam legem eam dicere malim. Quid attinebat igitur, constituisse illum numerum senum milium? — Lex contra, quam ego modo finxi, qua vincit maior pars modo *tribus* milibus maior sit, sufficit omnibus illis rationibus quas Clisthenis fuisse statuunt illi, et est constans, semper eadem. — Clisthenes igitur, si illa voluisset, hanc legem invenisset; legem quam ei tribuit Lugebil, nemo sanus excogitare potuit.

Deinde, si talis fuisset lex qualem nego, vix umquam factum esset, ut binae aut ternae aut plures partes simul suffragium inirent, itaque maiore suffragiorum numero decerni non posset; hoc Clisthenes etiam praesentire debuit, neque potuit talem legem scribere. Partes debiliores enim, quae debilitatis sibi consciae sunt (sive ea ex suffragiis antecedentibus cognita est, sive constat eas debiliores esse quod a plebis commodis magis alienae sint), semper cavere debent huiusmodi eventum, ut 2000 numero sint suffragia sua, 4000 alterius partis, sive mille sua, 5000 adversariorum; i. e. semper metuere debent ne *per sua suffragia* alteri parti suffragentur et suas partes perdant, et ne efficiant suis suffragiis ut homo aliquis relegetur quem relegari nolint, cum is tutus fuisset si ipsi a suffragio abstinuissent.

Digitized by Google

Si circa a. 460 talis fuisset ostracismus, amici Cimonis certe a suffragio abstinuissent, cum ostracismum a Pericle contra Cimonem excitari viderent. Eventus suffragii utique talis fuisset, qualis esse debebat si Lex postulasset ut amplius sena milia suffragiorum in unum hominem conspirarent; itaque dubitari non potest quin id ipsum postulaverit Lex.

Itaque Lex talis fuit, qualem fuisse docent Philochori testimonium et aliarum legum similitudo et ipsa rei ratio atque natura. Is igitur qui primus invenit et adhibuit suffragium senum milium (quem Clisthenem fuisse mihi maxime probabile videtur, quamquam non constat, cum nesciamus quis primus ad impunitatis dationem adhibuerit suffragium senum milium, vid. Vol. Sup. pag. 3 sq. et pag. 7 n. 4) victoriam concessit maiori parti civium qui suffragium inirent, modo haec maior pars efficere posset 6000 suffragiorum amplius; id est, quandoquidem numerus 6001 est maior pars numeri 12000, modo ea pars tam magna esset, ut esset numeri 12000 suffragiorum maior pars. Hinc in promptu esse mihi videtur conicere, eo tempore quo inventum sit suffragium senum milium (i. e., ut videtur, circa annum 509), totam multitudinem civium qui tum ius suffragii haberent, numero 12000 aestimatam fuisse ab inventore legis. Huic coniecturae satis convenit, quod ex Philochoro cognitum est, a. 445 numerum civium fuisse 14240 (Volum. Sup. pag. 36 adn. 1). Mirifice autem, nisi fallor, haec coniectura quamvis incerta sit commendatur eximia quadam rationis venustate et concinnitate. Nam si quis eam recusaverit, statuere debebit numerum 6000 magis ex libidine quam ex consilio temere esse arreptum, quod per se parum placet. At qui statuerit hunc numerum eo tempore fuisse ipsum dimidium numeri civium adultorum, is concedet, auctorem huius legis, cum nonnullas res scisci nollet nisi a vera et absoluta maiore parte totius civitatis, sed tamen intellegeret se nullo modo posse omnes cives ad suffragium de his rebus ineundum cogere, aliquid invenisse, quod *fere* idem valeret ac si potuisset cogere cives. Hac una re enim differt eius inventum a vero omnium civium suffragio, quod *omnibus* civibus qui ad urnam non accedunt, attribuitur suffragium negativum, cum tamen,

Inde probabile esse videtur, tempore Clisthenis ipsum numerum civium adultorum fuisse 12000.

Digitized by Google

inter eos qui absint, esse possint qui inviti et propter causas necessarias absint, qui si ad suffragium coacti essent, laturi fuissent suffragium affirmans. Sed hoc discrimine neglecto, apparet suffragium senum milium fuisse suffragium in quo vinceret maior pars, sed ita, ut ratio haberetur voluntatis uniuscuiusque civis, cum omnes satis monuisset Lex, se absentiam alicuius civis ita interpretaturam esse, ac si is civis declaravisset sibi nihil scisci placere. Eo tempore quo inventa est haec lex, si quis non inibat suffragium, suffragium a Lege ei attribuebatur antiquans; si cui neminem relegari, aut impunitatem non dari, placebat, suffragium eius antiquans valebat etiamsi latum non erat; si qui nolebant censeri cum antiquantibus, hoc cavere poterant modo tempore ad urnam adessent; deinde vincebat voluntas iubentium si numero plures erant, sed etiam vincere poterat voluntas absentium (i e. antiquantium) si horum numerum superare apparuerat; itaque ratio habebatur voluntatis uniuscuiusque civis, et rei participes erant *omnes cives*, sive, si Graecam vocem malueris, *οἱ πάντες Ἀθηναῖοι*. — Praeterea, si idcirco numerus 6000 a Clisthene acceptus est quod esset dimidia pars omnium civium, inde sequitur legem a Clisthene recte ita fuisse comparatam, ut numerus suffragiorum qui sufficeret ab *uno* tantum homine ferri posset, et ut *utique* relegeretur qui hunc numerum tulisset; hoc multo magis placet, quam si lex talis fuisset ut *duo* homines ferre possent numerum suffragiorum qui sufficeret, nam ita a fortuna pendebat uter paucis suffragiis superantibus relegaretur, et iniquum erat non *utrumque* relegari, cum semel constitutum esset, 6000 suffragiorum ad relegationem sufficere. — Haec coniectura sola rationem ostendit, cur constitutus sit et constitui debuerit ab auctore legis numerus 6000; quae ratio ne paulatim tempore perturbaretur, cum increscerent numerus civium, proprie etiam augeri interdum debuerat numerus constitutus; sed hoc factum non esse mirum non est, cum nullam necessitatem praebere potuerit usus, qua ad mutandam legem cogerentur cives. — Mihi autem adeo satis confirmata esse videtur haec coniectura, ut tute statui posse credam, circa a. 509 numerum civium adultorum fuisse 12000.

Nunc transimus ad exponendam rationem suffragii lationis.

Digitized by Google

a a.
io ab
excit
ess
gioru
otest
que
m

[illegible] in Pnyce haben-
[illegible] antea semper in foro pau-
[illegible], cuius aditus tum claudebantur
[illegible] de funibus [illegible] vel [illegible]
[illegible] autem [illegible] phoria,
[illegible] rotunda,
[illegible]bant [illegible] testas re-
[illegible] aditum [illegible] secundum
[illegible] — Fatenus
[illegible] signum [illegible] calculis
[illegible] intrabant [illegible] ab eis
[illegible] conv[illegible] quot
[illegible] (Vel [illegible] ligaban-
[illegible] si ea
[illegible]bant [illegible] alvei
[illegible] per
[illegible]
[illegible] tene-
[illegible] erat.
[illegible] sena-
[illegible] com-
[illegible]

ubi testis inscribere debuerint cives, utrum in foro, an domi. Vulgo nunc statuitur a viris d., testis in foro inscriptum fuisse. Duo huius opinionis, quam nihilominus falsam esse puto, argumenta esse videntur. Primum enim notum est, in aliis illis suffragiis τοὺς πρυτάνεις τὴν ψῆφον δοῦναι προσιόντι τῷ δήμῳ (Vol. Sup. p. 25, pag. 40 adn. 1), et cives, cum sine calculo in forum et ad urnam venissent, ibi accepisse a prytanibus calculum publice comparatum; huic rei convenire videtur, in ostracophoriis τοὺς βουλευτὰς τὸ ὄστρακον δοῦναι, et testas etiam fuisse publice antea comparatas. Deinde eodem ducit narratiuncula quam tradit Plutarchus. Is enim, postquam dixit ad Aristidem relegandum multos undique rusticos quoque ad urbem confluxisse (Aristid. c. 7), postea ita fere pergit: „cum autem tunc cives testas inscriptione notarent, rusticus aliquis literarum rudis testam suam tradens homini quem Aristidem esse nesciebat, ab eo petivit ut Aristidis nomen inscriberet; deinde ab Aristide interrogatus, cur tandem illum hominem relegaret, numquid ab eo iniuriae accepisset: nihil equidem, inquit, sed pertaesum est hominis, quem ubique Iustum praedicari audiam. Tum Aristides tacens testae eius inscripsit suum nomen." — Hoc si umquam accidit, sane accidit in foro ex sententia Plutarchi; Plutarchus igitur auctor est, cives in forum venisse ut ita dicam vacuis manibus; in foro primum testam eos petivisse a senatoribus, deinde inscripsisse quod placeret, denique ad saepta reversos intravisse aditum phylae suae destinatum et in alveo deposuisse testam. — Haec igitur argumenta esse videntur opinionis illius. Sed prius non est argumentum, cum id ipsum quaeratur, fueritne hac in re ostracophoria illis calculorum suffragiis similis; secundum autem, quod e Plutarcho petitur, sistere non potest contra argumenta gravissima quae obstant; narratiuncula quam exhibet Plutarchus, cum optime inventa sit ad depingendum sensum quo cives perducebantur ad Aristidem relegandum, ipsa tamen vera non est neque diligenter ad veritatem ficta; hac in re quoque, sicut in alia illa in qua evincitur a Philochoro, Plutarchus ostendit sibi parum notam fuisse rationem ostracismi. — Primum argumentum autem, quo ostenditur testas non esse in foro datas et signatas, sed domo a quoque apportatas, hoc est, inscriptionem testarum

Digitized by Google

omnino in foro fieri non potuisse. Primum hoc ne cogitari quidem potest, testis inscriptum esse in ipsis saeptis, et reliquos cives aditu prohibitos esse dum ei qui iam ad alveum admissi essent ibi testam acciperent et inscriptione signarent, et tum demum alium admissum esse cum alius dimissus esset; aperte enim hoc excluditur illo: στρέφε τὴν ἐπιγραφήν, quod intrantibus omnibus imperabatur, quod ostendit, inscriptionem perfectam fuisse antequam intrarentur saepta; praeterea, si forte 10.000 suffragiorum ferebantur, i. e. in singulis phylis fere 1000, si unusquisque inscriptionem absolvere potuisset una sexagesima parte horae, et per decem horas sine ullo intervallo res acta esset, uno die ad singulos alveos 600 suffragia tantum ferri potuissent, neque ullo modo uno die absolvi poterat ostracophoria. Deinde multo minus etiam credibile, extra saepta in foro testis inscriptum esse. Stilo ferreo enim opus erat; quomodo autem ab omnibus civibus postulari potuit ut stilum ferreum secum in forum portarent; quasi vero ei qui forte stilo carerent neque ab alio mutuari possent, privari potuissent iure suffragii. Id quoque subabsurdum, stilos ferreos quot sufficerent publice praeparatos esse et a senatoribus civibus ultro ordine oblatos. Verum quam ingens spatium temporis etiam in hac re consumptum esse debuit, si homines qui numero erant multa milia, ordine praetergredientes, accipere debebant testam et stilum a senatoribus, deinde omnes nomina scribere, deinde singuli ad saepta reverti et testam deferre. Quae vero commotiones in foro, quot cursus et recursus, quales tumultus! — Secundum argumentum inest in ipsa illa acclamatione praeconis, et in ipsa narratiuncula Plutarchi. Nam satis constat, nullam aliam ob causam praescriptum esse ut inverterentur testae, quam ut nescirent senatores et archontes, quid singulis civibus scribere placuisset, ut *clam* fieret suffragium. Quod si verum est, Lex non potuit iubere testas signari in foro, in loco publico, ubi omnibus qui adstarent et cognoscere vellent apertum esse poterat quid singuli inscriberent; nulla enim causa erat cur id celaretur senatores, quod reliqui omnes cives, si volebant, facile cognoscere possent. Constat Legem, cum non posset vetare ne quis sententiam suam cum amico communicaret, tamen nihil praescripsisse quod suffragiorum arcanum necessarie impediret

Digitized by Google

et tolleret; quo enim ita pertinebat, solos senatores celare cuiusque civis sententiam? [1]). Quantopere autem necessarium esset, ut inscriptionem testarum e foro et publico loco removeret Lex, si vellet libere, nulla gratia motos, nulla formidine perterritos cives suffragium ferre, ostendit narratio Plutarchi. In ea narratione enim homo quem rusticus interpellavit fuit forte fortuna ipse Aristides; sed si forte fuisset Aristidis amicus aliquis minus expertae probitatis, num is etiam a fraude abstenturus fuisset? quin etiam apparet, quam facile amici Aristidis potuerint in foro ambire cives, et alios monere ne damnarent hominem tam bene de patria meritum, alios fraude circumducere auxilio suo oblato, alios minis cogere. Hinc sine ullo dubio deducitur, Legem satis cavisse ne umquam tale quid accidere posset quale id est quod narrat Plutarchus. — Tertium argumentum certissimum inest in voce quam in interrogatione legitima adhibitam esse testatur Philochorus (Vol. Sup. p. 361), quae legitur cum apud Gramm. Cantabrig. tum apud Schol. Aristoph., quae est εἰςΦέρειν τὸ ὄστρακον. Nam εἰςΦέρειν τὸ ὄστρακον non est „suffragium ferre per testam", quod Graece dici potest Φέρειν vel τιθέναι τὸ ὄστρακον, ἐπιΦέρειν τινὶ τὸ ὄστρακον (Plut. Alcib. 13), sicuti sexcenties legitur τὴν ψῆΦον Φέρειν vel τίθεσθαι [2]) vel ἐπιΦέρειν τινί. Sed εἰςΦέρειν τὸ ὄστρακον est „deferre testam in publicum locum", et longe aliud quid significat quam Φέρειν, nempe id ipsum quod probandum suscepimus, testas a civibus domo in forum delatas esse. Causa erroris fuit, quod non satis animum adverterunt vv. dd. ad differentiam verborum

---

1) Duncker quoque (G. d. A. 6 p. 607) statuit inscriptionem testarum factam esse publice in foro; quod eo magis mirum accidit, quia idem (quamvis rationem non habuerit illius acclamationis στρέΦε τὴν ἐπιγραΦήν) paulo ante scripsit: „diese Abstimmung fand verdeckt und schriftlich statt, um die Abstimmung vor jeder Beeinflussung und Einschüchterung zu sichern." — Quasi arcanum suffragii non prorsus sublatum fuisset, si in foro inscriptio facta esset.

2) Cum creberrime legatur τὴν ψῆΦον τίθεσθαι, numquam legere memini τὴν ψῆΦον τιθέναι (nam Dem. 18. 229 huc non pertinet). Verum ὄστρακον τιθέναι saepius legitur (Schol. Ar. Eq. 855, Lex. Cant. s. v., Tim. Lex. Plat. p, 114). Hoc discrimen quoque attendendum est. Nam τίθεσθαι magis spectat electionem sententiae quae per calculum feratur; τιθέναι magis respicit actionem deferendi et deponendi calculi; hanc notionem igitur praevaluisse apparet apud Graecos, cum de ostracophoria sermo esset.

Digitized by Google

Φέρειν et *εἰςΦέρειν*, cuiusmodi distinctionibus subtilioribus omnino nulla lingua magis excellit quam Graeca. Verum eam distinctionem perperam a me factam esse, tum demum concedam, si quis mihi praebuerit locum ubi „suffragium ferre" dictum sit *τὴν ψῆΦον εἰςΦέρειν*. Hoc dum factum non erit, in sententia permanebo, „suffragium ferre" Graece dici non posse *τὴν ψῆΦον εἰςΦέρειν*, et *τὸ ὄστρακον εἰςΦέρειν* non esse: „voluntatem declarare per testam quam in loco publico acceperit aliquis", sed: „testam domo allatam in locum publicum deferre et ibi deponere". — Itaque apparet, Pollucem optime rem intellexisse; in eius verbis enim dilucide inest vera sententia, quamquam tam breviter locutus est ut admodum mirari non possis, eius verba sola non suffecisse viris doctis ad rem perspiciendam. Pollux enim (8. 20) ita verissime scribit: *καὶ περισχοινίσαντες* .....[1]) *δέ τι τῆς ἀγορᾶς μέρος, ἔδει Φέρειν εἰς τὸν περιορισθέντα τόπον Ἀθηναίων τὸν βουλόμενον ὄστρακον ἐγγεγραμμένον τοὔνομα τοῦ μέλλοντος ἐξοστρακίζεσθαι.* Cives ipsos ait apportare debuisse testam cui inscripsissent nomen.

Itaque cum de loco inscriptionis satis constet, facile quoque discutiuntur dubitationes, quae de materie *ὀστράκων* adhuc surgere potuerunt. — *Ὄστρακον* enim non fuisse fragmentum vasis fictilis, hanc maxime ob causam credidisse videntur nonnulli viri docti, quod publice *ὄστρακα* distributa esse putabant. Nam cum *unum* fragmentum comparare facillimum esse deberet unicuique civi, tam ingentem copiam fragmentorum a ministeriis publicis semper colligi debuisse minime verisimile esse videbatur, quamvis vilis esset materia. Atqui si publice petenda essent *ὄστρακα* ex officinis

Ὄστρακα fuerunt testae, i. e. fragmenta vasorum fictilium.

1) Fortasse culpa vitii quod in hac sententia inest, non tribuenda est Polluci. Adducor ut credam, haud pauca verba excidisse post *περισχοινίσαντες*. Saepta enim, in quibus suffragia feruntur sunt tabulata; Philochorus (ap. Gr. Cantabr. et Schol. Aristoph.) eum locum dicit *πεφραγμένον σανίσιν*, ne Plutarchus quidem in ea re erravit, locum dicit *περιπεφραγμένον δρυφάκτοις*, Vid Vol. Sup. p. 31. Haec saepta autem a Polluce, si ita scripsisset quemadmodum vulgo editur, dicerentur *περισχοινισθέντα*, quod longe aliud est; funis enim et *γέρρα* non pertinent ad saepta illa, sed pertinent ad aditus fori clausos. Itaque cum ad vitium constructionis, quod non facile sanari possit, accedat vitium sententiae gravissimum, malim conicere post vocem *περισχοινίσαντες* excidisse non solum vocem *ἀγορᾶν* sed etiam multa alia vocabula.

Digitized by Google

figlinis, absurdum videbatur *fragmenta* vasorum esse petita, cum multo facilius esset instrumenta quaedam ad id ipsum confecta, tabellas fictiles, ad hunc usum fabricare iuberi figulos; praeterea vix e dignitate publica esse videbatur, fragmenta vilissima publice esse oblata civibus, cum id nulla ratione commendaretur. Itaque fuerunt quibus placeret — neque quis primus excogitaverit operae mihi fuit exquirere — non *testis* usos esse Athenienses in ostracophoriis, sed *tabellis* et eis fictilibus quidem, ad id ipsum confectis, quas ὄστρακα dictas esse statuerent quibusque stilo ferreo publice esset inscriptum [1]). Sed illi coniecturae causa et fundamentum detracta sunt, cum sciamus testas non fuisse publicas, sed privatas, domo a quoque allatas; hinc clare apparet, ὄστρακα non fuisse tabellas fictiles. Deinde, quid fuerit ὄστρακον, satis docent auctores Romani, qui de ostracismo scribentes illud instrumentum semper dixerunt „testam" sive „testulam", i. e. fragmentum vasis fictilis, numquam vero „tabellam" neque „pugillares" [2]); eorum auctoritati recte obsecuti sunt plerique viri docti [3]). Praeterea, quamquam vix opus est, in rem vocare libet ludum illum testarum puerilem, ὀστρακίνδα παίζειν, quem descripserunt Pollux et Eustathius [4]), in quo testa utuntur pueri, quae ab exteriore parte habet colorem naturalem, ab interiore parte vero pice oblita nigra facta est (καταλήλιπται πίττῃ). Pueri ludentes, in duo agmina divisi, ad cursum parati, intente expectant dum aliquis ex amicis, cui hoc mandatum est, testam in medium spatium proicit; nam pro casu testae, si exterior pars superior facta est, huc agmen, si nigra, illud, alterum cursu persecuturum est et aliquem e fugientibus

1) Passow Handwörterbuch (ed. Rost 1852) s. v. ὄστρακον: „Scherbe oder irdnes Täfelchen" — Gilbert Handbuch 1. p. 295: „ein Thontäfelchen". — Idem Busolt Gr. Gesch. 1. (Gotha 1885) p. 620. — Blass (I. Müller Handbuch der Kl. Alt. 1) p. 308: „Thonscheiben".

2) Nepos Aristid. 1; Cim. 3; Themist. 8.

3) Lugebil, Duncker, Curtius (Gr. Gesch. 2. p. 566), multi alii Non perspicio cur a nonnullis viris doctis, contra auctoritatem Nepotis, et sine ullo auctore, ad ostracismum introductae sint conchae vel concharum frusta; Grote 4. p. 79: „by writing upon a shell or potsherd"; Perrot (Essai sur le droit public d'Athènes 1869) p. 8: „le jour où s'entassaient bruyamment l'un sur l'autre les tessons et les fragments de coquille". Immo ὄστρακα et κογχύλια sedulo distinguuntur ab Athenaeo p. 636d: et cfr. Hesych. s. v. κερ. μάστιξ: διὰ τὸ ἐκ κεράμου τὰ ὄστρακα εἶναι.

4) Pollux 9. 111 sq., cfr. Hesych. s. v.; Eust. ad Hom. Il. XVIII p. 1161.

Digitized by Google

capere conaturum; captum vero ignominia manet, asinus sedebit. Expectatio autem et observatio testae venientis est illud ὀστρακίνδα βλέπειν; id in cives epicheirotoniae diem expectantes et testis longe alia ratione ludere gestientes transtulit Aristophanes [1]); quod ipsum magis verisimile reddere mihi videtur, testis etiam in ostracophoria rem actam esse quam pugillaribus, quae cum ludo illo puerili non nisi nomine parum apto cohaereant. — Accedit, tabellam fictilem dicendam fuisse δέλτον sive δελτίον, non vero ὄστρακον; causam probabilem nemo ostendere possit cur hoc vocabulum in tabellam temere translatum sit. At, inquis, nomen ei inditum propter materiem e qua facta est. Verum si ex materia nomen dandum fuisset tabellis, dubium non est quin κεράμια dictae essent, non vero ὄστρακα; satis constat tabellas fictiles non propter materiam unde factae essent ὄστρακα potuisse dici; ita enim non tabellae solae sed *omnia* figlina ὄστρακα dicta esse debebant, quod nequaquam factum est. Res fictiles eatenus tantum ὄστρακον dicuntur [2]), quatenus *forma sua convexa*, cui accedat materiae duritia, id referunt quod proprie dicitur ὄστρακον, nempe testam fractam ovi et testam testudinum vel aliorum animalium testaceorum. Hoc in vasa confracta et in vasorum fragmenta cadit, nequaquam cadit in tabellas quae ab eiusmodi forma convexa longe alienae sunt. Hanc ob causam solae res fictiles, quae ὄστρακα dici possint, sunt fragmenta vasorum fictilium. Sic ὀστράκοις, fragmentis fictilibus, et conchis, tamquam crepitaculis usos esse saltatores docet Didymus apud Athenaeum [3]). Apud Xen. Oec. 19. 14 ὄστρακον est fragmentum testae fictilis, quod inicitur super lutum quo obteguntur capita stolonum seu viviradicium olivarum, ut humidum maneat lutum; pro eo Columella utitur musco, 11. 2. 42, cfr. Schneider ad Xen. l.l.

Testis igitur usi sunt Athenienses. Verum quaerentibus nobis num aliae gentes etiam fuerint, quae eiusmodi instrumentum, fragmentum vasis fictilis, in suffragiis publicis adhibuerint, in promptu est respondere, nullum huius rei vestigium esse. Nam

1) Aristoph. Eq. 855. — Cfr. Schol. ad h. l.
2) Cfr. Aristoph. Ran. 1190. Aristot. h. an. 8. 4. p. 594.
3) Athen. p. 636d, cfr. Aristoph. Ran. 1305.

Digitized by Google

„Suffragium" neque idem significat quod ὄστρακον, neque cohaeret cum „frango".

quod efficitur ex voce latina „suffragium", quasi idem significet quod graece ὄστρακον, id prorsus falsum est. Primum enim, ne levissima quidem suspicio est, ante leges tabellarias saeculi secundi a. C. umquam Romae publica suffragia lata esse alio modo quam per vocem aut per discessionem; ante illas leges latas neque scriptura, neque calculi, nedum fragmenta fictilia, umquam Romae ad suffragia adhibita sunt, quam rem non libet argumentis confirmare, ne portam non clausam refringere videar. Deinde haud minus constat, post leges tabellarias latas Romanos numquam usos esse ὀστράκοις, neque fragmentis fictilibus, neque tabellis fictilibus, sed in electionibus eos usos esse tabellis ligneis ceratis (ξέλτοις, Plut. Cat. min. 46); in rogationibus vero tabellis (ligneis ut videtur) quibus insculptae essent literae legitimae (cfr. Ps. Asc. p. 108; Becker-Marq. Handbuch 2. 3. p. 99 n. 85 sq.). — Praeterea illa opinio, suffragium esse idem quod ὄστρακον, nempe fragmentum fictile, nulla alia re nititur nisi specie quadam similitudinis vocabulorum „suffragium" et „frango", et derivatione vocis „suffragium" qua cum verbo frangere coniungi solet; sed hoc etymon, quamvis ei quoque viri docti, ad quorum provinciam maxime ea res pertinere videtur, constanter id tueri soleant [1]), nihilominus falsum esse affirmare audeo. Primum significatione nihil commune habent eae voces. „Suffragium" enim proprio sensu est „actio qua quis suffragatur candidato alicui aut rogationi", „declaratio sententiae faventis"; quod quomodo cohaereat cum „frangere" haud facile dixeris. Inde vox „suffragium" abiit in communem significationem sententiae publice declaratae (ad eandem significationem graece pervenit vox ψῆφος, quae proprie est calculus), sive ea

1) Pro multis sufficiat laudare Vanicek Etym. Wörterb. der latein. Sprache s. v. — Cfr. quoque Soltau, Ueber Entst. u. Zusamm. der altröm. Volksversammlungen (Berlin 1880), pag. 222 n. 1: „suffragium (= die Scherbe) ist lange vor den leges tabellariae dem griechischen ὄστρακον nachgebildet" Non prorsus clarum mihi est, quid sit illud „nachgebildet". Vocem „suffragium" factam esse ut redderet *formam* vocis ὄστρακον, nemo contenderit; eam factam esse ut redderet *significationem* verbi ὄστρακον parum credibile est, cum adsit vox latina perquam idonea quae idem significet quod ὄστρακον, nempe „testa", neque revera significatio vocabulorum ὄστρακον et „suffragium" eadem sit, sed toto coelo discrepet; „suffragium" enim neque est ὄστρακον, neque tabella, sed ψῆφος.

Digitized by Google

declaratur voce, sive calculo, sive tabella; nequaquam vero suffragium est ipsum instrumentum quo voluntatem suam declarat aliquis, ipse calculus aut tabella; quid intersit, illustrari potest verbis Nepotis (Them. 8): „testularum suffragiis e civitate eiectus". — Deinde etyma verborum prorsus diversa sunt. Vox „suffragium" enim pertinet ad seriem verborum quae a „frango" longe aliena sunt, quorum sunt „suffrāgo", „suffrāgor", „refrāgor"; horum radici „frag" significatio *fulciendi* vel *nitendi* propria est [1]). Suffrago est pars cruris quo nituntur quadrupedes vel aves; refragor est contra niti; suffragor est nitendo levare vel adiuvare. Hoc verbum primum ad comitia et suffragia publica adhibitum est, cum ei qui candidatum adiuvabant ei suffragari dicerentur; cum hac voce suffragor autem cohaeret vox suffragium (quemadmodum praesidium cum praesideo, dominium cum dominor), et hinc significatio illa propria et primaria ei est quam modo dixi, quae est „declaratio sententiae faventis in comitiis". — Hac re igitur relicta, statuimus nullas gentes, praeter Athenienses eosque qui ab illis totum institutum ostracismi acceperint, in suffragiis publicis (quantum novimus) usas esse fragmentis fictilibus. Sed tamen dubium non est, quae ratio ad instrumentum tam singulare inveniendum et adhibendum adduxerit Clisthenem. Clisthenes enim quaesivit materiem scribendi, quae facillime sine ullis impensis et negotiis domi ab unoquoque parari posset, quae omnibus civibus, etiam pauperrimo cuique et ruri habitantibus semper ad usum praesto esset. In Attica autem vix ulla materies inveniri poterat quae vilior esset et latius suppeditaret quam supellex fictilis [2]); hac nemo carebat in Attica, quae ipsa fuit artis figlinae quasi nutrix [3]), et bonam argillam abunde praebuit, ut vasis fictilibus peregre importatis uti nemini opus esset. Cum autem supellex

Clisthenes instituit ut testae adhiberentur, quod eae omnibus civibus semper in promptu essent.

1) In nostra lingua ad eandem verborum seriem pertinere videtur „balk", tignum.

2) Cfr. Böckh Staath. l. p. 152: „Offenbar waren also Thongefäße sehr wohlfeil".

3) Critias apud Athen. p. 28c, Bergk fr. 1:

τὸν δὲ τροχοῦ γαίης τε καμίνου τ' ἔκγονον εὗρεν
κλεινότατον κέραμον, χρήσιμον οἰκονόμον,
ἢ τὸ καλὸν Μαραθῶνι κατασκήσασα τροπαῖον.

Cfr. Herod. 5. 88.

Digitized by Google

fictilis valde fragilis sit, vasa vero quae rimam duxerint et fragmina fictilia nulli usui sint, eam ipsam materiam elegit Clisthenes cum fragmentis fictilibus uti iuberet cives, quae cum prorsus inutilis esset tum maxime abundaret. — Fragmentorum fictilium vero Atheniensibus etiam usus aliquis fuit, cuius alibi nulla nisi fallor vestigia extant; nempe pro telis eis utebantur in rixis privatis, si alia arma non suppeditabant. Hoc telo (quo non ad *feriendum* eos usos esse cogitandum est, ut clavae vice caput aut membra frangerent adversario, id enim fieri non poterat fragmento fictili, sed ad *secandum* et tamquam cultro *vulnerandum*, cui usui aptissimum erat fragmentum quod ex ipsa fractura haberet marginem peracutum), quod facile sub veste occultari poterat, se nonnumquam armabant homines litigiosi; in duabus saltem causis quae de vi privata dictae sunt, audimus testam, qua vulnus allatum esset, ab accusatoribus arreptam esse tamquam indicium quo probarent, vim consulto (ἐκ προνοίας) illatam fuisse, cum dicerent testam tamquam telum domo allatam fuisse ab insidiatore [1]). Num hoc quoque Clistheni obversatum est, cum institueret ut testis discordias civiles dirimerent Athenienses? Si placeat, etiam „symbolum" aliquod vel imaginem in hoc instrumento inesse suspicari possis. Ecce suspicio et ira contra unum hominem praepotentem suscepta, aut invidia factionis infestae, ad summum fastigium pervenit, erupturus est furor civilis. Cives trepidi, irati, undique concurrunt; fit tumultus in foro, inimicum circumspicere videntur. Iam ad caedem et occisionem civilem res videtur spectare, nonne vides omnes armatos esse, testam omnes domo allatam gestare? Verum intercedit Lex; a vi et sanguine prohibet; iubet quemque telum occultum proferre, inscribere nomen inimici adversus quem testam sumpserit; deinde sibi testas tradi iubet, et omnibus inspectis et numeratis eum virum in decem annos de patria discedere iubet, contra quem maiorem partem *omnium* civium testam paravisse appareat. — Ita ludere licet cui placeat; sed

1) Lys. 4 § 6: ὀστράκῳ φησὶ πληγῆναι. Καίτοι φανερὸν ἤδη ἐξ ὧν εἴρηκεν, ὅτι οὐ πρόνοια γεγένηται. — Ibid § 7: οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἤλθομεν ἀδήλου ὄντος εἰ παρὰ τούτῳ εὑρήσομεν ὄστρακον ἢ οὕτως αὐτὸν ἀποκτενοῦμεν, ἀλλ' εἰκοθεν ἔχοντες ἂν ἐβαδίζομεν. — Lys. 8 § 28: λέγει δ' ὡς ἡμεῖς ἤλθομεν ἐπὶ τὴν τούτου ὄστρακον ἔχοντες, καὶ ὡς ἠπείλουν αὐτῷ ἐγὼ ἀποκτενεῖν, καὶ ὡς τοῦτό ἐστιν ἡ πρόνοια.

Digitized by Google

tutius ibit opinor qui hanc similitudinem, quam cum tumultu civili habet ostracophoria, fortuitam esse dixerit; imagines enim eiusmodi, symbolice adhibitae, non a legum latoribus consulto excogitari, sed in antiquissimorum hominum moribus sponte oriri solent. Ea ratio sola vera est quam modo dixi, nihil quod inscriptioni aptum esset magis in promptu neque facilius paratu fuisse Atheniensibus omnibus quam testas. Eatenus in Attica certe testae etiam praestabant foliis oleagineis; quamquam ea folia per se aptissima quoque sunt suffragiis ferendis, et iam antiquitus Athenienses publice eis usi sunt, in *ἐκφυλλοφορίαις*. Sucus enim foliorum ita comparatus est, ut cum ad lucem prodeat colorem mutet et pro viridi pallidum se praebeat; itaque quolibet instrumento paulo acutiore, quo tenuis membrana summum folium obtegens conteratur, eis inscribi potest quod facile possit legi. Folium oleagineum autem etiam forma apta est, habet magnitudinem fere duarum partium digiti, ita ut facile nomen modice scriptum capiat; et duritiam habet qua ad hunc usum maxime opus erat, ne in scribendo perforarentur folia, neve cum multa folia in unum congesta essent inscriptiones delerentur plicaturis et rimis. Itaque Syracusanis cum a. 454 ostracismum imitarentur, pro testis folia oleaginea adhibere placuit, unde toti rei apud eos nomen inditum est petalismo.

Quod solum superest, de quo dubitari possit, est genus scripturae et ratio inscribendi, quibus usi sint cives Athenienses in ostracophoriis. Duo modi enim esse videntur quibus testae fictili inscribi possit. Alter is est, quo aut penicillo aut calamo, tincto in atramento aut alio colore aliquo, literae pinguntur, cuiusmodi inscriptiones (quae pertinent ad titulorum genus quos nunc *dipinti* dicere solent, cfr. C. I. L. 4. p. 1—75) extant in vasis non paucis hodie in Museis asservatis, et in parietibus Pompeianis; alter vero is, quo ad inscriptiones faciendas adhibetur instrumentum acutum sive cuspis (tituli eo pertinentes dicuntur *graffiti*, C. I. L. 4 p. 76—167), qua insculpuntur literae; huiusmodi quoque inscriptiones antiquae hodie inveniuntur in vasis fictilibus non paucis [1]). Inter eos modos difficile est optionem facere. Ipsa

Testis nomina inscribebantur sculpendo aut pingendo.

1) De eis scripserunt Jahn, Berichte der Sächs. Ges. d. Wiss. 6. 1854 p. 86 sqq.,

Digitized by Google

vocabula γράφειν, ἐγγράφειν, nihil docent, nam aeque significant insculpere et pingere [1]). Uterque modus scribendi autem antiquis hominibus aeque usitatus fuisse videtur, dummodo sineret materies cui inscribebatur; in ligno tum calamo pingere solebant literas [2]), tum vero etiam cuspide vel cultro insculpebant vel incidebant [3]); quin etiam apparet, tabulas ligneas publicas ampliores ad utrumque usum aptas fuisse, eisque tum cuspide acuta, tum calamo aut penicillo fuisse antiquitus inscriptum [4]). Itaque de inscriptione testarum quoque dubium manere videtur; fieri potest ut de ea re nihil definitum fuerit lege aut moribus, et civibus copia fuerit scribendi quemadmodum ipsi mallent. Quod si forte minus verisimile videtur, utrumque modum scribendi promiscue adhibitum esse, et si alterutra ratio eligenda est, ego maxime inclino ad eam opinionem, literas *insculptas* fuisse testis; is modus scribendi enim, qui fieret cuspide ferrea sola, multo aptior et utilior fuisse videtur hominibus humilibus ac rusticis, quam ille ad quem opus erat liquore aliquo tincturae apto sive atramento, quod non adeo facile comparatu erat

---

et R. Schöne, „Ueber einige eingeritzte Inschriften griechischer Thongefäsze" (Commentat. Philol. in honorem Theodori Mommseni Berlin 1877), p. 649 sqq.

1) Cfr. Herod. 1. 203: ζῷα ἐς τὴν ἐσθῆτα ἐγγράφειν, i. e. pingere.

2) Cfr Pollux 10. 59: καλαμίδα, πυξίον. Aen. Tact. 38. 10.

3) Cfr. Justin. 3. 5. 10; Herod. 7. 239, Gell 17. 9. 17.

4) Tabulis ligneis, σανίσι (dealbatis fortasse, λευκώμασι), in quas Athenis transcribi solebant libelli accusatorum (Aristoph. Vesp. 848), literas fuisse *insculptas* tradit Photius p. 499. 18 (σανὶς ἐν ᾗ τὰς δίκας ἐνεχάραττον). Eis tabulis ligneis etiam, quae dicebantur ἄξονες (versatiles, quaternis paginis) et κύρβεις (immobiles, ternis planis quorum duobus inscriptum erat), non aliter inscriptum fuit nisi *sculpendo*; Plut. Mor. p. 779 B (οἱ ἄξονες οἷς ἔμελλε Σόλων τοὺς νόμους ἐγχαράξειν); Gell. 2. 12. 1 („leges Solonis Athenis axibus ligneis incisae sunt"). [Ἄξονας ligneos fuisse docent Harpocr. p. 31 M. s. v.; Bekker An. p. 418. 15; κύρβεις ligneos fuisse docent Cratin. ap. Plut. Sol. 25; Schol. Apoll. Arg. 4 280 (κύρβεις ξύλα λελευκωμένα); Bekker An. p. 274. 24; utrumque Etym. M. p 547. 45, Hesych. s. v. κύρβις; in tabulas vero aeneas etiam translatum esse nomen ἀξόνων ostendit Pollux 8. 128; columnis lapideis itidem interdum datum fuisse nomen κύρβεων docent Harpocr. p. 181 M. s. v., Schol. Apoll. Arg. 4. 280]. Tabulis ligneis dealbatis Romae quoque *sculpendo* inscriptum est; Hor. Epist. 2. 3. 399 („leges incidere ligno"); Porphyr. ad h. l („aeneis — tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis: in has incidebant leges. Unde adhuc Athenis legum tabulae axones vocantur"), praeterea cfr. M. Voigt, XII Tafeln, 1. p. 51 n. 2. Ab altera parte vero tabulis ligneis publicis Romae *pingendo* inscriptum nonnumquam fuisse docet legis Aciliae repet. § 14 (Bruns fontes iuris Rom. Ant. p. 56): „quos legerit, ea nomina omnia in tabula, in albo, atramento scripto, — — habeto".

Digitized by Google

cuivis. — Hoc tamen utique tenendum, literas satis amplas, conspicuas, cognitu et lectu faciles fuisse (literas autem graphio vel scalpello exaratas tales esse potuisse, modo aliqua cura adhiberetur, ostendit exemplum titulorum quos modo p. 22 n. 1 memoravi; quos plerosque esse „sorgfältig, deutlich und tief eingegraben" testatur Schoene), non vero eas fuisse ductibus gracilibus, neque sulcis ita summatim erasis, ut eos vix dignoscere et sequi posset lector nisi acie oculorum intenta, testa prope ad oculos admota. Novimus enim, civibus omnibus saepta intrantibus imperatum esse, ut testam verterent, inscriptione introrsum sive deorsum versa, ne uno obtutu nomen inscriptum legere possent senatores et si qui praeterea in saeptis adessent; inde sequitur literas ita scriptas fuisse ut e paulo remotiore loco prospici et facile legi possent. — Civibus autem, cum post acceptam procheirotoniam ostracophoria indicta esset, omne tempus necessarium suppeditabat ad rem domi accuratissime et occulte absolvendam; etiam ad opus commode instaurandum, si forte primum experimentum male succesSerat homini alicui huiusmodi labori parum adsueto, quin etiam ad vicini vel amici peritioris auxilium et fidem invocanda, plene suppeditabat otium; ita opus ad animi sententiam perfectum, et paulisper depositum, paratum aderat cum via ingredienda esset, ut tempore in forum adveniretur. Ibi si quis forte amico monstrare volebat testam quam secum habebat, vel quid inscripsisset cum aliquo communicare, Lex non interpellabat, quia ad res privatas cuiusque hoc pertinebat; sed publice nihil cognitum fieri, nihil videri, nihil apertum esse volebat Lex, id enim solum ab ea prohiberi poterat, et monebantur cives saepta intrantes, cum iam publici iuris esse inciperet testa inscripta, ne inviti patefacerent quod occultum esse deberet.

Postquam ea exposui quae de *ὀστράκων* materie et de scripturae genere ex auctoribus antiquis colligi posse visa erant, superest ut mentionem faciam de testis duabus Athenis per hos annos repertis; earum alterius effigiem nuperrime cognovi, quam xylographice adumbrandam et publicandam curavit F. Studniczka [1]). Ad eam effigiem haec adnotavit editor (p. 161): „ein

1) F. Studniczka, Antenor und die Geech. der Archaischen Malerei, in Jahrbuch des K. D. Archäologischen Instituts, 1887, p. 135—168.

Digitized by Google

zweites Ostrakon, das hier in halber Grösse wiedergegeben ist, hat sich im vorigen Sommer (1886) im Perserschutt (p. 159: der zu der kimonischen Anschüttung auf der Akropolis verwendet wurde) östlich vom Parthenon gefunden. Auf dem Bruchstück einer 0.01 dicken Vase mit nachlässiger schwarzer Malerei steht eingeritzt der Name von Perikles' Vater, dessen Verbannung man bald nach der des Aristeides ansetzt. Dass sie vor 480 stattfand, bestätigt unsere Scherbe". — Testa, quantum ex effigie efficitur, lata est fere 0.13; alta fere 0.064. Orae asperae et salebrosae; forma oblonga et quadranguli similis quidem, sed nequaquam ad quadrangulum lineata, lineis non rectis sed varie et fortuito aberrantibus, quemadmodum ex fractura fieri necesse erat. Literae insculptae hae sunt: ΧΣΑΝΘΙΠΠΟΣ / ΑΡΡΙΦΡΟΝΟΣ. Singulae literae circa 0.01 altae sunt. Dubitari non potest, quin haec sit testa olim in ipsa ostracophoria in forum delata. — Alteram testam, de qua eodem loco monuit Studniczka, iam a. 1868 delineavit et publicavit Benndorf [1]). Haec testa quoque provenit ex fragminibus in arcem Atheniensem olim congestis. Formam habet rotundam, multo minor est quam altera testa; diametros ei est fere 0.04. Inscriptum est *Μεγακλῆς* '[*Ιππο*]-*κράτους* '*Αλωπεκῆθεν*. Benndorf inter alia haec adnotavit: „Gefässzstück welches rund zugeschnitten und auf dessen schwarzen Firniss dann rundläufig eingegraben worden ist —. Eine eigens hergerichtete und dann mit dem vollen Namen eines attischen Bürgers beschriebene Scherbe kann nichts anderes als ein Ostrakon sein. — — (Es kann) kein Zweifel sein, dass das Ostrakon in die Perikleische Zeit zu setzen ist. Und wenn zugegeben werden muss, dass der Vatersname — nach der Grösse der Lücke nur '*Ερμοκράτους* oder '*Ιπποκράτους* ergänzt werden kann, so wird Niemand es für einen Zufall halten, dass ein Megakles, Sohn des Hippokrates, Onkel des Perikles war, Herod. 6. 131; Plut. Cim. 4, Alc. 1, vgl. Lys. 14. 39." — Haec testarum exempla nescio an sufficiant ad demonstrandum, alterum scripturae genus exclusum fuisse.

(*Continuabitur*).

1) Benndorf, Griech. und Sicil. Vasenbilder, p. 50 et Taf. 29 Nr. 10.

Digitized by Google

HOMERICA.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex Vol.* XV *pag.* 119).

ΣΠΙΔΕΣ ΠΕΔΙΟΝ.

Procurare monstra satius esse quam procreare atque adeo fovere hodie censent grammatici; non desunt sane neque unquam fortasse deerunt qui *mumsimus* suum ne moniti quidem abicere velint, sed parvus est eorum numerus et in dies decrescere videtur.

Aliter olim cum alibi tum Alexandriae iudicatum fuisse nota res est. Doctis aliquando et semidoctis viris, qui simul poetae sibi et aequalibus haud raro videbantur, mire placebat si quid exquisitum existimaretur; palatis illius aevi, quo aestus poeticus deferbuerat, unice addicebant quae rara essent et cara ideo haberentur. Quemadmodum postea Romae vesanus princeps nisi lusciniarum linguis vesci recusavit, et phoenicem comesurus erat si modo contigisset potiri, sic grammatici Alexandrini simplicia quaevis tanquam trita et vilia aspernabantur; *οὐκ ἀπὸ κρήνης ἔπινον*, ut satis fastidiose Callimachus dicebat, sic magnum aliquid de se praedicare sibi visus, sed ea demum in deliciis habebant quae tam antiqua essent, tam insolita, tam obscura ut a posterioris aetatis mortalibus ne intellegi quidem possent.

Digitized by Google

Rei minime dubiae et saepius observatae hic quoque exempla nonnulla liceat expromere.

Quid in pronominum formis quibusdam obsoletis, e. g. σφωίτερος, designaverint, et ab aliis est expositum et a me Mnemos. Vol. XIII pag. 408 sqq. — Neque minus famosi sunt errores quibus se implicuerunt cum vocibus correlativis vel numero duali ὁμηρικῶς uti vellent. Sed in his omnibus obtemperabant saltem certis quibusdam errandi legibus, et etiamsi insanirent cum ratione tamen aliqua eos insanivisse concedendum est; nunc vero singularia quaedam specimina selegi absurdae interpretationis, quae lectori benevolo proponam vel potius, minime enim sunt recondita, in mentem ei revocem.

Meram esse exclamationem homericum πόποι, ab attico παπαῖ nihil diversam, scire poterant veteres. At nimis simplex scilicet erat eiusmodi explicatio; itaque Dryopica potius dialectus adeunda videbatur, quam iuxta cum ceteris hominumque deumque linguis Homerus utpote μουσοτραφὴς pernosse censebatur: — ὦ πόποι iam credebatur idem valere quod ὦ θεοί, quoniam Δρύοπες πόπους τοὺς δαίμονας καλοῦσιν [1]). Ex Σκυθῶν autem ἐρημίας repetitos habes πόπους in Etymologico M.: οἱ Σκύθαι ἀγάλματά τινα ἔχοντες ὑπογαῖα τῶν θεῶν πόπους αὐτὰ καλοῦσιν. Itaque ὁμηρικῶς πάνυ Lycophron sibi et aequalibus stupentibus canere videbatur, cum talia funderet [2]):

τοίγαρ πόποι φύξηλιν ἤνδρωσαν σπόρον,

quae fortasse non inutile fuerit latinitate donasse; significant: *dii igitur foverunt profugi prolem.*

Oblocutus est Aristarchus, et invicto, qualibus uti solebat, argumento demonstravit absurdam esse illam vocis πόποι explicationem; ipsos enim deos apud Homerum saepius hac voce uti. Dixeris iamdudum compositam rem esse, nisi nuper exortus esset Homeri interpres qui talem proferret Homericae dictionis ὦ πόποι explicationem, ad quam dryopicum illud *o dii* videatur bellum atque nitidum. Scilicet aoristum aliquando extitisse ἄποπον — (quod tamen videndi verbum nemo unquam vidit).

---

1) Plutarch. de aud. poet. 6.

2) Alexandr. vs. 943. — Euphorionis simillimus locus ἐν δὲ πόποις ἵσσαντο (*inter deos consederunt*) in Apollonii lexico homerico oblivioni est ereptus.

Digitized by Google

Huius aoristi optativum fuisse *ὠπόποι* — (quamquam addere neglexit qui factum sit igitur ut optativus ille servaret augmentum). Mente autem supplendum esse *τις* — (quod tamen pronomen numquam omitti neque omitti posse quis nescit?). Significare igitur *videat aliquis*, „sehe einer". — *Ὦ πόποι, ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα γαῖαν ἱκάνει*, magnum malum literarum reip. instat, si talia suos iam laudatores inveniant. Videat aliquis, videant omnes quibus Homerus et tota antiquitas cordi est, ne quid detrimenti capiat ex imperitorum hominum conaminibus.

Sed ab recentibus istis sive iocis sive nugis redeamus ad Alexandrinorum errores. Aliquando [1]) probare studui, mero vitio deberi adiectivum *μυνδός*, quo Sophocles usus esse creditur propter Etym. M. p. 595 *μυνδὸς ἰχθὺς Σοφοκλῆς ὁ μὴ αὐδῶν*, — corruptum enim esse MῩΔΟΣ ex ΑΑΤΔΟΣ, *ἄναυδος*, quod piscium epitheton est bene notum in lingua tragica; conferatur Aeschyl. Pers. 577:

σκύλλονται πρὸς ἀναύδων | παίδων τῆς ἀμιάντου,

et fragm. 297 *ἀστένακτος θύννος ὡς ἀνέσχετο | ἄναυδος* apud Athenaeum (ubi codex exhibet *ἂν λυδος*).

Quod si iure statui, non est dubium quomodo sit iudicandum de Lycophronis versu quodam (1375), ubi Agamemno

ἐν ἀμφιβλήστροις, ἕλλοπος μυνδοῦ δίκην,

periisse dicitur, id est *ceu mutus piscis*, *ἰχθύος ἀναύδου δίκην*.

Quid vero dicemus de Callimachi pentametro, quem Ernestius (fr. 260) ex Et. Gudiano p. 380, 20 eruit collato Stephano Byz. s. v. *Βάλδος*, cuius quot verba tot sunt errores:

πουλὺ θαλασσαίων μυνδότεροι νεπόδων.

In his *πουλὺ* pro *πολλὸν* non est Homericum, non est Graecum; *πολτός* enim aut in *πολλός πολλόν* abit aut abiecta radicis litera finali in *πολύς πολύ* decurtatur, sed *πουλύς* nunquam extitit. Nam quod in compositis quibusdam *πουλύποδος πουλυβότειρα Πουλυδάμας* producitur syllaba initialis, id metri tantummodo causa fit, ut in *ἀθάνατος ἠνεμόεις ἐπίτονος τειαρινός ὠλεσίκαρπος* et multis aliis; quapropter rectius nec sine codicum auxilio

1) De Sophoclis Aiace pag. 166.

Digitized by Google

scripseris πολύποδος et πολυβότειρα et Πολυδάμας. Pro vitiosis ergo formis πουλύς πουλύν πουλύ, quae hic illic in Homericis comparent, procul dubio legendum est πολλός et πολλόν [1]). Et si cui nondum satis persuasum est, conferat versum δ 709 et assentiri fortasse non amplius recusabit:

οὐδέ τί μιν χρὴ
νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν', αἵ θ' ἅλὸς ἵππoι
ἀνδράσι γίγνονται, περάουσι δὲ πουλὺν ἐφ' ὑγρήν.

In quibus verbis πουλὺν, masculini igitur generis adiectivum, cum ὑγρήν est iungendum invita grammatica: rescribe πολλὸν et salva erit, tunc enim πολλὸν erit neutrum adiectivi, adverbii loco ut alibi passim a poeta adhibitum. Prorsus idem valet de κ 27.

Vitiosum igitur in Callimachi versiculo est πουλὺ pro πολλὸν, neque scribis hic error, ut in Homericis, tribui potest, metro enim est stabilitus [2]). Nihilo autem melioris notae et plane inauditum est θαλασσαῖος pro θαλάσσιος. De μυνδοτέροις piscibus quid sit statuendum vidimus. Eiusdem denique farinae est ultimum versiculi vocabulum νεπόδων. Hoc quoque monstrum uni debetur loco Homerico (δ 404), ubi Protei greges appellantur Φῶκαι νέποδες καλῆς Ἁλοσύδνης. Obscurum autem hoc vocabulum quid significet minime certum est. Equidem cum Apione (apud Apollonium in lexico) verterim *pedibus carentes*, quod non ad amussim quidem verum est si zoologi oculis inspicias phocae sceletum, — quod nimis diu fecerat opinor Oppianus cum phocam induceret σκύμνους ἀγκὰς ἔχουσαν [3]), — sed aptissimum tamen est epitheton ad depingendam phocam dum apricatur in litoris arenis proiectam. Sin quis de *nandi*

1) πουλύς θ 109 Theognidis 509 (= 211).
πουλύν Ε 776 Θ 50, 472 Κ 27, 517 δ 709 ρ 67 Hes. Theogon. 190.
πουλύ τ 387.

2) Saepius recurrunt πουλύς -ύν -ύ in Callimachi et Apollonii Rhodii carminibus. Notavi:
Callim. h. Del. 18, Iov. 81, 88, Apoll. 70, Dian. 55, 168, Lavacr. Pallad. 58, fragm. 103, 121, 260.
Apollon. II 351, 902, 479, 944, III 211, IV 276.
Recentem originem produnt verba πουλὺ χερειοτέρη Incert. Lyric. 2 Bergk, πουλὺ χερειότερον Eueni fr. 5.

3) Halieut. I 692. Similia deliramenta complura contulit Lehrs de Aristarch.[2] p. 161.

Digitized by Google

potius verbo cum Apollonio cogitaverit, nolim digladiari, talia enim ad liquidum perduci posse despero. Id unum satis apparet opinor, parum circumspecte agere qui obscurum hoc adiectivum — nam adiectivum esse ex forma vocabuli manifesto apparet — substantivi loco adhibeat de quibuslibet maris incolis, quod in versu supra allato fecit Callimachus. Quem tamen longe vincit Theocritus, qui εἰνάλια κήτεα evexit ad deos, vel ut ipse fortasse dicturus erat ἐν πόποις ἔσσεν; Lagidis enim ut suppalparetur ἀθανάτων νέποδας eos appellavit Idyll. XVII 25:

ἀθάνατοι δὲ καλεῦνται, ἐοὶ νέποδες γεγαῶτες.

Deorum sobolem dicere volebat scilicet [1]).

Talia ridere quid vetat? Excusare vero atque adeo defendere, id nefas videtur. Quod tamen viros nonnullos doctos fecisse video collato latino vocabulo *nepotes*, necdum deposita est illa opinio, nisi fallor. Numquid igitur defensuri sunt etiam hominis sero nati, monachi puta, inventum, qui in Hymni Apollinis versu 78 ἕκαστά τε φῦλα νεπούδων scripsit, cum plane aliud dedisset poeta, ut probatiores libri testantur? Vel propius enim illud νεπούδων accedit ad latinos *nepotes*.

Etiam καλὴν illam Ἀλσσύδνην Alexandrini, ut Polyphemus Galateam, nescio qua petulantia missam facere noluerunt. Quod vocabulum binis locis Homericis obvium [2]) unde natum sit hodie vix minus obscurum arbitror quam Callimachi tempore, sed facile fero et interpretari id tum demum conabor cum cetera nomina propria quae in Homero occurrunt probabiliter explicata fuerint omnia, non igitur ea ratione qua Ἀχιλεύς ab ἀν- et χεῖλος derivatur [3]) vel Πρίαμος a πρίειν et ἄμμος. — Cum radice vocabuli ἀλδς cohaerere Ἀλσσύδνην satis credibile

---

1) Ne nimius fiam, non nisi breviter indicabo simillimos locos:
Apoll. Rhod. IV 1744 τοῖς νεπόδεσσιν ἑτοίμη *tuis filiis parata.*
Callimach. fr. 77 ὁ Κεῖος Τλλίχου νέπους id est *Simonides Ceus.*
Scilicet τὸ „ἀπόγονοι", i. e. νέπους sensu *prolis* adhibitum, παράκρουσμά ἐστι τῶν νεωτέρων ποιητῶν, ut Apollonius sophista in lexico loquitur.

2) Υ 207 δ 404.

3) παρὰ τὸ μὴ διιγεῖν χείλεσι θήλης, ὕλως γὰρ οὐ μετέσχε γάλακτος, Schol. A l. — Nuper a viro d. Forchhammer in libro *Erklärung der Ilias* ita recocta est haec etymologia, ut fluvium ripis carentem, id est alveum suum excedentem, significare nomen Achillis contenderet; — si tamen serio nec in sinu ridens haec et similia bene multa protulit senex venerabilis, Cratylum Platonicum aemulatus.

Digitized by Google

videtur, sed ultimarum syllabarum origo est incerta. Quapropter supra quam dici potest ieiunum est inventum Callimachi, qui ἄλλως ὀνομάσαι θελήσας, — ne de fonte scilicet bibisse videretur — Ὑδατοσύδνην ἔλεγε μεταποιήσας, ut refert Eustathius pag. 1204, 4. Nisi autem magnopere fallor, ex eodem puteo lutulento haustum est *Hydnae* nomen, quod filiae Scylliae Scionei, urinatoris notissimi, inditum reperitur apud Athenaeum VII p. 296 *e*.

Simillimum Apollonii Rhodii errorem subiungere liceat IV 891:

νῆα δ' ἐυκραὴς ἄνεμος φέρεν.

Nempe in Homero suo legerat ἀκραῇ ζεφύρου β 421, ἀνέμῳ ἀκραέι καλῷ ξ 253, 299; sed parum perspexerat ex ἄκρος et ἄημι illud adiectivum esse compositum. Itaque cum ἄκρατος confundens aut de κραίνειν somnians veterem poetam eleganter admodum imitari et aemulari sibi videbatur novum fingendo adiectivum ἐυ-κραής. Quid quod parum abfuit quin eius inventum in ipsum textum homericum irreperet; legitur enim εὐκραέι in nonnullis codicibus ξ 299, Eustathius autem variam lectionem εὐκραῇ commemorat ad β 421, et ξ 253 ἀκραέι interpretatur μὴ κεκραμένῳ.

Et quoniam Eustathium ad partes vocavimus, — quid dicas de huius observatione ad Θ 448, quae repetitur ad μ 362 necnon extat in Crameri Anecd. Parisin. III 42. Homeri versu Iupiter sic subridens alloquitur Iunonem et Minervam, quae illo iubente ex proelio redierunt invitae:

οὐ μέν θην κάμετόν γε;

non defessae estis opinor? — Ad haec igitur verba Eustathius: „extare alteram lectionem subobscuram (ὑποδύσκολον):

οὐ μέν τον κάμετόν γε,

„encliticam enim τον idem valere quod τοι, et Argivorum „Cretensiumque linguis propriam esse." — Quam docte haec videntur observata esse et digna quae hodiernae doctrinae luce illustrentur: accuratius inspice, mera deliramenta esse intelleges quae neminem sani iudicii retinere debeant. Non de quaestione sitne μέν θην an μέν τον scribendum egerat is cuius scrinia ab Eustathio expilantur, sed in vocabulo statim subiuncto versabatur vetusta controversia, de qua ne nunc quidem satis con-

Digitized by Google

venit inter viros doctos [1]), utrum κάμετον praestet an καμέτην — hoc Zenodotus dabat, illud praeferebat Aristarchus. Reddamus igitur bono episcopo novam encliticam quam non Argolis protulit aut Creta sed semisopitum cerebrum compilatoris.

Mitto nunc στήτην illam (A 6), quae satis iam, ut Hegelochi olim mustela, agitata videtur; requiescere sinamus misellam εὖ κειμένην. Neque Callistrati οὔδαλα (ρ 455) e situ tollam, aut acta agere conabor post Cobetum de voce κρήγυον disputando [2]). Haec vero quae monui ideo protuli ut viam mihi munirem ad impugnandum portentum quod extat Λ 754:

τόφρα γὰρ οὖν ἑπόμεσθα διὰ σπιδέος πεδίοιο.

Quid sit σπιδὲς illud πεδίον facilius roges quam explices, ita ut fere suspicer Curtium virum doctum non serio sed per iocum cum verbi πένεσθαι radice id composuisse, quo indicaret ad inopiam vere redactum se sentire grammaticum de mirifico hoc vocabulo interrogatum: ἦ μὲν γὰρ πόνος ἐστὶ legere vocem quam intellegere nequeas. Idem quod μέγα significare σπιδὲς docet nos lexicon Hesychii, et alios idem censuisse non nescimus, sed causas idoneas suae opinionis protulerunt nullas; et quamquam confidenter admodum in Scholiis declarat Didymus κἀγὼ συγκατατίθεμαι τοῖς ἀνδράσιν, ὁρῶ γὰρ πολλὴν τὴν τοιαύτην χρῆσιν παρὰ τοῖς παλαιοῖς, non nimis tamen apertae aut probabiles fuisse videntur causae quibus se motum praedicat, certe alios viros doctos, in quibus fuit Aristarchus, non retinuerunt quominus saniorem quaererent sensum literas aliter dividendo. Hi igitur legebant δι' ἀσπιδέος πεδίοιο, et id pro περιφεροῦς accipiebant: — rotundam scilicet videri circumspectantibus planitiem magnam, cuius fines nulla ex parte cerni possint. O lepidum inventum; hoc demum est sapere, hoc est miscere quadrata rotundis! Venusta quoque est Ptolemaei Ascalonitae explicatio: πεδίον πολλὰς ἀσπίδας ἔχον, — quae tamen nonnullis fortasse ideo minus placebit quod crocodilo quam campo aptius videatur epitheton [3]); praeterea quaeri possit quam recte adiectivum

1) Vid. Curtii de Verbo Graeco liber I 80.

2) Vid. Mnemos. anni 1879 pag. 31 sqq.

3) Ptolemaei menti cum sic interpretaretur versum obversati esse videntur loci Λ 534 Υ 499 ἵπποι | 'στεῖβον ὁμοῦ νέκυάς τε καὶ ἀσπίδας.

Digitized by Google

ἀσπιδής sit formatum, nisi forte placeat nostra facere verba Herodiani quae ad B 316 leguntur: ἐπειδὴ οὕτω δοκεῖ τῷ Ἀριστάρχῳ, πειθώμεθα αὐτῷ ὡς πάνυ ἀρίστῳ γραμματικῷ, — et κορυθής igitur κνημιδής θωρακής etc., licet nusquam iam compareant, optima tamen fuisse adiectiva statuere velimus, quum ille sic censuisse videatur. Quin etiam novum verbum σπίζειν, quod significare ἐκτείνειν Eustathius copiose mehercule et erudite nos docet [1]), grati ab eo accipiamus, siquidem in veterum testimoniis acquiescendum videtur!

Vides lector benevole, densam eruditionis nubem a viris doctis huic vocabulo praetensam esse, κοὐδέπω τὸ πᾶν φέρω, nam Aeschylus quoque (fr. 334 Dindorf.) et Antimachus Colophonius ad partes vocari poterant. Sed vel sic satis apparet quam venerabile censeatur hoc adiectivum, sive ἀσπιδές fuit sive σπιδές, vetustatis aerugine obductum et seculorum pulvere nobilitatum. Quapropter vereor ne multi nefas ducant unicum hoc quod hodie superesse videtur speciei extinctae exemplar abiecisse. Dicam tamen quod verum arbitror: σπιδὲς illud πεδίον vicinum fuit τῷ Ἰληίῳ πεδίῳ quod Φ/58 commemoratur, de quo, si va- /5
cat, videas velim quae Vol. XV pag. 97 sunt observata; utrumque autem nisi in Utopia inveniri non poterit. Scripserat poeta:

τόφρα γὰρ οὖν ἐπόμεσθα ὑπασπίδιοι πεδίοιο,

quemadmodum N 158 legimus:

κοῦφα ποσὶ προβιβὰς καὶ ὑπασπίδια προποδίζων,

et sub finem eiusdem libri, vs. 807:

εἴ πώς τοι τείξειαν ὑπασπίδια προβιβάντι,

et Π 609:

ἔτλητο γὰρ τεύξεσθαι ὑπασπίδια προβιβάντος.

Errorem peperit genitivus πεδίοιο more Homerico iunctus verbo movendi. Cuius structurae exempla pauca e multis apponam, quamquam talia Homeri studiosis in mentem revocasse supervacuum fere videtur: B 785 μάλα δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο, Z 2 ἴθυσε μάχη πεδίοιο, Z 38 ἀτυζομένῳ πεδίοιο, Ξ 147 ἐπεσσύμενος πεδίοιο, N 820 κονίοντες πεδίοιο, Ψ 475 πολέος πεδίοιο δίεντα. Qualibus locis appingi solet: λείπει ἡ διά.

At fortasse obiciat aliquis, nimis simplicem esse emendatio-

1) Ad hunc locum et pag. 996, 22 ad Ξ 428.

Digitized by Google

nem; nimis perspicuam lectionem supra propositam, quam ut monstrum quod codices exhibent inde gigni potuerit. Certe ipsum me hac de causa aliquamdiu coniecturam addubitasse fateor. Vix tamen ullius momenti id esse argumentum demonstrari posse videtur; adiectivum enim rarissimum ὑπασπίδιος, quod nobis bene notum est, olim non tam clarum erat omnibus et perspicuum. Immo in versu modo allato N 158 antiquissimus omnium testis, papyrus Parisiensis, non ὑπασπίδια praebet sed ὑποσπίδια, prima igitur radicis ἀσπιδ litera ibi quoque avulsa est; alii ὑπ' ἀσπίδα scribebant metro invito, et vitio igitur viam late patuisse apparet.

Non per *longam* igitur neque per *rotundam* planitiem neque per campum *clipeis obsitum* hostem persecuti sunt milites Pylii, sed *clipeis suis bene tecti*, ne in media quidem victoria temere discurrentes sed bene conglobati et ab hostium telis caventes, ut decebat copias quibus praeesset Nestor, dux prudens et artis bellicae peritissimus.

ΚΩΦΟΝ ΒΕΛΟΣ ΑΝΔΡΟΣ ΑΝΑΛΚΙΔΟΣ.

Priami fuerint quae fata, ne pueros quidem nescire sinit Vergilii descriptio. Dum irruunt Myrmidones, arma diu desueta circumdat nequicquam humeris et inutile ferrum cingitur, coniuge frustra „non tali auxilio" clamitante; mox telum imbelle sine ictu conicit in Pyrrhum, sed huius impetum ne cohibet quidem et gladio ab eo confoditur.

Talem ex Homero suo poeta Romanus norat senem grandaevum, γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένον, ἀλλ' ἀγορητὴν ἐσθλόν: — non viribus valentem sed auctoritate, prudentem simul et mitem, in conciliis nemini secundum sed a bello propter aetatem dudum remotum, qui intra moenia se continet dum flagrat pugna, nec nisi ad foedus feriendum foras progreditur.

Itaque vix ullum in Homeri lingua epitheton invenias minus aptum ad imbellem hunc hominem omniumque lenissimum depingendum, quam est ἐυμμελίης, *hastam torquere peritus*. Quod tamen extat in versibus illis grandisonis, qui etiamnunc legen-

Digitized by Google

tem nescio qua tristitia implent et sacro quodam horrore percutiunt, tota enim vitae terrestris inest tragoedia:

εὖ γὰρ ἐγὼ τόδε τοῖδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἰρὴ
καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο.

Absurdum profecto esset et vere nefarium, de insiticiis versibus hic cogitare. Praeclari vatis sunt verba; unus ille poeta, quo maiorem non tulit Graecia, qui Hectoris cum Andromache colloquium cecinit, tales versus pangere potuit. Itaque removendae sunt procul dubio quae insunt sequioris aetatis sordes, nempe illud ὅτ' ἄν pro ὅτε κεν et genitivus in -ω pro -ο. Illud quomodo tolli possit vidimus Vol. XV p. 104, hoc vero vitium qua ratione sit eximendum lectori minime iam incertum videri arbitror. Non dixerat Hector quod dixisse fertur: *peritura est urbs et Priamus et copiae Priami bellatoris*, sed ipsis copiis reddenda sunt arma. Scribamus:

εὖ γὰρ ἐγὼ τόδε τοῖδα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ἦμαρ ἔσεσθ' ὅτε κέν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἰρὴ
καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίης Πριάμοιο.

Hac igitur correctione indiget Z 449, nec non versus ad hunc locum expressi Δ 47 et 165. Egregie favet emendationi P 9:

οὐδ' ἄρα Πανθόου υἱὸς ἐυμμελίης ἀμέλησε
Πατρόκλοιο πεσόντος κτέ.

ΜΕΓ' ΕΞΙΔΕΝ.

T 340 sqq.:

ὣς τειπὼν 'λίπεν αὐτόθ', ἑπεὶ διεπέφραδε πάντα.
αἶψα δ' ἔπειτ' Ἀχιλῆος ἀπ' ὀφθαλμῶν 'σκέδασ' ἀχλὺν
θεσπεσίην· ὃ δ' ἔπειτα μέγ' ἔξιδεν ὀφθαλμοῖσι,
ὀχθήσας δ' ἄρ' ἔτειπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν·
ὢ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι·
ἔγχος μὲν τόδε κεῖται ἐπὶ χθονὸς, οὐδέ τι φῶτα
λεύσσω τῷ ἐφέηκα κατακτάμεναι μενεαίνων.

In his versibus unum grave est mendum, et leviuscula complura. Primo versu desideratur personae indicatio, *Aeneae* nimirum, quem Neptunus ex acie eripuit ne ab Achille trucidaretur. Scribamus igitur ὣς τειπών <ῥ'> ἔλιπ' αὐτόθ' (αὖθι).

Digitized by Google

In ultimo quoque versu deest obiectum, quod verbo ἐφίημι ceteris locis excepto E 206 additur omnibus (Λ 51 Φ 170 etc.). Scribendum igitur videtur τῷ <ῥ'> ἐφέηκα, nempe τὸ ἔγχος. Conf. quae vol. XIII pag. 200 sq. ad Δ 315 observavimus.

Praeterea in versu formulario 343 (= Λ 403 etc.) legitur ὅν pro ῥόν; cui malo aut aliter ordinando verba (ῥεῖπε δ' ἄρ' ὀχθήσας) succurri potest aut scribendo ποτὶ pro πρὸς ὅν. Hoc verum duco.

Denique haud scio an vs. 345 μὲν ex μοι sit corruptum; conf. α 185:

νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκεν ἐπ' ἀγροῦ.

Haec vero exigui sunt momenti ad illud quod tollendum restat vitium. Achilles, cuius oculis deus per temporis breve spatium caliginem offudit, recuperata videndi facultate hastam suam, qua modo Aeneae clipeum perruperat, prope se iacentem conspicit; evulsam scilicet e clipeo Neptunus in ripam proiecerat. Miratur heros et

ἔπειτα μέγ' ἔξιδεν ὀφθαλμοῖσι,

quae vocabula sunt sine sensu, et ne proba quidem vocabula, nam ἐξιδεῖν non extat; *videndi* autem verbo iungi non posse μέγα vix quisquam negabit. Simplicissima tamen ni fallor latet sententia, vel potius tralucet. Quid enim oculis suis adspicit Achilles? HASTAM opinor, et dixerat hoc poeta:

ἔπειτ' ἔγχος ῥίδεν ὀφθαλμοῖσι.

Literae igitur ΕΠΕΙΤΑΕΓΧ.ΣΙΔΕΝ
imperite sic sunt interpolatae:

ΕΠΕΙΤΑμΕΓεΧΣΙΔΕΝ.

Satis antiquum autem esse debet mendum, quoniam ex Attica scribendi ratione vetusta ΧΣ = Ξ (ἔχσιδεν - ἔξιδεν) ortum esse apparet.

Iam locum rescribamus, aliquanto ut spero politiorem factum:

ὣς ῥειπὼν ῥ' ἔλιπ' αὖθι, ἐπεὶ διεπέφραδε πάντα.
αἶψα δ' ἔπειτ' Ἀχιλῆος ἀπ' ὀφθαλμῶν σκέδασ' ἀχλὺν
θεσπεσίην· ὃ δ' ἔπειτ' ἔγχος ῥίδεν ὀφθαλμοῖσι,
ὀχθήσας δ' ἄρ' ἔειπε ποτὶ μεγαλήτορα θυμόν·
ὢ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι·
ἔγχος μοι τόδε κεῖται ἐπὶ χθονὸς, οὐδέ τι φῶτα
λεύσσω τῷ ῥ' ἐφέηκα κατακτάμεναι μενεαίνων.

Digitized by Google

ΠΟΝΟΣ ΚΑΙ ΑΝΙΗ.

Notissimus est versus B 291. Ulyxes Achaeos dum reditum moliuntur a proposito deducere conatur. Graviter eos increpat qui *veluti mulierculae et pueri imbelles domum redire gestiant*:

ὣς τε γὰρ ἢ παῖδες νεαροὶ χῆραί τε γυναῖκες
ἀλλήλοισιν ὀδύρονται νοϊκόνδε νέεσθαι.

Deinde vero, quo auditorum sibi mentes conciliet, ultro concedit aliquatenus iis ignoscendum esse ad suos reverti cupientibus:

ἦ μὲν καὶ πόνος ἐστὶν ἀνιηθέντα νέεσθαι,

vel unum enim mensem si quis procul ab uxore per mare circumvagatur, moesto est animo;

ἡμῖν δ' ἔννατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς
ἐνθάδε μιμνόντεσσι.

Ingeniosa coniectura huic loco subvenit vir d. Mehler[1]); qui cum persentiret opposita sibi esse verba νοϊκόνδε νέεσθαι et corrupta illa ἀνιηθέντα νέεσθαι, elegantер emendavit ἀνιηθέντ' ἀνέχεσθαι. At sic nondum ex omnibus difficultatibus emersimus, immo novae oriri videntur; participio enim aoristi iam vix locus est, pro quo praesens potius requiritur. Sic δ 595 legimus:

καὶ γάρ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἐγὼ παρὰ σοὶ γ' ἀνεχοίμην
ἧμενος,

et π 277:

σὺ δ' εἰσοράων ἀνέχεσθαι.

Neque vero singularem sed pluralem potius numerum suadent vicina, et ἀνιωμένους igitur melius quam ἀνιηθέντα in sententiam quadrare dixeris. Quod autem gravius etiam videtur, deest vocabulum quod opponatur voci νοϊκόνδε, in quam tamen totum sententiae pondus incumbere iure dixeris; nam non id ante omnia agitur molestiasne velint perferre Achaei an nolint, sed utrum *domum* sint redituri an *in Troia* diutius etiam mansuri. Illud autem vocabulum, quo aegre caremus, in vicino versu 296 legitur et hic restituendum arbitror: — in ἀνιηθέντα latet ἀνίη τ' ἔνθα. Rescribamus igitur:

ἦ μὲν καὶ πόνος ἐστὶν ἀνίη τ' ἔνθ' ἀνέχεσθαι.

---

1) Vid. Mnemos. anni 1878 p. 388.

Digitized by Google

Voce autem *ἀνίη* poeta etiam υ 52 utitur loco simillimo:

ἀνίη καὶ τὸ φυλάσσειν
πάννυχον ἐγρήσσοντα,

et cum *πόνος* coniuncta reperitur η 192:

ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης
πομπῇ ὑφ' ἡμετέρῃ τὴν πατρίδα γαῖαν ἵκηται.

Verbum denique *ἀνέχεσθαι* absolute est positum ut in decantatis illis *τέτλαθι δὴ καὶ ἀνάσχεο.*

Hoc igitur dicit orator: *Non sane negaverim durum et molestum esse hic in Troade obdurare; nam vel post unum mensem desiderare quis solet suam uxorem, nos autem per nonum annum patria caremus. At tamen τλῆτε φίλοι — deus dabit his quoque finem.*

Ne paginae pars vacet, corollarii loco pauca monere liceat de P 158: *ὅς τ' ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσι* etc. — Adscripta est diple, quae nimis breviter sic in margine explicatur: *ὅτι ὃ κε περισσός, ἢ ὑφ' ἓν κεκάμῃσι.* De Aristonici his verbis vir d. La Roche (Hom. Textkritik p. 295) sic scribit: „es besteht hier nur eine Differenz zwischen der Aristarchischen Schreibweise *κε κάμῃσι* und *κεκάμῃσι*, denn der Conjunctif kann auch ohne *κε* stehen". Atqui Aristarchus non quaecunque sine vitio omitti possent *περισσά* vocabat — sic enim singuli fere versus opinor suam sibi appictam habuissent diplen — sed ea tantum quae abesse mallet; neque igitur abundare particulam *κε* hoc loco monere poterat nisi pro *ἄρ* inveniret *ἄν*. Itaque hanc extitisse olim lectionem apparet: *ὅς τ' ἐπεὶ ἄν κε κάμῃσι.* Non tamen probabilis ea nobis videri potest, neque poterat Aristarcho, qui A 168 *ἐπεί κε κάμω* daret pro *ἐπήν κε κάμω* vel *ἐπὴν κεκάμω*, et H 5 non *ἐπήν κε κάμωσι* vel *ἐπὴν κεκάμωσι* scriberet sed *ἐπεί κε κάμωσι*. Immo vulgata optima est debuitque ei videri; et optime ab Herwerdeno correctum esse *ἄρ κεν* pro *ἄν κεν* N 127, melius etiam elucet si hunc locum apponas; praeterea conferri poterunt quae disputavi pag. 77 praecedentis voluminis. Utrum tamen Aristarchus *ediderit ἄρ* P 658 an toleraverit in textu particulam *ἄν*, ex Aristonici verbis mutilatis vix videtur effici posse.

Digitized by Google

DE TIBULLI ELEGIARUM STRUCTURA.

SCRIPSIT

H. T. KARSTEN.

Pars tertia.

LIBER II.

Elegia I.

Brevis esse poterit disputatio de structura elegiae praestantissimae.

Tibullus composuit hoc carmen cum exsolutus esset amore Deliae necdum novis laqueis irretitus per Nemesim, et cum compos factus esset voti, quod saepe ediderat, ut ruri beatus viveret. Instabat autem verno tempore lustratio praedioli, prima, ut credo, ex quo in villam erat profectus. In hac igitur ceremonia cum animus poetae, aliis liber curis, defixus haereret, orta est elegia, quae primum sacrorum praeparationem, ipsam pompam, preces, extispicia nobis repraesentat, dein vitae ruralis deorumque rusticorum beneficia ac munera celebrat, denique per parentheses, quas novimus amare poetam nostrum, alia quoque immiscet, quae, licet cum solemni festo non omnino cohaererent, tamen tantas partes agerent in vita Tibulli — Messalae amicitiam et puellarum amores — ut meditanti et modulanti poetae eorum mentio ultro subnasceretur.

Constat carmen ex his partibus:

Vs. 1—30 describuntur ambarvalia. Indicitur sacrum 1 sq.,

Digitized by Google

dantur praecepta necessario observanda iis, qui interesse velint: sint otiosi, sint casti 5—14. Advocantur Bacchus et Ceres ut aspiciant pompam et festivam turbam 15 sq. [1]). Funduntur preces non solum his, sed etiam aliis diis patriis, agrorum custodibus, nimirum Laribus et Termino, 13 sq. cll. 1. 1. 19 sq., ac Pali, v. 20 cll. 1. 1. 33 sqq. 2. 5. 87 sq., qui si precibus annuerint, spondet fore, ut sub messim denuo solemnes epulae instituantur v. 21—24 [2]). Dum hae preces fiunt, interim extispicia esse habita apparet e v. 25 sq. *eventura precor: viden ut felicibus extis significet placidos nuntia fibra deos.* Cum igitur exta bonam messim ominentur, iam nunc vinum iubet proferri largiterque hauriri v. 27—30.

Haec autem libatio opportunitatem dedit poetae, ut honoraret amicum suum et patronum Messalam in excursione quae, ut ab initio non inepte subnexa est deorum libationi, ita in fine laudabili artificio iuncta est cum carmine laudatorio quod sequitur, hunc in modum: *vina diem celebrent ... sed* (h. e. sed bibere

---

1) Horum numinum invocationem, quae legitur vulgo in v. 2 sq., transponendam esse inter v. 14 et 15 infra demonstrabo.

2) In vss. *tunc nitidus plenis confisus rusticus agris*
ingeret ardenti grandia ligna foco,
turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
ludet et ex virgis exstruet ante casas.

Heinsius et Scaliger pro *agris* correxerunt *horreis* vel *areis*, ut descriptionem accommodarent ludis notissimis post messim in area collectam et in horreis conditam celebratis. Et in synizesi *areis horreis* fortasse potest acquiesci propter exemplum in v. 49 *alveo*, quamquam hoc unicum est in Tibullo. Sed multo hic rectius locus intelligitur de sacro facto paulo ante messim, cuius memoriam servavit Vergilius Georg. 1. 347 *et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante falcem maturis quisquam supponat aristis, quam Cereri torta redimitus tempora quercu det motus incompositos et carmina dicat.* et Cato r. r. 134 *priusquam messim facies porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet.* cf. Gellius 4. 6,

Quamquam autem in his vss. nihil diserte declaratur de sacro faciendo, tamen *grandia ligna* foco ingesta indicant magnas epulas praeparari turbae agrestium in deorum honorem celebrandas, ut ait Ovidius. F. 6. 305

ante focos olim longis considere scamnis
mos erat; et mensae credere adesse deos.

Sed ut erat media aestas, non epulabantur ante focos, verum in agris sub casis frondeis, quales commemorantur infra 5. 97 et Ovid. F. 3. 527 in feriis Annae Perennae, et apud Paulum p. 877 in Neptunalibus.

Denique vs. 23 apte illustravit Heynius ex Calpurnii ecl. 4. 135 *ille dat ... ut quoque turba bono plaudat saginata magistro, qui facit egregios ad pervia compita ludos.*

Digitized by Google

non licet nisi hac condicione ut) *„bene Messalam" sua quisque ad pocula dicat, nomen et absentis singula verba sonent:* tum ipsum quasi numen invitat: *celeber Messala ... huc ades adspiraque mihi, dum carmine nostro redditur agricolis gratia caelitibus.* Tum statim carmen incipitur. v. 31—37.

V. 37—68. Altera pars carminis continet encomium ruris deorumque rusticorum. In hac parte observandum est Tibullum utrorumque laudes non meditata ratione et prudenti iudicio persecutum esse, sed ea, quam novimus, negligentia, rerum ordinem miscuisse et sententiarum constructionem grammaticam licenter mutasse. Quod equidem non is sum qui vituperem, sed illorum causa hoc adnoto, qui in primo elegiarum libro multa similia reprehenderunt et frustra correxerunt.

Negligentiae autem exempla haec habes:

In v. 37—70 narratur quomodo omnes artes, quibus hominum vita a feritate ad mansuetudinem est traducta, ruri olim diis magistris natae et inventae sint. Haec autem narratio, ut par est, pertexitur ea verbi forma quae appellatur perfectum historicum, inde a verbis *desuevit*, *docuere* usque ad *exercuit* v. 69. Sed in media rerum peractarum expositione leguntur duo disticha, quae commemorant quid nunc etiam quotannis rura ferre soleant, idque, ut consentaneum est, tempore praesenti: *ferunt*, *deponit*, *ingerunt* v. 47—50. Igitur miror paene neminem fuisse, qui hanc rerum et constructionum differentiam reprehenderet, eorum scilicet, qui simili de causa in l.l. 14—22 nihil non temptarunt, neminemque commendasse, ut hi versus transponerentur exempli gratia inter v. 36 et 37, ubi ferri posse videntur. At ego quidem hoc minime suadeo, nam expertus novi, idque iamdudum lectoribus persuadere conatus sum, hanc inconstantiam esse vere Tibullianam, neque alia desunt in his ipsis versibus, quae hoc confirmant. Sic in vss. 59—62, qui omnibus fibris cohaerent, post perfectum *fecit* habemus praesentia *gerit est*. Et si quis quaerat, cur in v. 45 sqq. uva et vinum referantur inter prisca hominum inventa, sed mel et frumenta inter annuos agrorum reditus, nulla causa proferri poterit, nisi eadem licentia poetae.

V. 69—80. Tertia pars carminis continetur digressione de fraudibus et acerbitate Cupidinis, ad quam viam sibi stravit eo,

Digitized by Google

quod inter res ruri natas paulo ante amorem quoque rettulit. Hanc autem digressionem (quae est in deliciis Tibulli, cf. loci a me citati in Vol. XV p. 222 annot.) ut argumento accommodaret elegiae, fucavit rustico colore in primis versibus 69—72, qui non sine studio quaesiti et idcirco minus elegantes sunt, quam quae sequuntur disticha 73—80, nulla industria ex ingenio nata.

V. 81—90. Ex digressione de deo ad institutum carminis argumentum sic redit, ut Amorem quoque consortem esse velit epularum rusticarum; necdum missum facit hunc deum, sed lepidissimis vss. hortatur convivas, ut dei operam invocent „*palam* pecori, *clam* sibi quisque, aut etiam *palam* sibi quisque, „nam prae strepitu vocum et tibiarum nemo percipiet, quid „vicinus sibi petat a deo." Tum pergit alloqui turbam rusticorum clauditque elegiam egregiis versibus et dignis qui describantur:

Ludite: iam nox iungit equos, currumque sequuntur
matris lascivo sidera fulva choro,
postque venit tacitus furvis circumdatus alis
somnus et incerto somnia nigra pede.

Quamquam igitur praestantissima est elegia et nativa narrationis simplicitate candore gratia insignis, habet tamen quae confirmant quod olim disputavimus de Tibulli negligentia vel licentia in ordinanda materia et in inserendis digressionibus. Quae licentia sive non nimis ingrata est et certis finibus cohibita, ut in hoc carmine, sive liberius grassatur, ut in aliis, potest esse obnoxia reprehensioni, non emendationi.

Iam nunc standum est promisso et rationes exponendae sunt, cur alterum distichon de Baccho et Cerere loco movendum esse censeam et inserendum ante v. 15. Prima causa haec est: incipitur carmen ab allocutione turbae ruricolae:

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,
ritus ut a prisco traditus extat avo.

et eosdem alloquitur cum hortationibus in v. 5 sqq.

Luce sacra requiescat opus, requiescat arator ...
solvite vincla iugis e. q. s.

Haec igitur allocutio inepte interciditur invocatione deorum *Bacche veni* e. q. s.

Digitized by Google

Etiam gravior est altera causa. Postquam enim praecepta dedit de negotiorum abstinentia et de castitate, sic pergit v. 15:

Cernite fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
vinctaque post olea candida turba comas.

Quibus dixit illud *cernite*? Agricolis? At hos paulo ante aut exclusit et *abesse* iussit, quotquot non erant casti v. 11, aut, quotquot casti erant, sequebantur pompam et ipsi erant *candida turba* (v. 13 *pura cum veste venite*). Igitur illos non castos revocare ut cernant pompam, nefas est, hos invitare ut semet ipsos cernant, ridiculum. Itaque inter v. 14 et 15 inserendi sunt hi: *Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva pendeat et spicis tempora cinge, Ceres.* Facit igitur, quod Vergilius praecipit in Georg. 1. 347: *et Cererem clamore vocent in tecta;* hanc et Bacchum orat ut vultus convertant in pompam ad aras accedentem: *Cernite* e. q. s., quod simul ac fecerunt, incohatur precatio cum horum tum reliquorum deorum agrestium v. 17 *dii patrii* e. q. s.

De brevissima elegia quae sequitur, nihil est quod moneam.

Elegia III.

Spreto otio et tranquillitate vitae rusticae Tibullus rediit in urbem, ubi denuo captus est amoribus levissimae puellae, quam appellavit Nemesim. Hanc non minus deperibat quam nuper Deliam, tametsi ab hac quoque eisdem artibus ludificabatur atque antea, quoties dives amator, licet senex esset vel humillimo ingenio atque infimo genere ortus, maiorem puellae praedam promitteret quam pauper poeta.

Initio huius elegiae quam scripsit ad amicum Cornutum, docemur Nemesim ex urbe in villam abiisse, quocirca se quoque paratum ait esse Tibullus illuc proficisci et agricolae instar versare solum, sectari aratrum, solis aestus perdurare, dummodo illam aspiciat. Huic exordio adnexuit duas excursiones: unam longissimam (v. 11—32) de Apolline Admeti boves pascente, dein — post duos versus satis obscuros et corruptos — alteram paulo breviorem de praedae studio et avaritia saeculi 35—46. Tum sibi quoque opes optat, ut puellam donis et munditiis conciliare sibi possit 47—58. Tandem nos docet Nemesim

Digitized by Google

non sua sponte ex urbe migrasse, sed abductam esse ab opulento amatore, cuius agris et vineis infecunditatem imprecatur. Denique post brevem excursionem de priscorum amantium fortuna feliciore, iterum affirmat servilem operam se libenter praestaturum in agris illius, ne absit a cara puella.

Argumenti varietas et textus condicio in multis locis lacera iam olim induxerunt Scaligerum et postea Heynium, ut non unum esse carmen contenderent, sed conglutinatum ex duobus tribusve diversis. Hanc opinionem cum postremus, quantum scio, Franckenius noster propugnaverit [1]), operae pretium est illius argumenta breviter persequi.

Putat Francken. elegiam conflatam esse ex tribus poematis, quae contineantur v. 1—32, 33—60, 61—80.

Apparet in primo poemate illi offensioni non fuisse, quod excursio de Apolline sine ulla transitione sequitur introitum de puella et poeta. Alterius poematis initium statuit a versibus corruptis aut lacunosis 33 et 34

at tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
imperat, ut nostra sint tua castra domo.

in quibus pro *imperat ut* cum Italis legit *imperitat*, et putat haec scripta esse amico poetae in bellum profecturo, cui dissuaderet militiam et praedae studium et quem invitaret, ut tempus castrensi vitae destinatum in sua domo potius degeret. Sed in hoc vereor ne erraverit Vir Clar. Nam in vss. modo citatis non agitur de militia Romana, sed de militia in castris Cupidinis (cf. 1. 1. 73), et amicum, cui pariter ac sibi *tristi fronte Cupido imperat*, hortatur ut ex illius in sua castra, in tutissimam domum, transfugiat. Neque vero locus qui sequitur de praeda et praedatoribus cum v. 33 sq. eo nomine cohaeret, quo putat Fr., quasi in utroque notaretur vita bellica et praedae aviditas hominum militarium, sed est digressio locusque communis, qualia passim elegiis suis poeta inseruit ad castigandam avaritiam ferrei saeculi (cf. 1. 4. 38, 5. 47, 8. 29, 9. 11. 53; 2. 4. 27, et sqq. vss.), et coniunctus est cum praecedente disticho prorsus alia ratione ac putat Fr., ut postea demonstrabo.

Quod ad tertium poema attinet, a v. 61—80, eius argu-

1) In actis Academiae regiae Neerlandicae a. 1866 p. 30—61.

Digitized by Google

mentum cum primo carmine ita convenit ut separari vix possint. Nam nimis acutus est Fr., cum perhibet diversa carminum tempora coargui diversis verborum formis, quibus usus est in utroque: v. 3 *iam nunc migravit* (perf.) *in agros* et v. 61 *Nemesim qui abducis* (praes.) *ab urbe.* At vero *abducis* significare *abductam tenes* docet v. 77, ubi iam rus illa pervenit et clausa tenetur: *nunc si clausa mea est, si copia rara videndi* e. q. s.

Incipiuntur denique poemata Franckenii posteriora duo a formula *at tu, at tibi* v. 33. 61, quam Tibullus in mediis tantummodo elegiis adhibuit, in transitionibus a re altera vel persona ad alteram. Igitur utrobique corrigendum esset *ah tu, ah tibi.* Praeterea tria illa poemata quae dispertivit Fr., ita comparata sunt, ut singula per se, imprimis duae posteriores, nequaquam Tibullianae elegiae formam amplitudinem distributionem referant, sed, si separentur, pro fragmentis sint habenda.

Quamquam autem illa opinio damnanda est, tamen alia est quaestio, utrum membra elegiae, ut nunc se habent, recte cohaereant, an hic illic lacunae et deperditorum versuum hiatus statuendi sint, qui pristinam concinnitatem obscurarint. Qua de re nunc est agendum.

Postquam in introitu declaravit poeta se libenter esse perpessurum labores et aerumnas agricolae, dummodo frui sibi liceat dominae praesentia, statim incipit narratione de Apolline bubulco sub rege Admeto, nulla transitione praeparatam aut superioribus conexam. Video tamen nemini eorum, qui in elegiis primi libri talia sedulo vituperare consueverunt, huius episodii repentinam originem et longissimum ambitum — pertexitur per vss. 21, ut de Osiride in 1. 7 — offensioni fuisse, itaque statim transeo ad locum lacunosum inter v. 14 et 15, de quo paucis dicam quid sentiam.

Versus qui leguntur in omnibus codicibus hi sunt:

14 a *ipse deus solitus stabulis expellere vaccas*
b *et miscere novo docuisse coagula lacte*
c *lacteus et mixtus obriguisse liquor.*

Igitur intercidit pentameter inter a et b, cuius locus in aliis cdd., praeter Ambr. qui nullum habet supplementum, aliter expletus est a manu recentiore [1]). Post Scaligerum Franckenius

1) Cf. annot. Baehr. ad h. l.

Digitized by Google

etiam b et c, L. Mullerus tantum c a Tibullo abiudicavit, Baehrensius omnes ei vindicavit, sed lacunam indicavit inter b et c. Et sane anceps est certi aliquid statuere in tam mutilo loci habitu, aut affirmare v. b vel c a Tibullo scribi non potuisse, quamdiu nescis quid praecesserit aut secutum sit. Equidem paene crediderim nullum horum vs. poeta esse indignum, sed excidisse pentametrum inter a et b, et pentametrum atque hexametrum inter b et c: in illo legebatur praedicatum quale est *dicitur*, *fertur*, *creditur*, unde pendebat infin. *docuisse*, atque deo tribuebatur inventio mulgendi [1]), ut iam expressit Pontanus in supplemento ceteroquin nimis longo: in pentametro et hexametro post b legebatur praedicatum quocum coniuncta erant verba *obriguisse liquor*, et exponebatur coagulatio et casei fabricatio, ut apparet etiam ex v. 15 et 16. Sic hoc loco inventionem tractavit lactis et casei, quam nondum retulerat in inventionum rusticarum serie praecedentis elegiae.

Iam vero pergamus. Narratione de Apolline ad finem perducta desubito revertitur ad tristem suam sortem et adhortatur infortunii sui socios ut Cupidinis castra relinquant et in sua transfugiant v. 33 sq.

at tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
imperat, ut nostra sint tua castra domo.

Repentinus ille transitus, quem praeter Francken. neminem reprehendisse video, non nisi leviter praeparatur praegresso disticho: *fabula nunc ille* (Apollo) *est: sed cui sua cura puella, fabula sit mavult, quam sine amore deus.* Sed unde pendet particula *ut* in v. 34? Si genuina est, fatendum est nimirum cum Hillero periisse distichon, in quo legebatur coniunctionis regimen. Verum alii, ut Franck. et Mull., probarunt Italorum correctionem *imperitat*. Ego cum Baehr. praefero lectionem quorundam mss. *imperat in*, quod facio his de causis. Tibullus, qui

---

1) Hinc in *b* habes *novum lac*, quod sine causa displicuit Franckenio. In v. *c* Lachm. propter metrum coniecit *mistu subriguisse* verbo insolito et minus apto. Itali habent *mustis*, Rigler. *mulctris*. Sed si admittenda est producta syllaba ante caesuram in 2. 2. 5 *ipse suos genius adsit visurus honores*, ut admisit Mull. (Baehr. *adsit genius*) et 1. 7. 61 *tum canit agricola, m. c. v. u.*, ubi Mu. et Bae. inserunt *e* vel *a*, et 1. 5. 34 *virtus hunc*, ubi Bae. *v. tum* (cf. 1. 4. 27 erts, 1. 6 34 servarē frustra) etiam *mistus* h. l. ferri poterit.

Digitized by Google

utitur semper simplicissima sententiarum constructione, nusquam ita adhibuit particulam, ut penderet a verbo posito in sequenti demum disticho [1]), porro et ille et imitator Lygdamus ad ablativum *domo* cum adiectivo iunctum addiderunt *in*, cf. 1. 5. 30 et Lygd. 2. 22.

At vero sive legimus *imperitat* sive *imperat in*, minime necesse est, ut versus deesse putemus inter 34 et 35, et valde miror Mull. et Baehr., quos non offendit repentinus ille saltus ab Apolline ad Cupidinis militem [2]), in hac transitione multo leniore repente morosos esse factos. Homines, quibus *tristi fronte Cupido imperat*, sunt amatores qui, ut Tibullus, propter paupertatem spernuntur a puellis prae ditioribus [3]). Illos igitur ad se vocat ex castris Amoris, quia pauperes ibi nunc nullo sunt honore: *ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant*, in quibus *Venerem* = amorem purum et sincerum, *praedam* = amorem lucrosum. Continet igitur hic versus causam illius quod dixit in 33 sq. Tum vero ex praedae mentione ansam capit pro more suo liberius digrediendi de malis ex praedae studio ortis [4]) et de praedatorum insatiabili cupiditate 36—46, donec in fine commilitonem illum [5]) denuo adhortatur ut vitam victumque simplicem tueatur, diversam ab saeculi studiis. Sic equidem non video quid desit ad rerum concinnitatem inter v. 34 et 35, imprimis habita ratione Tibullianae levitatis in connectendis

---

1) Vulgo apud Tibullum sententia finalis in eodem versu postponitur primariae I. 1. 18, 53 sq.. 3. 29, 4. 52, 6. 11. 16, 8. 30. 43, 9. 26, 10. 31. 48. II. 1. 50. 54, 3. 42. 45. 51, 4. 38, 5. 72 115, 6. 42. III. 12. 4. Raro sententia finalis in eodem versu praecedit I. 6. 1, II. 4. 16. Semel tantum sententia primaria sequitur demum in pentametro eiusdem distichi III. 9. 11. Nusquam leguntur in diversis distichis.

2) Ceterum cum hac repentina apostropha ad ignotum compara similia in 1. 2. 87 *at tu, qui laetus rides* e. q. s.

3) Locum perperam sic interpretatus est Dissen p. 244: „tu, cui dura puella est „et aspera, apud me disce militiam amatoriam, quibus officiis ministe„riis laboribus suscipiendis favorem puellae tibi conciliare possis." Sed nihil horum legitur in toto carmine. Imo ipse poeta tantum abest, ut felicis amoris magisterium sibi adroget, ut ipse potius in inopia versetur et nesciat quo se vertat ob profectionem puellae.

4) Compara cum h. l. similem in 1. 4. 57—62.

5) Igitur probanda est lectio optimorum ll. in v. 50 *at tibi*, nec recipienda Parisini correctio *at mihi*.

Digitized by Google

membris, quam qui non agnoscunt, iis identidem lacunae statuendae erunt, veluti non tantum inter v. 49 et 50 ubi asteriscos posuit Baehr., sed etiam ante v. 33, de quo modo egi, et ante v. 49, de quo nunc est dicendum.

Postquam enim semet ipsum et amicum a Cupidine revocavit detestatus saeculi mores et commendata antiqua frugalitate, repente eum poenitet huius severitatis et voluntate subito mutata [1]) in contrarium se vertit: Quoniam videt *divitiis gaudere puellas*, sibi quoque opes poscit, ut donis cumulet et acquirat Nemesim: geret illa vestes auro intextas e Coa insula, comitabuntur fusci comites ex India, dabitur purpura ex Africa et Tyro v. 52—61 [2]). Tum vero iterum repente substitit, nam recordatur haec vana esse vota, et ab inani divitiarum gaudio se revocat ad veram vitae condicionem: est pauper atque puella non est in sua, sed in ditioris potestate. V. 62 sq. in codd. sic se habent: *Nota loquor: regnum ipse tenet, quem saepe coegit barbara gypsatos ferre catasta pedes*, sed iam Guyetus pro *ipse* correxit *ille*, et prorsus egregie pro *nota* Rossbach. nuper correxit *vota* [3]), quam correctionem levissimam et, ut nuda rerum expositio nos docuit, sententiarum ordini unice accomodatam, qui non admittunt, ut Mull. et Baehr., iis hic denuo vss. aliquot intercidisse sumendum est.

Et hi quidem versus, quos tractavimus, iam pertinent ad extremam partem elegiae v. 61—80, qua docemur Nemesim morem gessisse homini, qui ex infimo loco ad magnam opulentiam pervenit et puellam abduxit rurique clausam tenet. Non tantum imprecatur huic rivali duram segetem et devotos vini lacus v. 61—66, sed etiam universe detestatur omnem

---

1) Cf. ad hanc repentinam paenitentiam 1. 6. 55 sq. et 9. 4 sq. Pro *heu heu* in v. 49 Baehr. scripsit *eheu* quod apud Tibullum non invenitur, contra *heu heu* sexies.

2) Videntur coniungendi esse vss. de vestitu et de purpura 53 sq. et 57 sq. ac postponendi v. 55 sq. de servis.

3) Notandum est etiam sequens vocabulum corruptum esse in optimis ll., quam habeant *liquor* pro *loquor*. Ceterum Hillerus recepit alteram Rossbachii coniecturam *vana loquor*, multo minus elegantem et ob litterarum dissimilitudinem minus probabilem. *Vanus* semel legitur in 1. 4. 84 *vana magisteria*, contra *vota* ut h. l. habes in 1. 5. 35 et 2. 2. 17 *vota cadunt*.

Corruptelam *ipse* pro *ille* ter usu venisse in opt. ll. annotavit Hillerus 1. 2. 58, 2. 4. 36, 3. 19. 8, in quibus locis nunc omnes ediderunt *ille*.

Digitized by Google

agrorum culturam et fruges, quippe quae efficiant, ut puellae ex urbe evocentur: v. 67 *O valeant fruges, ne sint modo rure puellae: glans alat et prisco more bibantur aquae!* Ab hoc autem voto: *ne sint rure puellae*, amabili inconstantia, quam novimus in poeta nostro, per versus eleganter interpositos denuo in contrarium paene delabitur, laudatque in exquisita digressiuncula tempora, cum ruri viverent pueri et puellae praeberetque *mitis in umbrosa gaudia valle Venus*, nec amplius fruges et rura damnat, sed custodes et clausas ianuas, v. 71—76. Deest hexameter inter v. 74 *mos precor ille redi* et 76 *horrida villosa corpora veste tegant*, cuius sententia universa haec esse debuit: „si modo amare licet tutoque fovere puellam" [1]).

Claudit autem carmen repetita asseveratione, quam dedit in introitu v. 5 sqq., se etiam servitutis vincula et verbera non negaturum, si dominae agros sulcare licebit.

Nondum dixi de Wissero et Fritzschio, qui in Quaest. Tibull. ed. a. 1869 et 1875 proscripserunt v. 17—24, 41—46 et 65 sq., quorum tamen vestigia nullum ex editoribus secutum esse video. Et v. 17—24 elegantes sunt ac lepidi, exhibent Tibullianam verborum repetitionem (*o quotiens* bis, *saepe* bis) et pellucidam simplicitatem, atque deos nobis proponunt quales solet Tibullus, nempe mortalium ritu laborantes et agentes, ex omni parte *ἀνθρωπομόρφους* [2]). De v. 41 sq. iam satis supra monui, in

---

1) Ex recentiorum supplementis quae leguntur in codicum marginibus (de quibus cf. Francken. et Baehr. in var. lect.) nullum est quod accedat ad sententiam, quae requiritur.

2) Etiam in rerum divinarum deorumque tractandorum ratione antiquus candor est nostri poetae. Dei non notiones illi sunt abstractae, non arcana quaedam numina vitam longe ab hominum societate remotam agentia, sed versatur cum eis quasi cum amicis et familiaribus bonis ac benevolis.

Modo eos precatur et veneratur simplici pietate et tanquam praesentes alloquitur 1. 1. 87 *adsitis divi, nec vos e paupere mensa dona ... spernite.* 7. 28 *Nile pater, quanam possim te dicere causa aut quibus in terris occuluisse caput.* 2. 1. 2 et 15 sq. ad Bacchum et Cererem. 81 *sancte* (Amor) *veni dapibus festis. sed pone sagittas et procul ardentes hinc precor abde faces.* Et benigne promittit munera ut 1. 1. 15 sqq. 19. 4. 5. 9 *mane* (bone) *geni, cape tura* etc. 6. 1 *natalis Juno, sanctos cape turis acervos.*

Interdum subest levis ironia: 2. 3. 66 ad Bacchum: *non tanti sunt tua musta, pater.* 5. 121 *annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli, sic tua perpetuo sit tibi casta soror*, cf. v. 64.

Digitized by Google

his poeta a *praedae* periculis ad praedatorum ambitionem aberravit eadem libertate, qua v. 68 sqq. a ruris devotione ad laudem rustici amoris.

Neque tandem video, quid displiceat in v. 65 sq. dummodo recte explicentur, quod vix contigit Disseno, quo interprete p. 254 poeta „vel deos, ait, damnum pati par est et poena „affici, si formosas ex urbis luce eliciunt et in agrorum solitu„dine abscondunt". At in ipsis vss. 63—66, qui sic se habent:

et tu, Bacche tener, iucundae consitor uvae,
tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
haud impune licet formosas tristibus agris
abdere: non tanti sunt tua musta pater.

nulla Bacchi culpa arguitur in abducenda puella nec quicquam dii vituperantur. Postquam devovit segetem divitis, poeta sic pergit: „etiam tu Bacche relinque devotos lacus, h. e. sine cor„rumpi musta in lacubus illius, nec te poeniteat perire tua „musta, nam non tanti sunt, pater, ut ea conservandi gratia „maleficus ille poenam effugere debeat".

Igitur examinato toto carmine et opinionibus doctorum perpensis sic concludo.

Non conflata est elegia ex diversis poematis, neque non ex-

Nonnumquam eos insectatur 1. 2. 97 ad Venerem infaustam: *quid messes uris, acerba, tuas?* 3. 23 *quid tua nunc Isis, mihi Delia, quid mihi prosunt* e. q. s. 4. 35 *crudeles divi* sqq. 6. 1 *semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus, post tamen es misero tristis et asper, Amor.* 2. 4. 15 *ite procul, Musae, si non prodestis amanti* e. q. s. 23 *aut rapiam suspensa sacris insignia famis, sed Venus ante alios est violanda mihi.* 6. 15 *acer Amor, fractas utinam tua tela, sagittas, si licet, exstinctas aspiciamque faces!*

Eorum vitia non minus aperit quam virtutes, Veneris imprimis 1. 2. 16 sqq. 4. 20 sqq. et 2. 1. 73 sqq.

Veneris tutela securus est et a malo avocatur 1. 3. 57 *me ipsa Venus campos ducet in Elysios.* 5. 39 *sed cum iam gaudia adirem admonuit dominae deserimusque Venus.*

Invitantur ut laeti intersint festis hominum diebus splendide induti 1. 7. 49 *hue ades* (Osiri) *ludo geniumque choreis concelebra et multo tempora funde mero.* 2. 5. 1 sqq. ad Apollinem, 4. 6. 13 ad Iunonem: *adsuc purpureaque veni perlucida palla.*

Laborant inter homines suamque iis operam praestant ut simplices mortales: Osiris in 1. 7. 29, Apollo in hac ipsa elegia et imprimis in 4. 4. 1 ubi medici vices praestat apud aegrotam puellam. Adde narrationem de Tiburte 2. 5. 69 et de Amore 6. 2.

Digitized by Google

perta est extremam manum poetae, ut putarunt Dissenus et Gruppius, sed carmen est continuum, quod praeter corruptelas, quas temporum iniuria contraxit, ex poetae officina non magis imperfectum prodiit, quam alia carmina haud pauca, quae antea ediderat et quibuscum communia habet vitia et virtutes. — Ad ipsum autem argumentum pertinent hi vv. 1—10 de migratione puellae, 33—85 de spernendo amore venali, 47 sq. de retinenda victus simplicitate, 49—58 de divitiis sibi quoque optandis ad puellam devinciendam, 59—68 devotio rivalis et universe frugum ac ruris, 77—80 reditus ad carminis initium 5—10. His intexuit episodium de Apolline 11—32, quod et incohatur et finitur abrupte, alterum de praeda et luxu 36—46, cum ipso argumento satis concinnatum; tertium de pristina amantium felicitate 69—70, elegantissimum et probanda arte insertum.

Elegia IV.

Scriptam esse hanc elegiam post tertiam res ipsae declarant. Vera Nemesis indoles longiore consuetudine paulatim se aperuit. Patuit non divites esse culpandos, qui eam corrumpant, sed ipsius puellae naturam esse avaram: spernit amatorem quamvis candidum et ingeniosum, neque hili facit eius Musam, sed amoris pretium „flagitat usque cava manu".

Inest in carmine tristitia non fucata, sed vera eoque acrior, quod sentit poeta, se collum turpiter dedisse sub iugum indignissimae puellae, cuius tamen imperio quominus se subtrahat, prohibet ignavia.

Statim ab initio agnoscit, quam humili et abiecta servitute teneatur, cuius vincla numquam remittit Amor: ut servus, qui, sive grave quid meruit, sive leviter peccavit, uritur a crudeli domino, sic ipse a puella 1—6. Vehementia doloris quem subit ea est, ut simplici et sueto dicendi genere exprimere eam nequeat, sed colores mutuetur, quod rarissime fecit noster, a rhetoribus argutiores et fortiores: mavult lapis esse in gelidis montibus, cautes in medio mari ventis obnoxia: dies amara est, noctis umbra amarior, madent felle omnia tempora! 7—12.

Pergit eodem tenore et detestatur poeticae facultatis inopiam.

Digitized by Google

Nihil prosunt elegi, nihil Apollo. „Ite procul, Musae, quos equidem non colo, ut bella canam et sidera, sed ut aditus quaeram ad puellam per carmina" 13—20 [1]). Cum carmina nil iuvent, dona paranda sunt quae ianuam aperiant: rapiet insignia ex templis, ante alios ex Veneris fano, quae rapacem sibi dominam dedit 21—26. Cum igitur avaritia solus fons sit malorum poetae, nusquam magis decet locus de detestandis divitiis qui sequitur v. 27—38 [2]).

Postquam questus est amorem nunc totum pendere ex auro, invehitur in puellam, optat ut eius opes incendio auferantur, quod laeti aspiciant iuvenes, et vaticinatur, neminem fore qui

---

1) Graef. in annot. ad Tibullum 1865 editis proscripsit v. 13 sq., in quibus est pentameter *illa cava pretium flagitat usque manu* vere Tibullianus, et 17 sq. in quibus dicit non se referre *solisque vias et qualis, ubi orbem complevit, versis luna recurrit equis.* Sed huius quoque distichi forma est elegans et sententia concisa brevitate conspicua. Quam loquaces et grandiloqui esse soleant interpolatores et pseudopoetae in sua arte profitenda, videri potest in Panegyrico ad Messalam, cuius compara v. 18—23.

2) Wisserus in Quaest. Tibull. 1869 editis delevit in hac parte v. 29 sq. et 35—38. Quod attinet ad primum distichon non tantum hi duo vs., sed etiam qui praecedunt 27 et 28 neque novitate neque elegantia nitent: *smaragdos* habuimus in 1. 1. 51, et v. 28—30 in memoriam revocant praecedentis elegiae v. 53—58. Habes utroque loco *sertum Coum* et duas purpurae species bene distinctas, in illo *Tyrium* et *Africanum*, in hoc *Tyrium* et *rubri maris* concham. Igitur quatuor hi vs. una stent aut cadant necesse est, et quum propter sequentia omnes abesse nequeant, consectarium est ut omnes conserventur.

Cur autem Wiss. eliminaverit v. 35 sqq. nullam video probabilem rationem. Postquam enim in 27 sqq. devovit inventorem gemmarum et purpurae, quibus possumdantur puellae, nunc caelestes reprehendit, quod in eadem muliere pulcram formam iunxerunt cum avaritia, unde omnis Amoris infamia nata est.

Est tamen aliqua difficultas in hoc disticho

heu quicumque dedit formam caelestis avarae,
quale bonum multis attulit ille malis.

Qui Latine *offerunt oblivionem tristitiae, pacem animis*, sim. ii corrigunt tristitiam, opem ferunt animis. Cum vero nostro loco, ut docent vv. sqq., *bonum*, i. e. forma, non corrigat *mala* avaritiae sed augeat et aggravet, apparet poetam ironice loquentem hoc voluisse, ut vidit Dissen., „quam acerbum bonum addidit avaritiae", quippe ex quorum coniunctione oriantur fletus rixae cett. Miror tamen eundem Dissenum probasse Italorum correctionem *addidit*, sic enim laudatur et extollitur bonum formositatis, quod a loci oeconomia prorsus alienum est. Etiam Baehrensii coniectura reponentis: *quale bonis multis attulit ille malum* damnanda est. Primum enim qui *formam dedit avarae*, is non *malum attulit bono*, sed *bonum attulit malo*. Praeterea *multis* et *malis* separari non debent, quoniam *forma* simplex bonum est, sed *avaritia* multiplex malum, ut docent v. 37 sq. Ferri posset, quod aliquando conieceram: *q. bonum multis obruit ille malis.*

Digitized by Google

eam lugeat post mortem, cum tumulum puellae, quae bona nec avara fuit, etiam senex amator frequentet 39—50.

Sic sine ulla digressione sese excipiunt querelae minae devotiones, unde cum consequens esset, ut iam nunc missum faceret amorem et puellas, repente sic pergit v. 51: *Vera quidem moneo, sed quid prosunt mihi vera? Illius est nobis lege colendus amor.* Fatetur se laborare insanabili dementia, quae eo usque eum abripiet ut, si Nemesis iubeat, venum daturus sit sedes avitas, utque illa miscente et offerente venenatum poculum bibiturus sit 51—60.

Quamquam igitur elegia res multas et varias continet, tamen singula membra bene concinnata sunt; absunt hiatus et excursus, nam locus de divitiis nascitur ex ipso argumento.

Quod si autem maturescens aetas et studium hoc Tibullum docuit, ut prudentius et concinnius quam antea argumentum tractaret, eadem hoc quoque attulisse videntur, quod minus sane probandum, ut interdum dictionem magis cultam et exquisitam assectaretur, quae Alexandrinorum ampullas redolet, et qualis placuit fere poetis aequalibus, sed a qua diligenter adhuc abstinuerat poeta noster. Habemus enim in hoc carmine iuxta versus nativo vigore et simplicitate ac suavi quadam dulcedine insignes, h. e. vere Tibullianos, quales sunt 1—6, 14—16, 19 sq., 31—34, 47—50, alios, in quibus non omnino deest grandiloquium rhetoricum et quaesita doctrina, veluti in 8—12, 27—30, 55—58 [1]). Hi autem vss., cum omnes a Tibullo abiudicari non possint, hoc mihi probare videntur eius artem, paulo ante quam immatura morte abreptus est, eo inclinare coepisse ut carmina faceret melius quidem composita et rotundata quam antea, sed simul carentia antiqua illa et naturali simplicitate verborum cogitationum imaginum, qua solus praestat inter aequales.

---

1) Fürth. in Observ. Tib. 1872 damnavit v. 57 et 58. Sed hi duo vv. ex quatuor illis, quos notavi tamquam rhetorice fucatos, magis etiam cum Tibulli natura conveniunt, quam priores duo 55 et 56, quos ideo sane non delevit vir doctus, quia protasin exhibent extremi distichi. Qui igitur non damnat duo priores, facilius concoquere poterit duo posteriores.

Digitized by Google

Elegia V.

Quam multis reprehensionibus haec elegia fuerit obnoxia et quantopere in ea interpretanda et corrigenda desudarint viri docti, notum est omnibus Tibulli studiosis [1]).

Mihi autem haec elegia omnino respondere videtur iis rationibus, quas sequi solebat poeta, quoties non caneret amores rura deos, sed materiam tractaret extrinsecus oblatam, quod usu venit in elegia septima libri primi et in hac. In utroque carmine erant laudes celebrandae Messalarum. Cum vero panegyrico generi omnium minime idoneum esset ingenium poetae — cui, nisi canit puellam, *versus nullus verba potest iustos aut aperire pedes* v. 112 — hoc sibi sumsit in utraque elegia, ut proprio argumento defungeretur paucis versibus (quod olim demonstravimus de el. septima), sed laetus arriperet quamcunque occasionem devertendi ad ea, quae poetice colorare et ornare facile poterat. Accedit hoc quoque, quod non eae fuisse videntur res gestae Messalarum, ut praeconi veraci et candido satis amplam materiem praeberent [2]).

Cum igitur, ut Disseni verbis utar, Messalinus, filius Messalae natu maior, in collegium XV virum sacris faciundis et libris Sibyllinis inspiciundis cooptatus esset, celebrata est hoc carmine inauguratio novi sacerdotis. Tangitur autem haec res tantummodo in v. 1—4, ubi Phoebum rogat, ut sibi praesto sit in laudatorio carmine pangendo, in 17 et 18, ubi Messalinum discipulum commendat deo fatidico, et in 115—122, in quibus optat, ne praematura morte prohibeatur, quominus canat futurum, quem praesagit, iuvenis Messalini triumphum, qua occasione pater spectacula dabit populo et plaudet curru triumphali praetereunte, atque orat Phoebum, ut his votis adnuat.

Carminis igitur omnium longissimi vix nona pars versatur in praeconio illius, qui canendus est. Reliqua omnia sunt di-

---

1) Cum Frederici Leonis dissertationem de hac elegia serius acceperim, quam ut adhibere possem in ipsa disputatione, in corollario separatim eam tractabo.

2) Mirum sane est Tibullum nusquam tetigisse patroni sui laudes in historia, eloquentia, poesi, ab aliis auctoribus satis celebratas, de quibus accurate egit Valeton in spec. litt. de M. Valerio Messalla Corvino a. 1874 p. 58—121.

Digitized by Google

gressiones de Phoebo, de urbe Roma, de sortibus Aeneae, de Sibyllis, de futura civitatis felicitate, de suo amore, quas digressiones quasi rivulos ex primario fonte argumenti ideo deducere potuit, quia novus sacerdos est in tutela dei fatidici et praeest libris Sibyllinis. Qua autem ratione hoc fecerit, exponam.

Incipit ita:

Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:
huc age cum cithara carminibusque veni.
nunc te vocales impellere pollice chordas,
nunc precor ad laudes flectere verba meas,
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
sepositam, longas nunc bene pecte comas,
qualem te memorant Saturno rege fugato
victori laudes concinuisse Iovi.

Manifestum est carmen cantatum fingi a poeta in templo Apollinis, quo die Messalinus, novus sacerdos, primum sacra faceret deo (v. 1 *tua templa* v. 6 *tua sacra*). Invitat Phoebum ut adsit huic primo sacerdotis sacrificio et ut secum ferat citharam et carmina. Cur hoc? ut deus ipse canat? non credo, nam nulla vox dei auditur in carmine, et absonum esset deum in templo suo laudationem instituere novi sacerdotis, adolescentis imperiti (v. 17 sq.), qui praeter generis nobilitatem nondum ulla habebat merita. Sed cur deus afferre debet *citharam* et *carmina*, si ipse non utatur? Dissenus locum sic explicat p. 272: „excitari sibi vult Tibullus lyricum spiritum et incalescere „sublimius, quod fiet ubi deus impulsa lyra, soli tamen „poetae audienda, praeiuerit artis suae modos magnifi„cos". At nihil eorum, quae scriptura distinxi, legitur in his vss., ac iam supra ostendi deorum operam semper apertam et praesentem non arcanam et quasi nubibus involutam a Tibullo fingi. Sed etiam maior difficultas est in v. 4. Lectionem *meas*, quam optimi cdd. exhibent omnes, sive explicas *laudes mihi debitas*, sive, quod grammatice vix licet, *laudes mihi canendas*, ineptam esse, nunc inter omnes constat, et locum emendare conati sunt sic: *ad laudis f. v. modos* Golbery, *ad laetos f. v. modos* Heyn., *ad laudes f. v. mea* Lachm. Diss. L. Mull., *f. v.*

Digitized by Google

tuas Baehr. cum quibusdam codd. Sed hae suspiciones et aliis de causis displicent et in eo omnes peccant, quod inputant Tibullo constructionem verbi *precor* ab eius scribendi consuetudine prorsus alienam, nam illud aut in parenthesi posuit cum imperativo modo 1. 8. 51; 2. 1. 82, 3. 74, 5. 18, 6. 29; 3. 11. 12, aut iunxit cum coniunctivo praesentis 1. 2. 12; 3. 5. 83. 93, 6. 56, 9. 40. Itaque requiritur imperativus vel coniunctivus et non dubito quin in *meas* lateat *sinas* (cf. v. 17), unde consequitur ut in v. 3 pro *te* corrigendum sit *me*; nimirum cum corruptela *meas* pro *sinas*, orta ex litteris *sin* male scriptis posteaque transpositis, libros invasisset, necesse erat ut pro prima persona *me* substitueretur secunda *te* [1]). Si igitur quaerimus, cur Phoebo veniendum sit cum lyra carminibusque, respondendum est, poetam hac ratione expressisse operam a praesenti deo praebitam (nam *carminis auctor Apollo* 2. 4. 13), quasi sibi concederetur mortali divinas chordas pollice impellere et carmina divinitus suppeditata canere. Non aliter eundem deum invocavit ut medicas manus applicaret aegrotanti puellae in 3. 10. 9: *sancte veni, tecumque feras quicumque sapores, quicumque et cantus corpora fessa levant.*

Vult igitur iuvante deo impellere chordas, flectere verba *ad laudes*. Sed quidni additur cuiusnam personae vel rei laudes cantaturus sit? Quia videlicet non intelliguntur laudes unius, sed omnium eorum quorum laudatio apposita est huic festo diei. Non celebrat tantum novum sacerdotem Apollinis et futurum interpretem fatalium librorum, cuius sperata merita breviter memorantur in fine carminis, sed imprimis deum ipsum, qui praeest huic sacro, et huius vatem Sibyllam, et ip-

---

1) Baehrens. locum sic constituit

nunc me vocales impellere pollice chordas,
nunc precor ad laudes flectere verba tuas.

Unde hoc oritur constructionis monstrum: *precor ... me impellere chordas ... flectere verba* pro *precor* ut per te mihi liceat s. ut me sinas *impellere chordas ... flectere verba.*

Ceterum B. quoque negavit ll. p. 24. 25. 26, Apollinem lyram et carmina asportasse, ut ipse caneret laudes Messalini.

Quid sit *flectere verba* docet 1. 7. 37 *ille liquor docuit voces inflectere cantu* et Lucr. 5. 1404 *ducere multimodis voces et flectere cantus.* Seneca Agam. 335 *flectere carmen.*

Digitized by Google

sos libros Sibyllinos faustasque sortes (nam infaustas tamquam peractas prudenter eliminat 67 sqq.), eas maxime quae pertinent ad originem urbis, cuius *nomen terris fatale regendis* v. 57 et quibus sustentatus est Aeneas, cum flagrante Ilio desperaret de fato, celebrat denique futuram rerum condicionem laetissimam v. 85 sqq. Haec omnia canuntur et debita referuntur illi numini, cuius ministerio nunc se applicavit Messalinus [1]).

Denique deum rogat (in vss. supra laudatis 5—10) ut veniat *devinctus tempora lauro*, quam rariore epitheto *triumphalem* appellavit, ut recte statuit Lachmannus, in honorem domus Messalae triumphatoris. Cum enim Tibullus omnino tacuerit de Octaviano, vix credibile est eum hoc epitheto tecte et in transitu celebrare voluisse illius triumphum de Antonio, quae Vossii fuit opinio, aut indicare Apollinis operam in reportanda victoria apud Actium exhibitam, ut credidit Baehrensius. Praeterea venire debet deus *nitidus et pulcher*, ut decet festo die (cf. de Iunone 3. 12. 13), comptis capillis (cf. 2. 3. 23 sqq., 3. 10. 2), indutus veste, qua laudes olim concinuit Iovi fugato Saturno, cuius hymni ab Apolline cantati alibi nusquam memoria exstare videtur, nam Seneca hunc locum in suum usum vertisse videtur, cum de Apollinis hymno narraret post victos Titanas cantato in Agam. 338 sqq. [2]).

---

1) Conectuntur quidem omnia ista, quae celebrat poeta, cum Apollinis numine, ac debita referuntur, ut par est, illi deo, in cuius templo carmen cantatum esse fingitur, sed nequaquam idcirco cum Baehrens. perhibendum est elegiam continere laudes unius et solius Phoebi („einzig und allein des Phoebus" cf. p. 25 et 31 sq.). Dei laudes propriae continentur vss. 11—16; in reliquo carmine identidem invocatur vel nominatur deus cum transit poeta ad rem novam: v. 17. 65. 79. 105. 123.

At sensit B. laudes Phoebi hoc die festo magis convenire in ore novi sacerdotis quam Tibulli, hinc mire sic scripsit p. 26 „Denn Tibull identifizirt sich mit Apollo's „neuem Priester, in dessen und seiner Collegen Namen er, während diese die Opfer „darbringen, den Gott besingt". Sed in ore Messalini prorsus inepta sunt, quae canuntur a v. 105, quin immo iam a v. 82 ad finem usque.

2) In v. 9 Baehr. pro *qualem* correxit *quali*, idque coniungit cum *victori Iovi*, et distichon sic constitutum

quali te memorant Saturno rege fugato
victori laudes concinuisse Iovi.

interpretatur, incredibile dictu! hunc in modum ll. p. 27: „in dem Schmucke, in „welchem einst der siegreiche Juppiter Dein Loblied entgegennahm, nimm auch Du „jetzt unseren Gesang entgegen."

Digitized by Google

Inde a v. 11 incipiunt laudes. Cum novus sacerdos evolvere et interpretari debeat vaticinia, quae afflatu Apollinis cecinit Sibylla, deum celebrat inventorem et magistrum artis augurum, sortilegorum, haruspicum, auctorem quoque librorum Sibyllinorum, eumque precatur, ut horum interpretationem Messalinum ipse doceat 11—18.

Post encomium dei fatidici et commendationem discipuli, ansam cepit ex commemoratione Sibyllae in 15 sq. enarrandi sortes gravissimas, quas illa dedit Romanae gentis conditori Aeneae de nova patria desperanti — quae digressio non laxius inseritur quam aliae multae, veluti locus de Apolline pastore in II. 3; — has autem sortes ubi et quando dederit, in incerto poeta reliquit, qui universe sic loquitur v. 19

Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
dicitur et raptos sustinuisse lares:
nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.

Baehrensius p. 30 immerito derisioni habuit poetam, vel potius, ut ille putat, interpolatorem, quasi dixerit his vss. Sibyllam „e mari emergentem" fata cecinisse Aeneae de navi incensam urbem respicienti. At praetervidit alteram sententiam, *nec fore .... deos*, non pendere ex coniunctione *postquam*, neque ullum continere temporis locive indicium, sed declarare animi condicionem Aeneae divino solacio indigentis [1]). Non hoc erat Tibulli, ut in huiusmodi rebus certam curaret temporis

---

Orta est mira interpretatio inde, quod ineptum esse putat Apollinem induere vestem, qua hymnum tunc concinuit, nisi nunc quoque ad canendum prodeat. Sed hocine ineptius, quaeso, quam ut in honorem Messalini amictum mutuetur ex Olympo, qua pater deorum ornatus tunc fuerat? Proponitur nobis deus, quali habitu stetisse videtur in templo Palatino, et qualis nunc superest Apollo citharoedus in Museo Vaticano.

Idem v. d. in 7 pro *sed* legit *et*. Miramur sane exhortationem *nitidus pulcherque semi* postponi disticho de coronatis temporibus lauro, nam haec quoque auget nitorem et pulchritudinem. Manet tamen difficultas sive scribimus *et* sive *sed*. Itaque aut corona laurea ex mente Tibulli non pertinet ad nitorem et pulchritudinem dei, sed ad maiestatem, aut corrigendum est *sic* s. p. *semi*, cf. 1. 7. 53 *sic venias hodierne*.

1) Non assentior Bubendeio, cum perhibet p. 31 „*credebat* trahi ad Sibyllam ab unoquoque hoc carmen legente neque quae secuntur observante". Nemo non trahet *credebat* ad Aeneam, nisi qui dormitans legerit.

Digitized by Google

locive descriptionem [1]), et minime omnium sane hoc studuit in narratione, cuius fabulosam et incertam naturam ipse se sentire satis prodidit, cum adderet *dicitur* in v. 20. At hoc certe constat, si qua temporum indicia datarum sortium quaerenda sint, ea non inveniri in his distichis, sed potius in v. 45 et 62 ubi *fessae puppes* et *tam longa via* satis indicant, poetam cogitasse vaticinia in fine longi itineris data, cl. v. 41 sq. *iam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros, iam vocat ... hospita terra.*

Pergo ad sqq. vss. 23—38. Cum expectaremus post v. 22 statim cantatum iri sortes Aeneae, poeta inopinato orationem abrumpit et inserit egregium episodium de condicione agri Romani ante urbem conditam, quo ad finem perducto v. 39 redit ad sortes. Et iam sat multa cognovimus poetae nostri specimina immodicae libertatis in mutando argumento, ut hanc repentinam digressionem non nimis miremur aut indignemur. Itaque potius anquirendum, qua de causa hunc locum, de cuius genuina origine nemo fere dubitavit, tam licenter ingessisse aestimandus sit.

Et hoc quidem a Tibullo exspectari vix poterat, ut oblatam occasionem describendi antiquam agrestis vitae simplicitatem, cuius erat amantissimus [2]), dimitteret is qui etiam non oblatam quaerebat ubi poterat. Cum igitur verba v. 21 *nec fore credebat Romam* sqq. ansam quandam praebere viderentur delineandi lo-

---

1) Sic olim vidimus (Mnem. 1887 p. 226 ann.) irritos fuisse conatus eorum, qui ex locorum indiciis in el. I. 2 efficere studuerunt, qua opportunitate, quo loco illa elegia cantata esse fingeretur. Illos etiam refutavit ipse Baehr., qui rectissime sic contendit p. 17 annot: „Man sollte doch bei Tibull sich hüten vor allzu pedantischen „und kleinlichen Auslegungen und nicht gleich Alles wörtlich nehmen, „sondern auch der dichterische Phantasie ihr Recht geben".

Suo autem praecepto vix stetit B. cum p. 30 haec scriberet: „(Tibull) würde auch „nicht nach *et raptos sustinuisse Lares* die Troischen Götter trotzdem „verbrennen lassen: *ardentes respiceretque deos;* denn so ohne weiteres „lässt sich *deos* nicht durch *templa* erklären". Sed quidni crederet Tibullus alia Troiae templa cum diis i. e. cum signis deorum praeter Penates conflagrasse? In B. coniectura *Ilion ardentes respiceretque domos* displicet imprimis tautologia.

Oculis autem vix credidi, quum apud B. haec legerem p. 30 „Tibull selbst kennt „das prosaische *postquam* in seinen echten Gedichten nicht", nam invenitur in hac ipsa elegia v. 107, quem B. quoque a Tibullo non abiudicavit. Nec „prosaicum" illud *postquam* deest in Odis et Epodis Horatii et in Eclogis atque Aeneide Vergilii.

2) Cf 1. 1. 39 sq. 2. 85 sqq. 10. 17 sqq. 2. 1. 39 sqq.

Digitized by Google

corum aspectum ante adventum Aeneae et vitam pastoriciam tum in illis actam, ingenio libenter indulsit; hoc autem consilium cum semel cepisset, nusquam haec inseri poterant, nisi ante narrationem de urbis origine 39—63 et post mentionem Sibyllae et Aeneae.

Haec, quae dixi, concinunt cum multis quas de his versibus bene observavit Baehrens. p. 28 sq. „sie tragen an sich alle „Kennzeichen des Geistes Tibullischer Dichtung (von einzelnen „Verderbnissen natürlich abgesehen), dergleichen kein Nachahmer „zu Stande bringt .... (Tibull) wollte die dem Aeneas gege„benen Weissagungen der Sibylle einleiten durch eine Schilde„rung der Oertlichkeit, auf der später Rom stand. Man merkt „es dem Stücke an, wie besondere Schwierigkeiten ihm die „fremde Materie machte. Der alte(?) Sänger der Liebe und des „Landlebens konnte sich nich recht hineinfinden in den ihm „ungewohnten Stoff; unvermerkt fällt er in die seiner Leyer „gewohnten Weisen und liefert uns so in v. 23—28 ein an „sich liebliches Bild, welches jetzt nur des passenden Rahmens „entbehrt". Etiam postremis verbis subscribo, quatenus reprehendunt poetam quod inserta digressione ex instituta narratione de sortibus Aeneae abrupte deflexit et finita digressione non minus abrupte illuc rediit. Sed neque viro doct. assentior perhibenti totum hunc locum pro primo poetae tentamine esse habendum („einen ersten Entwurf des Dichters" p. 29), nec Gruppio putanti „haec disticha orta esse ex duplici carminis recensione, quas quominus nova carminis retractatione instituta confunderet atque misceret, mors impediverit poetam", cf. Bubendey quaest. Tib. a. 1864 p. 29, nec tandem ipsi Bubendeio contendenti „hanc digressionem non Tibullianam esse", quia insint versus complures indigni Tibullo, l. l. p. 29—32.

Et primum quidem reicienda est opinio vel totam elegiam vel partem eius mancam et imperfectam a poeta esse relictam, qua de re disserendi opportunitas mox (vide p. 71) ultro se offeret. Neque verum est, quod aiunt Grupp. et Baehr., ut scilicet in nitidissimo loco imperfecti aliquid coarguant, v. 23—26 meliore habitu repetita („in besserer Gestalt wiederholt" p. 28) legi in posteriore carmine v. 55 sq., quos versus, ut lectori appareat quam sint dissimiles, infra appingendos cu-

Digitized by Google

ravi [1]). Cum Bubendeio autem anceps est certamen, quoniam ille improbat distichon 31 sq. ut „ieiunum et ridiculum", atque locum de puella 35—38 ut „pusillum et humilem", qui loci mea quidem sententia verborum et rerum suavitate sic nitent, ut pulchriores vss. in toto libello inveniri vix posse opiner, qua in re socium habeo Baehrensium in vv. supra laudatis et Lachmannum, cuius iudicium apud ipsum Bubendeium hoc esse video (Allgem. Litt. Zeit. 1836 p. 260): „in der „idyllischen Einleitung tritt zum ersten Mal und in recht „behaglicher Ausführlichkeit (besonders v. 31. 32. „35—38) die Gesinnung des Dichters hervor, dem die Grösse „Roms nur als ein Uebergang aus einer reizenden Landlichkeit „wichtig ist". Rectissime sensit Lachm. hoc episodium non parergon quoddam fuisse poetae, sed primariam carminis partem, ex mente illius, qui magis etiam quam Urbis gloriam ac splendorem adamabat memoriam vetustae simplicitatis morum et vitae pastoriciae. Quod autem Bubendeius arguit v. 25, 29, 31 iuxta iustam caesuram etiam incisionem habere minus solitam post quartum trochaeum, idcirco profecto a Tibullo abiudicandi non sunt, nam etiam in huius libri elegia secunda eandem incisionem ter usurpatam invenimus v. 13, 14b, 39, cum in reliquis eiusdem libri carminibus non legatur nisi semel in 4. 11. Simili casu fortuito factum est, ut in el. 1. 3 v. 27, 63, 93 caesuram habeant in reliquis carminibus vix usquam, quantum vidi, adhibitam.

Imprimis autem displicuit viris doctis hiatus inter v. 38 et 39 ac repentinus reditus vel potius saltus ex loco de prisca condicione agri Romani ad sortes a Sibylla cantatas Aeneae. Hauptius credidit intercidisse unum distichon, sed quantum cognovi nemini doctorum hoc probavit, non quo plerique pu-

---

1) v. 23—26 *Romulus aeternae nondum formaverat urbis*
moenia consorti non habitanda Remo,
sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
et stabant humiles in Iovis arce casae.
vs. 55 sq. *Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,*
dum licet: hic magnae iam locus urbis erit.
quid commune habent hi versus praeter *pascere* vel *carpere herbosa* vel *herbas*? Et qui quorumque sint illi *tauri* in 55, intelligitur demum ex praemissis vss. 27. 28.

Digitized by Google

tarent hiatum esse tolerandum in Tibullo, sed quia perspiciebant, opinor, (Baehr. l.l.) inter locos diversissimos eum expleri non posse nisi interiectis versibus multo pluribus quam duobus. Quid tamen deesset neque Hauptius neque alius quisquam divinare sustinuit [1]). Sed mea quidem sententia, secundum ea quae supra de hoc loco disputavi, nihil ex Tibulli codice intercidit neque in fine neque ab initio episodii. Placuit poetae in plerisque elegiis, et maxime in laudatoriis carminibus 1. 7 et hoc ipso, iucundas digressiones breviores vel longiores ita interspergere, ut in capite aut in calce, et nonnumquam utrinque, vix tenuissimo filo externo cum proximo argumento cohaererent, nam interna rerum cohaerentia nusquam deest, atque maluit hiatum relinquere et quasi saltum facere a re alia ad aliam, quam eas conglutinare versibus ac sententiis quaesitis et otiosis, quales idcirco nullae fere in libello eius inveniuntur. Exempla huius rei satis multa in singulis carminibus tractavi, quorum conspectum infra posui [2]).

Pervenimus tandem ad ipsas Sibyllae sortes cantatas Aeneae in v. 39—64. Accipiet profugus heros Laurentes agros et post mortem divino honore coletur: reliquos autem vitae casus Sibylla divino numine plena, non aliter atque Nereus in Horatii carm. 1. 15, praefatur quasi nunc iam oculis cernat: bella cum

---

1) Inter v. 38 et 39 revera intercidisse distichon unum vel plura primo obtutu confirmari videtur eo, quod in Ambros. et Vatic. odd. a v. 39 nova incipit elegia cum inscriptione propria, „fortasse (ut scripsit Hillerus) quia in vetustiore exemplari lacuna significata erat". At vero in communi exemplari unde ducti sunt illi libri, nullas lacunas fuisse significatas, inde efficitur, quod ii quoque vv. omnes, inter quos hexameter vel pentameter periit (1. 2. 25—26, 2. 3. 15—16 et 74—75) sine intervallo coniunguntur in A et V, nec minus in locis manifesto lacunosis, velut 1. 10. 50 sqq., ullum superest lacunae indicium. In cod. Guelferb. interstitia sane relicta sunt unius v. in locis supra citatis, sed idem liber h. l. non lacunam significat, verum pariter atque A et V novum carmen incipit.

Praeterea in iisdem ll. etiam El. 6 Lygdami perperam in duo carmina divisa est cum singulis inscriptionibus; ibi tamen nulla lacunae suspicio umquam fuit aut esse poterit. Utramque divisionem inde ortam esse suspicor, quod primi versus alterius partis in 2. 5 et Lygd. 6 legebantur in summa pagina et argumenti aliqua diversitas in posterioribus illis partibus esse videbatur.

2) Versus, in quibus continuus carminum tenor levius gravioreve interrumpitur et de quibus omnibus antea exposui, sunt hi: I. 1. 7. 15. 35. 37; 2. 33. 41. 65. 79. 87; 3. 35. 49. 51. 59. 83; 4. 15. 21. 27. 39. 57. 71. 81; 6. 15. 23. 25. 37. 75; 7. 9. 29. 49; 8. 27; 9. 39; 10. 17. 25. 33. II 1. 31. 47. 51. 83; 3. 11. 33. 49. 61.

Digitized by Google

Rutulis, necem Turni, Laurens castrum, Lavinium, Albam Longam ab Ascanio conditam, Rheae Silviae concubitum cum Marte, locum condendae Urbi destinatum, denique futuram Romae gloriam et imperium orbis.

Nemo sane haec perlegit, quin sentiat non Phoebi laudes, sed populi Romani originem et incrementa atque fortia facta a poeta celebrari, atque fateatur huic fatorum descriptioni non sine iusta ratione, etiam si desit externum vinculum, praemissum esse episodium de pristina vita et de aspectu regionis et incolarum, quos tam gravia fata manebant.

Sed cur inter tot claras personas et res tam illustres nomina non legimus eorum, qui primores fuerunt in urbe condenda, Romuli et Remi? Causa nimirum haec est, quod eorum memoria brevi ante erat celebrata in digressionis introitu v. 23 sq. Ex eadem quoque digressione planum fit, quid sibi velit subita apostrophe ad *tauros* in 55 sq. Utraque autem res demonstrat, poetam in componenda hac parte de sortibus Romanis rationem habuisse eorum, quae leguntur in digressione de agro Romano, unde concludendum hanc prius esse compositam nec postea insertam, neque poetam haec incohata tantum, non absoluta aut concinnata reliquisse [1]).

Laeta vaticinia Sibyllae excipit locus de tristibus vaticiniis Sibyllarum aliarum a v. 65—80:

Haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit, 65
iactavit fusas et caput ante comas.
Quidquid Amalthaea, quidquid Marpesia dixit
Herophile, Phyto Graia quod admonuit,
Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
portarit sicco pertuleritque sinu — 70
Haec fore dixerunt belli mala signa cometen,
multus ut in terras deplueretque lapis:
atque tubae atque arma ferunt strepitantia caelo
audita et lucos praecinuisse fugam,
et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes 77
fataque vocales praemonuisse boves. 78
ipsum etiam solem defectum lumine vidit 75

1) Vide supra p. 60.

Digitized by Google

iungere pallentes nubilus annus equos — 76
haec fuerant olim: sed tu iam, mitis Apollo,
prodigia indomitis merge sub aequoribus [1]).

Nemo haec legens mirabitur, multa in his vss. non probata esse iis interpretibus, qui Tibulli poemata non ad ipsius normam et consuetudinem, sed ad suas rationes logicas exigere soleant. Omitto autem reprehensiones pusillas et speciosas huiusmodi: in primo disticho perperam adhibitam esse structuram paratacticam pro hypotactica [2]), damnandum esse frequens versuum initium per *haec* in v. 65, 71, 79 (cl. 19) [3]), poetam turpiter e constructione excidisse in v. 71 sqq. mutato subiecto verborum *dixerunt* et *ferunt* [4]), atque ad seriora argumenta transeo, quibus Baehrensius omnium nuperrime, vestigia ingressus Gruppii et Wisseri, hos vss. interpolatos esse arguit.

Ac primum quidem stupet („man erschreckt" etc. p. 34) quod interpolator ausus sit tribuere eidem Sibyllae vaticinia fausta ac felicia antea memorata et infausta atque horribilia quae his vss. leguntur. Affirmat enim Amaltheam, cuius sortes poeta abominatur cum reliquis, eandem esse atque Sibyllam, quae cecinit Aeneae. Sed nihil constat de nomine Sibyllae quae consolata est gentis conditorem; teste saltem Servio ad

---

1) In lectione nominis proprii in v. 68 secutus sum Hillerum et Huschkium, in transpositione versuum 75—78 Luc. Muellerum.

2) Baehr. p. 30: „Hier wird coordinirt („so sagte die Seherin und rief .... und „warf" ....) während subordinirt werden müsste („nachdem sie vorher angerufen „hatte"); denn die Prophezeiung geht die Apollinische Inspiration und Ekstase vor„her, nicht folgt sie jener". Sed teste Cicerone inspiratio et furor durat dum vaticinatur, ut per se consentaneum est: de div. 1. 34 *vaticinantibus per furorem ... ut Sibylla Erythraea.*

3) Ibid. p. 34: „Dieser (der Interpolator) hielt augenscheinlich die Anknüpfung „durch *haec* für eine poetische Schönheit". Fugit Baehrensium illum interpolatorem suum hac in re saltem bene peritum fuisse stili Tibulliani, cui tritum est initium per *haec*, veluti in consimili loco de muliere fatidica 1. 2. 43. 45. 53, nec minus in 6. 45. 59. 61, coll. ibid. vv. 81. 83. 85, et 5. 47. 51, 7. 1. 3 etc.

Ceterum in v. 71 pro *haec* ll. habent *hec* et legendum videtur cum Italis *hae*, quod etiam probavit Hillerus, quamquam ille quoque perperam hanc causam asserit „propter initia vss. 65 et 79."

4) Ibid. p. 35. Lepidum est eandem structurae enallagen, quam in poemate quasi in tironis exercitio rhetorico satis acerbe vituperavit B., laudibus extulisse Dissenum p. 291: „Observabis cum aliis praeclaram mutationem orationis. Cum „enim ante narraverit quid praedixerint Sibyllae, non pergit narrare praedictiones, „sed ἐμφατικῶς iam ipsas res portentosas, quae tum praedictae evenerunt, narrat."

Digitized by Google

Aen. 6. 72 „Sibyllina responsa" Aeneae data „incertum est „cuius Sibyllae fuerint, quamquam Cumanae Vergilius dicat, „Varro Erythraeae". Nec magis constat de Amalthaea, quae eodem Servii loco dicitur fuisse mulier quaedam „quae Tarquinio novem libros obtulit", quocum concinit Lactantius in loco classico de decem Sibyllis 1. 6: „Cumanam nomine Amal„theam, quae ab aliis Herophile vel Demophile nominatur, eam„que novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum", neque aliter Suidas i. v. Sibylla. Tibullus autem ut Herophilen distinxit ab Amalthaea, ita hanc diversam habuit a Sibylla κατ' ἐξοχήν sic dicta, quacum locutus est Aeneas, ut ex ipso carmine apparet [1]).

Sed multo magis offensioni fuit interpretibus quod in vss. supra positis eiusdem sententiae partes prior et posterior: *quidquid Amalthea ... pertuleritque sinu* et *haec fuerant olim* importune distrahuntur interiecta longa parenthesi de prodigiis. Et erat profecto cum ego quoque dubitarem utrum locus esset interpolatus an genuinus; non quo longiores parentheses a Tibullo sint alienae [2]), qua de re satis superque iam monui, sed quia haec nimia paene licentia se insinuavit in mediam sententiam. At vero ut hanc suspicionem repudiarem me induxit locus Ovidianus, qui huic nostro tam similis est, ut dubitari vix possit, quin alter ad alterius exemplum sit expressus. Legimus in Met. 15. 783: *qui* (superi) *rumpere quamquam*

ferrea non possunt veterum decreta sororum,
signa tamen luctus dant haud incerta futuri.
Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes
terribilesque tubas auditaque cornua caelo
praemonuisse nefas. Solis quoque tristis imago
lurida sollicitis praebebat lumina terris.

et v. 792:

Mille locis lacrimavit ebur, cantusque feruntur
auditi sanctis et verba minantia lucis.

1) Baehr. p. 34 „Wer ihn liest, kommt zuerst auf den Gedanken, Amalthea sei „von der vorhin sprechenden Cumanischen (?) Sibylle verschieden". Ita sane, neque est cur primam cogitationem lectores abiciant.

2) Baehr. p. 35: „Nie wurde T. eine so lange Parenthese niedergeschrieben haben, „weil ihm solche fremd sind".

Digitized by Google

De cometa autem, quem memorat Tibullus, cf. v. 749. Locorum similitudo coarguit imitatorem, praesertim cum constet permultos locos Tibulli exemplo fuisse Nasoni, cuius rei documenta non pauca congessit Zingerle in notissimo libro de Ovidio antiquiorum poetarum imitatore I p. 54 sqq., quem horum quoque versuum convenientiam non fugisse iam video [1]).

Ne autem credamus hos versus ab imitatore Ovidii esse confectos et Tibullo imputatos eiusque elegiae insertos, prohibet usus quorundam verborum, quae et minus usitata sunt et ab hoc Ovidii loco absunt, sed quae apud Tibullum alibi quoque leguntur, velut *strepitantia* pro *crepitantia* (cf. 2. 2. 17), *praecinuisse* pro *praemonuisse*, quod noster usurpavit v. 78, (cf. 1. 8. 4 et 5. 12) et *pallentes* (cf. 1. 8. 17, 3. 10. 5).

Si autem quis quaerat, cur Tibullus totam hanc parenthesin inseruerit, cur ille, qui longe semper fugit doctrinae ostentationem, tot Sibyllarum nomina sedulo retulerit, cur denique post felices praedictiones infelicibus etiam in laudatorio carmine locum destinaverit, haec respondeo. Meminimus poetam inde a v. 15 id egisse ut sacrorum librorum in rebus Romanis celebraret momentum. Cum autem memoria praedictionum terribilium, quas in civilis belli gravissima clade anxii mortales e sacris chartis eruerant, nondum esset exstincta (cf. Verg. G. 1. 466. Hor. Carm. 1. 2. Ovid. l.l. et Lucanus 1. 556 sqq. [2]), et vel sola Sibyllae mentio eam refricare deberet, necesse videbatur ut is, qui gloriosa vaticinia curiose recognosset, simul infaustorum metum ac terrorem levaret vel tolleret, idque eo magis,

1) Ex locorum farragine quos contulit Zingerle, exempli causa paucos indicabo forte fortuna excerptos. El. 1. 7. 29 sqq. Ov. M 5. 3. 41 sqq — El. 1 1. 11. Ov. Fast. 2. 641. — El. 3. 5. 19. Am. 1. 8. 9. — El. 1. 3. 69. M. 4. 454. — El. 1. 3. 75 sq. Ib. 179 sq. — El. 1. 7. 1. Tr. 5. 3. 25, quibus addo vss. Tibullianos data opera de memoria relatos in Trist. 2. 447 sqq. et elegia in mortem Tibulli Am. 3. 9.

Ceterum de Tibulli ratione in carminibus pangendis adhibita rectissime sic scripsit Zingerle p. 57: „Es ist nämlich allgemein bekannt, wie wesentlich es der Kunstart „Tibull's ist vom dem geraden Faden der Erzählung und der Empfindung ab zu „weichen und in reichen Wechsel von einem Gegensatz zum andern zu eilen, so dass „seine Gedichte fast nie ein gewisses Schema befolgen, sondern jede Elegie eine Reihe „von kleinen Gruppen und Bildern in vieler Mannigfaltigkeit darbietet".

2) Vergilii Georgica edita sunt sub a. 30. Carmen Horatii paulo ante a. 27. Tibulli elegia fere a. 20.

Digitized by Google

quis mox sequitur aureae aetatis praedictio v. 80 sqq., quam non sane anxiorum hominum mentes imbiberent, nisi antea malorum metu ac suspicione essent liberatae. Et prudenter quidem Tibullus hoc munere functus est. Primum enim malarum sortium momentum ea ratione imminuit, ut bonas ac laetas uni sacerdoti tribueret, quam *κατ' ἐξοχήν* Sibyllam appellavit, sed tristes et infaustas aliis sacerdotibus, quas non Sibyllarum vocabulo ornavit, sed singulas nominatim designavit, Amaltheam e. q. s., tum vero harum metum omnino sustulit per clausulam parenthesis: *haec fuerant olim* [1]).

Transeamus ad sequentia. — Inde a v. 79 ex digressionibus eleganter sic redit ad Phoebum, quem hac elegia imprimis celebratum voluit:

haec fuerant olim: sed tu iam mitis, Apollo,
prodigia indomitis merge sub aequoribus,

h. e. illis prodigiis iam sumus defuncti: quodsi vero in posterum similia apparebunt prodigia, tu, Apollo, dux et auspex portentorum omnium, iam mitigatus patere ea aequoribus mergi [2]).

Illos autem vss. statim excipiunt hi (81 sqq.):

et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
omine quo felix et sacer annus erit.
laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:
distendet spicis horrea plena Ceres, e. q. s.

Probe intellexit Baehrens. sacrificium, quod animo poetae obversatur in his vss., distinguendum esse ab sacris Apollinis memoratis v. 6, neque audiendus est Dissenus, qui, ut unitati

1) Usus videtur plusquamperfecto, ut omina illa iam multis annis ante exitum habuisse indicaret. Ceterum non male Itali correxerunt *fuerint*, quod non tantum peracta omina declarat, sed etiam de eorum veritate levem movet dubitationem. Cf. v. 70 *portarit perituleritque* post *dixit et admonuit*.

2) Luce clarius est non invitari Apollinem ut vaticinia Sibyllarum, quae supra nominata sunt, deleat, quamquam sic verba interpretatus esse videtur Baehr. p. 34 infra „wenn der Cumanischen Priesterin Weissagungen mitsammt den übrigen vernichtet werden sollen". Sermo est de prodigiis futuris. Deum rogat ut faciat, quod Romani sacerdotes nonnumquam faciebant, qua de re cf. locus appositus ap. Dion. Cass. Excerpt. 84: *καί μοι ἐς τοῦτο ὅτι μάλιστα ἀποσκῆψαι δοκεῖ τό τε πλῆθος τῶν λίθων τῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατενεχθέντων ... καὶ τὰ δάκρυα τοῦ Ἀπόλλωνος. ἴκλαυσε γὰρ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας* (post mortem Africani minoris), *ὥστε τοὺς Ῥωμαίους κατακόψαι τε τὸ βρέτας καὶ καταποντῶσαι ἐκ συμβουλῆς μάντεων ψηφισθῆναι.*

Digitized by Google

elegiae inserviret, utroque loco celebrari statuebat „magna solemnia verna Apollinis" atque tali die Messalinum introductum esse in templum" (l.l. p. 271. 294). At in eo cum Baehr. non facio, quod putat locum lacunosum esse et ante v. 81 periisse sacrificii initium, p. 31: „ihre Lückenhaftigkeit zur Anfang „liegt klar zu Tage: der Beginn des Opfers und sein Bezug „auf Apollo wird vermisst". Ego quidem ante v. 81 nihil desidero, cum quia vv. superiores (67—80) non pro insiticiis habeo, ut B. suasit, tum quia satis manifestum est, non unum certumque sacrificium Apollineum describi, sed universe indicari sacra illa frequentia, in quibus lauri folia, Apollini sane dicata, cremabantur, quae quam antiqua fuerint quamque usitata rusticis hominibus Ovidius nos docuit in Fast. 1. 341 sqq. [1]). Igitur meo iudicio Tibullus nullo saltu aut hiatu transiit a prodigiis ad Apollinem et ab Apolline ad sacrum quaquaversus ruri habitum ad fecunditatem implorandam frugibus, pecoribus, hominibus, atque uno tenore carmen perducitur ad elegantissimam descriptionem aureae aetatis, quam exspectat, quaeque pertexitur ad v. 104.

In his omnibus autem nihil animadvertendum est nisi hoc: quod in v. 5 et 81 non unum idemque, sed diversa sacrificia tractantur, id denuo probat quam parum poeta congruam atque constantem rerum expositionem cordi habuerit. Postquam enim prius illud sacrum novi sacerdotis, quo nititur et unde proficiscitur tota elegia, semel est commemoratum, non tantum prorsus in seqq. negligitur, sed eius memoria quoque in animo lectoris perturbatur et obruitur novi sacrificii mentione, coniuncti qui-

---

1) *Tura nec Euphrates nec miserat India costum,*
nec fuerant rubri cognita fila croci
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
et non exiguo laurus adusta sono.

Et in sacris Paliliis praecipit sic 4. 741 sq.

Ure mares oleas, taedamque, herbasque Sabinas,
et crepet in mediis laurus adusta focis.

Igitur agrestes in sacris suis pro suffimentis Indicis et externis, antiqui moris tenaces adhibebant herbas Sabinas et lauri folia. Cf. etiam Verg. Cul. 403 *herbaque turis opes priscis imitata Sabinis*, et Plin. 24. 102. Antiquitus igitur laurum adhibebant tantummodo propter odorem et crepitum in flammis, sed Tibullus hanc herbam h. l. apte adhibuit, ut sacra illa rustica cum Apollinis cultu coniungeret.

Digitized by Google

dem cum eodem deo, sed tamen a priore illo longe diversi. Atque hoc ipsum sacrificium mox pariter omittitur et mera est transitio ab altero episodio ad alterum.

Digressio de saeculo beato ut sensim crevit ex invocatione Apollinis in v. 79, ita clauditur precibus ad eundem v. 105 sq.:

pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor,

qui vss., non sine studio quaesiti (de arcu et sagittis bellicis transit ad arcum et sagittas Cupidinis) viam sternunt extremae digressioni de amore et puella 107—112. Denique hanc ipsam digressionem callida arte ita flexit, ut nulla opera redire videatur ad primaria elegiae argumenta, Messalinum et Phoebum, quorum repetita commemoratione carmen claudit [1]). Rem tractavit hunc in modum: Fingit se morbo laborare, quem quasi per incantationem sibi iniecerit Nemesis [2]), quoque fiat ut sine ea nec verba nec versus nec pedes ullos reperire possit iustos. Sed praemonet puellam, ne nimis urgeat *sacrum vatem* quem *divum servat tutela* v. 13 sq., utque facultatem sibi relinquat canendi Messalinum, cum aliquando triumphum celebrabit ad exemplum patris et cum impensa illius laetitia v. 115—120. Quod ut fieri iubeat petit a Phoebo v. 121 sq., cuius invocatione sic iuste aperitur et clauditur elegia.

Enarravi elegiae argumentum ac simul examinavi et refutavi aliorum interpretationes correctiones dubitationes, quotquot cognovi, quae a vero aberrare viderentur.

Sententiam Wisseri (quam ab aliis accepi, nam ipsius opusculum mihi videre non licuit), totam elegiam spuriam esse

---

1) In conglutinandis locis de amore, de re rustica, de diis, raro artificia Tibullo defuerunt, quibus probabiliter ab alia re ad aliam transiret. Quod cum in aliis argumentis ei minus succederet, talia absolute tractare praetulit, quam versus transitorios pangere inanes et inelegantes. (Cf. quae monui supra p. 62).

2) Fabulae sunt, quae ex his vss. Gruppius et Baehrensius confinxerunt de corporis valetudine extrema, qua perierit Tibullus quaeque eum impediverit, quominus ipse hoc carmen expoliret. Nam qui ille morbus est, cui *favemus* vs. 110, *cuius ipse dolor iuvat*, qui prohibet quominus quidquam cogitemus aut canamus quam puellam, nisi amoris aegritudo? Hoc autem morbo quantopere revera vexatus fuerit, ostendit imprimis elegia 4, quae igitur unius fere anni spatio (v. 109 *iacco cum saucius annum*) confecta esse videtur cum el. 2. 3 et 5.

Digitized by Google

opinantis, multis argumentis refellendam esse vix credo. Insunt enim in carmine non pauci quidam vss., sed longi distichorum ordines tam perfecti et egregii, ut in toto libello multi inveniantur qui eorum praestantiam non aequiperent, paucissimi qui superent. Quod ne solus et temporis causa perhibere videar, testem cito fide dignum neque nimis indulgentem Baehrensium, qui multas partes magnis laudibus extulit [1]).

Ipse autem Baehrensius, cuius opiniones ideo maxime exhibeo et impugno, quia ex recentioribus criticis post Lachmannum et Dissenum et Gruppium disertissime et plenissime neque non sagaciter plerumque de hac elegia disputavit [2]), de universi carminis condicione sic conclusit p. 33. Constat partibus genuinis quatuor: v. 1—18, 23—38, 39—64, 81—122. Cum poeta iam annum se aegrum esse dicat v. 109, morte prohibitus esse videtur (et sic iam Gruppius), quominus singulas partes perpoliret et coniungeret, quod qua ratione fieri voluerit latebit in aeternum. Post mortem amicus quidam poetae edidit elegiarum librum alterum atque in hac elegia non tantum interpolatorem egit, sed sustulisse etiam videtur vss. genuinos ante v. 81, quo aptius suos insinuaret. Fecit hoc a. 18 ante Chr. nat.; nam cum scriberet v. 79 sq., sub nomine Apollinis celebravit Augustum, qui paulo ante libris Sibyllinis curam suam impenderat, teste Dione Cass. 54. 17.

Sed haec omnia sunt merae coniecturae nixae nullo firmo fundamento, immo quam maxime improbabiles.

---

1) Legimus in libro saepius laudato praeter ea quae supra rettuli p. 60 haec v. d. iudicia: p. 27 elegiae initium, ab ipso emendatum, appellat „die trefflichste Einleitung zu dem nun folgenden Lobe Apollo's; p. 28 de v. 23—28 et 39—64 „eben so wenig geben beide Versreihen Veranlassung an ihrem Tibullischen Ursprung zu zweifeln" et brevi post: „Wer v. 23—28 ausmerzen wollte, würde Tibull selbst seines Eigenthumes berauben". p. 29 „Des Aeneas Schicksale auf italischen Boden, Roms Entstehen und künftige Grosse werden aber mit kurzen Strichen so meisterhaft entworfen, dass wir Tibull auch hier nur bewundern". Denique p. 31 „in v. 81—113 spricht aus jedem Zeile fast aus jedem Worte Tibull: der Reichtum lieblichster Bilder des Landlebens, sqq. ...., diese ganze bunte Fülle einander abwechselnder Situationen läuft in sanften Flusse an des Lesers' Seele vorüber". His omnibus subscribo. Miror tantum, quomodo v. 23—28 et 39—64, quos praedicat esse „ein liebliches Bild" „meisterhaft entworfen", pro primo poetae tentamine nihilominus habeat.

2) De Leonis opusculo in appendice disseram.

Digitized by Google

V. 109 nihil nos docere de aegritudine corporea iam supra demonstravi.

De amico editore libri II nihil constat. Si carmina genuina libri IV, in quo B. unum tantum carmen 13 Tibullo adiudicat, scripta sunt post elegias libri III, tempus non defuit poetae, si minus edendo libello, saltem ipsis carminibus concinnandis et expoliendis.

Versus qui creduntur insiticii, 19—22, 65—80, nequaquam referunt interpolatorem lacunas explere et disiecta membra coniungere conantem, nam hoc ipsum in iis vituperatur quod nihil coniungunt, quod non cohaerent scilicet cum iis quae praecedunt et sequuntur. Et cur amicus ille male sedulus (magis sane pios habuit Vergilius) unum illum locum, ubi nunc multis lacuna esse videtur, inter v. 38 et 39 non de suo interpolavit? Cur reliqua coniungens haec neglexit?

Elegiam nihil pertinere ad Augustum supra vidimus. Neque umquam ille mersit prodigia, ut veteres Romani fecerant, sed cremavit libros fatidicos *supra duo milia*, ac *solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito*, idque mortuo demum Lepido, igitur post a. 13. Suet. Oct. 31. Locus Dionis, *ἐπὶ τὰ Σιβύλλεια ἐξίτηλα ὑπὸ τοῦ χρόνου γεγονότα τοὺς ἱερέας αὐτοχειρίᾳ ἐγγράψασθαι ἐκέλευσεν*, curam indicat contrariam, quam quae consistit in mergendis prodigiis.

Tandem fieri non potuisse videtur ut elegia imperfecta a poeta sit relicta, si reputamus, eam non compositam esse animi causa, ut pectoris impetui satisfaceret, atque in incertum tempus absolvendam et edendam, sed datam esse aut recitatam Messalino et Messalae ad occasionem certi temporis, quo die novus ille sacerdos primum munus obiret. In tali autem opportunitate quis poeta patrono carminis fragmenta mittere solet, neque unum et totum quantum potest perfectum et expolitum?

Quid autem ipse de carmine statuam ex praegressa disputatione satis apparet, atque rerum decursum in initio succincte exposui, quocirca hoc tantum repeto. Cum novi sacerdotis celebrandi officium suscepisset vel sibi imposuisset Tibullus, cuius lyra mediocris mortalis laudibus canendis nequaquam erat idonea, „verba" ita „flexit", ut in ipso argumento paucis tantum moraretur (similiter atque in El. 1. 7, in hac autem elegia

Digitized by Google

eo paucioribus, quo exiliorem laudandi copiam filius quam pater praebebat), et declinaret identidem a rigidiore materia ad molliorem et leviorem cum novi sacerdotis muneribus quodammodo coniunctam: Apollinem, libros sacros, laeta Sibyllae vaticinia, quibus praemisit descriptionem agri Romani ante urbem conditam et subiunxit infausta vaticinia et prodigia nunc peracta, denique beatam rusticorum condicionem, quae annuente Phoebo iam futura sit. Haec autem omnia laxe saepe coniuncta tamen interno rerum conexu non carere ostendimus; et cum multa in hac elegia reprehenderent et corrigerent viri docti, tamen nemo fuit qui eam transpositionibus distichorum temptaret.

Haec omnia perscripseram cum tandem copiam nactus sum legendi ac relegendi disquisitionem de hac elegia quam Fridericus Leo inseruit in Dissert. Philol. ed. a Kiessling et Wilamowitz-Moellendorf a. 1881.

Atque gaudeo mihi convenire in multis cum doctissimo viro. Ille quoque non dubitat, quin Tibullus hoc carmen emiserit unum et absolutum, nec desiderat vss. deperditos aut expellit suspectos. — Vidit v. 42—45 indicare Sibyllae vaticinia data esse post peractos iam longos errores Aeneae (cf. supra p. 59) et idcirco recte monuit *postquam* in v. 19 non designare tempus modo perfectum, sed aoristice ex rebus gestis Aeneae eam insignire quae omnium erat nobilissima et notissima. Negat Amaltheam in v. 67 eandem esse atque Sibyllam in 15 sqq., quam putat intellegi Cumanam, ut apud Ovidium Met. 14. 104, et recte sic statuit p. 10: „T. dachte sich den Ort der Weis„sagung da wo ihn die Römer seiner Zeit alle dachten und be„fragte weder den troischen Lokalpatriotismus noch griechische „und römische *ἀρχαιολογίαι*". De argumento saepe variato ac mutato verissime iudicat p. 8: „wie echt tibullisch diese Weise „ist, einer sich vordrängenden Stimmung nachzuhängen, sie ... „ausklingen zu lassen, bis gleichsam unversehens das ver„lassene Motiv sich kräftig wieder ankündigt" e. q. s., quibuscum compara locum Zingerlei supra allatum.

Perspexit vestitum et habitum Phoebi in v. 5 sqq. referre celeberrimam imaginem, quam Scopas effinxit, ad cuius exemplum

Digitized by Google

Musagetam Vaticanum expressum esse opinatur; (cf. p. 58 ann.).

At vero alia exhibuit, partim interpretationes partim emendationes, quibus assentiri nequeam.

In constituenda elegiae specie atque indole, Leo quoque aliqua consilii inopia laborasse videtur protulitque sententias, quae inter se parum congruant.

Primum p. 3 cum Lachmanno elegiam appellavit „ein Fest- „und Ehrengedicht in der Form eines Gebets, aber aus ele- „gischer Stimmung, d. h. aus einer subiectiven Stimmung des „gegenwärtigen Lebens", quae verba subobscura Lachmanni interpretatur sic: „Die subjektive Stimmung äussert sich in den „immer neu sich hinzudrängenden Bildern ländlich unschuldi- „gen Daseins und der daran sich knüpfenden Liebesklage", et p. 5 haec docet: „Phoebus wird während des ganzen Liedes, „das heisst während der heiligen Handlung, als gegenwärtig „gedacht und nach v. 17 noch v. 65, 79, 105, 121 angere- „det". Atque horum quidem verborum veritati nihil derogo, leguntur sane illis vss. preces ad Apollinem. Sed cum his parum, ni fallor, conveniunt, quae scripsit p. 6: „Er (Apollo) „sang, und zwar sang er das Lied zum Preise Roms und „Cäsars, wie einst nach Ueberwältigung der revolutionären Na- „turmächte zum Preise Juppiters. Dem Dichter, der den Gott „zum Feier ruft, wird das herrliche Bild lebendig: wie im „Marmor kommt Phoebus leibhaftig daher, und er schlägt „die Saiten und singt sein Loblied wie im Marmor". Qua ratione unum idemque carmen possit referre speciem precationis ad Apollinem et cantatum esse ab Apolline non assequor.

Non magis autem video in quibus vss. laudes celebrentur Caesaris. Laudatur sane Roma, at haec quoque paucis tantum distichis 55—62, quibus non repugno quominus addas vss. de prisco Tiberinae regionis aspectu; verum in sortibus Aeneae, 39—64, in vaticiniis Sibyllarum et prodigiis 65—79, in vss. qui sequuntur de rustica felicitate, de amore et de reliquis usque ad finem elegiae nullae laudes propriae tractantur Urbis vel imperii Romani. Itaque vix quoque verum est, quod L. scripsit p. 5: „Von da an (a v. 17) wird nur der Preis der einigen „Stadt, keines Gottes oder Menschen, gesungen". Denique cum his definitionibus argumenti primarii non omnino quadrant, quae

Digitized by Google

legimus p. 13: „Der das Gedicht bis zu diesem Punkte (v. 80) „beherrschende, die Teile vereinigende Gedanke ist viel„mehr die Wahrhaftigkeit der Sibyllischen Orakel".

Ex altera autem illa opinione, ipsum Apollinem cecinisse elegiam, nata est coniectura in v. 4, ubi legit *nunc precor ad laudes flectere verba sacras* pro *meas*: „das Lied entströmt „dem os sacrum, es wird zu den sacra gesungen." At vide quae de hoc versu disputavi p. 55 seq.

Non magis probare possum argumentum, quo usus est L. ad tuendam digressionem de prodigiis v. 71 sqq., quod ita se habet p. 14: „die Prodigien, ein Hauptinhalt aller Sibyllinischen „Orakel, bedeuten durch ihre Seltsamkeit und Naturwidrigkeit „eine Steigerung jener ersten Prophezeiung gegen„über. Dass sie Unglück bedeuten ist ihre zweite Eigenschaft, „und vermöge dieser geben sie den Uebergang zur erneuerten „Anrufung des Gottes". Putat igitur poetam a gloriosis Sibyllae sortibus ad tristia vaticinia Sibyllarum et ad prodigia conscendere quasi per gradationem a re minore ad maiorem, quod parum veritati consentaneum videtur, nam ad Urbis magnitudinem et gloriam praedicandam non profecto prodigia plus valent quam illae sortes, immo ne tantum quidem, quantum eae. At praeterea, ut cum illa interpretatione verborum textum conciliet, in v. 67 pro *quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit* corrigit *quid quod A., quid quod M. d.* Miror tamen unde tum pendeat in sqq. relativa sententia *quasque Aniena ... sortes portarit.* Porro *quidquid* frequens est in Tibulli elegis, etiam bis repetitum ut in praec. el. 55 sq. (cf. index Hilleri); *quid quod*, rarum apud poetas praeter Ovidium, nec usquam usurpatum a Tibullo, suum habet locum in argumentorum serie, ubi subiungitur aliquid gravius et efficacius, hinc decet in orationibus demonstrativis Ovidii in Met. veluti 5. 528, 6. 475, 7. 62 sq., et Hor. C. 2. 18. 23, Epod. 8. 15, sed dedecet in hac elegia, ubi nihil demonstratur.

Ut Baehrensio ita Leoni quoque displicuerunt v. 21 sq., sed vitium corrigi posse aestimat per emendationem et pro *Romam* substituit *Troiam* p. 11:

Nec fore credebat Troiam, cum maestus ab alto
Ilion ardentes respiceretque deos.

Digitized by Google

Eius ratio autem haec est: „Aeneas kann von Rom nichts ahnen, „wenn die Prophezeiung noch nicht erfolgt ist"; et paulo post: „Es darf nicht heissen: als er vom hohen Meer auf das bren„nende Ilion zurückblickte, glaubte er nicht dass Rom entstehen „würde". Sed hocine planius aut elegantius dictum: „als er „vom hohen Meer auf das brennende Ilion zurückblickte, „glaubte er nicht das Troia entstehen würde?" In vulgari lectione *Roma* significat universe novam patriam, quam per prolepsin Romam appellat, quo simul facilem iuncturam nanciscatur a nomine urbis ad nomen conditoris Romuli, ut supra declaravimus. Exempla autem, quibus L. coniecturam suam fulcire studuit, ad unum omnia diversa et vel contraria sunt, in omnibus enim *Roma* non simpliciter nominatur *Troia* vel *Pergama*, sed *recidiva*, *nova*, *melior*, *resurgens Tr.* vel *P.*

Denique orationis simplicitas Tibulli non admittere videtur, ut in v. 110 corrigamus: *iaceo cum saucius annum et faveo morbo*, (*quin iuvat ipse dolor*), *usque cano Nemesim* pro *cum iuvat i. d.* sine uncinis. Distinctio inter *faveo* et *quin iuvat* habet nescio quid arguti et speciosi, quod longe abest a nostro. Alii correxerunt *dum* vel *tam*; fortasse cum uno Cod. legendum *faveo m.*, *cum iuvet.*

Elegia VI.

Quod semel iterumque observavimus Tibullum plus operae dedisse in hoc libro locis de amore, de re rustica, de deis disponendis et ornandis atque concinnandis, egregie probatur extrema elegia, in qua solitam querimoniam de duritia puellae ita flexit et illustravit, ut iucundissimum carmen exstiterit eleganti et multiplici rerum varietate insigne.

Initium sumit ab amico Macro, i. e. Aemilio Macro poeta, qui, quamquam Musarum est sacerdos ut Tibullus, abiecta poesi et amore fortiter arma cepit et in castra est profectus. Rogat deum, Cupidinem, ut per vim ad sua signa illum revocet (cf. el. 2. 3. 33 sq.), quod si facere omittat, se quoque castra petiturum affirmat et vale dicturum puellis 1—10. Sed iam sentit maiora se iactasse quam praestare possit et gemit acrimoniam Amoris, qui se retineat et tam misere torqueat, ut

Digitized by Google

iam leto vitam finiturus fuisset, nisi spe melioris fortunae fuisset sustentatus 11—20. Igitur laudatur numen Spei in digressione trium distichorum 11—26, quae dea facilem sibi Nemesim spondet, licet neget ipsa puella. Ad hanc autem conversus eam precatur, ut sibi parcat; et obsecrat per ossa sororis, quae lugubri casu immature perempta est 27—30: revocat Nemesi memoriam sororis seque huius patrocinio tuetur vss. egregiis, dulcissima maestitia plenis 31—40. At non vult recordatione nimis tristi lacrimas movere puellae, nam ipsa bona est, sed lena eam pessumdat atque excludit Tibullum, qui in detestanda illa muliere carmen conclusit 41—54.

Quamquam igitur in carmine non longissimo magna inest varietas, tamen nusquam haeremus. Semel inseruit episodium de Spe (cf. 1. 1. 9 sq.), sed ita ut ipsi argumento egregie accommodatum sit et firmiter cum eo coniunctum. Fuit tamen qui in his ipsis vss. interpolatoris manum agnosceret, Heynius nempe delendos censuit v. 23 et 24, quippe loco parum convenientes:

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis 21
semina, quae magno fenore reddat ager:
haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
cum tenues hamos abdidit ante cibus.

Extremum distichon specimen est accuratae descriptionis rerum minutarum, cuius lepidissima exempla quaevis offert elegia, in qua de vita rustica agitur. Actio autem captandi tribuitur spei, quia nihil horum faceret agricola, nisi spes boni eventus eum moveret. Et quod initio universe posuit *spes alit agricolas*, id explicatur in sequentibus, ubi enumerantur alimenti genera tria, quibus vulgo utuntur rustici et quae suo labore, arando venando piscendo, sibi pariunt.

In v. 36 *illius ut verbis, sis mihi lenta, veto*, molestam particulam *ut* expungendam esse iam vidit Riglerus, qui utrum emendationem suam etiam stabiliverit allato v. 1. 8. 66 *illius credo tunc sonuisse pedes*, nescio. Hac autem correctione omnis ratio tollitur cur cum Prienio putemus vs. intercidisse inter 35 et 36: sororis verbis vetat Nemesim ut sibi lenta sit, neque illa feret ut puella non obediat, sed *neglecti manes* (v. 37) mittent *mala somnia*.

Digitized by Google

Vss. de lena 44 sqq. similes nobis locos in memoriam revocant in 1. 2. 43 sqq. 5. 49 sqq. 8. 19. sqq.

De lectione genuina v. 45 nondum mihi constat. Libri ms. exhibent: *lena vetat* (Guelf. *necat*) *miserum phirne*, pro quo Itali correxerunt *Phryne*, sed mihi persuadere non possum lenam nominatim hic compellari, quo honore neque in locis modo allatis dignata est neque hic dignanda videtur. In codd. interpolatis invenitur lectio *recipi*, quam probarunt Huschkius et Hillerus, quamquam nullam auctoritatem habet et ex consilii inopia alicuius magistri nata esse videtur.

SYMMACHUS.

Symmachi Epistulae (edid. Otto Seeck in Monumentis Germanicis historicis). lib. I Ep. XIV (Symmachus Ausonio) § 3.

Novi ego istum fluvium, cum aeternorum principum iam pridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis: hunc tu mihi improviso clarorum versuum dignitate Aegyptio Melone maiorem, frigidiorem Scythico Tanai clarioremque hoc nostro populari reddidisti.

Verba quae eduntur: *novi ego istum fluvium — parem multis, imparem maximis*, nullum, quod Galli dicunt, *punctum* habent. Id quod amiserunt, revocabimus scribendo: *parem* MAGNIS, *imparem maximis*. Mox in eadem epistula (p. 10, vs. 12), eadem confusio redit, nam pro *magna narranti*, quod unice verum est, F habet: *multa narranti*.

J. VAN DER VLIET.

Digitized by Google

S. A. NABERO V. C.

U. PH. BOISSEVAIN S.

Quot iam fugaces, vir clarissime, elapsi sunt anni, ex quo admodum adulescentulus Amstelodami in Athenaeo quondam Illustri scholis Tuis interesse coepi! Sed grata illorum temporum memoria atque recordatio saluberrimorum praeceptorum quae Tibi accepta rettuli referòque, ex animo meo nec discessit umquam nec discedet. Hodie quoque quidquid scripto mandatum publici iuris feceris, avide semper arripere, arreptumque sedulo legere soleo. Quod in primis valet de nuperrimis Tuis coniecturis in Thucydidem. Complures enim anni sunt, ex quo historiarum scriptorem Atticum in deliciis habere coepi (quem amorem exstinguere nequaquam potuerunt quae his temporibus a nonnullis ad summi historici laudes detrectandas scripta sunt); deinde vero lectionibus Tuis Thucydideis haud pauca de imitatoribus eius, Cassio Dione praesertim, Tibi observata addidisti, atque identidem Thucydidem ex Dione ex Thucydide Dionem emendare et interpretari studes. Historico autem Romano, post Reimarum, Reiskium, Bekkerum nimis neglecto, quoad temporis me angustiae sinent, operam navare constitui.

Mirum autem Tibi non erit, in coniecturis, quas dixi, Thucydideis, et esse quae vehementer mihi probentur et (ut sunt varia hominum iudicia) inesse quoque quae, salva reverentia praeceptori debita, non satis certa mihi quidem videantur. Verum de his locis certamen Tecum instituere meum non est: de duobus tantum, quia cum Dione aliquid habent commune, dubia quaedam Tibi ipsi potissimum proponi, pietas vetare non videtur.

Libri quinti capite undecimo Thucydides explicat quo factum sit ut in proelio ad Amphipolim facto Athenienses sexcenti Lacedaemonii septem tantum ceciderint: *διὰ τὸ μὴ ἐκ παρατάξεως*, inquit, *ἀπὸ δὲ τοιαύτης ξυντυχίας καὶ προεκφοβήσεως τὴν μάχην μᾶλλον γενέσθαι*. Haec Tibi vitiosa visa sunt (Mnem. N. S. XIV, 317). Fretus verbis Dionis (I, p. 152 Df.) *διαφθειρόμενοι*

Digitized by Google

τῇ γοῦν εὐτυχίᾳ τῆς μὴ προεκφοβήσεως ἐπεκουφίζοντο, nostro quoque loco legendum esse contendis ἀπὸ δὲ τοιαύτης ξυντυχίας καὶ μὴ προεκφοβήσεως. „Nulla" (ipsa Tua verba afferam) „nulla fuerat προεκφόβησις et Athenienses, ut supra dictum est τῷ ἀδοκήτῳ ἐξαπίνης ἐθορυβήθησαν et hoc ipsum Brasidas egerat ut Athenienses nil tale expectantes de improviso adoriretur". Paulo post: „Manifesta res est: appellat Classenius προεκφόβησιν *die Verbreitung der Angst noch ehe es zum Schlagen kam*, sed nil tale acciderat et Brasidas adortus fuerat Athenienses πεφοβημένους τε ἅμα τῇ σφετέρᾳ ἀταξίᾳ καὶ τὴν τόλμαν αὐτοῦ ἐκπεπληγμένους". Mox: „Non fuit προεκφόβησις nam hostes necopinato instabant nec potuit Cleo copias in aciem educere". At quid tandem obstat, quominus contrariam ratiocinationem secuti ita statuamus: Athenienses, Cleone duce, signis conversis a loco superiore Eiona redeunt securi; iter faciunt haud procul ab Amphipoli et secundum ipsa oppidi moenia; ecce hostes subito erumpunt, tempus aciei instruendae omnino nullum. Quid mirum si Athenienses προεκφοβοῦνται ante quam manus cum hoste conserunt, vel, ut Thucydidis verbis utamur, τῷ ἀδοκήτῳ ἐξαπίνης [θορυβοῦνται] πεφοβημένοι τε ἅμα τῇ σφετέρᾳ ἀταξίᾳ καὶ τὴν τόλμαν [Βρασίδα] ἐκπεπληγμένοι. Quae si bene inter se cohaerere mihi dederis recte quoque lectionem vulgatam sese habere non est quod negemus.

Praeterea haud pauca me offendunt in lectione a Te commendata, ex quibus tria potissimum enumerabo. Primum in hac locutione ubique, quod sciam, particula negativa οὐ usurpatur: apud Euripidem (Hipp. 197) apud Thucydidem (quater I, 137, 4; III, 95, 2; V, 35, 2; V, 50, 4; vel quinquiens si addamus VII, 34, 6 διὰ τὴν τῶν Κορινθίων οὐκέτι ἐπαναγωγήν) imitatoresque eius, Dionem Cassium praecipue, ubi septiens invenitur (XLV, 6, 2; XLVIIII, 4, 4; LII, 33, 7; ep. LXIX, 22, 3; ep. LXXI, 36, 4; ep. LXXVI, 6, 3). Particula μή semel tantum eo ipso quem citasti loco obviam fit. At quod in Dione feremus id optimo scriptori Attico obtrudendum non videtur. Tum iterata particula negativa nescio quo modo ingrata ad aures meas accidit: διὰ τὸ μὴ ἐκ παρατάξεως, ἀπὸ δὲ τοιαύτης ξυντυχίας καὶ μὴ προεκφοβήσεως τὴν μάχην μᾶλλον γενέσθαι. Inserta denique negatione inter se opponi aut possunt aut debent τὸ τὴν μάχην γενέσθαι ἐκ παρατάξεως et τὸ τὴν μάχην γενέσθαι

Digitized by Google

ἀπὸ μὴ προεκφοβήσεως, quae tantum abest ut inter se pugnent ut potius eodem redire videantur.

Si quid igitur video, Dio l.l. vocabulum προεκφόβησις a Thucydide mutuatus negationem addidit de suo, in hoc quoque dictionem a Thucydide alibi usurpatam imitatus. Eodem modo XLIX, 4 in verbis τοῦτ' αἴτιον τῆς οὐ διώξεως γράφω vocabulum δίωξις hoc sensu e Thucydide sumpsisse videtur (cf. III, 97; IV, 44; VIII, 102. 103), nec tamen cuiquam haec causa erit cur locis Thucydideis particulam οὐ addendam esse censeat.

Venio iam ad alterum locum qui egregie demonstrat „quanti sit" (ut verissime dixisti) „Thucydidem conferre cum iis qui flosculos suos ex illo horto decerpere soleant", idem tamen luculentum praebet exemplum quam caute tali in re agendum sit. Libro enim VI, 8, 7 pro eo quod hodie editur: τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις, ἢν καὶ χείρω ᾖ, ἥκιστα διαφόρως πολιτεύωσιν, substituisti τοῖς πατρίοις ἤθεσι καὶ νομίμοις propterea quod ita locutus sit Iamblichus v. Pyth. § 176: τὸ μένειν ἐν τοῖς πατρίοις ἤθεσί τε καὶ νομίμοις ἐδοκίμαζον οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι κἂν ᾖ μικρῷ χείρω ἑτέρων (l.l. p. 325). Iamblichum Thucydidis locum imitatum esse nemo Tibi non dabit. Idoneam hanc esse causam cur Thucydidis verba ad verba Iamblichi conformemus negaverit fortasse quispiam paulo infirmior. Quidni statuamus Iamblichum ipsa Thucydidis verba memoria non tenuisse, aut, si tenuerit, de suo nonnihil immutasse? Nec quidquam in lectione vulgata inest quod aut sententiae obstet aut a Thucydidis sermone abhorreat. Verum tamen non dubito quin et mihi et multis coniectura Tua probata esset, nisi vetuisset Dio, qui eundem Thucydidis locum bis imitatus est: LIII, 10, 1: πρῶτον μὲν τοὺς κειμένους νόμους φυλάττετε ἰσχυρῶς καὶ μηδένα αὐτῶν μεταβάλητε· τὰ γὰρ ἐν ταὐτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινοτομουμένων, κἂν βελτίω εἶναι δοκῇ, ἐστίν, et fragm. 12, 3 (p. 17 Df.) διὸ οἱ νοῦν ἔχοντες ἐν τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ, κἂν μὴ βέλτιστα ᾖ, ἀξιοῦσιν ἐμμένειν ἢ μεταλαμβάνοντες ἄλλοτε ἄλλα ἀεὶ πλανᾶσθαι. Quibuscum locis si contuleris Thucydidem ipsum III, 37, 3 ita locutum: χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν ἢ καλῶς ἔχουσιν ἀκύροις iam codices, non Iamblichum, veram Thucydidis manum nobis servasse Te quoque assentientem, ni fallor, habebo.

Digitized by Google

At quorsum haec? Non sane eo consilio scripsi ut me in his minutiis a Te dissentire palam profiterer. Quid enim attineret? Avebam, quemadmodum olim domi Tuae benigne exceptus Tecum de litteris colloqui solebam, ita nunc charta et atramento usus absens absentem Te compellare. Deinde vero, id quod maximum erat, Te impellere volebam ut Dionea Tua, quae permulta in scriniis habes reposita, in lucem ederes, quo facto et mihi et omnibus quibus bonae litterae cordi sunt, pergratum feceris. Exstant enim multi loci apud Dionem qui emendatorem suum exspectant. Neminem autem meliorem invenient quam Te, qui non solum Dionem sed veteres quoque scriptores, quos imitando expressit, Thucydidem praesertim et Herodotum et Demosthenem optime tenes. Id quanti faciat ad Dionem emendandum nemo ignorat et recenti exemplo nuper confirmatum vidi, quod animi causa Tecum communicabo.

Editur fr. 39, 3 (p. 55 Df.) ex notissimo codice rescripto Vaticano: *ὅτι οἱ Ταραντῖνοι, καίπερ τὸν πόλεμον αὐτοὶ παρασκευάσαντες ὅμως ἐν σκέπῃ Φαβρίου ἦσαν· οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι ᾐσθάνοντο μὲν τὰ πραττόμενα ὑπ' αὐτῶν, οὐ μὴν καὶ προσεποιοῦντο διὰ τὰ παρόντα σφίσι.* In his vocem *Φαβρίου* corruptam esse apparet. Maius (Script. Vet. Coll. Nov. II, 168) ex coniectura dedit *ἐν σκέπῃ Φιλίας* quod nihili est; in ima pagina adnotavit: codex videtur habere *Φαβρίου*. Ipse cum codicem perscrutarer vidi post *σκέπῃ* primum sequi articulum *τοῦ*, tum vocabulum aliquod, quod Maii lectione adductus *Φαβρίου* aut *Φαλίου* simile esse credebam (cf. Progr. Gymn. Erasm. 1884/5 p. 33). Locum intactum reliqui cum non haberem quid reponerem. Nec defuisset si Herodoti locum in memoriam revocassem I, 143 *τούτων δὴ ὧν τῶν Ἰώνων οἱ Μιλήσιοι μὲν ἦσαν ἐν σκέπῃ τοῦ Φόβου ὅρκιον ποιησάμενοι*, qui demonstrat Dioni quoque *ἐν σκέπῃ τοῦ Φόβου* reddendum esse.

Sed finis iam scribendi mihi faciendus est quamquam invito, *ὁ γὰρ νοῦν ἔχων* (ut est apud Platonem) *ἐπιθυμοῖ που ἂν ἀεὶ εἶναι παρὰ τῷ αὐτοῦ βελτίονι.*

Vale, vir Clarissime, et me amare perge.

Dabam Roterodami Idibus Aprilibus a. 1887.

Digitized by Google

AD ANNALIUM ROMANORUM RELIQUIAS A DIODORO SERVATAS.

SCRIPSIT

C. P. BURGER Jr.

Inter fontes historiae Romanae antiquioris annotationes illas quas Diodori Bibliotheca continet, primarium locum obtinere hodie inter omnes viros doctos constat. Aegre igitur ferendum est, quod nomina propria, quae in iis occurrunt, saepe ita corrupta sunt, ut nequaquam ex iis edoceamur, quid prisci illi annales memoriae prodiderint. Itaque operam certe non perdiderit quicunque aliquid contulerit ad eas annotationes bene intelligendas. Nihilo minus, cum nonnullis Diodori locis explicando vel emendando mederi conarer, verecundia aliqua me incessit; saepius enim viri docti antiquis annalibus per coniecturam inseruisse mihi videbantur quae nunquam in iis scripta fuissent, itaque timebam, ne id ipsum mihi quoque obiciendum foret. Sed tamen pauca quaedam ad bellorum Samniticorum historiam pertinentia proponere decrevi. Ecquid profecerim alii diiudicent; semper certe operam dedi, ut, ubi emendationem tentarem, et traditionis rerum gestarum rationem haberem, neque negligerem quod in codicibus esset scriptum.

I. In longiore annotatione ad annum 314 haec legimus:

Ἀντεστρατοπεδεύσαντο δὲ τοῖς πολεμίοις περὶ Κίνναν πόλιν, καὶ ταύτην μὲν εὐθὺς ἐρρύσαντο τῶν ἐπικειμένων Φόβων, μετ' ὀλίγας δ' ἡμέρας ἐκταξάντων ἀμφοτέρων τὰς δυνάμεις, ἐγένετο μάχη καρτερὰ καὶ συχνοὶ παρ' ἀμφοτέροις ἔπεσον. (lib. XIX cap. 76).

Digitized by Google

Nemo adhuc situm huius loci Cinae sive Cinnae — utrumque legitur — definire potuit. Van der Mey putabat id quodammodo fieri posse e Liv. IX, 27, ubi Samnites proelio superati fuga pervenisse Maleventum narrantur. Sed imposuit ei ni fallor aliquis annalium scriptor, qui nomina clararum urbium in intimo Samnio sitarum ornandi causa historiae inseruit. Ipsae res gestae victoriam in Latio, non in Campania vel in Samnio reportatam poscunt. Nam anno superiore (315) Romani a Samnitibus, qui iam Fregellis et Sora erant potiti, ad Lautulas ingentem cladem acceperant, qua re permoti socii passim defecerant vel defectionem meditabantur. Nulla igitur causa est, cur victores Latium reliquisse putemus; immo vero haec demum clades, quam *περὶ Κίναν πόλιν* acceperunt, eos coegisse videtur, ut Samnium repeterent. Ad urbis nomen restituendum ipsae res gestae viam monstrant: Diodorus narrat Samnites post victoriam ad Lautulas eos populos qui cum Romanis facerent bello petiisse; omnium autem maxime Tarracinenses eorum incursionibus expositos fuisse e situ huius urbis apparet. Qua re hanc urbem consules ex periculo eripuisse puto, et Diodorum scripsisse: *Ἀντεστρατοπεδεύσαντο δὲ τοῖς πολεμίοις περὶ* TAPA*κίναν πόλιν* cet. TAPA praepositioni *παρά* simillimum librarius aliquis propter praecedens *περί* omisisse videtur. Iam vide vetere hac lectione restituta quam recte omnia quadrent. Prope Tarracinam, nec longe ab eo loco, ubi Fabius dictator cladem illam acceperat, Samnites a consulibus profligati sunt. Haec victoria Latium ab incursionibus servavit, et viam ad infidos socios patefecit: Aurunci statim oppressi sunt, et Campani, qui bellum parabant, in fidem redierunt, quia iam non cum C. Maenii dictatoris exercitu solo, sed cum omnibus Romanorum copiis coniunctis sibi dimicandum fore intelligebant.

Subito igitur dilucent quaecunque in historia rerum gestarum obscura vel conturbata videbantur, et apparet Diodorum priscorum annalium traditionem paene integram nobis servasse, Livianam narrationem autem, quamquam multo deteriorem, haud tam perversam esse, quam viris doctis adhuc videbatur. Nam Livius quoque hanc victoriam Romanorum memoravit, minus recte tamen eam cum praecedenti clade copulavit, utraque eidem dictatori Q. Fabio attributa et in locum occisi magistri equitum

Digitized by Google

altero Fabio substituto, qua re factum est, ut haec pars narrationis omnibus lectoribus additamentum posterioris aevi esse videretur [1]). Unius rei, sine dubio in antiquis annalibus memoratae, scilicet oppressionis Auruncorum, Livius solus mentionem nobis servavit; quae autem de Sorae et de Luceriae expugnatione narrat errore in hunc annum transmigrarunt, et proelium illud in Campania, quo Romanos victores exstitisse hostemque Maleventum usque fugasse scribit, nulla fide dignum est. Rectius apud Diodorum [2]) legimus Romanos etiam insequenti anno nihil aliud egisse quam ut agrum sociorum ab hostium incursionibus defenderent, ut oppida quae defecerant vel capta erant recuperarent, ut urbes Campaniae imperio suo subicerent.

II. In annotatione ad a. 313 leguntur haec:

Τὸ δὲ λοιπὸν στρατόπεδον ἀναλαβὼν Κόιντος Φάβιος, ὃς ἦν αὐτοκράτωρ ᾑρημένος, τήν τε Φρετεμανῶν πόλιν εἷλε καὶ τῶν ἀλλοτρίως διακειμένων πρὸς τὴν Ῥώμην τοὺς ἐπιφανεστάτους ἐζώγρησεν. Τούτους δὲ τὸν ἀριθμὸν ὄντας πλείους τῶν διακοσίων ἀπήγαγεν εἰς Ῥώμην, καὶ προαγαγὼν εἰς τὴν ἀγοράν, ῥαβδίσας ἐπελέκισε κατὰ τὸ πάτριον ἔθος (lib. XIX cap. 101).

Rectissime vidit Cluverius sub Φρετεμανῶν vocabulo — alii codices exhibent Φρετομανῶν — Fregellarum nomen latere; sed antiqua lectio nondum restituta esse videtur, si scribitur .. τήν τε Φρεγελλανῶν πόλιν εἷλε.

Fregellae, quo anno 328 colonia Latina deducta erat, post cladem Caudinam a Samnitibus expugnatae sunt; minime autem credibile est colonorum partem cum hostibus fecisse iisque urbem tradidisse, nam coloniae a populo Romano in alienarum gentium agrum deductae nisi per Romam nullo modo stare poterant. Omnino igitur fide dignum videtur id quod Livius narrat (lib IX c. 12), Fregellanos pugnam cum Samnitibus quamdiu possent sustinuisse, quippe qui pro aris ac focis dimicarent, et recte Fregellanorum supplicium ab eo non memoratur (lib. IX c. 28). Similis supplicii autem alio loco mentionem facit: post Sorae recuperationem huius urbis cives ducentos vi-

1) Cf. e. g. Nissen in Rh Mus. XXV p. 81, Clason röm. Gesch. II p. 142.
2) Cap. 101.

Digitized by Google

ginti quinque, defectionis auctores, Romam deductos esse scribit, ibique in foro virgis caesos ac securi percussos esse (IX c. 24); et hoc sine dubio recte se habet, nam Sorani anno 315 praesidio Romano interfecto cum Samnitibus foedus fecerant (Diod. XIX, 72. Liv. IX, 23). Quare Diodorum quoque non Fregellanorum sed Soranorum supplicium memorasse, nomen autem huius populi a librario quopiam omissum esse puto; quo facto quae de iis scripta erant sponte ad Fregellanos transirent necesse erat. Ipsa verba scriptoris restitui non poterunt, sed sensum ni fallor bene restituerimus si scripserimus: *τήν τε Φρέγελλαν <ἀνεκτήσατο καὶ τὴν Σωρ>ανῶν πόλιν εἶλε* cet.

Vulgatam lectionem mendosam esse inde etiam apparet, quod modo in annalibus Romanis inusitato colonia non suo sed incolarum nomine significatur; talis circumscriptio multo melius in populum peregrinum atque hostilem quadrare videtur.

III. Ad annum 312 sic legimus:

Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι δυνάμεσιν ἀδραῖς πεζῶν τε καὶ ἱππέων ἐστράτευσαν ἐπὶ Πολίτιον Μαρρουκίνων οὖσαν πόλιν. (lib. XIX c. 105).

Urbis Politii praeterquam hoc loco nec vola nec vestigium usquam apparet. Neque quisquam adhuc intellexit, quo modo Romani Latio et Campania vix recuperatis expeditionem adversus Marrucinos suscipere potuerint Nam per altissimos illos montes, qui hodie Abruzzi vocantur, exercitum ducere nullo modo poterant; populi enim qui montium angustias tenebant, Vestini atque Paeligni, cum Samnitibus faciebant; Romani autem aliquot ante annis Vestinos adorti praeter duorum oppidulorum expugnationem nihil profecerant. Neque id credibile est, eos ex Apulia per Frentanorum agrum exercitum in Marrucinos duxisse, nam totis viribus intenti, ut regiones ad mare Tyrrhenum sitas ab hostibus defenderent, ipsam Apuliam exercitibus nudatam sola colonia Luceria tuebantur (Diod. cap. 72). Minime recte tamen hanc annotationem, sine dubio e priscis annalibus servatam, viri docti neglexerunt. Potius investigandum est, quidnam Diodorus scripserit. Scripsit, ni fallor: *Πομπηίαν Νουκερίνων οὖσαν πόλιν.*

Pompeios Nucerinorum urbem fuisse Julius Beloch, doctissi-

Digitized by Google

mus Campaniae antiquae περιηγητής, diserte demonstravit; Nucerinos inde ab a. 316 Romanorum hostes fuisse Diodorus tradidit, itaque credibile est Campanis subactis et Nola capta iam in eos arma Romana versa esse, et imprimis Pompeios, quo portu Nolani quoque et Acerrani uti solebant, armis esse petitos. Sed haec expeditio successu caruit, neque plus profecerunt Romani duobus annis post navali expeditione urbem aggressi; anno 308 demum Nucerini cum iis foedus fecerunt, quod per duo saecula inviolatum mansit. Postea, cum lex Iulia civitatem sociis daret, Nucerinorum urbes foedere quo inter se iunctae erant soluto municipia Romana factae sunt, et ex eo tempore Nucerinorum nomen solos Nuceriae cives complectebatur. Qua re eo facilius fieri potuit, ut librarius aliquis Marrucinis levissima mutatione substitutis verba scriptoris restituere sibi videretur.

IV. Ad annum 311 libri Mss. exhibent:

Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν οἱ τῶν Ῥωμαίων ὕπατοι μετὰ δυνάμεως ἐμβαλόντες εἰς τὴν Ἰταλίαν ἐνίκησαν μάχῃ Σαμνίτας περὶ τὸ καλούμενον Ἰτάλιον.

Sequitur mentio proelii postridie redintegrati et magnae Romanorum victoriae. Deinde legimus haec:

Τοιούτων δὲ προτερημάτων γενομένων τοῖς Ῥωμαίοις ἀδεῶς ἤδη τῶν ὑπαίθρων συνέβαινε κυριεύειν τοὺς ὑπάτους καὶ τὰς ἀπειθούσας τῶν πόλεων χειροῦσθαι. Κατάρρακταν μὲν οὖν καὶ Κεραυναίαν ἐκπολιορκήσαντες φρουροὺς ἐπέθηκαν, τῶν δ' ἄλλων τινὰς πείσαντες προσηγάγοντο. (lib. XX cap. 26).

In his omnia fere locorum nomina mendosa esse luce clarius est, nam vix credibile est Italium, Catarractam, Ceraunaeam urbes fuisse ceteroqui plane ignotas. Sed etiamsi hoc admittamus, id ipsum obscurum est, in quanam regione Italiae omnia haec gesta sint. Unus codex Parisinus pro εἰς τὴν Ἰταλίαν habet εἰς τὴν Ἀπουλίαν, quod quamquam ex coniectura natum tamen Niebuhrio probatum deinde in editionibus locum obtinuit. Sed dubito an minus recte. Haud sane a vero abhorret, Romanos post Latii Campaniaeque populos rursus subactos bellum denuo in Apuliam transtulisse, quam regionem inde ab anno 315 sola colonia Luceria tutabantur. Sed id aliquot post annis demum (a. 307 et 306)

Digitized by Google

factum esse puto. Nunc vero, cum Nucerini adhuc cum Samnitibus facerent (vide III), cum Etruscum bellum immineret, neque Romanorum exercitus in longe dissitam regionem esse ductos, neque Samnites tot milia hominum eo misisse veri simile videtur. In ipso Samnio potius, nec procul a finibus Campaniae, pugnatum esse suspicor; eo ducunt etiam quae ad insequentes annos narrantur. In Samnium utique ducit Liviana narratio, quae ex recentioribus annalibus sumpta res gestas ad Cluvianum et Bovianum transtulit, hic quoque ut saepe alias magnis et claris Samnitium urbibus pro obscurioribus substitutis. Fortasse Diodorus scripsit: *ἐμβαλόντες εἰς τὴν πολεμίαν.* Sub *Ἰτάλιον* — sive *Τάλιον* quod alii libri habent — *Τέανον* latere videtur [1]), scilicet Teanum Sidicinum, unde saepius Romanorum expeditiones in agrum Samnitium factas esse constat. Iam a. 332 Samnium turbari novis consiliis suspectum fuisse ideoque exercitum Romanum ex agro Sidicino non deductum esse Livius narrat (VIII, 17); indidem expeditio illa anni 326 in agrum Rufranum Allifanumque facta sit necesse est; inde etiam postea tertii Samnitium belli tempore legiones in Samnium ductas esse legimus (Liv. X, 14). Ex agro Sidicino igitur etiam anno 311 Romanos Samnium ingressos esse et haud multum progressos — scil. prope Teanum — victoriam reportasse puto. Pro: *Κατάρραχταν μὲν οὖν καὶ Κεραυνίαν* scribendum propono: *Καιατίαν μὲν σὺν καὶ Κουβυλτερίαν.* Quodsi haec regio a dextra Volturni fluminis a. 311 in ditionem Romanorum redacta est, tum demum bene explicatur, quod Romani insequenti anno Allifas cepisse narrantur (Diod. XX c. 36), et quod paucis post annis Caiatia *πόλις Ῥωμαίοις συμμαχοῦσα* dicitur [2]).

V. Ad annum 306 post rerum in Apulia Samnioque gestarum mentionem legimus:

Μετὰ δὲ ταῦτα τοῖς μὲν Αἰγινίταις ἀδικήματα ποιοῦσι πόλεμον κατήγγειλαν, Φρουσίνωνα δ' ἐκπολιορκήσαντες ἀπέδοντο τὴν χώραν. (lib. XX cap. 80).

1) Ita etiam Klimke, qui tamen ad Teanum Apulum rem refert.

2) Diod. XX c. 80. Recte pro *Σώραν καὶ Ἀτίαν* quod codices habent Mommsen *Σώραν καὶ Καιατίαν* proposuisse videtur.

Digitized by Google

Ad insequentem annum quae annotata sunt, sic incipiunt: *Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι μὲν Παληνίους καταπολεμήσαντες τὴν χώραν ἀφείλοντο, καί τισι τῶν δοξάντων τὰ Ῥωμαίων πεφρονηκέναι μετέδωκαν τῆς πολιτείας.* (cap. 90).

Recte pro *Αἰγινίταις* vulgo recepta est Cluveri emendatio *Ἀναγνίταις*. Ad eosdem alteram hanc annotationem pertinere, quae vulgo ad Paelignos refertur, Niebuhrius omnino recte perspexisse videtur. Nam Paelignos nondum debellatos fuisse inde apparet quod ipse Diodorus ad annum insequentem (304) foedus cum iis factum memorat (cap. 101). Et neque tunc agrum iis ademptum esse neque omnino ante bellum sociale Paelignis civitatem datam esse constat. Anagninis contra et civitatem datam et agrum ademptum esse pro certo haberi potest. Duae res tamen impediunt, quo minus cum Niebuhrio *Ἀναγνίους* scribamus: Anagniae cives ipse Diodorus (c. 80) *Ἀναγνίτας* appellat, et Anagniae expugnationem reliqui auctores omnes Marcio consuli anni 306 attribuunt, cui ob eam rem etiam statuam equestrem datam esse traditum habemus. Quae difficultates solvi videntur, si pro *Παληνίους* — sive *Παλινίους* ut alii libri exhibent — scribitur *τοὺς Ἐρνίκους*, ita ut compendium articuli in literam *π* abiisse putetur. Nam nihil obstat quominus Anagniam anno 306 a Marcio consule captam, res Hernicorum autem insequenti demum anno ordinatas esse existimemus.

Alia corruptela illi superiori annotationi inesse videtur. Agrum Frusinatium statim a consulibus venumdatum esse vix credibile est; non certe memini me usquam alias de urbe a Romanis expugnata tale quid legisse. Praeda urbis captae saepe venditur, ager publicus populi Romani fit, donec aliter de eo statuatur. Qua re, quemadmodum de Hernicis, ita de Frusinatibus quoque *ἀφείλοντο τὴν χώραν* scriptum fuisse puto. Hanc lectionem Livius quoque tueri videtur, qui venditionis nulla mentione facta scripsit: Frusinates tertia parte agri damnati (lib. X, 1).

VI. *Μετὰ δὲ ταῦτα* — ita Diodorus pergit — *Σαμνιτῶν τὴν Φαλερῖτιν πορθούντων, ἀνέζευξαν ἐπ' αὐτοὺς οἱ ὕπατοι. Καὶ γενομένης παρατάξεως ἐπροτέρησαν οἱ Ῥωμαῖοι. Σημαίας μὲν οὖν εἶλον εἴκοσι, στρατιώτας δ' ἐζώγρησαν ὑπὲρ τοὺς δισχιλίους. Τῶν δ' ὑπάτων εὐθὺς ἑλόντων πόλιν Βῶλαν, Γάϊος Γέλλιος ὁ τῶν Σαμνιτῶν*

Digitized by Google

ἡγεμὼν ἐφάνη μετὰ στρατιωτῶν ἑξακισχιλίων Γενομένης δὲ μάχης ἰσχυρᾶς αὐτός τε ὁ Γέλλιος ἐάλω καὶ τῶν ἄλλων Σαμνιτῶν οἱ πλεῖστοι μὲν κατεκόπησαν, τινὲς δὲ καὶ ζῶντες συνελήφθησαν. Οἱ δ' ὕπατοι τοιούτοις προτερήμασι χρησάμενοι τῶν συμμαχίδων πόλεων τὰς ἁλούσας ἀνεκτήσαντο Σώραν Ἄρπιναν καὶ Σερεννίαν.

Bolae, urbis Samnitium, praeterquam hic nusquam mentio facta est. Quam ob rem Niebuhrius, Livii testimonio fretus, hoc vocabulum ad Bovianum Pentrorum Samnitium caput rettulit, et ceteri viri docti omnes eum secuti sunt, credo quia sic optime explicari videbatur, quod Samnites insequenti anno pacem petiverunt. Ipse antea eandem viam ingressus sum; postquam autem et de Diodori et de Livii fide melius edoctus diligenter hanc annotationem relegi, iam mihi constat, ad eam emendandam non Livianam narrationem adhibendam esse, sed ex ipso potius Diodoro situm et — si fieri potest — verum nomen huius urbis esse quaerendum.

Diodorus narrat, consules Samnitibus qui agrum Falernum popularentur obviam iisse magnamque de iis victoriam reportasse, et deinde statim urbem Bolam cepisse. Nonne hic manifesto urbs in finibus agri Falerni poscitur? Neque quicquam omnino ex his quae Diodorus tradit in intimum Samnium ducit. Samnites a. 306 ab alia parte Soram, et, ut haec annotatio ad annum 305 indicare videtur, Arpinum quoque et Cerfenniam in Marsorum agro [1]) expugnaverant, et Hernicos ad defectionem adduxerant, ab alia parte Caiatiam suam fecerant, et in agrum Falernum incursiones faciebant. Romanis nihil antiquius erat, quam ut illic Hernicos rursus sibi subicerent, hic hostes ex agro Falerno repellerent, et ut deinde urbes ab iis captas recuperarent. Haec eos fecisse legimus, et his perfectis sane contenti esse poterant. Expeditio autem illa in intimum Samnium neque per se multum fidei habet, nam illas sinuosas valles altissimis montibus circumdatas et ab hostili, immo ab infestissimo populo habitatas nullus exercitus ingredi poterat, nisi ad pericula, ad clades, ad calamitates omnis generis paratus. Expugnatio Boviani praeterea neque cum iis quae de pace insequenti

1) Ad hoc oppidum Mommsen (C. I. L. IX p. 348) Σερεννίαν et Livianum Cesenniam refert.

Digitized by Google

anno facta scimus, neque cum conditione qua populus Samnitium postea fruebatur, ullo modo convenit. Nam anno 304 bello fessi pacem fecerunt, sed ita ut liberi et sui iuris manerent; eorum respublica et postea mansit, cum denuo ac denuo victi tandem Romanis se subiecissent; Bovianum autem usque ad Sullae victoriam Samnitium caput fuit. Plane diversa fuit conditio earum urbium, quas a Romanis expugnatas esse traditum habemus: Saticula, Luceria, Allifae, ut de reliquis taceam, aut coloniae Latinae aut praefecturae Romanae factae sunt, neque omnino Romani quicquam, quod semel tenebant, rursus mittere solebant.

Hic igitur, si usquam, Livii narratio cum pugna ad Tifernum et Boviani expugnatione reicienda, et solus Diodorus testis incorruptae fidei habendus est. Itaque constare videtur, Romanos in agro Falerno hostibus profligatis haud procul inde urbem eam, quam codices Bolam dicunt, expugnasse. Sub hoc vocabulo latere videtur nomen Trebulae, urbis Samnitium, quam haud procul a Calibus sitam fuisse constat. Diodorum scripsisse suspicor: Τῶν δ' ὑπάτων εὐθὺς ἐλόντων πόλιν Τρήβουλαν. Huius vocabuli prima syllaba si ita calamo expressa erat, ut literae τ et ρ inter se coniunctae speciem literae π cum parvulo ο supra scripto praeberent, haud ita diversa erat a compendio praecedentis vocabuli, itaque facile a neglegenti librario omitti poterat.

Nunquam praeterea in huius belli historia Trebula memoratur; itaque incertum est fueritne etiam vicissitudinum vicinarum urbium particeps. Anno 311 in hac regione Romani superiores facti sunt, si quidem recte Diodori annotationem ad eum annum huc traxi. Anno 306, ut modo vidimus, Caiatia rursus a Samnitibus capta est, itaque hanc quoque urbem aut nunc aut paulo post Romani recuperaverint necesse est.

Digitized by Google

SELECTA.

SELEGIT

S. A. NABER.

I. Primum examinare iuvat, quomodo apud Aristophanem in Acharnensibus personatus Persa prodeat in concionem Atheniensium. Mandata perferre iussus, ita dicit, vs. est 100:

ἰαρταμὰν ἔξαρξας ἀπισόναι σάτρα,

vel quocumque tandem modo barbara vocabula scribenda sunt. Deinde legatus Atheniensium populum rogat intelligatne quid Persa dixerit. Minime vero, respondet Dicaeopolis. Itaque Atheniensis interpretatur:

πέμψειν βασιλέα φησὶν ὑμῖν χρυσίον.
λέγε δὴ σὺ μεῖζον καὶ σαφῶς τὸ χρυσίον.

Tum Persa iterum:

οὐ λῆψι χρῦσο χαυνόπρωκτ' Ἰαοναῦ.

Deinde continuo sequuntur illa:

Δικ. οἴμοι κακοδαίμων, ὡς σαφῶς. Πρ. τί οὖν λέγει;
Δικ. ὅ τι; χαυνοπρώκτους τοὺς Ἰάονας λέγει,
εἰ προσδοκῶσι χρυσίον ἐκ τῶν βαρβάρων.
Πρ. οὔκ, ἀλλ' ἀχάνας ὅδε γε χρυσίου λέγει.

Hic permulta invenio quae me morantur. Primum cur subditicius ille Persa negat regem pecuniam largiturum esse? Exspectaverit quispiam pro οὐ λῆψι χρῦσο plane contrarium: σὺ λῆψι χρῦσο. Afferunt interpretes verba quae rex Persarum aliquando in epistula posuerat, secundum Aeschinem c. Ctes. § 238: ἐγὼ ὑμῖν χρυσίον οὐ δώσω· μή με αἰτεῖτε· οὐ γὰρ λήψεσθε. Sed nihil hoc confert ad Aristophanis intelligentiam, apud quem Persa et illi qui eum produxerunt, hoc agunt ut populum ludificentur. Verum, inquis, idem ille Athenienses impudenter exagitat eosque χαυνοπρώκτους appellat. At neque hoc ipsum

Digitized by Google

ferri potest, primum quia is qui Graece balbutire putandus est, vix probabiliter hoc adiectivum usurpare potuit; deinde quia convicio audito Dicaeopolis mortalium dicacissimus nihil salse vel lepide reponit, neque ira et indignatione exardescit, sed satis habet Persae verba iterare et plane eadem dicere; denique quia Atheniensium legatus rem alio deflectens id ipsum dicit, quod Persa verosimiliter dicere debuit. Nonne verisimile est Persam maria et montes et *χουτοῦ ἀχάνας* pollicitum fuisse, veluti sic: *σὺ λῆψι χρῦσ' ἀχᾶνα*? Etenim secundum perpetuum morem barbarorum apud Aristophanem, terminationes corripere debuit, veluti in illo *λῆψι* pro *λήψει*. Verum quid praeterea addidit? Fuit hoc aliquid, opinor, quod ita sonabat, ut Dicaeopolis iocans posset affirmare Persam cives ludibrio habuisse eosque *χαυνοπρώκτους* appellavisse. Quid tandem hic latere potest? Unum reperio, nam non licebit nobis longe recedere ab traditarum literarum *sono*, ne id pereat quod in Dicacopolidis ioco festivum est. Nimirum Persa spopondit regem aurum *gratis* largiturum esse: *σὺ λῆψι χρῦσ' ἀχᾶνα προῖκ' Ἰαονᾶ*. Atheniensis sicuti debuit, versiculum recte interpretatur: *ἀχάνας ὅδε γε χρυσίου λέγει* et quid Dicacopolis iocetur, perfacile intelligitur.

Restat ut quaeramus quid lateat sub obscuris verbis: *ἰαρταμὰν ἔξαρξας ἀπισόναι σάτρα*. Sunt variae lectiones: *ἔξαρξ' ἀναπισσόναι*, *ἐξάρξας πισόνα*, *ἐξαρξὰν ἀπίσσομαι*, quae non multum lucis offerunt. Quid verba quantumvis corrupta significare debeant, minime obscurum est, nam Atheniensium legatus ipse interpretatur: *πέμψειν βασιλέα Φησὶν ὑμῖν χουσίον*, sed hucusque plerique editores crediderunt Aristophanem Persae verba tribuisse, quae omni sensu carerent itaque stultum esse corrigere velle quorum significationem nemo possit assequi. Mihi aliter stat sententia et Aristophanes salsius videtur iocatus fuisse. Primum dixerim hoc quidem satis apparere sub illis *ἰαρταμὰν ἔξαρξας* latere Artabani et Xerxis nomina, nam quo tempore docta est Acharnenses, Artaxerxes quidem erat qui Susis regnabat, sed populus ipseque adeo Aristophanes hoc negligere potuit. Fuerit igitur corruptorum verborum significatio: *per Artabanum Xerxes aurum mittet*, h. e. terminationibus barbare correptis: *δι' Ἀρταβᾶνο Ξέρξα* .... Sequitur *ἀπισόναι*, in quo nihil agnoscimus praeter infinitivi alicuius formam et *σάτρα*, quod viri docti

Digitized by Google

composuerunt cum adiectivo *σαθρόν*, quum putarent Persam hoc fere indicare velle barbaris non esse confidendum; sed post correctiones, quas supra adhibuimus, nullus nobis utique restat locus adiectivo *σαθρόν*. Contra necessario *auri* mentio fieri debuit: *πέμψειν βασιλέα φησὶν ὑμῖν χρυσίον. λέγε δὴ σὺ μεῖζον καὶ σαφῶς τὸ χρυσίον* verba sunt legati Atheniensium. Itaque Persa aurum nominaverat quidem, nec tamen satis *perspicue*. Ita est: *χρυσοῦ* nomen neque sub *ἰαρταμὰν* latere potest, nec sub *ἔξαρξας*, nec sub *ἀπισόναι*· solum restat *σάτρα*. Hic mecum reputo multos in Asia Persas fuisse qui satis commode Graece loquerentur, multos ibi necessario fuisse Graecos, qui Persice balbutire possent nec paucos fuisse arbitror per totam Graeciam dispersos, qui hoc certe scirent, quomodo *aurum* Persice dicendum esset. Forte ego quoque novi, nam quod bene memini, Kernius aliquando in Academia Regia disputavit in eam sententiam, Zoroastrum vel, si id mavis, Zarathrustram Graece dici posse *χρυσοφῆ* addiditque nuper per epistulam interrogatus, non extare auri nomen in vetustis inscriptionibus Persicis nec tamen dubium esse, quin illi aurum *zara* appellitarint. Qui autem inter nostrates Anglice nesciunt, hoc tamen norunt quid *money* sit et plerique Graeci, uti ego arbitror, norant quid esset *zara*. Quid autem si hoc ipsum latet sub illo *σάτρα*? Restat *ἀπισόναι* et quia *pendere* Graece est *ἰσάναι* et *appendere* vel *admetiri ἀφισάναι*, quod compositum apud Xenophontem legitur, credere possumus dixisse Persam:

δι' Ἀρταβᾶνο Ξέρξ' ἀπισάναι σάρα,

nam in Ionia vult Graece didicisse videri et utitur Ionica forma *ἀπισάναι* pro *ἀφισάναι*.

Superest quaerere, quodnam nomen fuerit Persae illi personato. Credunt *Ψευδαρτάβαν* fuisse, quod absurdum est. Erat sane Graecus natione et impudentem fraudem patefecit Dicaeopolis: unusquisque hoc facere potuisset, si ipsum nomen hominem iam prodidisset. Sequitur Dicaeopolidi, non Atheniensium legato tribuenda esse verba:

ἄγε δὴ σὺ, βασιλεὺς ἅττα σ' ἀπέπεμψεν Φράσον
λέξοντ' Ἀθηναίοισιν, ὦ Ψευδαρτάβα,

est enim *ἀρτάβη* mensura Persica et Artabani nomen eo detorquetur, ut dictum videatur ab auri medimnis, quos vanus pro-

Digitized by Google

missor ostentabat. Quod autem Atheniensium legatus dicit, vs. est 91: καὶ νῦν ἄγοντες ἥκοντες Ψευδαρτάβαν, erit corrigendum:

καὶ νῦν ἄγοντες Ἀρτάβανον ἥκομεν.

Aut fallor aut totus locus nunc demum poterit recte intelligi. Quam fuisset supervacaneum βασανίζειν τὸν Πέρσην, quod Dicaeopolis suscipit facere vs. 110, si personatus Persa Pseudartabae nomine iam aperte dixisset: οὐ λῇψι χρῦσο! Relege totum locum et assentieris. In vulgato textu Dicaeopolis *enfonce une porte ouverte*, vel, uti Graeci aiunt, κύνα δέρει δεδαρμένην et mortuum iugulat.

II. Qui nuperrime multos Xenophontis locos examinavit, nec frustra examinavit, Hartmannum dico in Analectis Xenophonteis p. 90, Xenophontis locum attulit ex Anabasi petitum V. 8.7: quodsi, inquit, qui nunc mihi adversantur, in hostium potestatem venissent, τί μέγα ἂν οὕτως ἔπαθον ὅτου δίκην ἂν ἠξίουν λαμβάνειν; Vere Hartmannus pronunciat corruptum locum esse, cum absonum sit verbum ἠξίουν, cuius tamen emendatio ei non successit. Pellucet tamen vera scriptoris manus: ὅτου δίκην ἐξῆν λαμβάνειν, nam particula accesserat demum e melioribus libris, de quorum sublesta fide Hartmannus vere pronunciat p. 57 sq. Olim notavi apud Flavium Iosephum Antiq. XVII, 11, 2 ubi ἀξιοῖεν legitur pro ἐξίοιεν et Antiq. XIX, 1, 16, ubi vitium est plane contrarium.

III. Anabas. VI, 1, 5 Thraces in castris Graecorum armati saltant ad tibiam καὶ ἥλοντο ὑψηλά τε καὶ κούφως καὶ ταῖς μαχαίραις ἐχρῶντο. Ain vero? Num pugionibus in ea ludorum festivitate *utebantur*? Pugnae simulacrum erat nec sitiebant sanguinem. Aut fallor, aut Xenophon dedit: ταῖς μαχαίραις ἐχειρονόμουν. Hoc ipsum χειρονομεῖν Xenophon adhibuit Conviv. 2, 19, sed magis ad rem facit Juvenalis V, 120:

Structorem interea, ne quae indignatio desit,
saltantem spectes et χειρονομοῦντα volanti
cultello.

Statim sequitur: τέλος δὲ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον παίει, ὡς πᾶσιν ἐδόκει πεπληγέναι τὸν ἄνδρα. Ridicule, Hartmannus inquit, adduntur haec verba πεπληγέναι τὸν ἄνδρα, quae iam assentientibus omnibus expunxit Cobetus. Οὐ μὴν ἀλλ' ἐμέ γ' ἐξελεῖν

Digitized by Google

χρὴ ἐκ τοῦ τῶν πάντων χοροῦ, minime enim assentior. Deest aliquid et supplendum: ὡς πᾶσιν ἐδόκει (καιρίαν) πεπληγέναι τὸν ἄνδρα atque sic demum paucis quibusdem verbis interpositis recte sequitur: ἄλλοι δὲ τῶν Θρᾳκῶν τὸν ἕτερον ἐξέφερον ὡς τεθνηκότα· ἦν δὲ οὐδὲν πεπονθώς, nec necesse erit cum Hartmanno postrema verba delere. Ipsum autem Cobetum expunxisse miror verba πεπληγέναι τὸν ἄνδρα propter ea quae disputavit Var. Lect. p. 331. Etiam Athenaeus p. 15 B qui loco usus est, habet illud πεπληγένai τὸν ἄνδρα, sed praeterea scribit: ὡς πᾶσι δοκεῖν estque animadvertendum secundum Cobetum hunc ipsum infinitivum necessario requiri, si tueri velis quae expungenda esse contenderit, cf. Mnem. VI. 405. Ceterum in Convivii loco quem modo afferebam, eluendum vitium est. Charmides domi solebat χειρονομεῖν, cum numquam didicisset saltare. Νὴ Δί', ἔφη ὁ Φίλιππος, καὶ γὰρ δὴ οὕτω τὰ σκέλη τοῖς ὤμοις φαίνει ἰσοφόρα ἔχειν, ὥστε δοκεῖς ἐμοὶ κἂν εἰ τοῖς ἀγορανόμοις ἀφιςαίης ὥσπερ ἄρτους τὰ κάτω πρὸς τὰ ἄνω ἀζήμιος ἂν γενέσθαι, nam forte fortuna nunc ipsum habes locum, ubi Xenophon usurpavit verbum ἀφιέναι, quod supra Artabano reddidimus. Quorum autem aequale pondus est, ea non sunt ἰσοφόρα, sed ἰσόροπα.

IV. Exeunt Graeci praedatum Anab. VI. 3. 5: ἄλλου δὲ λόχου τῶν δέκα ςρατηγῶν τοῦ Ἡγησάνδρου ἐκτὼ μόνους κατέλιπον, καὶ αὐτὸς Ἡγήσανδρος ἐσώθη. Nemo ita loquitur: de duce recte dicitur αὐτὸς ἀπέθανεν, sed nunc quidem αὐτὸς abundat. Quid igitur? Num forte expungemus? Immo rescribemus: ἐτρώθη.

V. Iterum digrediuntur latrocinatum Anab. VI. 4. 23: ἐξέρχονται δὴ σὺν δορατίοις καὶ ἀσκοῖς καὶ θυλάκοις καὶ ἄλλοις ἀγγείοις εἰς δισχιλίους ἀνθρώπους. Credo sane latrones non fuisse inermes, sed hoc per se apparet et aliter enunciatum oportuit, nec multum est praesidii in loco ad quem viri docti provocaverunt Anab. V. 2. 4. Praedam ut secum ferrent, omne ἀγγείων genus portabant, ἀσκοὺς, θυλάκους· de eodem genere etiam δοράτια illa fuisse suspicor. Quid autem obsecro hic latere potest praeter *retícula*? Sed, inquies, δικτύων nomen nimis recedit ab traditis ductibus: itaque cf. Memor. II. 1. 5: οἵ τε ὄρτυγες καὶ οἱ πέρδικες τοῖς θηράτροις ἐμπίπτουσιν et Memor. II. 2. 7: συμ-

Digitized by Google

βουλεύεις ὑφήνασθαί τι θήρατρον et fortasse mihi dabis rescribendum esse: ἐξέρχονται δὴ σὺν θηράτροις.

VI. Anab. VII. 3. 37: μεθ' ἡμέραν μὲν γὰρ ἐν ταῖς πορείαις ἡγεῖται τοῦ στρατεύματος ὁποῖον ἂν ἀεὶ πρὸς τὴν χώραν συμφέρῃ, poterit hoc intelligi et tamen praestare arbitror: πρὸς τὴν χρείαν, quae locutio haud semel apud Xenophontem recurrit, veluti Memor. IV. 2. 25: τὰ πρὸς τὴν τοῦ ἵππου χρείαν ἐπιτήδεια, alibi. Hic me non teneo quin alia quaedam haud dissimilia adnectam. Leguntur in Odyssea versus ξ 503, postquam Eumaeum Ulysses vestem non totidem verbis rogavit utendam, sed multis ambagibus eleganter significavit se algere:

ὥς νυν ἠβώοιμι βίη τέ μοι ἔμπεδος εἴη·
δοίη κέν τις χλαῖναν ἐνὶ σταθμοῖσι συφορβῶν,
ἀμφότερον, φιλότητι καὶ αἰδοῖ φωτὸς ἐῄος·
νῦν δέ μ' ἀτιμάζουσι κακὰ χροῒ εἵματ' ἔχοντα.

Ad hunc versum ita adnotatum reperitur in Crameri Anecd. Parisin. 3. 490. 25: καὶ ὁ Ἀθηνοκλῆς προηθέτει· ἀφανίζουσι γάρ (scil. οἱ στίχοι) τὸ χωρίον τοῦ αἰνίγματος διαρρήδην αἰτοῦντος. Qui hunc locum laudavit Sengebuschius in Homerica dissertatione priore p. 48, non agnovit verum esse: τὸ χαρίεν τοῦ αἰνίγματος, de qua emendatione ne Carneades quidem ipse dubitare poterit. Apud Cleomedem Meteor. p. 112 Bak.: οὐκ αἰσχύνεται ἑαυτὸν ἐντάσσειν εἰς τὸν τοῦ Πυθαγόρου καὶ Ἡρακλείτου καὶ Σωκράτους χώραν, requiro χορόν, sicuti Plato loquitur in Protagora p. 315 B eumque secuti recentiores et recentissimi, quemadmodum Hegesippus apud Eusebium Hist. Eccl. 3. 32, qui τὸν ἱερὸν τῶν ἀποστόλων χορὸν appellavit. Apud ipsum Platonem in Legg. II. p. 657 B: ἡ ζήτησις τοῦ καινῇ ζητεῖν ἀεὶ μουσικῇ χρῆσθαι σχεδὸν οὐ μεγάλην τινὰ δύναμιν ἔχει πρὸς τὸ διαφθεῖραι τὴν καθιερωθεῖσαν χορείαν, corrigo χρείαν, eodemque modo Cornarius paulo infra correxit p. 673 D. Denique in Cyropaediae VIII. 1. 5, quod Chrysantas asseverat: οὐ μὴ δυνήσεται Κῦρος εὑρεῖν ὅ τι αὐτῷ μὲν ἐπ' ἀγαθῷ χρήσεται, ἡμῖν δ' οὔ, multum praestat χωρήσεται.

VII. In Xenophontis Oeconomico 11. 4 Socrates forte obviam fit τῷ Νικίου τοῦ ἐπηλύτου ἵππῳ. Quid latet sub corrupta

Digitized by Google

lectione? Cobetus in Mnemos. VII. 128. aliquid audendum ratus rescribit Νικίου τοῦ Νικηράτου. Concedo hunc Niciam Nicerati filium intelligi, sed poterimus tradita vestigia paulo pressius legere. Equus erat Νικίου τοῦ ἱππηλάτου, nam Socrates nunc per iocum utitur poetico et magnifico vocabulo. Est etiam alius in Oeconomico locus, ubi a Cobeto vehementer dissentio, sed alibi de ea re dabitur dicere.

VIII. Est locus in Platonis Politico p. 273 A de mundi conversione: ὁ δὲ μεταστρεφόμενος καὶ ξυμβάλλων ἀρχῆς τε καὶ τελευτῆς ἐναντίαν ὁρμὴν ὁρμηθεὶς σεισμὸν πολὺν ἐν αὑτῷ ποιῶν, ἄλλην αὖ φθορὰν ζῴων παντοίων ἀπειργάσατο. Hic quid tandem est ξυμβάλλων? Habent libri συμβαλὼν et συμβάλλων et ξυλλαβών in Simplicii Codice Taurinensi. Iam cf. Xen. Hell. VII. 4. 27: ὅσοι μὲν οὖν ἐγγύτατά τ' ἐτύγχανον ὄντες καὶ ὠξυλάβησαν, ἐξῆλθον et Hesych. et Anecd. Bk. p. 286. 21 v. ὀξυλαβεῖν, ubi grammaticus interpretatur τὸ ὀξέως λαβέσθαι πράγματος et senties itidem Platonem dedisse μεταστρεφόμενος καὶ ὀξυλαβῶν. Quod apud Suidam est ὀξυλοβῶ, ex errore natum est.

IX. Cobetus in Mnemos. XIII. 244 agit de Platonis verbis in Menexeno p. 243 A. Sermo fit de Atheniensibus, qui Sicula clade occubuernnt, ὧν οἱ ἐχθροὶ καὶ προσπολεμήσαντες πλείω ἔπαινον ἔχουσιν σωφροσύνης καὶ ἀρετῆς ἢ τῶν ἄλλων οἱ φίλοι. Haec Stallbaumius non intelligit, nec mirum eum non intelligere quae prorsus sensu vacua sunt *itaque*, inquit, totum hoc comma tanquam alienae manus additamentum abiiciendum censemus. Quam est ea mirifica ratiocinatio! Nihil, opinor, satis tuto eiicitur, cuius rationem non ante pleuissime perspexeris. Cobetus autem in eam sententiam disputat, Platonem per iocum imitari sophisticum et affectatum scribendi genus, neque nunc ἔπαινον ἔχειν pervulgato more pro ἐπαινεῖσθαι esse dictum, sed idem valere quod ἐπαινεῖν. Multa sunt, inquit, in hac iocosa Platonis παρῳδίᾳ his similia. Equidem pertinaciter nego multa his similia in Menexeno reperiri et si reperirentur, aliud quodvis nomen mihi magis placeret quam iocosae παρῳδίας, quam insulsam dictam oportuerat. Sed salva res est: unicum verbum excidit: Atheniensium hostes πλείω ἔπαινον ἔχουσι (λέγειν) σω-

Digitized by Google

Φροσύνης καὶ ἀρετῆς ἢ τῶν ἄλλων οἱ Φίλοι, quod commode dictum est, etiamsi res praeter modum amplificata et calamistrata sit. Pergit autem continuo philosophus dicere de pugnis, quae post sociorum defectionem ad Hellespontum factae sunt. Multi, inquit, ceciderunt *ἐν ταῖς ναυμαχίαις ταῖς καθ' Ἑλλήσποντον μιᾷ μὲν ἡμέρᾳ πάσας τὰς τῶν πολεμίων ἑλόντες ναῦς, πολλὰς δὲ καὶ ἄλλας νικήσαντες*. Ain vero? Omnibus hostium navibus captis, quasnam praeterea devincere potuerunt? Sed rescribendum est: *πάσας τὰς τῶν Λακεδαιμονίων ἑλόντες ναῦς*, nam proelium intelligitur ad Cyzicum commissum, in quo revera Lacedaemoniorum naves captae sunt, Syracusani autem suas combusserunt, Xen. Hell. I. 1. 18: *τὰς δὲ ναῦς οἱ Ἀθηναῖοι ᾤχοντο ἄγοντες ἐς Προκόννησον ἁπάσας πλὴν τῶν Συρακοσίων· ἐκείνας δὲ αὐτοὶ κατέκαυσαν οἱ Συρακόσιοι*.

X. Non mihi satisfaciunt interpretes ad Platonis Gorgiam p. 505 E, ubi Callicles ut se extricet rogat, an non Socrates ipse sibi respondere possit. Tum Socrates: *ἵνα μοι τὸ τοῦ Ἐπιχάρμου γένηται, ἃ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον εἷς ὢν ἱκανὸς γένωμαι*. Hic omnium primum quaero, curnam Plato utatur Epicharmi auctoritate, cum in laudatis verbis nihil admodum insit acute vel lepide dictum: *ἃ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον* est *ἔμμετρος λαλιά*, ut grammatici loquuntur, nam uniuscuiusque est ita loqui. Saepe Plato Homerum, saepe alios laudat, sed ita ut semper festive iocetur et intelligas, cur verba quae laudavit, in mentibus lectorum infixa haeserint. Eodem Epicharmi versiculo etiam Athenaeus bis usus est, nempe VII. 308 C et VIII. 362 D; scribit autem: *ἃ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν ἀποχρέω*, in quibus certe non praesto ultimum vocabulum, quamquam septenario metro accommodatum est, sed quidquid Epicharmus scripsit, certe in illo *ἀποχρέω* non latet versiculi aculeus, nec Plato potuit omittere id ipsum propter quod trochaei illi celebrabantur. Nihil confert Scholiasta ad Platonem: *εἰσήγαγέ τινας ἐν ἰδίῳ δράματι δύο διαλεγομένους πρὸς ἀλλήλους καὶ ὕστερον ἕνα τῶν δύο πάλιν τὰ τῶν δύο διαλεγόμενον*. Stulte hoc excogitatum fuit et longe melius Magnus Animadversor p. 538: Epicharmi verba proverbii locum obtinent, cui erit tum locus quando unus aliquis duorum partes sustinet: ut cum idem sibi respondet, qui

Digitized by Google

interrogaverat. Nec tamen grave vitium potest latere, cum legatur in libris tum Platonis tum Athenaei ubique summo consensu: ἃ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον. Nec tamen negligendum est in eodem versu duas vocales debili positione produci, quum Epicharmus *plerumque* corripere soleat, nec certe producat brevem vocalem, quod sequens vocabulum ab muta cum liquida incipiat. Ecce quaedam exempla: invenio apud Diogenem Laert. III. 10:

Α. οὐδὲ μὰν οὐδ' αἱ ποτὶ μέτρον παχυαῖον ποτθέμεν
λᾷ τις ἄτερον μᾶκος ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν
ἔτι χ' ὑπάρχοι κεῖνο τὸ μέτρον. Β. οὐ γάρ. Α. ὧδε νῦν ὄρη.

et Diogen. Laert. III. 17:

καὶ λαβών τις αὐτὸ περιδύσας τὸ μέτρον ὃ νῦν ἔχει.

et Diogen. Laert. III 14:

οὐκ αὐτὸς εἶη χ' ἃ τέχνα, τεχνικός γα μάν.

et apud Plutarch. Moral. p. 110 A:

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆνθεν ὅθεν ἦνθεν πάλιν

et apud Sextum Empir. I 273:

ἀποθανεῖν οὐ λῶ, τεθνάκειν οὐδὲ ἓν μοι διαφέρει.

Praeterea observare poteris Epicharmum pede septimo saepissime usurpare tribachyn, cuius rei sunt supra duo exempla et apud Diogen. Laert. III. 17:

δυσπάλαιστος ὢν τὸς ἄλλους εὐπαλαίστους ἀποφανεῖ

et apud Gellium Noct. Att. I. 15:

οὐ λέγειν τύγ' ἐστὶ δεινός, ἀλλὰ σιγῆν ἀδύνατος.

Deinde commode recordatus sum Plat. Conviv. p. 174 D, ubi Socrates noto Homeri loco utitur: σύν τε δύ' ἐρχομένω πρὸ ὁ τοῦ βουλευσόμεθα ὅ τι ἐροῦμεν, eodemque modo Epicharmus lusisse putandus est:

Ἃ πρὸ (ὁ) τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν (ὢν) ἀποχρέω,

vel quocumque tandem modo ultimum vocabulum scribendum est. Duo fuerunt in scena, quorum alter alterius causam tutatus fuerat; nunc alter nescio qua de causa exit debetque solus perorare qui solus remansit.

Sicuti supra dicebam, editur hodie apud Platonem: ἵνα μοι τὸ τοῦ Ἐπιχάρμου γένηται ἃ πρὸ τοῦ κτέ. nescio autem an non praestet: ἵνα μὴ τὸ τοῦ Ἐπιχάρμου, sed illud mihi intelligere videor expungendum esse γένηται similiterque Sympos. 198 C:

Digitized by Google

ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου [ἐπεπόνθη] ἐφοβούμην μή μοι τελευτῶν — λίθον ποιήσειε, et Gorg. 465 D: καὶ γὰρ ἂν — τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου [ἂν πολὺ ἦν] — ὁμοῦ ἂν πάντα χρήματα ἐφύρετο et Rep. VII. 516 D: δοκεῖς ἂν αὐτὸν ἐπιθυμητικῶς αὐτῶν ἔχειν ἢ τὸ τοῦ Ὁμήρου [ἂν πεπονθέναι] σφόδρα βούλεσθαι ἐπάρουρον ἐόντα θητευέμεν ἄλλῳ παρ' ἀκλήρῳ καὶ ὁτιοῦν ἂν πεπονθέναι μᾶλλον ἢ ἐκεῖνά τε δοξάζειν καὶ ἐκείνως ζῆν; Restat ut indicem Xen. Mnem. II. 4. 7: πολλάκις δὲ ἃ πρὸ αὐτοῦ τις οὐκ ἐξειργάσατο ἢ οὐκ εἶδεν ἢ οὐκ ἤκουσεν ἢ οὐ διήνυσε, ταῦτα ὁ Φίλος πρὸ τοῦ Φίλου ἐξήρκεσεν, mirum ni verum est: ταῦτα ὁ πρὸ τοῦ ἐξήρκεσεν.

XI. In Demosthenis oratione adversus Cononem § 39 sermo fit de porcellorum testiculis, quibus καθαίρουσιν ὅταν εἰσιέναι μέλλωσιν. Quinam igitur lustrare debent? Hausit hoc τὸ ὁμοιοτέλευτον et legendum est: οἷς καθαίρουσιν OI πρυΤΑΝΕΙΣΟΤΑΝΕΙΣιέναι μέλλωσιν.

XII. Latuit hucusque quae vera scriptura sit apud Polybium in Fragmento Vaticano XII. 26c. Exagitat ibi Polybius Academicos eosque scribit διςάζειν μήτως καθ' ὃν καιρὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ διαλέγονται περὶ τούτων οὐχ ὑπὲρ ἄλλων ἄρ' ἐν οἴκῳ κατακείμενοι τούτους διατίθενται τοὺς λόγους. Hic mittere possumus levem Heysii suspiciunculam, qui ne hoc quidem intellexisse videtur, quam ridicule ἄρα particula posita sit in hisce: ὑπὲρ ἄλλων ἄρ' ἐν οἴκῳ· sed Cobetus locum attigit in Mnem. XI. 5: refutato Heysio, sed levis, inquit, et perexigui momenti is locus est continens meras philosophorum ineptias, quas Polybius summo iure deridet. Itaque quemadmodum quid tandem dixerint non curamus, ita ne quaerere id quidem est operae pretium. Hoc tantum tenendum non esse in Codice ista ἀδιάνοητα, quae Maius exhibuit ὑπὲρ ἄλλων ἄρ'. Voculae ἄρα nullus in talibus locus est, neque sic scribae errare solent aut iste qui crassa Minerva ex integro opere Polybiano haec excerpta confecit. Hucusque Cobetus anno 1862 itaque paucis mensibus post Rutgersius meus Cobeti minime immemor ipsum Codicem diligentissime cum Heysiano exemplari contulit et sequenti anno ego quoque Romae degens otium meum eodem contuli. Adnotavit Rutgersius breviter more suo: Codex = Heyse; idque ego qui

Digitized by Google

eodem Heysii exemplari usus sum, silentio meo mihi confirmasse videor. Tamen credo, Codex lectu difficillimus denuo inspectus aliud quid offeret. Vere contendit Cobetus esse non posse in manuscripto *ὑπὲρ ἄλλων ἄρ' ἐν οἴκῳ*, quum librarii hoc modo errare non soleant. Sit autem locus perexigui momenti, sed etiam facillima et certissima emendatio est, quam miror quomodo virum mediocriter doctum, nedum Cobetum fugere potuerit. Scribe uncialibus literis ΟΤΧΤΠΕΡΑΛΛΩΝΑΡ *ἐν οἴκῳ* et emicabit sponte id quod verum est. Nimirum ambigunt Academici *μήπως καθ' ὃν καιρὸν ἐν Ἀκαδημίᾳ διαλέγονται, περὶ τούτων οὐχ ὕπαρ ἀλλ' ὄναρ ἐν οἴκῳ κατακείμενοι τούτους διατίθενται τοὺς λόγους*. Sic, uti vides, recuperavimus ipsam Polybii manum. Notum est adverbia *ὕπαρ* et *ὄναρ* hoc modo inter se opponi. Plato scripsit Rep. V. 476 C: *ὄναρ ἢ ὕπαρ δοκεῖ σοι ζῆν*; et Hirschigius eximia emendatione aliquando in Adnot. Critic. p. 65 illud ipsum *ὕπαρ* reddidit Luciano, qui in Navigio ita scripsisse creditur: *ἐγὼ δὲ νήφειν ᾤμην καὶ σὺ παρὰ τὸ φανεῖσθαι τὴν γνώμην*, quamvis planissime verum sit: *ἐγὼ δὲ νήφειν ᾤμην καὶ ὕπαρ ἀποφαίνεσθαι τὴν γνώμην*. Iam Homerus cecinit: *οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλὸν* et *χαῖρ', ἐπεὶ οὐκ ἐφάμην ὄναρ ἔμμεναι ἀλλ' ὕπαρ ἤδη*.

XIII. Venio ad Aeneam Tacticum, qui in Poliorcetico c. 23 § 2 in obsessa urbe cives qui eruptionem tentare volunt, iubet *τούς τε τῶν κυνῶν ὑλαγμοὺς καὶ τῶν ἀλεκτρυόνων τὰς ᾠδὰς ἀφανίζειν τόνδε τὸν καιρόν, ἐπικαύσαντά τι τοῦ σώματος· καὶ γὰρ αἱ τούτων φωναὶ ὄρθρου φθεγγομένων ἐκφανιοῦσι τὸ μέλλον*, quae postrema verba inde ab *καὶ γὰρ* interpolata esse visa sunt Herchero in Herme VII. 242. Verum quid ea via proficimus, quamdiu restabit absurdum illud *ἐπικαύσαντά τι τοῦ σώματος*? Novi verbum *ἐπικάειν* et Plato Comicus dixit: *οὐδεὶς γὰρ ἡμῖν Ἰόλεως ἐν τῇ πόλει ὅστις ἐπικαύσει τὰς κεφαλὰς τῶν ῥητόρων* et *καύματα* sunt pecudi inustae notae in Boeckhiana Inscriptione 1569; sed hinc etiam magis apparet, quam absonum sit bestias amburere velle quo melius tacere discant. Verum mihi commonstrarunt loci qui sequuntur. Thaletis dictum est: *ἓν τι κερδὲν αἰρεῖ· βύσεις γὰρ ἀνδρῶν κωτίλων γλώσσας ἀπεραντολόγους*. Cratinus scripsit *ἐν Πυτίνῃ· εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα*,

Digitized by Google

ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν. Apud Aristophanem ἐν Δαιταλεῦσι nescio quis dixerat: ἀποβύσεταί σοι ταῦτά γε τὰ ῥήματα, cui alter reponit: παρ' Ἀλκιβιάδου τοῦτο τἀποβύσεται. In Pace legimus 645: χρυσίῳ τῶν ταῦτα ποιούντων ἐβύνουν τὸ στόμα et in Pluto 379: εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα. Sed iam affatim exemplorum est, ut appareat dedisse Aeneam: ἐπιβύσαντας αὐτῶν τὰ στόματα. Non dissimile est quod apud Longinum ἐπικαύσειεν legitur pro ἐπικλύσειεν, quod Cobetus notavit ἐν λογίῳ Ἑρμῇ p. 218. Etiam στόμα et σῶμα haud raro confunduntur. Novum exemplum est in Aesopi fabula 256 apud Halmium: λέοντος κοιμωμένου μῦς τῷ στόματι ἐπέδραμεν, ubi facile vincam requiri σώματι. Aristotelis locum eadem medicina sanandum infra invenies.

XIV. Secundum Strabonem I p. 47 Casaub. testimonium non est denunciandum nisi iis qui πολλὰ μὲν εἰρήκασιν εὖ, πολλὰ δὲ παραλελοίπασιν ἢ οὐχ ἱκανῶς ἐξεῖπον οὐδὲ διεψευσμένως. Scripsit Strabo plane contrarium, nempe: οὐδὲ ἐξητασμένως. Triplex solemne vitium in uno vocabulo.

XV. Apud Strabonem invenio III. p. 164 Casaub.: καὶ παιδίον δὲ τῶν δεδεμένων αἰχμαλώτων γονέων καὶ ἀδελφῶν ἔκτεινε πάντας κελεύσαντος τοῦ πατρὸς σιδήρου κυριεῦσαν. Scribe ΔΕΤΩΝ atque sic emenda: καὶ παιδίον τεττάρων ἐτῶν δεδεμένων αἰχμαλώτων (τῶν) γονέων κτέ. Tam sunt feroces mores Cantabrorum. Non admodum dissimile est quod observavi apud Platonem Epist. VII. 324 E, ubi philosophus de Socrate loquitur, ὃν ἐγὼ σχεδὸν οὐκ ἂν αἰσχυνοίμην εἰπὼν δικαιότατον εἶναι τῶν τότε, nam quoniam haec scripta sunt Socrate iamdudum mortuo, ferri non debet εἶναι· quid igitur? Scribe uncialibus literis ΔΙΚΑΙΟΤΑΤΟΝΕΙΝΑΙ et lucraberis: δικαίοτατον γεγονέναι. Itidem mire dictum est apud Demosth. Olynth. III. § 4: ἐψηφίσασθε .... τοὺς μέχρι πέντε καὶ τετταράκοντ' ἐτῶν αὐτοὺς ἐμβαίνειν, quia αὐτοὺς parum apte additur, scribe: ΤΕΤΤΑΡΑΚΟΝΤΕΤΩΝΑΥΤΟΥΣ et habebis: τοὺς μέχρι πέντε καὶ τετταράκοντ' ἐτῶν γεγονότας ἐμβαίνειν.

XVI. Cum Iasone Medea profecta est in ultimum Occidentem,

Digitized by Google

Strab. V. p. 224 Casaub., cum invisere vellet *τὴν θεάν*· non satis hoc causae est, sed Circe erat Medeae patris soror itaque invisere voluit *τὴν θείαν*, quae lectio in Cod. Mosc. ex correctione peti potest.

VII. Apud Plutarchum Moral 44 B describitur auditoris odiosi supercilium, qui consedit ad audiendum *σιγῇ καὶ βαρύτητι καταπλάσῳ καὶ σχηματισμῷ θηρώμενος δόξαν εὐσταθοῦς καὶ βάθος ἔχοντος ἀνδρός*. Hic satis est aurem habere ut intelligas *σχηματισμὸν* usurpari non potuisse sine adiecto quodam, nec praeterea satis est improbare *σχηματισμὸν* arrogantis auditoris, nam nemo plane *σχηματισμοῦ* expers esse potest, quum nihil hoc vocabulo significetur praeter corporis habitum. Quid igitur nobis faciendum? Nempe nunc factum est quod haud raro apud Plutarchum observavi: propter ductuum et literarum similitudinem quaedam exciderunt et supplendum est: *σχηματισμῷ (μοχθηρῷ) θηρώμενος δόξαν*.

XVIII. Sine sensu editur Plut. Mor. 55 A, ubi medicus interdum, ubi opus est, *καρδίαν ἐνέσεισεν*

ἢ πολιὸν βαρύοσμον ὃ δὴ ῥίγιστον ὄδωδεν

ἢ τινα ἐλλέβορον ἐκπιεῖν τρίψας ἠνάγκασεν, et commendo: *ἐνέπισεν*. *Πῖσαι* saepe *πεῖσαι* scribebatur, veluti Schol. Hom. Iliad. Υ 9.

XIX. Nunc me advertit apud eundem Mor. 77 C, ubi de amatore rectissime legitur: *ὅταν δ' ἀποσπασθῇ καὶ χωρὶς γένηται, θεῷ φλεγόμενον καὶ ἀδημονοῦντα*, nam quod Wyttenbachius edidit *θεῷ*, apparet tamen e versione eum imperativum intellexisse, non dativum. Ille imperativus *θεῶ* et aoristus *θέασαι* minime rari sunt, sed saepe librarii a lectionis sinceritate aberrarunt. Recte legitur Plut. Mor. 462 D: *ὑπ' αὐγὰς θεῶ καὶ πολύ σοι βέλτιον φανεῖται* et Plat. Politic. 298 E: *θεῶ δὴ καὶ τὸ μετὰ τοῦτο ἑπόμενον* et Plat. Menon 82 E: *θεῶ δὴ αὐτὸν ἀναμιμνησκόμενον*, sed apud Iulianum p. 300 B perperam *θεᾶ δὲ τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ θεοῦ*, quod Cobetus correxit Mnem. VIII. 368 et in Cratylo p. 420 D: *τέλος γὰρ ἤδη θέλω*, Abreschius primus vidit verum esse id quod libri praebent: *τέλος γὰρ ἤδη θεῶ*.

Digitized by Google

Huius loci memori non magno constitit emendatio Aeschyli in Suppl. vs. 465:

ἐκ τῶνδ' ὅπως τάχις' ἀπάγξασθαι θεῶν,

ubi multum praestat ἀπάγξασθαι θέλω. Hic subit mirari qui potuerit fieri ut in re minime obscura errarent non tantum critici minorum gentium, sed ipsi Salmasii cum Meinekiis. Apollodori fragmentum est p. 454 Mk. servatum apud Stobaeum Flor. XLVI. 15. Contendit poeta omnia in civitatibus mala repetenda esse ab oratorum mollitie et turpitudine:

ἐπεὶ κατὰ μέρος τὰς πόλεις, ὦ Φίλε, θεῶ,
ὑπὸ λαιπτοδιῶν γάρ εἰσιν ἀνατετραμμέναι.

Ita recte sane, sed sequitur totius fragmenti postremus vs.:

σκόπει νεῶν δὲ κατάλογον δόξεις μ' ἐρεῖν,

quorum verborum quae fere sententia debeat esse, satis perspicimus, sed non debemus dubitare quin verba ipsa pessime habita sint et praestat fortasse manus abstinere. Salmasius tamen, quod Meinekius probavit, ὦ Φίλε Θέων rescripsit, ut accusativus τὰς πόλεις penderet ab eo quod est σκόπει. Quasi haec verba, integro versu interposito tam moleste divelli potuerint in sermone tam simplici et incomto. Alia vide apud Cobetum ἐν λογίῳ Ἑρμῇ p. 456.

XX. Plut. Mor. p. 92 B: ὁ ἐχθρὸς ἀναλαμβάνων καὶ περιέπων τὸ βάσκανον καὶ κακόηθες εὐμενέστερον παρέξει τοῖς Φίλοις εὖ πράττουσι καὶ ἀλυπότερον· unice intelligam: περισπῶν.

XXI. Superstitio, ut ait Plut. Mor. p. 155 E, μόνη οὐ στένδεται πρὸς τὸν ὕπνον, οὐδὲ τῇ ψυχῇ ποτε γοῦν δίδωσιν ἀναπνεῦσαι. Lego: οὐδὲ — γρῦ. Causam corruptelae notam esse arbitror.

XXII. Facile senties aliquid deesse Plut. Mor. p. 208 F, ubi de Agesilao legimus: ἰδὼν μῦν ἑλκόμενον ἐκ θυρίδος ὑπὸ παιδαρίου κρατοῦντος, ἐπεὶ ὁ μῦς ἐπισραφεὶς ἔδακε τὴν χεῖρα τοῦ κρατοῦντος καὶ ἔφυγεν, κτέ. Scribe uncialibus literis παιδαρίΟΤΚΡΑτοῦντος et mihi dabis supplendum esse: ὑπὸ παιδαρίου (ο ὑρᾶς) κρατοῦντος· hinc factum est ut mus ἐπισραφεὶς pueri manum morderet.

Digitized by Google

XXIII. Quid requiram Plut. Moral. p. 593 D. statim apparebit, si totum locum exscripsero: ὡς γὰρ ἀθλητὰς καταλύσαντας ἄσκησιν ὑπὸ γήρως οὐ τελέως ἀπολείπει τὸ Φιλότιμον καὶ Φιλοσώματον, ἀλλ' ἑτέρους ἀσκοῦντας ὁρῶντες ἥδονται καὶ παρακαλοῦσι καὶ συμπαραθέουσι, οὕτως κτἑ. Sedent senes illi et spectant, neque amplius συμπαραθέουσι, sed συμπαθοῦσι. Apud nos exauctoratus auriga libenter audit flagelli stridorem.

XXIV. Usus uncialium literarum viam monstrare poterit ad emendandum quod nunc perridicule legitur Plut. Mor. p. 641 B ubi nescio quis describit miram virtutem ἐχενηΐδος, quam Romani remoram appellant, quae Siculo mari navis cursum retardabat, donec ὑπὸ τοῦ πρωρέως ἑάλω προσεχομένη τῷ τοίχῳ τῆς νεὼς ἔξωθεν. Stulte abundat, uti vides, adverbium ἔξωθεν nec tamen tuto eliminare poteris quod nemo intelligit cur tandem adscriptum sit. Experiamur unciales literas: τῷ τοίχῳ τῆς νε- ΩΣΕΞΩΘΕΝ· numquid subolet? Equidem dixerim, adhaesisse remoram τῷ τοίχῳ τῆς νεὼς ὡς εἴωθεν. Non dissimili ratione nuper conatus sum sanare Thuc. VIII. 63 in Mnem. XXV. 421.

XXV. Impeditus locus est apud Plutarch. Moral. p. 733 F, sed hoc tamen intelligimus ψυχρὰς τραπέζας fuisse dictas, ubi copia esset ὀσρέων, ἐχίνων, ὠμῶν λαχάνων. Postquam ante multos annos primum in hunc locum incidi, statim suspicatus sum legendum esse ὀσρέων σελίνων ᾠῶν λαχάνων, sed nunc de necessitate correctionis dubitare coepi. Primum ᾠῶν pro ὠμῶν etiamnunc arridet, cum adiectivum hic plane supervacaneum sit et praeterea Athenaeus distinguat inter ἑψητὰ λάχανα (III. p. 70 A) et κνισὰ sive συγκοπτά (VI. p. 373 A). Deinde verissimum est ἐχῖνον et σέλινον haud raro confundi. In Anecd. Bk. p. 318. 20 proverbium est ὡς σέλινος ἀναβάλλει τὸν τόκον, ubi planissime ἐχῖνος reponendum est, quod proverbium Photius explicat p. 240 Ed. Leid.; etenim adhibetur ἐφ' ὧν τὸ ἀναβάλλεσθαι πρὸς χεῖρον γίνεται· καὶ γὰρ οἱ χερσαῖοι ἐχῖνοι κεντούμενοι δοκοῦσιν ἀνέχειν τὸν τόκον, εἶθ' ὕστερον ὑπὸ τραχυτέρων τῶν ἐμβρύων κάκιον ἀπαλλάσσειν ἐν τῷ τόκῳ, quam superstitionem minime miror, nam, uti audio, erinaceus recens natus uno die post partum iam aculeos germinat. Aliud vitium est apud

Digitized by Google

Hesychium Vol. II. p. 1597: *ὡς ἐκεῖνος ἀναβάλλει τὸν τρόπον*, quod Meinekius procuravit Fragm. Com. IV. 637 et praeterea cf. Diogen. IV. 91 ibique Intt. Id tantum tirones cavere debent, ne non intelligant *ἀναβάλλει* secundam personam esse minimeque tertiam. Photius autem qui modo aliis profuit, alibi eadem medicina ipse eget. Est p. 342 glossa Κιλλεία· *πρὸς τῷ Τμηττῷ δασύ· οἱ δὲ κρήνην· Καλλίστρατος δὲ ἄγριον λάχανον τραχύ· Εὐφρόνιος δὲ τὰ ἀκανθώδη τῶν ἐχίνων·* hic sunt omnia, uti coniicio, temere confusa, sed constat emendandum esse *τὰ ἀκανθώδη τῶν σελίνων*, nam posset ferri *οἱ ἀκανθώδεις τῶν ἐχίνων* nec vero *τὰ ἀκανθώδη*, quamquam ne illud quidem recte dicatur, cum omnes *ἐχῖνοι* sint *ἀκανθώδεις*. Sed etiamsi haec omnia verissima et certa sint, tamen coepi dubitare sitne necesse eandem correctionem etiam Plutarcho adhibere, nam stultum sane foret cum ostreis in mensa apponere erinaceos, sed intelligi poterit echinus esculentus, de quo Athenaeus egit III. p. 91 A. Est Epicharmi fragmentum:

Καρκίνοι θ' ἵκοντ' ἐχῖνοι θ', οἳ καθ' ἁλμυρὰν ἅλα
νεῖν μὲν οὐκ ἴσαντι, πεζᾷ δ' ἐμπορεύονται μόνοι.

Deinde lepidam affert historiolam ex Demetrio Scepsio: *Λάκωνά φησί τινα κληθέντα ἐπὶ θοίνην παρατεθέντων ἐπὶ τὴν τράπεζαν θαλαττίων ἐχίνων ἐπιλαβέσθαι ἑνός, οὐκ εἰδότα τὴν χρῆσιν τοῦ ἐδέσματος, ἀλλ' οὐδὲ προσέχοντα τοῖς συνδειπνοῦσι πῶς ἀναλίσκουσιν(?)· ἐνθέντα δ' εἰς τὸ στόμα σὺν τῷ κελύφει βρύκειν τοῖς ὀδοῦσι τὸν ἐχῖνον. δυτχρηστούμενον οὖν τῇ βρώσει καὶ οὐ συνιέντα τὴν ἀντιτυπίαν τῆς τραχύτητος εἰπεῖν· Ὦ Φάγημα μιαρόν, οὔτε μὴ νῦν σε ἀΦῶ μαλθακισθεὶς οὔτ' αὖθις ἔτι λάβοιμι.* Quin et cum ostreis coniuncta fit echinorum mentio apud Alexidem Athen. III. p. 107 A:

πρῶτον μὲν οὖν ὄστρεια παρὰ Νηρεΐ τινά
ἰδὼν γέροντα Φῦκος ἠμΦιεσμένα
ἔλαβον ἐχίνους τ'· ἔστι γὰρ προοίμιον
δείπνου χαριέντως ταῦτα πεπρυτανευμένου.

Egit de echino esculento Aristoteles Hist. Anim. IV. 5, in qua descriptione cum multa parum intelligerem, adii *τὸν πολυμαθέστατον* Burgersdicium, qui mihi rescripsit etiam hodie accolas Mediterranei maris vesci solere echinorum *ovariis*, quorum aliquot centena millia quotannis Massiliam advehi. Accurate omnia

Digitized by Google

Aristoteles, sed quod legimus: κατὰ μὲν οὖν τὴν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν συνεχὲς τὸ σῶμα τοῦ ἐχίνου ἐστί, κατὰ δὲ τὴν ἐπιφάνειαν οὐ συνεχές, ἀλλ' ὅμοιον λαμπτῆρι μὴ ἔχοντι τὸ κύκλῳ δέρμα, describitur quae etiam hodie *laterna Aristotelis* dicitur, sed omnino legendum est: συνεχὲς τὸ στόμα, quae Burgersdicii correctio nunc accedat ad eas, quas recensuimus § XIII. Illud quoque: echinus caput deorsum habet: hoc vere; sed falsum est quod Aristoteles addit: ταὐτὸν δὲ τοῦτο συμβέβηκε τοῖς τε στρομβώδεσι πᾶσι καὶ ταῖς λεπάσιν. Haec omnia postquam me Burgersdicius docuit, quam me puduit non tempori meminisse me puerulum legere diligentissimam echinorum illorum descriptionem in Martineti Naturae Catechismo II. p. 430.

XXVI. Stulte de Pisistrato legimus apud Plutarch. Mor. p. 863 B: διεβλήθη παρανόμως τῇ γυναικὶ μιγνύμενος. Pudet dicere quid hoc vere significet, sed Pisistratum satis novimus cum uxore noluisse rem habere itaque verum est: διεβλήθη παρὰ νόμον τῇ γυναικὶ (μὴ) μιγνύμενος. Admirabile est quoties negatio in nostris libris exciderit. Magna suppetit exemplorum copia, quam aliquando sub uno conspectu ponam; nunc verbum non addam.

XXVII. Plutarchi locus qui invenitur Moral. p. 1009 C ita ab interpretibus in Latinum sermonem conversus fuit: *Cum enim haec audimus: Socrates philosophatur, Socrates* mutatur, *nihil praeterea desiderantes, alterum verum, alterum falsum esse dicimus.* Verum cur hoc usquequaque falsum est Socratem mutari? Ne ipsi quidem immortales Dii mutationis expertes sunt. Conferamus Graecum textum: Σωκράτης τρέπεται. Unde hoc continuo falsum esse apparet? Legendum est: Σωκράτης πέτεται· nonne?

XXVIII. Est adverbium τραπέμπαλιν, quod Suetonius Galb. 18 *perverse* appellavit, cum sella curulis perverse collocata dicenda esset. Photius interpretatur ἐπ' ἀριστερά, ὑπεναντίως et Dindorfius probabiliter reddidit Dioni Cassio XLVII. 40. Latine fortasse etiam apertius *praeposterе* dicere poteris. Quaero num forte idem illud τραπέμπαλιν bis apud Plutarchum perierit. Legitur Mor. p. 1059 D: Χρύσιππον οὐκ ἀπὸ τύχης ἀλλ' ἐκ

Digitized by Google

προνοίας ἡ Φύσις ἤνεγκεν, ἄνω τὰ κάτω καὶ τοὔμπαλιν ἀνατρέψαι δεομένη τὸν βίον· intelligo enim ἄνω τὰ κάτω ἀνατρέπειν uti et τραπέμπαλιν ἀνατρέψαι· alterum enim fit — iuvat enim nunc de industria βαρβαρίζειν — *verticaliter*, alterum *horizontaliter*; sed non satis dispicio quid sit τοὔμπαλιν ἀνατρέπειν itaque non possum non suspicari quod vides. Sed, uti arbitror, paulo maiore evidentia corriges apud eundem p. 1071 C, ubi ridentur οἱ τριπέμπελοι βιαζόμενοι μὴ τὸ τυγχάνειν τοῦ ζοχάζεσθαι εἶναι τέλος, ἀλλὰ τὸ λαμβάνειν τοῦ ἐκλέγεσθαι. Decrepiti senes πέμπελοι sunt, veluti apud Eustathium de Hysmines et Hysminiae Amorr. p. 276. 2 Hr. prodeunt duae anus τὴν ῥυτίδα πέμπελοι καὶ τριπέμπελοι, sed qui omnia praepostere faciunt et δειπνοῦσιν ἵνα θύωσι vel ἵνα λούωνται, nam hoc exemplum est quod ipse Plutarchus affert, ii nondum continuo τριπέμπελοι sunt, sed τραπέμπαλιν omnia faciunt, equos pone currum uti mei populares loquuntur. Mecum fortasse faciet Ruhnkenius propter ea quae scripsit in Epistula ad Cobetum, Mnem. XVI. p. 120.

XXIX. Miserum fatum quo Sylla periit, describit Plutarchus in vita cap. 36; narrat πᾶσαν ἐσθῆτα καὶ λουτρὸν καὶ ἀπόνιμμα καὶ σιτίον ἀναπίμπλασθαι τοῦ ῥεύματος καὶ τῆς φθορᾶς· τοσοῦτον ἐξήνθει. Absurde, uti vides, cibi fit mentio et Syllae non figurate sed proprie λουτροῦ πρωκτὸς περιεγένετο poteritque adeo exemplum esse, quo proverbium multis minus intellectum melius intelligas. Quid latet? Recurramus ad unciales literas ΚΑΙΣΙΤΙΟΝ et agnosces καὶ κλινίδιον. Vide si tanti est κλινίδιον vit. Cicer. c. 47 et Antonii c. 76. Non dissimile vitium est apud eundem Qu. Rom. p. 283 A: τόπον ἔδει τῷ θριαμβεύσαντι καὶ σιαςὸν ἐντιμότατον ἀποδίδοσθαι, sed quod correxeram τόπον — κλισίας τὸν ἐντιμότατον, id Cobetus occupavit emendare Mnem. XII. 373.

XXX. Ferri non debet de Mario apud Plutarchum c. 12: τὸ δεύτερον ὕπατος ἀπεδείχθη τοῦ μὲν νόμου κωλύοντος ἀπόντα καὶ μὴ διαλιπόντα χρόνον ὡρισμένον αὖθις αἱρεῖσθαι, nam etiam primum Marius absens consul creatus fuerat et praeterea est etiam aliud in his verbis moleste dictum. Corrigo: τοῦ μὲν νόμου κω-

Digitized by Google

λύοντος ὑπατευκότα — αὖθις αἱρεῖσθαι. Eadem opera prodesse conabimur Dioni Cassio XXXVIII. 1, quum scribit Caesarem lata lege constituisse τοὺς γεωνόμους οὔτ' ὀλίγους ὥςε καὶ δυναςείᾳ τινὶ ἐοικέναι οὔτε ἐξ ὑπευθύνων ὥςε τινὰ δυσχεραίνειν. Interpretes ὑπευθύνους illos intelligunt, qui criminibus obnoxii erant; est hoc quidem egregie stultum, sed de correctione oritur dubitatio. An forte hoc voluit Dio, tulisse Caesarem ut XX viri agris dandis assignandis ex omni civium ordine fierent, non tantum ex consularibus? Sic poterit scripsisse videri: οὔτ' ἐξ ὑπατευκότων. Sed videant iuris publici periti.

XXX. Audiamus quomodo Apelles Alexandrum pinxerit apud Plutarchum in Vita c. 4: Ἀπελλῆς δὲ γράφων τὸν κεραυνοφόρον οὐκ ἐμιμήσατο τὴν χρόαν, ἀλλὰ φαιότερον καὶ πεπινωμένον ἐποίησεν. Estne ferendum illud πεπινωμένον? Nonne requiritur adiectivum quo color denotatur? Album certe Apelles Alexandrum non fecit, nam continuo pergit Plutarchus: ἦν δὲ λευκός, ὥς φασιν· ἡ δὲ λευκότης ἐπεφοίνισσεν αὐτοῦ περὶ τὸ ςῆθος μάλιςα καὶ τὸ πρόσωπον. Iam quaero sitne adiectivum quod cum φαιότερον apte copulari possit. Est opinor: φαιότερον καὶ πελιτνότερον. Non multum hoc abludit ab tradita scriptura.

XXXII. Brevi ante Idus Martias, ut scribit Plutarchus in Vita Caesaris c. 63, Strabo ἰςορεῖ πολλοὺς μὲν ἀνθρώπους διαπύρους ἐπιφερομένους φανῆναι. Imo vero: δαλούς. Vide hoc nomen c. 68 et Brut. 20.

XXXIII. In Vita Demetrii ultimo capito describit Plutarchus magnificentissimam sepulturam in eaque descriptione ea quoque verba ponit: ἐπενεχθεισῶν δὲ τιμῶν καὶ ςεφάνων περὶ Κόρινθον εἰς Δημητριάδα κομίσας (Antigonus) ἔθηκε τὰ λείψανα. Est hoc parum commode dictum et gravius fortasse nos vitium ludificatur, sed hoc tamen video corrigendum esse: ἐπενεχθεισῶν δὲ ταινιῶν καὶ ςεφάνων. Videtur hoc plane certum. Contra apud Dionysium Halic. Antiq. IX. 71: τὰ μὲν ἄλλα ταμεῖα ἔχοντες ἴσα intelligam τίμια et apud eundem XI. 25: καί τινας καὶ δωρεὰς τὰς μὲν διδόντων ἤδη, τὰς δ' ὑπισχνουμένων corrigen-

Digitized by Google

dum: καὶ τιμὰς καὶ δωρεάς. Sed hoc est ante pedes positum, ut metuam ne sero venerim.

XXXIV. Dionem ut perdat, sicuti apud Plutarchum legimus c. 34, homo nequam et subdolus, cui Sosis nomen erat, prosilit in concionem ἀνάπλεως αἵματος τὴν κεφαλὴν καὶ τὸ πρόσωπον ὡς δή τινας φεύγων διώκοντας. Excandescit ira populus Syracusanus, si quidem Dio φόνοις καὶ κινδύνοις τῶν πολιτῶν ἀφαιρεῖται τὴν παρρησίαν. Placebit fortasse: φόνοις καὶ κονδύλοις.

XXXV. Apud Lucianum in Deorum Concilio c. 7 Momus vehementer exagitat furtivos Iovis amores. Ἐμπέπληκας, inquit, τὸν οὐρανὸν τῶν ἡμιθέων τούτων· οὐ γὰρ ἂν ἄλλως εἴποιμι. Satis apparet eum Tonanti convicium facere voluisse, sed nullum est convicium τοὺς ἡμιθέους appellare ἡμιθέους. Quidnam igitur latet? Videbit hoc unusquisque qui meminerit Platonis Apologiae: ἐμπέπληκας τὸν οὐρανὸν τῶν ἡμιόνων τούτων.

XXXVI. Luciani Asinus, vel cuiuscumque tandem est, saepe pessime corruptus est multaque insunt, in quibus haereo, sed hic illic veram scriptoris manum restituere mihi posse videor. Veluti § 51, castis enim auribus omnia casta, legimus quomodo matrona quaedam cum Lucio in asinum mutato rem voluerit habere: τοῦτό μ' εἰς δέος οὐχὶ μέτριον ἦγε, μὴ οὐ χωρήσασα ἡ γυνὴ διασπασθῇ κἀγὼ ὥσπερ ἀνδροφόνος καλὴν δῶ δίκην. Non est hoc satis lepide dictum: quid in hac sententia ὥσπερ significat? Cur δίκη illa καλή? Sed novum et inauditum est asinum caedis postulare et metuit Lucius ne ὥσπερ ἀνδροφόνος (ὄνος) καινὴν δῷ δίκην.

XXXVII. Deinde, § est 52, aliam mulierem ad asinum deducunt καὶ προσιέναι τ' ἐκέλευον καὶ ψαύειν ἐμοῦ. Maius aliquid exspectabant et iusserunt mulierem ἀπολαύειν ἐμοῦ. Literae λ et ψ crebro confunduntur, veluti λέγειν et ψέγειν sedem interdum permutant, verbi causa, Eurip. Heracl. 980 et Alcest. 697.

XXXVIII. Postquam Lucius formam suam recuperavit, § 56

Digitized by Google

est, iam non amplius habet quo matrona illa praecipue delectabatur itaque κελεύει με τῶν νώτων μετέωρον κομισθῆναι ἔξω τῆς οἰκίας. Auribus hominem arreptum oportuit et emendo τῶν ὤτων. Idem vitium bis praeterea mihi observatum fuit. Babrii fabula est 95, in qua vs. 59 scribitur ex Meinekii correctione:

ἐλάφου δὲ Φρὶξ ἐπέσχε νῶτα καὶ κνήμας,

sed in Codice est ἐπέσχεν ὦτα. Item Sophoclis fragmentum est apud Hesychium servatum:

ἕξαι ἐποὐρανῶτικυθλάννων καὶ τό,

quod correctum fuit:

ἕσαιν' ἐπ' οὐρὰν ὦτα κυλλαίνων κάτω,

quod cum plane absurdum esset, Herwerdenus tentavit:

ἕσαινεν οὖρᾷ τὦτε κυλλαίνων κάτω,

sed facile persuadebo veriorem lectionem esse:

ἕσαινεν οὐρᾷ, νῶτα κυλλαίνων κάτω,

quod Sophocles, uti arbitror, in Phaedra de Minotauro posuerat. Sed Sophoclis locum iam tractavi Mnem. XX 243, quo tempore immemor eram eandem confusionem reperiri in Sophoclis fragmento notissimo: Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός, quum in Scholio ad Iliad. Ξ 229 ridicule scriptum sit ὦτα.

XXXIX. De Peregrino illo, quem nuper Völterus cum Ignatio composuit, scribit Lucianus § 11: καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνοι ἡγοῦντο καὶ νομοθέτῃ ἐχρῶντο καὶ προσάτην ἐπέγραφον· τὸν μέγαν γοῦν ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαισίνῃ ἀνασκολοπισθέντα ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν ἐς τὸν βίον. Corruptus locus est, quem ita correxit Cobetus Var. Lect. p. 207: καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ᾔδοῦντο καὶ νομοθέτῃ ἐχρῶντο καὶ προσάτην ἐπεγράφοντο· μετὰ γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαισίνῃ ἀνασκολοπισθέντα. Assentior et certissimum mihi videtur illud μετὰ γοῦν ἐκεῖνον, sed perficies demum emendationem, si praeterea expunxeris verba ἔτι σέβουσι. Hoc dicit, Peregrinum proximos Christo occupavisse honores. Nimis operosa est ratio Fritschii.

XL. Apud eundem Pseudolog. 27: ἠνείχου τυφλούμενος ὑπ' αὐτοῦ τὴν γνάθον, tanti fortasse non est impurum iocum luci reddere, sed verum certe est τυλούμενος.

Digitized by Google

XLI. Intelligisne Lucian. Conviv. 17: ὁ Ζηνόθεμις δ' ἀνεγίνωσκε παρὰ τοῦ παιδὸς λαβὼν λεπτόγραμμόν τι βιβλίον; Sin minus, corrige: λιπόγραμμόν τι βιβλίον, quod quid sit, dicerem si obscura res foret.

XLII. Utor Luciani editione quam Iacobitzius curavit, sed inter legendum semper mirari soleo, quam infinitus supersit locorum numerus, qui nullo negotio corrigi possunt. Veluti de Saltat. 11: πόρρω γάρ, φασιν, ὦ παῖδες, πόδα μετάβατε καὶ κωμάξατε βέλτιον, τουτέστιν ἄμεινον ὀρχήσασθε, non sane nimis arduum est rescribere: πόρρω γάρ, φασιν, ὦ παῖδες, πεδάβατε καὶ κωμαξεῖτε βέντιον, τουτέστιν ἄμεινον ὀρχήσεσθε. Uti vides, etiam βέντιον necessarium est, nam βέλτιον nemo fuisset interpretatus.

XLIII. Audi quomodo Mercurius Deorum concionem describat, Luc. Iov. Trag. 13: ἀλλ' Ἡράκλεις, ὡς θορυβοῦσι τὰ κοινὰ καὶ τὰ καθ' ἡμέραν ταῦτα βοῶντες· Διανομάς, διανομάς· πεῦ τὸ νέκταρ, ποῦ τὸ νέκταρ; ἡ ἀμβροσία ἐπέλιπεν, ἡ ἀμβροσία ἐπέλιπεν· ποῦ αἱ ἑκατόμβαι, ποῦ αἱ ἑκατόμβαι; κοινὰς τὰς θυσίας. Flagitant immortales quod mortalis plebs flagitare solebat et solet: κοινὰς τὰς οὐσίας. Tumultuantes non contenti erunt mactatarum boum nidore. Ceterum luculentus is locus est, ut appareat in talibus populi succlamationibus ab Graecis eadem bis poni. Adnotaram olim Act. Apost. 19. 34: κραζόντων· Μεγάλη ἡ Αρτεμις Ἐφεσίων, μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων uti et Luc. 8. 24, Luc. 10. 41, Luc. 23. 18 in Codice Cantabrigiensi, Luc. 23. 21, Ioh. 19. 6 et Ioh. 19. 15 atque hinc correxeram Act. Apost. 21. 36: αἶρε, αἶρε αὐτόν, sicuti apud Aristophanem est: αἶρ' αἶρε μᾶζαν ὡς τάχος τῷ κανθάρῳ et nunc accedit Luciani locus, qui admodum luculentus est.

XLIV. Lucian. de Luct. 17 docet patrem quomodo filium lugere debeat in eaque praepostera consolatione haec quoque ponuntur: οὐκ ἔρως σε ἀνιάσει οὐδὲ συνουσία διαῤῥέψει οὐδὲ σπαθήσεις ἐπὶ τούτῳ δὶς ἢ τρὶς τῆς ἡμέρας. Non ausim pro certo dicere sitne σπαθήσεις corruptum an recte sese habeat, sed hoc intelligo corrigendum esse ἐπὶ τοὔψῳ. Vide idem vitium apud

Digitized by Google

Clementem Alexandrinum p. 21 Pott., quod Cobetus notavit Mnem. XI. 334.

XLV. Q. Fufius Calenus apud Dionem Cassium XLVI. 15 in Ciceronem invehitur: *οὕτω μὲν οὖν οὐδ' ὁτιοῦν αὐτῷ διαφέρει πᾶν ὅ τι ἂν ἐπὶ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ ἐπέλθῃ καθάπερ τι πνεῦμα ἐκχέαι.* Imo corrigendum *πλῦμα*.

XLVI. Cleopatra, uti legimus apud Dionem Cassium LI. 14, venenatam acum *προκατανύξασά τι τὸν βραχίονα ἐς τὸ αἷμα ἐνέβαλεν.* Vides parum proprium usum verbi *ἐμβάλλειν* et quis nostrum in tali re non scripsisset *ἐνέβαψεν*?

XLVII. Idem vitium hodie latet apud eundem LV. 10. Ludos edidisse dicitur Q. Crispinus praetor: *λέγω δ' οὐ τοῦτο, ἀλλ' ὅτι ἄνδρες τε ἱππεῖς καὶ γυναῖκες οὐκ ἀφανεῖς ἐς τὴν ὀρχήσραν ἐπ' αὐτοῦ (τοῦ Αὐγούστου) ἐσήχθησαν.* Leve est reponere *ὑπ' αὐτοῦ* sed quid hoc est *λέγω δ' οὐ τοῦτο*? Satis est indicare veram lectionem: *ψέγω δ' οὐ τοῦτο* et verbum non amplius addam.

XLVIII. Turpissimum est quod apud eundem legitur LIX. 28, ubi de Caligula traditur: *ἵνα γάρ τις τά τε καπηλεῖα τάς τε ὥρνας καὶ τὰ δικαστήρια τούς τε χειροτέχνας καὶ τὰ ἀνδράποδα τὰ μισθοφοροῦντα τά τ' ἄλλα τοιαῦτα, ἐξ ὧν οὐδὲν ὅ τι οὐκ ἠργυρίζετο, παραλίπῃ, ἀλλὰ τά γ' οἰκήματα τὰ ἐν αὐτῷ τῷ παλατίῳ ἀποδειχθέντα .... πῶς ἄν τις σιωπήσειεν*; Ecquas ὥρνας nosti? Quorsum hic δικαστηρίων mentio? Satis tuto, opinor, rescribere poterimus: *τάς τε πόρνας καὶ τὰ ἐργαστήρια.* Similiter erratum fuit apud Longum in Pastoralibus p. 322. 7: *ἡσθεὶς ἐπὶ τῷ συνωμοσίῳ κατέκλινεν αὐτούς*, ubi quum nulla sit coniuratio, nam solus Daphnis iuraverat se Chloen nondum compressisse, pater, uti aequum est, *ἡσθεὶς ἐπὶ τῷ συμποσίῳ κατέκλινεν αὐτούς.*

XLIX. Fidem superat quod apud Dionem legimus LXXVI. 14 de Imperatore Septimio Severo: *καίπερ καὶ τοὺς ταρσοὺς ὑπ' ἀσθενείας ὑποτετμηκώς, ὅμως ἵππευσε καὶ αὐτός.* Satis magnum est *ὑποκεκμηκώς.* Sed in Dindorfii Editione multa ne-

Digitized by Google

gligenter administrata sunt, veluti LXXVII. 4: κλάπας ὑποδεδεμένον, non attendit iam Casaubonum verum vidisse, nimirum βλαύτας ὑποδ.

L. Apud Herodianum legitur Histor. VII. 6: κελεύει δ' αὐτοῖς πρὸ τῆς ἕω εἰς τὴν Ῥώμην κατελθοῦσιν ἐπισῆναι ἔτι δικάζοντι καὶ ἀνακεχωρηκότι τῷ Βιταλιανῷ ἐν τῷ τοῦ δικαστηρίου οἰκίσκῳ ἔνθα μόνος κτέ. Quia solus erat Vitalianus, non ius reddebat et requiro: ἐπισῆναι ἔτι ἰδιάζοντι. Vide eadem verba coniuncta apud Heliodorum p. 341. 43: δωμάτιον ἀνακεχωρηκὸς καὶ ἰδιάζον et apud Herodianum ipsum mox recte: ἐπέστησαν αὐτῷ ἰδιάζοντι. Nec mirum neque aegre fero, quod Mendelssohnium fugere quae scripseram Mnem. XII. 162.

LI. Rudolphus Hercherus Parisiis edidit Epistolographos Graecos, sed quod fieri solet in iis scriptoribus, qui raro ab doctis viris lectitantur, multi loci etiamnunc corrupti circumferuntur et certarum emendationum larga messis ab unoquoque conquiri poterit. Delibabo pauca exempla. Epistula est Aeliani quinta, p. 18, in qua rusticus queritur, apes avolasse; nunc autem, inquit, flores frustra marcescunt: τὰ ἐν τῷ λειμῶνι ἄνθη περὶ αὐτὰ γηρᾷ. Scribit Meinekius περίλυπα, quae correctio non est unius assis. Quid igitur? Vera lectio ante pedes est posita: τὰ ἐν τῷ λειμῶνι ἄνθη περιττὰ γηρᾷ.

LII. Aeschinis est epistula decima, p. 39, de adulescente Cimone, qui sub specie Scamandri latitans Callirrhoen compresserat: καταλαμβάνω τὸν Κίμωνα καὶ οἷα ἦν εἰκός, ἐργάζομαι, καλῶν ἀνόσιον. Nempe ὀργίζομαι legendum est. Contrario errore illud verbum periit in Diogenis Epistula XXXVI, p. 250: ἀλλ' οὐδέν γε τούτων ὧν φής, πενία ἀρα** οὔτε λιμός. Quidnam est illud ἄρα et quaenam literulae lacuna haustae sunt? Ἐργάζεται uti existimo, sicuti paulo post recte legitur: οὐ μὴν οὐδὲ καταφρόνησιν ἐργάζεται πενία. Quod apud Frontonem desperata re ediderat p. 71: ulcus autem illud ΑΠΕΡΓΑΝΣΤΑΙ τῆς ἀρτηρίας, in evanida Codicis Vaticani scriptura nihil latet nisi ἀπεργάζεται et qui Belgice intelligunt discere poterunt quid sit ἀρτηρία apud Bussemakerum in opere *de Gids* 1842 p. 428.

Digitized by Google

LIII. P. 251 in Diogenis Epistula XXXVII Heroberus admodum infelix coniector fuit. Quod absurde legitur: *τράπεζαί τινες ἐν τῷ καταντικρὺ ἔκειντο, αἱ μὲν ἐκ βαριασνόου, αἱ δ' ἐκ σφενδαμνίνων ξύλων*, coniecit scilicet *ἐκ κυπαρισσίνων*. Quantillum tamen est reponere *ἐκ Παρίας λίθου*?

LIV. Procopii est epistula ad Diodorum CXXI, p. 581; miserat Diodorus Procopio calceos, sed nil quidquam adscripserat literularum: *ταῦτα γραμμάτων ἔρημα πέπομφας, μήτε τὸ δεῖξαι μήτε τὸ χαίρειν εἰπών*. Secundum interpretem haec verba significant: nec ipsos verbis ornatos misisti, ut qui me nec monstrare eos nec salvere iussisses. Quodsi haec parum intelligis, exputa quid Procopius necessario scribere debuerit. Sic collige mecum: ne brevissimam quidem epistulam Diodorus scripserat: quae est igitur omnium brevissima? Opinor: *Accipe. Vale.* Δέξαι. Χαῖρε. Iam vides ut illud *δέξαι* in *δεῖξαι* abierit. Certa res est. Vide apud Boeckhium Inscr. 176 plumbum missile, cui idem illud *δέξαι* insculptum est.

LV. Subiectum deest apud Clementem Alex. Paed. p. 184 Pott.: *εἰ γὰρ καὶ τὸ ὕδωρ οἶνον ἐν τοῖς γάμοις πεποίηκεν*. Supplendum: *ἐν τοῖς γάμοις* (*ὁ Κύριος*) *πεποίηκεν*. Similiter corruptum est p. 138 Pott. *σὺς ἐκφαίνει* pro *σὺς ὁ Κύριος ἐκφαίνει*, sed hoc vitium Sylburgius iam procuravit.

LVI. Secundum Clementem Strom. II p. 496 Diodorus Peripateticus *τέλος ἀποφαίνεται τὸ ἀσχλήτως καὶ καλῶς ζῆν*. Est hic Diodorus qui de summo bono disserens adiunxit ad honestatem vacuitatem doloris. Legendum autem est: *τὸ ἀσχλήτως καὶ ἀκαλῶς ζῆν*.

LVII. Delirat Clemens Strom. VI p. 782 Pott., ut ostendat Abrahamum arithmetices peritum fuisse: *ἀκούσας γὰρ ὅτι αἰχμάλωτος ἐλήφθη ὁ Λώτ, τοὺς ἰδίους οἰκογενεῖς τριακοσίους καὶ ὀκτωκαίδεκα* (TIH) *ἀριθμήσας καὶ ἐπεξελθὼν πάμπολυν ἀριθμὸν τῶν πολεμίων χειροῦται· Φασὶν οὖν εἶναι τοῦ κυριακοῦ σημείου τύπον τὸ Τ σημεῖον, τὸ δὲ Ι καὶ τὸ Η τοὔνομα σημαίνειν τὸ σωτήριον, μηνύεσθαι τοίνυν τοὺς Ἀβραὰμ οἰκείους εἶναι κατὰ τὴν σωτηρίαν τοὺς τῷ σημείῳ καὶ τῷ ὀνόματι προσπεφευγότας κυρίους γεγονέναι*

Digitized by Google

τῶν αἰχμαλωτιζόντων καὶ τῶν τούτοις ἀκολουθούντων παμπόλλων ἀπίστων ἐθνῶν. Quid autem librariis facias, qui pro τὸ Τ σημεῖον hic dederint τὸ τριακοσιοστὸν σημεῖον? Cf. Epist. Barnabae 9. 8 et de eo loco Antiquam Matrem p. 107.

LVIII. Qui nuper de Pseudo-Clementinis egit, Vannesius meus, antequam dissertationem in lucem ederet, me rogavit ut Homilias paulo curiosius perlustrarem, numquid forte conferre possem ad corruptissimi textus emendationem itaque ei quaedam suppeditavi, quae in libri appendice locum invenerunt. Reliqua iterare nihil opus est, sed tres emendationes mihi prae ceteris memorabiles visae sunt, quia eaedem alibi quoque prodesse poterunt. Est pag. 72 Lagard., ubi sine sensu editur: ἀκρίτως ὀργισθεὶς τῇ σιωπῇ ἐξ αὐτῆς ἤδη τῆς Ῥώμης ἀπηλλάσσετο, sed quoniam Simon Magus nihil minus quam tacuerat, credibile est eum τῇ ἐπιούσῃ Romam reliquisse. Sequitur mox: διόπερ ὀλίγα ἠκριβολογησάμεθα εἰς τὸν περὶ θεῶν λόγον, sed quia sermo fit de praevia disputatione, quam postea maiore cum cura persecuturi sunt, emendandum censeo: ὀλίγα ἠκροβολισάμεθα. Lepidum quoque est p. 6, ubi Petrus aegrotans λαβόμενός μου τῆς χειρὸς ἐγερθεὶς ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας ἔφη. Imo vero: ἐπὶ τῆς κλισίας. Esse editores qui talia non videant! Nunc usu venit quod in simili re ut excusaret Ruhnkenius dixisse fertur: At erant Theologi.

LIX. Mendicorum miseram conditionem Libanius describit Vol. 1. p. 247 Rsk.: δεήσεις ἦσαν δοῦναί τι τὸν παριόντα καὶ μέγα ἦν οὐκ ἄρτον μόνον λαβεῖν ἀλλ' ἤδη καὶ ὀβολόν. Absurdum hoc esse quivis videt, nam uno obolo plures panes emere poteris. Nescio sane quae rerum venalium pretia fuerint Libanii tempore neque opus est Diocletiani Edictum inspicere, nam hoc satis intelligo plus dedisse qui obolum daret quam qui panem daret. Sed Libanius scripsit: ἀλλ' ἤδη καὶ ἄκολον, quod ex Homero ductum est: ὃς πολλῇς Φλιῇσι παρασσάς. θλίψεται ὦμους αἰτίζων ἀκόλους, quos ψωμοὺς Scholiasta interpretatur et διὰ τὴν σμικρότητα ita dictos esse suspicatur. Apud Heliodiorum p. 327. 41 sumit Chariclea ut lateat, πήραν ὑπὸ μάλης, οὕτωσὶ μὲν ἰδεῖν ψωμῶν τινων καὶ ἀκόλων δῆθεν ταμιεῖον et multi Homeri loco

Digitized by Google

usi sunt. Eodem modo in scholio ad Iliad. Π 613 ἄλογος pro ὀβελός scriptum est, cf. Lehrs. de Aristarch. p. 346. Apud Isaeum de Cleonymi hered. § 33: οἴεσθε οὖν τὸν οὑτωσὶ διακείμενον οὕτω ποιεῖν ὥστε μηδὲ λόγον ὑπολείψειν, praeclara Cobeti correctio ὀβολόν, Buermanno ne digna quidem visa est quam in margine adscriberet. Apud Procopium Bell. Goth. III 40 p. 450. 5 Germanus χρήματα τοῖς δεομένοις ἅπασι δεδανεικὼς μεγάλα καὶ τόκον οὐδ' ὅσον λόγῳ κεκόμισαι πρὸς αὐτῶν πώποτε, commendo: οὐδ' ὅσον ὀβολόν. Et ubi talium finis est?

LX. Apud Libanium Vol. I p. 352 Rsk. de Antiochia legimus: ἢ καὶ Ῥωμαίων ὅσους θεατὰς ἔλαβε νενίκηκε πείσασα μηκέτι τὴν Γαλιλαίαν ὑμνεῖν ὡς ἀήττητον τὰ τοιαῦτα. Hic Reiskius adnotavit: Galilaeam ob amoenitatem adeo celebratam apud Romanos tunc temporis fuisse, ex hoc loco primum disco, quod antea nesciebam. Sunt sane in Galilaea loca quam maxime amoena, imprimis ea quae lacum adiacent; sed numquam celebrata fuerunt peregrinantium undique confluentium multitudine et ipsi Libanio Galilaeae nomen odiosum erat. Sed qui Antiochiam viderant, iam cessabant τὴν Ἰταλίαν ὑμνεῖν (ΙΤΑΛΙΑΝΓΑΛΙΛΑΙΑΝ); cf. p. 559: προσλαβὼν Ἰταλίαν τὴν καλήν. Friedlanderus doctissime disputavit de locis, quae propter amoenitatem apud veteres prae ceteris in honore erant, sed nusquam Galilaeam memoratam invenio. Fuit in Palaestina Pausanias; vidit Iordanum fluvium, vidit lacum Tiberiada, vidit Mare Mortuum: de locorum amoenitate nihil. Scribit Tacitus de Itineribus Germanici et Imperatoris Titi, sed nihil scribit ut Galilaeam extollat. Solus fortasse inter veteres Galilaeae τὸ φυσικὸν κάλλος Flavius Iosephus celebravit. Italia autem semper omnium laudibus celebratur: ille terrarum mihi praeter omnes et plane infinita est locorum copia. Ceterum non dissimile est quod in Iliade Η 135: Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα est varia lectio Ἰορδάνου.

LXI. Constantius, ut scribit Libanius Vol. I p. 591, τὴν ἐξ αὐτῶν ἠιόνων γῆν μέχρι τῶν Εὐφράτου ῥευμάτων ἐκέκτητο. Hoc dicit Constantii imperium pertinuisse ab extremo Occidente usque ad ultimum Orientem; sed quid est hoc ἐξ αὐτῶν ἠιόνων? A freto Herculis melius dicetur ἐξ αὐτῶν κιόνων.

Digitized by Google

LXII. Oratio est Libanii in Icarium, in qua haec quoque verba posuit, Vol. II p. 135: *δέομαι δὲ, ὦ βασιλεῦ, μηδεμίαν γενέσθαι βλάβην μήτε τὰ ἔπη τὰ παρὰ τοῦδε ποιηθέντα περὶ τῶν σοι πεπραγμένων, μήτε τὰ δάκρυα, μήτε τὴν μέχρι δύο συλλαβῶν καὶ γράμματος ἑνὸς τῶν ὀνομάτων κοινωνίαν.* Obscurus locus est et Reiskium primum audiamus: Frigidum hoc et inepto sophista dignum acumen. Hoc ne te moveto, imperator, quod tibi cum Icario commune nomen sit, si duas syllabas et unam literam exceperis. Primum quae vis argumenti, etiamsi iudici et reo idem esset nomen? deinde quae similtudo inter nomen Theodosii et Icarii? Hucusque Reiskius, cui de pravo acumine omnia concedo, sed quod nulla convenientia est nominum Theodosii et Icarii, inde sequitur, uti arbitror, habitam esse orationem non apud Theodosium, sed apud filium Arcadium. Vide modo:

ΑΡ|ΚΑ|Δ|ΙΟΣ
ΙΚ|ΑΡ| ΙΟΣ.

Omnia conveniunt praeter duas syllabas et unam literam.

LXIII. Stultitiae nec modus nec finis est. Ecce tamen exemplum stultitiae quam propemodum perfectam pronunciabis esse. Versus sunt Theodori Ptochoprodromi ad Imperatorem Manuelem Comnenum:

ὄντως τυγχάνεις, Μανουήλ, θεὸς ἐπίγειός τε
Ἐμμανουὴλ, παμβασιλεῦ, παρὰ σαραντα πέντε.

Nempe ut Manuel Emmanuel sit, desunt duae literulae EM, hoc est XLV. *Οὗτος ὁ στίχος εἶναι ὑπογραμμένος ἀπὸ κεφαλῆς ἕως τέλους μὲ κοκκίνην γραμμήν*, ut scribit Coraes Ἀτάκτ. I. p. 285, unde apparet quanto opere misellum commentum librario placuerit. Addit Coraes: *πόσους σχολαστικοὺς ἐκίνησεν εἰς κρότον καὶ πόσον πλειοτέρους εἰς φθόνον τὸ θαυμαστὸν τοῦτο τοῦ πτωχοπροδρόμου αἴνιγμα.*

Amstelodami
d. 10 m. Dec. 1887.

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS AIACIS VS. 646 SQQ.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται·
κοὐκ ἔστ' ἄελπτον οὐδέν, ἀλλ' ἁλίσκεται
χὠ δεινὸς ὅρκος χαὶ περισκελεῖς φρένες.

In bene notis his versibus, quibus Aiax orditur monologiam summo poeta dignam [1]), correcta sunt a viris doctis duo vitia, ut equidem arbitror, manifesta. Nam pro φύει legendum esse φαίνει non multi opinor non concedent Herwerdeno; et pro ὅρκος, quod vocabulum sensu vacat, Bothius restituit ὄγκος. Satis usitata sunt ὀγκοῦσθαι, ὄγκον αἴρεσθαι (Soph. Ai. 129), ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα, similia, sensu *superbiendi*; commentarii instar est versus Aristophaneus (Ran. 703):

εἰ δὲ τοῦτ' ὀγκωσόμεσθα κἀποσεμνυνούμεθα.

Tertium vitium superest. Frustra enim quaesieris quid sit ὅρκος vel etiam ὄγκος ἁλισκόμενος, et minus etiam perspicitur quomodo περισκελεῖς φρένες possint ἁλίσκεσθαι. Emendandi autem viam indicat adiectivum illud exquisitum περισκελής, quod idem valet atque σκληρότατος; proprie autem dici de ferro rigido, quod frangatur citius quam flectatur, ex contextu apparet, etiamsi de ferri illa βαφῇ, ad quam hoc loco et in Antigonae fabulae versibus 475 sq. alluditur, nondum satis explorata videantur omnia. Id certum est, Aiacem suum animum comparare cum ferro durato; quemadmodum chalybs artificiis fabrilibus molliri potest, sic heros lacrimis precibusque Tecmessae commotus est moriendique consilium quod modo firmiter sibi stabat abiecit; id quod ipse miratur, mox indignabitur, in fine autem ῥήσεως ad pristinum consilium redibit.

Imago igitur, qua Sophocles utitur, poscit verbum quod

1) Quam non recte explicari ab hodiernis editoribus, ostendere studui in Commentatione de Aiace pag. 87 sqq.

Digitized by Google

adiectivo περισκελής sive σκληρός apte opponatur. Statim autem in mentem venit Epicharmi illud:

ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς,

nec facile aliud invenias nisi μαλακός et μαλάσσειν. Quae vocabula etiam in re ferraria sollemnia esse, a procaci puella libentius fortasse edocebimur quam a Vulcani torvis ministris. Relegamus igitur ridiculam narratiunculam apud Athenaeum X 451 de Samiis virginibus inter pocula iocantibus. „Τί πάντων ἰσχυρότατον"? rogat quaedam. „Ferrum", respondet vicina „quo quidlibet foditur et secatur". — „Immo fortior est faber" altera inquit, „hic enim τὸν σίδηρον κάμπτει, μαλάσσει, ὅ τι ἂν χρῇ ποιεῖ". Tertia vero puella quid ipso fabro fortius iudicaverit, id nihil iam ad nos.

Videmus igitur saepe μαλάσσεσθαι ferrum in officinis. Sed quoniam in poeta versamur, magis fortasse e re nostra iudicabimus versum quendam, qui comico Philemoni (fr. 235*a* Kock) tribuitur, sed e tragoedia desumtus esse videtur:

χρόνος μαλάσσει πάντα κἀξεργάζεται.

Neque aliter apud Euripidem Alcestis solatur maritum vs. 381:

χρόνος μαλάξει σ'· οὐδέν ἐσθ' ὁ κατθανών.

Et isdem fere verbis Admetum sub dramatis finem alloquitur Hercules vs. 1085:

χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάσκει κακόν.

Satisne apparet igitur quid scripserit Sophocles? Corruptae sunt literae ΑΛΛΑΛισκεται

ex εἰΜΑΛΑσσεται,

coniunctio autem εἰ, *quando*, idem hoc loco valet quod *quandoquidem*, *quoniam*. — Rescribamus igitur:

ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φαίνει τ' ἄδηλα καὶ Φανέντα κρύπτεται·
κοὐκ ἔστ' ἄελπτον οὐδέν, εἰ μαλάσσεται
χὠ δεινὸς ὄγκος καὶ περισκελεῖς Φρένες.

Nunc demum plane apparet id quod vere observatum est ab editoribus [1]), initio orationis respici ultima Tecmessae verba: πρὸς θεῶν μαλάσσου (vs. 594).

1) „Der anfang der rede ist der bescheid auf Tekmessas nicht wirkungslos gebliebenes schlusewort vs. 594" Schneidewin-Nauck.

Digitized by Google

AD PLAUTI CAPTIVOS

SCRIPSIT

J. S. SPEIJER

„T. Macci Plauti Comoediae" recensuit etc. Fr. Ritschelius sociis operae adsumptis Loewe Goetz Schoell. Tomi III fasc. II Captivos continens. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MDCCCLXXXVII.

Fr. Ritschelius — fas est enim hoc nomen primo loco ponere si quis quid de Plauto scribere parat — post Camerarium alter ille Plauti sospitator, editionem suam, quam omnes comoedias Plautinas apparatu critico quam maxime instructas complecti voluerat, ut notum est, nequaquam absolvit; cum annis 1847 et deinceps paucas fabulas recensuisset mox destitit totumque id negotium abiecisse videbatur, donec intermisso multorum annorum spatio anno 1871 Trinummus secundis curis recognita hominibus litterarum Latinarum studiosis ostendit egregium virum ad veteres amores rediisse. Paucis annis post, cum ad eam de qua diximus fabulam nihildum addidisset, ipse vita decessit, verum Gustavus Loewe Georgius Goetz Fridericus Schoell, quos operae socios sibi adiunxerat, eius auspiciis tamquam III viri constituti Plauto edendo emendando rem institutam cum pie ac fideliter tum strenue et diligenter capessiverunt, indeque ab anno 1878 aut singulorum aut binorum labore atque industria quattuordecim prodiere fabulae, ita ut quinque etiamnunc a Corpore absint Casina, Cistellaria, Menaechmi, Mostellaria, Miles. [1]) Novissimum autem incrementum Captivi et Rudens,

1) Ex ipsius Ritschelii recensione habemus quidem Menaechmos Mostellariam Militem, at in novo Corpore, quod annus 1871 auspicatus est, adhuc desiderantur.

Digitized by Google

quarum utraque proximo anno ex recensione Fr. Schoellii typis impressa exspectationem diuturni desiderii explevit. Atque illa quidem comoedia cum non solum et argumenti honestate gravitate lepore, et ingeniis moribusque ex veritate depictis, cum fide expressis, servatis constanter inter ceteras excellat, verum ne reliquis quidem stili Plautini careat dotibus, aegre patiebantur homines optimi poëtae amantes tot annis post Ritschelii inchoatum opus deesse adhuc fidelem imaginem instrumenti critici ad eam fabulam. Quod quantum esset, ipse expertus cognovi. Nam cum et ipse *Captivorum* editionem in usum studiosae iuventutis instructam praefatione annotationibus glossario lingua vernacula praepararem — qui libellus abhinc paucos menses apud E. J. Brill prodiit —, in textu constituendo interdum incertus haerebam, quid codicibus quid doctorum virorum coniecturis deberetur. Quamvis multa sane ex codicum auctoritate excerpta apud Bosscham, Brixium, Ussingium, Sonnenscheinium in annotatione critica exposita invenirem, neque de eorum editorum integritate atque fide dubitarem, tamen desiderabam apparatum criticum ita compositum, ut ubique optimorum librorum mss. lectiones plene atque integre apparerent, denique ut nihil omitteretur, negligeretur nihil. Itaque admodum opportune mihi accidit, quod ineunte anno 1887, cum etiamtum fructum inde capere liceret, Schoellii Captivorum recensio vulgata est. Quae varietatem lectionum adeo copiosam atque accuratam exhibet, velutsi ipsos codices oculis subiectos habeas. Hoc in Plauto vel maximi faciendum. Etenim fabulas Plautinas, cum iam ante librariorum erroribus omissionibus interpolationibus labem multiplicem contraxissent, novo quodam corruptelarum genere inquinarunt doctorum Italorum post renatas litteras pravae correctiones. Id ante Ritschelium aut neglectum aut non satis perspectum perdiu vel summis criticis, qui poëtae nostro operam navarunt, fraudi fuit [1]). Ante hos septuaginta annos Joannes Bosscha nostras, vir non minus propter eruditionem quam ingenio atque iudicio spectatus, Captivos edidit, ad normam artis metricae versibus distinxit, annotatione critica instruxit adhibitis sex codicibus manuscriptis qui in bibliotheca Lugdunobatava asservantur.

1) Cp. Ritschelium in Prolegomenis ad Trin. p. XLVII sqq.

Digitized by Google

Quo subsidio critico ita usus est ut optimum quidem ex iis et vetustissimum Vossianum illum, qui hodie notam fert Q. 30 — de quo plura infra — agnosceret, ceterum quo tempore exaratus esset aut hic aut reliqui, non curans ex omnibus promiscue hauriret neque in hac re satis accurate, nedum plene, versaretur. Hoc cum dico, non hominis vitium ostendo sed temporis. Ignorabatur tum, quanti esset cuiusque operis librorum mss. quotquot exstant stemmate composito efficere, qui codex quive codices abiectis ceteris in quoque opere quam integerrime edendo consulendi essent. At haec ratio hodie vulgata neque facile quisquam invenitur, qui in quos primos inciderit codices temere duces secutus inde scripta veterum aut edere aut emendare posse sibi videatur.

I

Plautinas fabulas, quotquot aetatem tulerunt, satis liquet ex duobus fontibus ad nos pervenisse. Unus limpidior, vel ut vere dicam minus impurus, celeberrimo illo continetur codice palimpsesto Ambrosiano (A), verum propter eius libri conditionem miserabilem maximam partem eo uti nequimus. Ex altero autem complures rivuli fluxerunt, tres dico Palatinos libros BCD, quorum B „Vetus" ille Camerarii, qui cunctas complectitur comoedias, omnium consensu ita optimus iudicatur, ut reliqui duo minime sint negligendi. Ex eodem fonte porro derivantur et alii melioris notae codices duo, in quibus tantum octo priores insunt fabulae: Ambrosianus J 257 (E) et Britannicus (J), qui licet in universum spectanti Palatinis sint posthabendi, tamen inde non pendent, nonnumquam prae illis sequendi. Qua re viri docti hos quoque merito magni faciunt, cumque de codice J Sonnenschein in Captivorum editione, quae anno 1880 Londinii prodiit, de Ambrosiano autem E Goetzius in praefatione ad Asinariam (1881) disputaret, uterque operae pretium duxit praestantissimi codicis imaginem phototypice expressam descriptioni adiicere; itaque duas ex E paginas arte photographica repraesentatas exhibet Goetz, item Sonnenschein ex J.

Bene igitur fecit Schoellius, quod ex his (E et J) quoque

Digitized by Google

haustam plenam lectionum varietatem in instrumento critico ad Captivos quam accuratissime exposuit.

Fugit tamen Schoellium — neque profecto erat unde disceret, et Ritschelium item fugerat — eum librum Vossianum qui asservatur in bibliotheca Lugdonobatava, quo iam Bosscham pro suae aetatis more usum esse supra memoravi, non minoris esse pretii quam codices et E et J. Immo si non antiquitate utrique praestat, at bonitate praestat. Exaratus enim esse videtur saeculo duodecimo ineunte [1]); fere aequalis est igitur optimi illius B, aequalis J, qui initio saeculi duodecimi adiudicatur, at aetate maior quam codex E, quem saeculo tertiodecimo scriptum esse constat [2]). Tum quanta potui diligentia Captivorum collatione facta mox patuit codicem V — sic Vossianum designabo — intima quadam cognatione cum E esse coniunctum, complura menda iis communia esse quae a ceteris, etiam J, abessent, at contra multo plures esse locos, ubi sincerior in V et E exstaret scriptura quam in J; deinde ubi V et E inter se discreparent, ibi plerumque E vitium contraxisse, ita ut facilius codice J (quin etiam E) careremus quam hoc codice Vossiano. Mihi quidem constat, si quidquam Schoellio de eo compertum fuisset, fieri non potuisse ut ornatissimae editioni hoc deesset ornamentum.

Codex V membranis LVI formae quadratae scriptura satis nitida fabulas Plautinas continet; his adiuncta eodemque involucro inclusa pauca folia diversae et manus et aetatis, in quibus scriptum est illud fragmentum Petronii Satyricon, de quo vide Petronii ed. v. cl. Bücheler (1862) praef. p. XVIII [3]). Plautinus autem liber mutilus est; quattuor tantum comoedias habet totas: Captivos Curculionem Casinam Cistellariam, praeterea Epidici partem et Aulularias. Nimirum ab utraque parte damna fecit. Primum enim folium statim incipit in media Aulularia (II, 2, 13), quae fabula desinit in f. 9 verso, tum folium 10 rectum vacuum

1) Hoc me docuit vir doct. DE VRIES, qui in bibliotheca Universitatis Lugdunobatavae libris manuscriptis praeest. Is consulenti, re diligenter explorata, humanissime respondit, tutius esse ad saeculum duodecimum quam undecimi extremam partem codicis aetatem reiicere. Nam equidem de undecimo cogitaveram.

2) Vid. GOETZ et LOEWE in praefat. ad Asinariam p. XI et XVI.

3) BÜCHELER l.l. „Ecce Theod. Mommsenus in bibliotheca Leidensi adligata invenit libro ante Petaviano mox Vossiano catalogi n. XXX, qui Plautum continet, duo ex illis foliis quae absunt a Bernensi, tertium et quartum."

Digitized by Google

est; inde tralaticio ordine succedunt Captivi (f. 10b—24a), Curculio (f. 24a—34a), Casina (f. 34a—46a), Cistellaria (f. 46a—53a), Epidicus in cuius versu 244 (II, 2, 39) codex desinit [1]). Inde facile intelligitur, eum librum tum cum primum scriptus esset, octo comoedias priores complexum esse omnes, postea quacumque de causa satis multas schedas a principio interiisse cum Amphitryone et Asinaria, Aululariae autem parte priore, in fine vero Epidici partem alteram periisse. Singulae paginae vicenos quaternos versus continent quinquagenum vel sexagenum litterarum, quod spatium grandius est quam ut singulis versibus poëtae singuli paginarum versus respondeant. Igitur velut prosa sit oratio, continuantur versus metrici, ita tamen ut intervallis discrimina plerumque ostendantur. Personarum notae addi solent. Sed nonnumquam perperam additae sunt, alibi prorsus desunt, nempe iisdem ferme locis, ubi et in ceteris bonis libris mss. peccatur; intervalla tamen tum servari solent. Aliud genus est intervallorum, quibus lacer textus et lacunae indicantur, cuius generis et in Casina et in Cistellaria satis multa inveniuntur. Neque dubito equidem, quin futuri harum fabularum editores cum fructu haud exiguo codicis V rationem sint habituri, quippe qui proxime accedat ad eum archetypum, unde et V et E et J derivati sunt.

Goetz in praefatione ad Asinariam de litterulis quibusdam et notis didascalicis egit ad scenarum titulos in codice E appositis, cantica, diverbia, alia aut pariter cum B aut melius designantibus. Haec optimae recensionis vestigia diligenter in E servata cum laudat, codicem V laudat; nam hic quoque talia nonnusquam leguntur. En ea quae cum codicem pervolverem, notavi.

---

1) Pag. 10b sic incipit
INCIPIT FABVLA CAPTIVORV̄ PLAVTI ARGVMENTVM
Pag. 24a, vs. 4
PLAVTI CAPTIVI EXPLICIT INCIPIT CVRCVLIO
Pag. 34a, vs. 6
PLAVTI CVRCVLIO EXPLICIT INCIPIT CASSIANI PROLOGVS
post prologum p. 35a, vs. 2 CASINA ARGVMENTVM
Pag. 46a, vs. 20
PLAVTI CASINA EXPLICIT INCIPIT CISTELLARIA
Pag. 53a, vs. 21
PLAVTI CISTELLARIA EXPLICIT ARGVMENTV̄ IN EPIDICV̄ PLAVTI.

Digitized by Google

Captivi

III, 1, (p. 16b in fine) PARASITVS DV.

Casina

I, 1 (p. 35a) OLIMPIO SERVI CALINVS DVO, ubi incertum DVO utrum ex nota DV male intellecta sit ortum an proprie fuerit OLVMPIO CALINVS SERVI II

IV, 1 (p. 43a) ANCILLA DV.

IV, 2 (p. 43a) ANCILLA. SENEX DV.

V, 1 (p. 44a) MVLIER. ANCILLę II. C.

Cistellaria

I, 2 (p. 48a) LENA RESTITIT DV.

I, 3 (p. 48b) PROLOGVS DV.

II, 1 (p. 49a) ARCHESIMARCHVS ADOLESCENS C.

II, 2 (p. 50a) MELENIS LENA DV.

II, 3 (p. 50a) PHANOSTRATA MVLIER LAMPADISCVS SERVVS MELENIS LENA DV.

III, (p 51a) MELENIS LENA SELENIV̄ MERETRIX C.

Epidicus

I, 2 (p. 54b) STRATIPPOCLES CHERIBOLVS ADOLESCENTES EPIDICVS SERVVS DV.

II, 1 (p. 55b) APOECIDES PERIPHANES SENES.II. DV.

Quo magis intima affinitas duorum codicum apparet.

Denique quo planius appareat quae inter optimos codices priorum quidem octo fabularum intercedat necessitudo quoque cognationis vinculo inter se coniuncti esse videantur, ipsum stemma iam subiiciam.



α, β, γ archetypi deperditi.

B vetus Camerarii.
D codex Palatinus qui est in bibl. Vaticana ubi numero 3870 designatur.
V Vossianus in Bibl. Lugdunobatava.
E Ambrosianus.
J Britannicus.

Digitized by Google

Vides libros V et E et J ex communi quodam fonte ductos esse, quem librum nota β insignivimus. Omnes locos, unde hoc ita esse agnosci potest, non adscribam, tamen satis argumenti afferam quo id quod statui probem.

V et E et J haec communia habent, id est, β haec propria habuit:

vs. 35 *hunc* deest; — 44 *itidem et*; — 61 *inquomst* (VE; J correxit *iniquum est*); — 80 *occleo* (etiam D); — 90 *sacculum* (contra BD *saccum*); — 139 *ego me non defleam* (in V manus sec. *me* mutavit in *ne*); — 151 *dicis*; — 174 *quid diu id*; — 205 *solutor*; — 207 *fugam fugitis*; — 208 *haud nos dideceat* (etiam D; J lectione quasi correcta *haud nos decet*); — 271 *bonum*; — 274 *euge potalem*; — 288 *illi quidem*; — 350 *erga sese* (etiam D); — 390 *et quem alium*; — 405 *me umquam*; — 420 *quantis laudauit suum erum seruus* (etiam D); — 436 deest *ducas*; — 438 *scio te*; — 453 *illo* (J suo more perperam correxit *illum*); — 466 *ecfr tū* (inde J fecit *effractum*!); — 469 *licet*; — 490 *quom* (etiam D); — 509 *praeuortor*; — 516 *nemo*; — 522 *precatio*; — 561 *audiui di magis*; — 564 *phanum*; — 565 *appellas*; — 573 *hunc* deest; — 599 *hercle quid*; — 601 *concinat*; — 615 *ortamenta* (J *hortamenta*, ubi *h* de suo addidit); — 617 *ergo*; — 656 *uersus*; — 674 *mihi et emisti*; — 689 *ducas*; — 730 *interdiu*; — 738 *nequid deterius*; — 763 *perduxerim* (V *pduxerim*); — 769 *opimates* (J *epimates*); — 777 *offero*; — 816 *ergo*; — 818 *lanū*; — 824 *fecerunt*; — 830 *hostium*; — 864 *fortunax*; — 874 *celote*; — 902 *ptruncabo*; — 917 *serire feruescere*; — 922]*ovi diisque* (J perperam supplevit *novi*); — 935 *bene meriti*; — 951 *ueruecea*; — 957 *neque spem*; — 962 *roborem*; — 975 *philocrates*; — 1030 *subi cogitationes* (J satis inepte correxit *subite cogitationes*).

Hinc simul apparet archetypum illum β novos plerumque errores addere solere. Verum aliis locis manifestis caret mendis quae B aut D habent et interdum verum solus servat, ut 90 *saeculum*, 509 *praevortor*, 599 *hercle quid*, aut propior est veritati, velut 349 et 957. — Sed et iis locis, ubi cum B et D conspirare videtur, praesertim in corruptis et desperatis aut ipse consensus aut levis aliqua discrepantia orthographica aliave Plauto prodesse potest.

Digitized by Google

Ceterum tres codices VEJ artiore quodam vinculo inter se connexos esse non solum ubi consentiant sed etiam in lectionum discrepantia hic illic satis certo affirmare licet. Velut vs. 586 sincerum *ne utiquam* in B servatum est, at E praebet *ne imq̃*, J *ne inquam*, V autem *ne iniquā*. Atque hoc in β exstitisse videtur. Origo mendi scilicet litterae tres u t i male lectae. Quae cum in β et V i n i factae essent, duplicato errore E praebet i m, J codicis scriba, ut erat homo stolidus, scripsit *inquam*. — Paucis versibus post pro *heus audin quid ait* et V et E habent *heus inquid ait*; nempe in β tres litterae a u d interciderant; scriba codicis J, qua est sollertia, de suo correxit *heus tu quid agis?* — En tertium exemplum. Vs. 900 B *cura quam optume potest* optime. In β autem *potest* male intellectum in *potes* abierat. Mox verba male distincta, nam in V haec sic legimus *cur aquam optume potes*. Unde ut aliquis sensus eliceretur, nescio quis *potes* mutavit in *petes*; ita et E et J festivissimam lectionem praebent *cur aquam optume petes?* Ut hic, sic plerumque ubi discrepant, V proxime videtur ad archetypum accedere.

Et hoc certum est, in archetypo illo β versus metricos servatos fuisse, non ut in VCD prosae orationis instar continuatos; bis enim ultimum versus vocabulum in VE transpositum — nam versui 518 adiectum *mecum*, demptum autem versui proximo *metum*; tum pari errore, quem et J exhibet, *longius* a fine 611 in finem 610 transiit, — metricam formam observatam arguit.

Sunt autem aliquot loci, ubi V aut solus aut cum E aliis libris est praeferendus omnibus. Vs. 83 *in occulto* simplici *c*, quod ipsum Ritschelius coniectura invenerat; versus 731 sq. et 744 sq. unus omnium recte dividit. Vs. 183 V et J *temperi*, ceteri male *tempori*. Vs. 369 V et E soli habent *ad te atque ad illum*. Vs. 725 autem in V et E lectio corrupta *cotidianos esq. opus* propior vero quam ceterorum. Vs. 832 ambo *ł abultatim ł asultatim*. Vs. 1023 BJ *audissem me*, at VE recte *audisse me*.

Porro, ut ex VEJ inter se comparatis eorum archetypus β restitui potest, simili ratione omnium codicum praeter A commune fundamentum, quod α nota designavi, ex Ritschelii sociorumque eius apparatu critico amplissimo eruere licet. Atque utinam his hanc mentem di dedissent Plautinas fabulas ita edendi ut eius archetypi α imaginem quam fidelissime exprimerent,

Digitized by Google

tum codicis A palimpsesti quantum superest legique potest, seorsum typis mandarent [1]). Ante oculos enim haberemus eum Plautum, quem antiquitas nobis legavit, quem si quis hodie ex editione maiore restituere velit, potest quidem sed magni laboris multique taedii est ex copiosissima supellectili critica ea expedire componere ordinare quae optimi atque diligentissimi editores ad singulos versus ex singulis codicibus annotaverunt. Atque ut apertius etiam dicam, deest adhuc, deest Plautus ad fidem archetypi α editus, quo emendationes sint admissae omnino nullae, qui omnia menda lacunas verba male distincta orthographiam, denique tralaticium textum quam religiosissime servet. Cumque aliud sit scriptorem antiquum edere ad codicum fidem, aliud eum ita recensere ut sit quam emendatissimus, quid, mehercule, vetat editiones maiores ita comparare ut librum aperiens uno obtutu eundem textum bis aspicias, a laeva secundum archetypi optimi cuiusque fidem atque auctoritatem, a dextra autem qualis ex philologicae disciplinae thesauris quam emendatissime edi possit? Eiusmodi edendi ratio multis, sat scio, prodesset, quippe qui et quantum codicibus fidei esset habendum et quid ars critica longique temporis multorum hominum doctorum improbus labor effecisset, simul oculis cernerent.

Velut in hoc archetypo α, unde oratio nostra digressa est, qua forma Captivi fabula fuerit, haud difficile est demonstratu. Exempli gratia primum actum eius comoediae, ut in α fuisse videtur, nunc proponam, usus et apparatu critico quem textui subiecit Schoell et codice V quem ipse contuli.

PARASITVS.

Iuuentus nomen indidit scorto mihi
(70) Eo quia inuocatus soleo esse in conuiuio.
Scio absurde dictum hoc derisores dicere
At ego aio [2]) recte: nam scortum in conuiuio
Sibi amator talos quom iacit scortum inuocat.
Estne inuocatum an non? planissume.

---

1) Hoc modo Ritschelius partem exiguam Trinummi p. XXXV—XXXVIII editionis suae publici iuris fecit. Quidni totam?

2) Hoc in bonis libris omnibus corruptum servatur vel clio vel dio.

Digitized by Google

Verum hercle uerum nos parasiti planius
Quos numquam quisquam neque uocat neque inuocat;
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Vbi res prolatae sunt qum rus homines eunt
Simul prolatae res sunt nostris dentibus.
Quasi cum caletur coccleo [1]) in occulto latent
Suo sibi suco uiuont ros si non cadit
Item parasiti rebus prolatis latent
In occulto [2]) miseri uictitant suco suo
Dum ruri rurant homines quos ligurriant.
Prolatis rebus parasiti uenatici canes
Sumus: quando res redierunt molossici
Odiosicique et multum incomodestici.
Et hic quidem hercle nisi qui colaphos perpeti
Potes parasitus frangique aulas in caput
Vel ire extra portam trigeminam ad sacculum [3]) licet.
Quot mihi ne eueniat nonnullum periculum est,
Nam postquam meus rex est potitus hostium
Ita nunc belligerant aetoli cum alidis
Nam aetolia haec est illic est captus in alide
Philopolemus huius egionis filius
Senis qui hic habitat quae aedes lamentariae
Mihi sunt quas quotienscumque conspitio fleo
Nunc hic occepit questum hunc filii gratia
Inhonestum maxime [4]) alienum ingenio suo:
Homines captiuos commercatur si queat
Aliquem inuenire suum quicum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur hostium
Vnde saturitate sepe ego exii ebrius.

SENEX. LOLARIVS. PARASITVS.

EGIO. Aduorte animum sis tu: istos captiuos duos
Heri quos emi de preda de questoribus

---

1) Sic B; D et *β occleo*.

2) Unus V *in oculto*.

3) Hoc in *a* scriptum fuisse videtur; nam *saccum*, ut est in B et D ex *sacculum* ortum esse verisimilius quam hoc ex illo.

4) Sic B, ceteri *inhonestum et maxime*.

Digitized by Google

His indito catenas singularias
Istas maiores quibus sunt iuncti [1]) demito
Sinito ambulare si foris si intus uolent.
(115) Sed uti adseruentur magna diligentia.
Liber captiuus auis fere consimilis est:
Semel fugiendi si data est occasio
Satis est numquam postillam possis prendere.
Omnis profecto liberi lubentius
(120) Sumus quam seruimus. LO. nouidere [2]) ita tu quidem.
Si non est quod dem mene uis dem ipse in pedes?
SEN. Si dederis erit extemplo mihi quod dem tibi.
LO. Auis me fere consimilem faciam ut predicisti.
SEN. Ita ut dicis nam si faxis te in caueam dabo.
(125) Sed satis uerborumst: cura quae iussi atque abi.
(102) [3]) Quod quidem ego nimis quam cupio ut imperet:
Nam ni illum recipit, nihil est quo me recipiam.
Nulla est spes iuuentutis. sese omnis amant.
(105) Ille demum antiquis est adulescens [4]) moribus
Quoius [5]) numquam uoltum tranquillaui [6]) gratiis.
(107) Condigne pater est eius moratus moribus.
(126) Ego ibo ad fratrem ad alios captiuos meos:
Visam ne nocte hac quipiam turbauerint.
Inde me continuo recipiam rursum domum.
PAR. Egre est mihi hunc facere questum carcerarium
(130) Propter sui gnati miseriam miserum senem.
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest

---

1) Sic B et D. Ex β origo est petenda pravae lectionis *sincti*, quam Schoell in aliis libris omnibus exstare dicit. In V id scriptum est quod non magis *sincti* quam *iuncti* legere possis. In talibus profecto ex verborum contextu aut sententiarum efficias quid scriptum esse videatur; nam ipsi litterarum ductus ambigui. Ne versu quidem 136 oculis discernas, utrum *viuat* sit legendum an *iuuat*.

2) Haec lectio archetypi videtur. Iam in β correctum fuerat *non videre*.

3) Dubito hic, adscriptane fuerit nota personae, et si fuerit, quaenam. B habet notam LO., in DVE nihil praescriptum.

4) Aut *adhulescens*, quod legitur in B. Alibi idem archetypus α habebat *adolescens* velut 459, 478, 1032.

5) Hoc in α exaratum fuisse, quamquam in nullo ex superstitibus codicibus legatur, ex ipsis vitiis apparet. Nam unde D *cui ius* et J *cui uis* haberet, si *cuius* in archetypo fuisset?

6) Hoc solus B integrum servavit, in ceteris depravatum.

Digitized by Google

Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.
SEN. Quis hic loquitur? PAR. Ego qui tuo merore maceror
Macesco consenesco et tabesco miser.
Ossa atque pellis sum miser amacritudine
Neque umquam quicquam me iuuat quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod gusto id beat.
SEN. Ergasile [1]) salue. PAR. Di te bene ament egio.
SEN. Ne fle. PAR. Egone illum non fleam egone non defleam
Talem adulescentem? SEN. Semper sensi filio
Meo te esse amicum et illum intellexi tibi.
Tum denique homines nostra intellegimus bona
Qum [2]) quae in potestate habuimus ea amisimus.
PAR. Ego postquam gnatus tuus potitus est hostium
Expertus quanti fuerit nunc desidero.
SEN. Alienus cum eius incommodum tam egre feras,
Quid me patrem par facerest [3]) cui ille est unicus?
Alienus ego? alienus ille? PAR. Ha hegio
Numquam istuc dixis neque animum induxis tuum:
Tibi ille unicus est mihi etiam unico magis unicus.
SEN. Laudo malum cum amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. PAR. Eheu. SEN. Huic illud dolet
Quia nunc remissus est edendi exercitus.
PAR. Nullumne interea nactus qui posset tibi
Remissum quem dixit imperare exercitum?
Quid credis? fugitant omnes hanc prouinciam,
Quod obtigerat postquam captus est philopolemus tuus.
SEN. Non pol mirandum est fugitare hanc prouinciam.
PAR. Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus primumdum opus est pistorensibus
Eorum sunt aliquot genera pistorensium
Opus paniceis est opus placentinis quoque
Opus turdetanis opus est ficedulensibus
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

---

1) An *Ergo eile*? Sic enim et B et V.
2) D et E *qum*, V, ut videtur, *quis* m.s. in *cum* mutatum. Cp. vs. 78.
3) Contractionem archetypo deberi consensus librorum D et β ostendit.

Digitized by Google

Vt saepe summa ingenia in occulto latent:
Hic qualis imperator nunc priuatus est.
SEN. Habe modo bonum animum nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere.
Nam eccum hic captiuom adulescentem alium
Prognatum genere summo et summis diuitiis
Hoc illum me mutare confido fore.
PAR. Ita di deque faxint. SEN. Sed numquo foras
Vocatus ad cenam? PAR. Nusquam quod sciam.
Sed quid tu id queris? SEN. Quia mihi est natalis dies.
Propterea te uocari ad te nam uolo.
PAR. Facete dictum: sed si pauxillum potes
Contemptus esse. SEN. Ne perpauxillum modo:
Nam istoc me as si duo uictu delecto domi.
Aie sis roga emtum nisi qui meliorem adferet
Quae mihi atque amicis placeat conditio magis.
Quasi fundum uendum, meis me addicam legibus.
Profundum uendis tu quidem haud fundum mihi.
Sed si uenturus temperi. PAR. Em, uel iam ocium est.
I modo uenare leporem nunc irim tenes.
Non meus scruposam uictus commetat ujam.
Numquam istoc uinces me heio ne postules
Cum calceatis dentibus ueniam tamen.
SEN. Asper meus uictus sane est. Sentisne essitas?
Terrestris cena est. PAR. Sus terrestris bestia est.
Multis holeribus [1]). Curato aegrotos domi.
Numquid uis? S. Venias temperi [2]). P. Memorem mones [3]).
SEN. Ibo intro atque intus subducam ratiunculam
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem quo ire dixeram mox iero.

Nunc i et pete editionem Brixii vel Sonnenscheinii vel Schoel-

1) Sic B et D, in β scriptum erat *oleribus*.
2) Sic B et D, in β scriptum erat *tempori*.
3) Inde a versu 177 usque ad 192 personarum notae in libris optimis saepe desunt; sed in mediis versibus transitiones ad aliam personam vacuis spatiis designantur. Ceterum moneo de notis ipsis non compertum esse, quales in α fuerint. Equidem optimos codices B et V secutus SEN. et PAR. scripsi.

Digitized by Google

lii, vel mehercle si videtur, meam: quantum intersit videbis inter eum Plautum qualem nobis tradidit optimi cuiusque codicis fides mendosa, et eum qualis ex disciplinae philologicae plus trium saeculorum profectibus aliquanto purior atque emendatior evasit.

Quod autem mendosos dixi libros manuscriptos, haud velim inde efficias quasi mendacii eos accusem. Immo, si quid video, ii clerici qui libros illos optimos saeculi undecimi et duodecimi BDV scripserunt, ut saepenumero poëtam minime intellexisse videntur [1]), ita anxie atque religiose suum quisque archetypum non dico ad verbum — sed ad calami ductum expressisse existimandi sunt. Haud facile quidquam scientes mutabant, ne iis quidem locis corruptis ubi obvia correctio vel tenuiter litteris imbutis se offerebat; quae de suo addebant menda, lassitudini, somno, denique errori humano imputanda sunt, non ex speciosa quadam eruditionis ostentatione et tamquam stulte corrigendi morbo derivanda. At contra in libris deterioribus id genus morbi grassatur, quod codex J videtur auspicatus esse. Diu multumque valuit, etiam editionem principem multasque deinceps male habet. Itaque Schoell ad vetustorum librorum fidem redeundo compluribus locis poëtam purgavit pravis correctionibus a medii aevi scribis librariisque textui illatis, usque ad hanc aetatem per omnes editiones repetitis. Velut vs. 297 (II, 2, 47) optimi codices — etiam V — habent *scio*, quod cum a sensu eius loci abhorreat, iam in manuscriptis saeculi XVi coniecturae *scito* loco cessit. Schoell, abiecto *scito*, optimorum lectioni vidit subesse id quod unice verum est: *aio*. Idem vs. 694 (III, 5, 36) *interdico*, quod optimi habent libri, in textum recepit, non *interduo*, vulgatum sed deterius; ita ut is versus probata Fleckeisenii emendatione qua pro *dicant* scribatur *aiant*, sic constituatur

dum péreas, nil intérdico aiant vívere.

Similiter optimi cuiusque codicis secutus auctoritatem vs. 113 (I, 2, 3) *iuncti* legendum esse, non *vincti*, statuit. Quod correctum

1) Velut cum litterarum complexus sensu casses praebent. Ita Captt. 259 poëtae verba *aequomst vitio vortere* in EVJ in hunc modum corrupta leguntur *equom stulcio uerters*, B habet *equō stulcio*, D *equō stul cio*. Mendi origo nimirum male lecta littera quae est secunda in voce *vitio*, quae scripta erat *uicio*. Talia in Plautinis codicibus passim occurrunt.

Digitized by Google

controversiam de vi ac significatione *catenarum singulariarum*, quae vs. 112 memorantur, diremit. His addo alios locos nonnullos: vs. 90, 408, 456, 467, 511, 594, ubi codicum lectionem ab editoribus perperam improbari equidem contendo, neque minus Schoellium laudo quod ad vs. 387 et 429 optimorum lectiones *auribus* et *experiri* vindicavit quam reprehendo quod quidquam omnino hic mutandum censuit. Sed de iis fusius agam in altera parte huius disputationis, cum rationes reddam eorum quae in editione mea aut novavi aut ubi ad veteres quasdam correctiones, postea abiectas, redii.

Sed et in Epidico incidi in locum ubi simili ratione prava correctio verum abdidit. Cum enim exiguum vernarum feriarum otium nobis concessum pro rationibus meis Captivorumque in excutiendo codice V consumerem, postquam intellexi eum librum optimis esse annumerandum, alias quoque comoedias, quae ibi insunt, cum editione maiore Ritscheliana comparare institi. Quae collatio et quae supra de affinitate codicum V et E exposui, probavit et huic emendationi ansam dedit. Nam Epidici versus 51 sq. apud Goetzium sic se habent:

EP. Quíd istanc quam emit? Quánti eam emit? TH. Vílei.
EP. Haud istuc té rogo.
TH. Quíd vis igitur? EP. Quót minis? TH. Totís quadragintá minis.

Initio versus 52 vox *vis* Goetzio debetur, nam in codicibus non legitur. Addidit Goetzius ut metro consuleret. Nam in J ceterisque libris deterioribus tantum duo verba *quid igitur* eaque rectiora ad sententiam, nisi metrum refragaretur. At in optimis libris scriptum est *reddigitur* quod in V integrum permansit, in B autem et E manu recentiore varie mutatum est. Planum hoc quidem hunc litterarum complexum sensu cassum memoriae proditum esse, aliam lectionem *quid igitur* coniecturae deberi. Missam igitur faciamus eam correctionem, quae et Goetzio imposuit et C. F. W. Müllero *quid* [*rogitas*] *igitur?* supplenti, redeamusque ad optimorum librorum fidem, unde profecti genuinum poëtam redducamus. Duae litterae in archetypo exciderant, nam *reddigitur* natum est ex REDD[IC]IGITVR. Poëta Thesprioni hoc dedit responsum: *Réddic igitur!* i. e. „itera verba tua", sententiae unice aptum. Hoc cum restituimus, lexicon Latinum

Digitized by Google

ditamus verbo **reddicendi**, cuius hic locus unicum praebet exemplum, sed certissimum. Neu quis calumnietur reddicendi vocabulum hic alienum, quia Epidicus non iisdem verbis utatur, verum aliis verbis quaestionem iteret: in linguis Romanicis quae *redicendi* vox ex sermone Latino servatur, et de iisdem verbis iteratis et de eodem cogitato aliis verbis iterato usurpatur. Ceterum non ante Sidonium Apollinarem eius vocabuli a scriptore Latino usurpati exemplum notum esse videtur; is epist. tertiadecima libri noni quam ad Tonantium scripsit: „religiosis, quod magis approbo, narrationibus vaca. his proferendis confabulatio frequens, his *redicendis* sollicitus auditus inserviat."

In Curculionis actus primi scena prima, iocis facetiis argutiis omnis generis refertissima, vs. 71 *ara Veneris* memoratur ante lenonis fores posita; quae postquam per paucos versus ludi iocique materies fuit aliqua ratione ad anum Leaenam pertinere debet de qua inde a vs. 76 sermo est. At is versus, ut quidem vulgo legi solet, arae Veneris mentionem non facit. Sic enim in editionibus circumfertur

anus híc solet cubitáre custos iánitrix:
nomén Leaenaest: múltibiba atque mérobibast.

Ubi vocula *hic* aram foris positam nequaquam significare potest. Ut enim taceam per se vix credendum esse eam anum in publico pernoctasse, iam vetat ipsum Phaedromi consilium eius domo eliciendae foribus vino conspersis. Sed neque Phaedromus ita loqui potest, neque codices id testantur. Ex quibus deteriores, J ceterique *anus hic recubare solet*, B autem *„anus hic cubitare* (*i* ex *a* ut vid.) *solet"*, E *„/// recubat* (erasa *a*) *solet* quod manu recentiore abiit in *recubate solet"*. At V *anus hic are cubat solet*. Ex his inter se comparatis emendatio facilis neque ab arte palaeographica infirma

anus **huíc** cubat **arae sóla** custos iánitrix.

Sic et anui lectus intra parietes servatur et arae utilitas patet.

II

Si Schoell ad emendandam Captivos tantum prudentiae tantumque consilii attulisset quanta fide atque religione in apparatu critico excutiendo et colligendo versatus est, opus eius

Digitized by Google

ab omni parte laudandum foret. Nunc nescio an temeritatis sit damnandus, qui, quasi antiquum scriptorem emendare levis res sit atque ludus quidam ingenii, locis centum et sedecim — ut mittam eas quas praeterea in annotatione critica sub finem operis dubitanter tentavit — novas coniecturas suas in unius fabulae textum receperit, atque eas plerumque inanes, futiles, a simplicitate Plautina multum abhorrentes, praeiudiciis magis quam iudicio obnoxias. Si philologus Batavus tantum ingenio indulsisset, tot locis a codicum fide — et quantum! — recessisset, eheu quo tandem animo multi homines docti in Cobeti pravam rationem disciplinamque inveherentur! Sed neque Nestor noster neque qui ex huius schola arti criticae operam navarunt navantque eiusmodi emendandi rationem probant vanam, verum sanam atque rectam, qualem Plauto adhibuerunt Bentleius, Bothius, Fleckeisen, Loman acerbo olim fato et patriae nostrae et litteris ereptus cuius emendationes magnam partem probatae et in textum receptae sunt, Spengel qui cum in aliis de Plauto optime meruit tum Captivis vehementer profuit dissertatione quam scripsit in Philologi tomo XXXVII, p. 417 sqq.

Itaque cum maxime vellem in editione minore mea Schoellii recensionem et novissimam et optimis subsidiis fultam quam proxime sequi, per huius temeritatem in coniectando non licuit. Omnino ex centum sedecim numero vix quinque vel sex emendationes recipere potui. Neque hoc laudo quod acerrimum bellum gerit cum hiatibus. Viginti locis, quos quidem notavi (vs. 24, 31, 93, 169, 175, 196, 263, 331, 337, 372, 387, 395, 426, 429, 458, 481, 534, 665, 977, 1016), versus alioquin sanos, interdum Plautinissimos ob hoc unum vituperat quod hiatum habent, mendi autem originem aut non ostendit aut coactis rationibus omnique verisimilitudine carentibus se ostendere putat. Si huic et aliis hostibus hiatuum Plautinorum credis, duo haec simul credere debes: primum poëtam comicum aetatis Hannibalicae in versibus pangendis lima aut pariter usum esse cum Vergilio aut melius, deinde sub finem imperii Romani vel ineunte medio aevo diram quandam conspirationem esse factam a grammaticis aut librariis magnum numerum versuum Plautinorum in eum modum corrumpendi, ut hiatus quidem orerentur, ceterum sententia alia labe prorsus

Digitized by Google

careret. Equidem potius facio cum Ramsay, Mostellariae editore et docto et prudente, cum Spengelio, qui in libro bonae frugis plenissimo qui inscribitur „T. Maccius Plautus. Kritik, Prosodie, Metrik" hiatus Plautini leges et vere et perspicue exposuit, cum Sonnenscheinio, quem secutus in Captivis qui reperiuntur hiatus dummodo et rationibus metricis et a sententia defendantur diligenter conservavi.

Nunc rationes sum redditurus eorum quae ipse coniectando tentavi. Neque enim, cum temeritatem culpo, audaciam reprehendo. Iam Hippocrates medicis praecepit, et ferro ut uterentur et igni, dum in loco. Nam et vulnera explorasse et sanandi rationes indagare oportet; si minus, manum abstinere melius.

Prologus. Ergo, ut ab initio ordiamur, iam versus secundus prologi omnium consensu vitio laborat. In libris mss. fabula sic incipit:

PROLOGVS

Hos quos uidetis stare hic captiuos duos
Illi qui astant hi stant ambo non sedent.

Aperte his iocus inest, sed latet; nam id quod dicitur eos qui astent stare non sedere, ne iocus quidem est scurrilis, nihil est. Nec minus apertum pronomen *illi* hoc loco alienum esse, si usquam, in eo vulnus subesse, id mutandum. Neque defuerunt emendatores, sed temere nullo consilio loco manco opem ferre conati sunt. Fleckeisen pro „illi" coniecit *vincti*, Brix *in vinculis*, Schoell aut *iugati* aut *vi iuncti* (illud in textum recepit); Spengel aliquanto melius *inviti*, sic enim saltem causa corruptelae intelligi potest. Verum in omnibus his iocus non magis apparet quam in lectione tradita. Tum demum patefiet, si *illi* debetur librario ex pallidis litteris archetypi sui transcribenti N̄ VILI, quarum prima N̄ in rubrica posita abesse potuit. Nam prologus sic orsus

Hos quos videtis stare hic captivos duos,
Non vili quia stant, hi stant ambo non sedent

quem desiderabamus iocum habet et scurrilem et ad rem accommodatum. Grande pretium fuisse quo Hegio duos captivos emerat, identidem praedicatur, velut 32 *nil pretio parsit, filio dum parceret* et 257 sq. *an vero non iusta causast ut vos servem sedulo | quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia.*

Digitized by Google

Vs. 26 offendit perfectum *emit* post praesentia, quae sunt in versibus superioribus. Quod tollitur inserendo *eum* ante *emit*, ut versus hic evadat

Medicus Menarchus eum emit ibidem in Alide.

Conversa ratione vs. 34, ubi vulgo praesens *emit* legitur, at grammatica perfectum postulat, lenissima medela perfectum apparebit. Transponuntor inter se vocabula *emit hosce*, ut sit

Hosce emit de praeda ambos de quaestoribus.

Vs. 27 cum praecedentibus male cohaeret. Undenam scire possumus voce *hic* Hegionem dici? Recte igitur Sonnenschein „*hic* i. e. Hegio, but this is harsh, and Geppert supposes that some lines have fallen out after *Alide*". Lenius fortasse et efficacius est remedium, si statuas in versu qui nunc legitur

Coepit captivos commercari hic Aleos

primum vocabulum deberi glossae, infinitivum historicum supplenti, qua glossa verum loco motum sit. Nam si poëta scripsit

Pater captivos commercari hic Aleos

nihil amplius est, quod moretur nos.

II, Sc. I Ambigitur inter editores interpretesque quomodo versus 85 sq. distribuant. In talibus tenendum, Plautum non solum in quoque vocabulo proprium quantum possit accentum servare, sed etiam quod in quaque sententia cum emphasi efferri vocabulum necesse sit, id in versu ita collocare solere, ut numeri metrici conspirent cum eo quod ubique sententia postulet. Auribus igitur utendum est auctoribus neque probanda eorum sententia, qui deleta voce *canes*, quae in mss. omnibus invenitur, versu 86 primam pers. plur. verbi *esse* ita voce efferri velint, ut ictus secundam tangat syllabam. Immo nihil detrahendum codicibus, modo hunc in modum versus constituas

Prolátis rebus párasiti venátici
Canés sumu': quando rés rediere, Molóssici.

Versum 90um post Bothium omnes editores sic conformarunt

Vel éxtra portam trígeminam ad saccum ílicet.

In codicibus vero legitur (vid. supra p. 130)

Vel ire extra portam trigeminam ad saccum [*vel* sacculum] licet,

Digitized by Google

qui versus integerrimus. Nam *vel ire* ita voce efferendum est ut audias *v'l ire*, de qua syncopa si forte dubites, in Spengelii libro laudato „T. Maccius Plautus etc." legas paginas 107 sqq., quibus lectis ipsum Plautum atque si tibi videatur, Terentium quoque pervolvas; mihi crede, passim incides in eiusmodi syncopas, quibus *quis, quid, quod, vel, pol, sed, nec* cum sequenti vocali ita coalescere tibi persuadeas ut necessario singularum non binarum vice syllabarum fungi putanda sint. Qui vero ita docent, quasi ea monosyllaba *quis*, *quid* etc. syncopen quidem non admittant at insequens vocalis, cum longa sit vel natura vel positione, corripiatur, hi longe a vera ratione aberrant. Quis enim, nisi doctor umbratilis, quod genus magis insenescit libris et studiis reconditis, quam acre est ad vitam communem et homines cognoscendos, quis enim probabit histrionem exempli gratia exclamantem

séd ĕccum incédit húc ornátus haúd ex suís virtútibus (Captt. 997)?

Ubi si doctissimorum hominum summa auctoritas quamvis sollertibus rationibus demonstraret propter accentum coniunctionis *sed* exclamationis *eccum* priorem syllabam pariter accentu praeditam praeter morem et naturam corripi debere, tamen sensui communi credo et auribus plus tribueremus. Bothii autem correctio tum facta est, cum sermonis Plautini leges metricae satis imperfecte cognitae erant.

Eadem legum metricarum aut ignorantia aut prava et contorta explicatio molestiam peperit ad versum 250 (II, 1, 58) integerrimum, dummodo recte pronuntietur, nimirum

mémoritér meminísse inést spes nóbis 'n hác astútia.

Act. I, Sc. II Hegio foras prodiens lorario, qui intus est, mandata dat in hunc modum

(110) Advorte animum sis tu: istos captivos duos
Heri quos emi de praeda de quaestoribus,

et quae sequuntur. Horum versuum alterum Spengel a corruptelae suspicione vindicavit, cum ostendit primum ictum in *quos* cadere, ut primus pes anapaestus esset, quare haud scio an potius *here* scribendum sit. Versus vero 110 praeter modum porrectus est; nam haud aliter legi potest, nisi et *animum* oxytonon

Digitized by Google

efferas, et pronomen *tu*, quod hoc loco cum emphasi positum est, ante *istos* paene elidas; quemadmodum nemo histrio pronuntiasse putari potest. Ergo recte prudentes ex editoribus aliquid hic resecandum censuerunt; alius *sis*, alius *tu* expungebat, rationes tamen reddere supersederunt, quonam modo alterutrum in versum irrepsisse existimandum esset. Sed neque *sis* neque *tu* deturbandum, *animum* potius eiicere oportet, ut glossam interlinearem τοῦ *advorte*. Scripsit poëta

advorte sis tu: istos captivos duos

nimirum hoc pacto Graeca οὗτος σὺ πρόσεχε Latine reddens. *Advertere* enim idem valet atque *animum advertere*. Verg. Aen. 4, 116 *paucis*, *adverte*, *docebo*. Hiatus in caesura legitimus, huic loco accommodatus, ubi Hegionem ipsa sententia pausam facere cogit. Simili ratione in Aulularia duobus locis hiatus in caesura restituendus est: a.) II, 2, 52 (= 229) ubi ex mss. auctoritate ne littera quidem mutata legatur

té bovem esse et me ésse asellum: úbi tecum coniúnctus sim

b.) IV, 10, 41 (= 771) qui versus expuncto glossemate, quod uncinis circumdedi, sic evadat

mágna res est quám ego tecum ótio[se, si otium est] cupió loqui [1]).

Tales hiatus in Captivis inveniuntur etiam 169, 201 (vid. infra), 208, 331, 372, 387 (vid. infra), 398, 429 (vid infra), 494, 534, 543, 605, 780, 846, 861, nec minus saepe in aliis comoediis.

Versus 135 editores vexat. Ergasilus maerorem suum et aegritudinem ob Philopolemi captivitatem lamentatione declarans, de se ipse dicit

Macesco, consenesco et tabesco miser:
Ossa atque pellis sum miser amacritudine.

Sic codices. Ubi ultima verba quid significent, obscurum, nam *amacritudo* ne verbum quidem est. Obvium videbatur seiungendo praepos. et subst. hoc expedire: *ossa atque pellis sum miser a*

1) *Otio* idem valet atque *per otium*, ut *dolo*, *vi* = *per dolum*, *per vim*. Solus ablativus antiquitatem sapit. Duplex hunc obscuravit glossema, nam primum *otiose* ablativi *otio* explicandi causa adscriptum fuit, deinde *si otium est* interpretamenti interpretamentum.

Digitized by Google

macritudine, quod et plerisque placuit. Sed constructio dura, vix Latina. Idcirco Fleckeisen tentavit *miser aegritudine*, quod tamen qui in vulgatum abierit dispicere haud facile est. Subtili ratione Schoell *miser, I macritudine*, ut Ergasilus propter maciem longae illi et tenuissimae litterae simillimum se factum praedicet. Sed acrius intuenti haec correctio stare non poterit. Nostra scriptura, qui litteris capitalibus, maiusculis, minusculis utimur, I sic simpliciter exarata quid sibi velit, haud obscurum est. Sed Plauti aequales litteris eiusdem formae atque magnitudinis uti solebant. Deinde, quod gravius etiam est, cum haec audiente cavea declamantur, quis eiusmodi facetiam capere potest? Homines nostrae aetatis qui Plautinam fabulam legunt oculis eam videre possunt, Plauti aequales qui eam spectabant dum agebatur, auribus capere non poterant. Mirum autem, neminem interpretum offensum esse voce *miser* bis repetita. Atqui hic, si quid video, vitium latet. In archetypo aliquo cum scriptum exstaret MERAMACRITVDINE somnians scriba tres litteras MER pro compendio accepit vocabuli, quod est *miser*, unde in nostris libris illud *miser amacritudine*. Nam poëta haud dubie scripsit

Ossa átque pellis súm **mera**, **macritúdine**.

i. e. „tantum ossa sum atque pellis macritudine." Compara vs. 396 *quae memini*, *mora merast monerier*, Curc. 49 *malu' clandestinus est amor, damnumst merum*. Idem vocabulum et vs. 201 fabulae nostrae librariis fraudi fuit.

Ad versus 148 et 171 hoc tantum moneo, Bothii emendationem *illi* atque Muelleri *pote* mihi quoque in mentem venisse, antequam scirem eas ab his occupatas. Quo magis eas sum amplexus. Personarum distributionem a Spengelio mutuatus sum, qui de ea re et prudenter et luculente disputavit in Philol. XXXVII, p. 426. Quem et Schoell secutus est. Hic autem meritissimo totum versum 179 *age sis roga emptum*, quem contra libros mss. dividere solebant, coniunxit Ergasiloque tribuit.

Vs. 184 vetustam Salmasii emendationem *erem* recepi. Praestat enim vulgato *ictim*, nam *er*, animal asperrimum optime opponitur lepori mollissimae carnis, non vero *ictis*, cuius unica defensio, si ea quae vs. 185 continentur, proprio sensu accipias,

Digitized by Google

quae tamen sub imagine sunt dicta. Tum Salmasii inventum rationibus palaeographicis commendatur, in libris enim est *irim*.

t II, Sc. I Nunc venimus ad primum canticum in quo restituendo et Brix et Spengel optime de poëta meriti sunt. Duobus locis contra eos sentio. Versus 196 trochaico metro scriptus esse videtur; quod si tenes, metri et accentuum difficultates repente evanescunt. Quid enim in hoc versu Plauto indignum?

Décet id páti animo aéquo: si íd faciétis, lévior lábor erit.

In tanta accentuum et ictuum concinnitate ne quem moretur quod in optimis libris *labos* exaratum est: in talibus haud semel peccare solent librarii. Et quis ut viam sibi monstrent, non potius disciplinae et artis luminibus quam caeci oculis utitur?

Tum versus 240 et 241 metricae artis peritos modeste rogo ut sic pronuntiare liceat

TVN. Aúdio. PHIL. Ét proptérea saépius
ted út memíneris móneo:
Nón ego erús tibi, séd servós sum.
Nunc óbsecró te hoc únum:

Aures meae hic septenarios audiunt mixtos, quippe quorum trochaei post caesuram excipiuntur iambis, atque eos numerosos, Plauti arte dignissimos. His trochaicos octonarios, qui circumferuntur, horridos et incomptos, si per metricos licet, haud invitus mutaverim.

Vs. 201 codices monstrum lectionis tuentur. Captivi cum lorariis in pulpito stant. Illos eiulantes horum dux consolatur. Plorare et lamentari pergunt. Deinde is eos denuo sic alloquitur

Eiulatione haud opus est multa oculis multa miraclitis.

Haec nemo sanus neque intellexit neque intelligit. Magnam ergo, ut par est, coniecturarum pepererunt segetem, in quibus more solito sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura, absurdum vero, deliramenti instar, id quod proposuit Schoell, quod apud ipsum videas. Fefellit autem omnes praepostera iudicandi ratio. Cum versus aperte longior esset, additamentum prius resecare coeperunt, quam corruptelam indicarent, cumque *multa* bis positum esset id satis causae duxerunt, ut alterutrum pro interpolato haberent eiicerentque. At praestat primum dam-

Digitized by Google

num indagare idque, si fieri possit, sarcire: deinde ad id lumen longitudini versus consulere. Quo facto hoc repperi. Lorarius iocatur:

Éiulátióne múlta óculis múlta méra ciétur

i. e. multae lacrimae et lamenta oculis damna tantum afferunt. Neque mendi origo difficilis est ad detegendum. In fine versus verba *mera cietur* ita scripta m e r a c i e t' litteris minusculis cum non intelligerentur, facile in m i r a c l i t i s abire poterant, cum praesertim *i* et *e*, tum *l* et *i* inter se confusarum passim exstent exempla. Quod autem attinet ad *haud opus est*, quae verba e versu exemi, nimirum antiquum est glossema interlinearium quod lorarii iocum interpretetur.

242 sqq.

Quoniam nobis di immortales animum ostenderunt suom
Ut qui erum me tibi fuisse atque esse conservom velint:
Quod antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro per precem

Fleckeisen iure *quod* initio versus 244 positum improbavit; nam neque pronomen esse potest, quia aliud oratur aliud antea imperabatur, neque coniunctio, quam sententia hic non admittit. Coniecit *q u o m*. At ne hoc quidem satis placet. Non enim tempora tantum inter se opponuntur. Et periodi concinnitati et elegantiae Plautinae melius consulitur emendando

quoi antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro per precem.

Sic demum poëtae manus apparet.

Act. II Sc. II Vs. 338 veterem Guilielmii recepi emendationem *auscultadum, scies*. Particula *dum* imperativo addita librarios saepe fefellit.

Act. II Sc. III Versus 387 sanus nobis traditus est. Non solum optimorum codicum *auribus* cum Schoellio Plauto reddendum, sed etiam hiatus post caesuram minorem conservandus. Utrumque iocosae gravitati Philocratis optime convenit. Nihil igitur mutandum in optimo versu comico.

Íd petám, id pérsequárque córde et ánimo atque — aúribus.

Ceterum in hoc festivissimo colloquio domini et servi, cum alter alteri mandata dat, alterum alter coram Hegione summis laudibus effert, pauca habemus quae moneamus.

Digitized by Google

Vs. 401 sq. otiosa interpolatione laborat, nempe his quae uncinis inclusi:

HE. Meus mihi, suos quoiquest carus. PH. Numquid aliud [vis patri
Nuntiari]? TY. [Me hic valere et tute audacter] dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili
Neque te commeruisse culpam neque me advorsatum tibi.

Orta autem est interpolatio ex glossa quae *numquid aliud?* elliptice positum suppleret, quae cum semel in textum irrepsisset metri rhythmique particeps, alterum additamentum *me hic valere et tute audacter* insertum est ut versus plenus fieret; ibi *me hic valere* ex vs. 391 inepte repetitum. Summotis falsis, genuina, ut par est, magis splendescunt. Neque causa est, cur cum Brixio commutatis pronominibus corrigamus *te advorsatum mihi.* Benevolentia mutua mutuis beneficiis declaratur. Tyndarus hoc ait et servum fuisse probum neque dominum durum; a versu demum 404 solum servum laudat, ita ut *te* (vs. 405) subiectum sit duorum infinitivorum *gessisse* et *deseruisse.*

Vs. 406 sqq. Pseudophilocrates Pseudotyndaro sic promittit

haéc pater quandó sciet,
Tyndare, ut fueris animatus érga suom gnatum átque se,
Númquam erit tam avárus quin te grátiis emittát manu.

Quoniam vero adverbium *gratiis* Plauto semper pro cretico est neque synizesin capit, variis modis metro ruenti subvenire conati sunt viri docti. Lindemann *emittat* praepositione spoliat, cui obsecutus est Sonnenschein. Alii transponunt. Fleckeisen *quin manú te emittat grátiis*, Luchs *quin manu émittat te grátiis*, Schoell *gratiís quin te emittát manu*, Brix ad transpositionem antiquum illum ablat. in *d* addit *quin te mánŭd* (!) *emittat gratiis.* In tanta editorum discrepantia quanta admiratio me cepit, cum in codice Vossiano pro aegro versu hunc valentem et optime habentem reperiebam

Numquam erit tam avarus quin te **gratus** emittat manu.

Nam animus gratus — is enim avaritiam vincet — hoc loco adeo necessarius est, ut si in codicibus legeretur *gratiis*, id mutare non cunctarer. At nunc omnes codices ut mox e Schoellio comperi — nam apud Brixium et Sonnenscheinium de

Digitized by Google

ea re altum silentium — in lectione *gratus* conspirant; verum editores [1]) primum sincerum pessumdant, tum de vitio quod ipsi intulerunt, sanando ambigunt et litigant!

Vs. 413 cum Lambino libenter emendavi *exemisti*; iam pridem hoc ipse excogitaveram.

Vs. 413 metrum ruens sustinere conatus est Schoell praeserendo *ere*, quod in codicibus deest. Atque hoc potius est, quam *mihi* pronominis loco moti ultimam ictu donare, cum enclitice ut efferatur sententia flagitet. Praeterea *ere* huic loco optime convenit. Sed dubito an melius medio inseratur versui, ut legamus

mi óbsequiosus sémper, ere, fuísti

Tum etiam quae fuerit causa cur hic vocativus intercideret, in aperto erit.

Versus 420 et 421 manci sunt. Schoell de lacuna cogitat atque ita edidit. Prudentius vero egisse mihi videntur Guietus, Bentleius, Bothius traditam lectionem sic transponentes

quantis suom erum laudibus
Servos collaudavit

Quo facto cum alterius versus metro non satisfiat, Brix sic pergit PH. edepol istuc me haud centensumam
Pártem laudat quam ípse meritust út laudetur laúdibus.

Cum vero verisimile non sit *edepol* si verum et genuinum esset in *pol* abiisse, fortasse propius a vero est, si statuimus initio vs. 421 aliquid periisse. Quid, si poëtam haec scripsisse putemus?

quántis suom erum laúdibus
ipse servos cóllaudavit. PH. p'l ístic me haud centénsumam
Pártem laudat etc.

Vs. 426 *experiri* codicum lectionem merito tuetur Schoell, iniuria coniectura et levi et inutili hiatum tollit. Hiatus in caesura frequens apud Plautum, neque is absurdus post litteram

---

1) In Gronovii editione *gratus* nondum mutatum erat, *gratiis* vero in margine adscriptum Dousae nomine commendatum.

Digitized by Google

longam in quam infinitivus praes. pass. desinit. Velut vs. 847 et 861 post infinitivos *astitui* et *apparari* hiatus legitimus in caesura ab editoribus agnoscitur — etiam a Schoellio. At nostro loco et vs. 175 eundem impugnant. Utrobique pariter est conservandus, utque vs. 175 adhibita lenissima medela fere ad codicum fidem equidem edidi

Proptérea *a* te vocári | ad cenám volo,

sic nostro loco omnino nihil mutandum

Istaec dicta te éxperiri | ét opera et factís volo.

Experiri autem non modo respondet Graeco πεῖραν λαμβάνειν, interdum etiam est πεῖραν διδόναι. Hanc vim et hic habet et Liv. 44, 41, 4 „nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis vim habent, *experiendo* cum agi non quemadmodum agatur edisseri oportet sine ullo effectu evanescunt: ita tum elephanti in acie nomen tantum sine usu fuerunt," et Sall. Iug. 31, 5 „certe ego libertatem quae mihi a parente meo tradita est, *experiar*" i. e. *utar libertate*, et Nep. Alc. 1 „in hoc quid natura efficere possit, videtur *experta*" i. e. *re ostendisse* videtur.

Versus 458, quem libri mss. sic legunt

Ad fratrem modo captivos alios inviso meos,

ab interpretibus pro corrupto habetur. Metrum, inquiunt, aegrum est neque sententia recte procedit. At, ni vehementer fallor, et sanus est versus et sincerus. Nota res est, quae tamen hoc loco interpretes fugit, Plauti aetate *modo* ultimam ancipitem habuisse, velut Asin. 5, Aul. 239, Pseud. 2, 3, 23, Poen. 1, 2, 7, etiam in Terentii Andria (4, 1, 6) *mŏdŏ* particula iambum efficiens neminem offendit. Proinde quod alibi licet, nostro quoque Captivorum loco liceat. Tum quod praesens *inviso* nonnullos offendit, ea verbi *visendi* proprie vis videtur fuisse, ut tamquam desiderativum esset *videndi*. Prisc. 10, 46: „facesso" vero et „capesso" et „viso", quae possumus desiderativa dicere; significat enim ..... „viso" desidero videre". — Itaque nihil hic mutandum censeo, variasque coniecturas Bothii, Fleckeisenii, Ussingii, Schoellii si valere iusseris, recte feceris.

III Sc. I Versus 463 duobus verbis *esse* et *cupit* transpositis emendatus erit:

Digitized by Google

Ille miserrumus ést, qui quom cupit ésse, quod edit nón habet. Iam Guietus et Bothius hoc ante me viderunt, sed editores iis non sunt obsecuti, leviora ad fidem amplexi alius, ut assolent, aliud.

Ad versum 467 adulterina lectio, prae genuina ab optimis codicibus (BDVE) servata, editoribus placet. Ergasilus parasitus querens plorans indignans miserias suas enarrat: nusquam esse quo ad cenam vocetur. Diei infelicitatem incusat.

(464) Nam hercle ego huic die, si liceat, oculos ecfodiam lubens:
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque ieiuniosiorem nec magis ecfertum fame
Vidi nec qui minu' procedat quicquid facere occeperit:
Ita venter gutturque resident esuriales ferias.

Haec fere [1]) tradita a codicibus. In deterioribus libris locativus *qui*, quem non intellegebant, mutatus est; iam cod. J pro eo *cui* praebet, at saeculis XV et XVI aucta eruditione aliquid sibi fecisse videbantur librarii et editores, illud „cui" si sic scriberent *quoi*. Quem ad modum etiamnunc edunt. Perperam, nam Ergasilo non diei incepta minus procedere dicuntur, neque cum dies *ieiuniosus* et *ecfertus fame* vocatur, tempus esurire dicitur, sed homo. Non nugas agit Ergasilus, scurram agit. Sibi non diei omnia adversa esse queritur. Restitui igitur, quod iam Scioppius suaserat, optimorum librorum *qui*. Mendum inest in *occeperit*, pro quo aut cum Scioppio *occeperis* reponas licet, si communem diei infelicitatem incusare tibi videtur parasitus, aut *occeperim*, si de se uno loquitur.

Act. III Sc. II Canticum secundum quod restituto metro legimus, gratia imprimis habenda Brixio. Quem in ceteris secutus hac in re dissentio, quod versus 510—513 omnes iambicos septenarios constituo. Sic enim non solum auribus satisfit sed etiam aliquanto propius ad traditam lectionem accedimus, quam Brix

1) „Fere" dico, quia hic illic orthographiam mutavi, velut in accus. plur. qui hoc loco in *is* scripti inveniuntur at alibi saepe in *es*. In talibus constantiam vel in optimis libris desiderabis, neque ad aurium iudicium, quo Gellius eiusque aequales utebantur, confugere possumus. Vid. notissimum Gellii locum (XIII, 21).

Digitized by Google

aut Schoell, quem hic conferas velim. Ergo in hunc modum distinxi

Eo prótinus ad fratrem índe, ubi mei álii sunt captívi:
Rogó Philocratem ex Álide ecquis ómnium [1]) norit.... Tándem hic
Exclámat eum sibi ésse sodalem: díco eum esse apúd me.
Hic éxtemplo orat óbsecratque eum síbi videre ut líceat.

III Sc. IV Coacta et artificiosa est interpretatio versus 580. Aristophontes hunc pronuntiat, dum Tyndari impudenti adversatur audaciae, dominum se professi cum servus sit.

Út scelestus, Hégio, nunc íste te ludós facit!

Nám is est servos ípse neque praetér se umquam ei servós fuit.

Quibus postremis hoc dici volunt, numquam alterum Tyndaro servum fuisse praeter se, id est Tyndarum numquam nisi servum fuisse. Sed, quaeso, quomodo servum suum ipsius dominum iure nomines, cuius ipsum corpus alteri serviat? Abiicienda vero cum contorta explicatione tota illa lectio. Neque codicibus nititur. B *praeter se umquam*, cui manus recentior addidit *ei*, V et E *praeter eum quam ei*, J et ceteri deteriores *praeter eum quisquam ei*. Ipsa codicum discrepantia vitium satis aperte arguit. Neque emendatio in obscuro est. Nam quid sententia flagitet quidque poëta scripserit, inventu est proclive. Haud dubitanter emendo

Nám is est servos ípse **neque umquam praéterquam** servós fuit.

Et causa damni in propatulo. Haec constructio vocis *praeterquam* cum verbo finito eiusmodi erat quae hominibus grammaticis anomala videretur, quam ut supplendo explicarent pronomina *eum*, *se*, *ei* aliud alius glossae nomine adiiciebant.

Nunc venio ad locum, quem aeque atque alios multos, de quibus supra tractavi, in optimis libris mss. omni vitio carere falsoque mutatum esse mihi persuasum est, sed aliquanto impeditior est ad probandum. Conabor tamen. Aristophontes captivus, audito Philocratem amicum suum apud eundem dominum servi-

1) Cum Ussingio genuinum vocabulum tueor ab Hermanni coniectura, quae plerisque placuit, *hominum*. Non enim in universum rogatur, ex certo numero captivorum quaeritur.

Digitized by Google

tutem servire, cum ab Hegione impetravisset ut ad eum admitteretur, pro Philocrate Tyndarum agnoscit fraudemque huius et fallaciam ita aperit. Quod periculum ut quantum possit defendat, Tyndarus Aristophontis insaniam simulat, omniaque eius dicta factaque ita interpretatur ut Hegioni fidem faciat furere illum neque esse cur eius verbis credat, qui compos mentis non sit. Velut vs. 592, ubi Aristophontes huius mendaciis exacerbatus exclamavit

Énim iam nequeo cóntineri

protinus Hegionem appellat

TY. Heus, aúdin quid ait? quín fugis?
Iám illic hic nos ínsectabit lápidibus, nisi illúnc iubes
Cómprehendi

id agens, ut iratum hominem magis etiam accendat. Tum os et oculos furentis monstrans, qui prae indignatione atque ira vix loqui potest, neque aliud edit nisi hoc unum

AR. Crúcior,

sic pergit

TY. Ardent óculi: fit opus, Hegio.
Víden tu illi maculári corpus tótum maculis lúridis?
Átra bilis ágitat hominem.

In hac tradita lectione, nihil enim ibi mutavi, non intelligebatur quid sibi vellent verba *fit opus*. Hinc factum est ut cum librarius nescio quis pro his obscuris scripsisset *fune opus est*, haec quasi emendatio omnibus probaretur. Camerarius eam in cod. B adscripsit; editio princeps omnesque deinceps *fune opust* repetierunt. Equidem minime probo. Mitto metrum infractum, nam huic providit Fleckeisen transponendo *fune opus, Hegio,'st*, a quo Schoell ut aliquid proprium habeat dissentiens non cunctatur in textum recipere *vi opust Hegio* coniecturam suam. Mitto prorsus non liquere, unde vitiosum illud *fit opus* tandem oriri posset, si verum et genuinum fuisset *fune opus est*. Sed tota illa mentio funis vinculorumve a loco nostro aliena. In media furoris imagine tempus non est suadendi qua ratione ab insano caveatur. Tum demum solent homines de aliqua re consultare cum qualis sit ea res satis cognitum et perceptum videtur esse. Eodem autem tempore et morbum describere et remedium suadere neque medici est neque omnino cuiusquam. Repudio igitur illam

Digitized by Google

lectionem quasi emendatam atque ad optimos codices redeo, qui omnes in ea lectione quae pro vitiosa habetur, *fit opus*, *Hegio* conspirant; neque modo in BVE, sed etiam in J ita legitur. Quam ne temere damnemus, eam intelligere conemur videamusque sanine aliquid contineat. „Opus facere" notissimus est loquendi modus, rerum imprimis militarium scriptoribus usitatissimus cum significant milites fabros artifices in opere occupatos esse, aliquid operis parare. Passivum „opus fit" operam aliquam alicuius in aliqua re positam non indicare non potest. Cuius intensivum apud Vergilium (Aen. 1, 436)

fervet opus.

Quid, si nostro loco hanc significationem subesse statuamus? In media morbi erumpentis descriptione haud absurdum hoc ipsum exclamare „saevit morbus". Hoc Tyndarus, cum *fit opus* dicit, non ipsis verbis dicit, sed hoc vult. Nostra lingua in talibus usitatum „het is weer aan den gang, het is weer zoo ver," Teutonice „da haben wir's."

Vs. 611, loco difficillimo, Lessing mederi conatus est, alteram partem huius versus Aristophonti tribuendo. A quo et ob alia dissentio et quod Hegio Tyndaro non Aristophonti respondet. Equidem una vocula leviter immutata, sic legere velim

(611) Quíd mi abnutas? TY. [*ad Arist.*] Tíbi ego abnuto?
[*ad Hegionem*] Quíd **autem** si absis lóngius?
HE. Quíd ais? quid si adeam húnc insanum?

Hegio his verbis aperte ludificatur Tyndarum: eadem formula *quid si* usus contrarium enuntiat eius, quod ille voluerat.

III Sc. V Versus 698—700 libri sic habent

meus sodalis Philocrates
In libertatest ad patrem in patria.
Bene est, nec quisquam mi aeque melius quoi velim.

Ex his secundo versui aperte aliquid deest. Plerique editores, ut metrum restituerent, initium sequentis versus *bene est* huius fini adiunxerunt, variisque additamentis tertium illum quem ipsi scilicet truncaverant, sarserunt. Pylades *nunc* addidit, Camerarius *est*, at Mueller „Plautin. Prosodie" p. 513 e duobus optionem dat, aliud vero Geppert, rursus aliud Brix. Hos omnes in ordinem

Digitized by Google

cogit Schoell, iure *bene est* tertio versui vindicans. Minus feliciter, ut solet, mutilum supplere tentavit. Addit *domo*, ut *patria* scilicet adiectivum sit. Sed de vero supplemento dubium esse non potest. Si contuleris vs. 686 *reducem fecisse liberum in patriam ad patrem* et 923 *quom reducem tuo te patri reddiderunt*, quibus addas prologi 43 *reducemque faciet liberum in patriam ad patrem*, videbis poëtam scripsisse

In líbertatest ád patrem in patriá **redux.**

Act. IV Sc. II Versus 801 in codicibus sic traditus *qui mihi in cursu obstiterit faxo vitae is extemplo obstiterit suae*, longior est. Solent eiicere *extemplo*. Optime, si modo planum fieri possit, unde ortum sit additamentum. Mihi quidem et ad interpretandum expeditius et ad stilum Plautinum aptius visum est versum levare extruso verbo *faxo*, quod glossema sapit, quo futurum exactum in enuntiato principali illustretur. Quo facto optimum hunc versum quadratum nanciscimur

Quí mi in cursu obstiterit: vitae is éxtemplo obstitérit suae.

Supervacuum est addere in hac emendatione post versum 800um lenius interpungendum esse, ut prior pars versus 801 cum eo construatur.

In voce *surpiculis* quam vs. 816 cuncti praebent, non aliam formam video eius quod est *scirpiculus*, sed vetus mendum agnosco. Verisimilius enim in archetypo litteras *ci* in vocabulo inusitato lectas esse *u*, quam ut sonus *sci* praeter analogiam et constantem usum linguae Latinae in *su* abierit. Est enim *scirpiculus* a *scirpo*.

Vs. 828 dubitanter *-d* ablativi singul. in textum addidi. Sed lenius est remedium metro opitulari, ut legamus

quí *homined* [1]) adaéque nemo vívit fortunátior,

quam, quod fieri solet, post *homine* inserto verbo *hominum*.

Vs. 836 sic restituo

Quantúmst hominum optume óptumorum, in témpore **advenísti.**

Tantum duas litteras postremas addidi. Hoc quoque simplicius quam varia ceterorum emendandi inventa. Septenarius autem iambicus

1) Vel, si mavis, *hominid*. Cp. *in consentionid*, quod legitur in SCulto de Bacchanalibus.

Digitized by Google

huic loco aptissimus, quia et insequens versus (837) omnium consensu idem metrum recipit.

In iocosa illa serie brevium interrogationum et responsorum, cum sollicite quaerenti seni parasitus scurriliter Graece obtestatur, merito haerent interpretes ad vs. 882. Is vulgo sic legitur

HE. Iam diu? ER. Ναὶ τὴν Πραινέστην. HE. Venit? ER. Ναὶ τὴν Σιγνίαν.

Iam diu rectum esse non potest. Modo enim in portu in navi filium Hegionis se vidisse Ergasilus diserte affirmaverat (872 sqq.). Desipientis est tum rogare num „iam diu" esset. Sed neque Wagner, qui *iammodo* proposuit (quod et nimis coactum est et ab Hegionis persona alienissimum neque satis ad codicum scripturam traditam accedit, vid. Sonnenschein. ad h. l.) neque Schoell, qui — mirabile dictu — Hegionem *iam, divi!* exclamantem facit, quid poëta scripsisset viderunt. Neque quid mihi in mentem venerit pro certo venditaverim, dicam tamen. Scit senex, si filius venerit, eum modo venisse: id igitur rogare nequit; at utitur adverbio temporis, cum quaerit num sibi vera nuntientur. Quo tandem adverbio uti potest? Nihil aliud video nisi „tandem" aut eiusdem significationis. Sed ipsum „tandem" cum metro adversetur, abiiciendum. Relinquuntur synonyma. Ex quibus et ob rationes palaeographicas et quod metro satisfacit et quia hac vi haud vulgare est, praeferendum videtur *iamdudum*. Pauca eius in litteris Latinis exstant exempla in hunc modum usurpati, sed certa. Verg. Aen. II, 103 Sinon ad Troianos: *iamdudum sumite poenas*. Est loquendi genus quod dicunt, ellipticum; nam hoc valent haec verba „tandem aliquando poenas sumite, quae iamdudum sumi debent." Sic nostro loco Hegio quaerit: „**iamdudum** *venit*?" i. e. tandem aliquando venit is quo iamdudum carui, quem iamdudum desideravi, exspectavi? — Simili ratione Ovid. Mett. 11, 482 *ardua iamdudum demittite cornua, rector imperat*, ibid. 13, 457 *utere iamdudum generoso sanguine*, Sen. Med. 191 *vade veloci via | monstrumque saevum horribile iamdudum aveke*. Cum vero incertus sim, aliudne exstet exemplum adverbii *iamdudum* sic indicativo additi (nam locis laudatis imperativo adiungitur, Georg. 4, 213 vero infinitivo) hanc coniecturam ut verisimilem, non ut veram propono.

Digitized by Google

Act. IV Sc. III Versum 907 lacerum in hunc modum supplevi

Núnc ibo ut praefécturam *ineam* ét ius dicam lárido.

Haec insertio et labantem sententiam et metrum restituit, tum mendi origo in aperto est. Quod autem Geppert coniecit: „nunc ibo ut *properem in* praefecturam *ut* ius dicam larido": non tantum supplet, sed traditam lectionem sine iusta causa mutat, tum quis umquam dixit aut dicet se ire ut properet?

At contradicit codex Ambrosianus (A). Id est, paucae litterae quae ibi ad hunc locum legi potuerunt. Ne legi quidem potuisse recte dicas, de quibus inter eos, qui legerunt, discrepantia. Tum, si maxime codex Ambrosianus, unde has litteras eruerunt — IBOUTPROR [ultimo etiam P lecta est et B] — AM, aliam ferret lectionem, num ob id unum ceterorum consensus repudiandus est? Quamvis in universum spectanti palimpsestus Ambrosianus ceteris libris praestet, non tamen usquequaque prae eo reliquorum auctoritatem esse spernendam, vel Ritschelius diserte affirmavit. Nostro certe loco tenebras vitandas, lucem amplectendam censeo [1]).

Act. IV Sc. IV Versibus quoque 912 et 921 item laceris supplendo succurrendum erat. Illum restituere conatus sum inserendo *misere*. Quo facto, interpunctione paululum immutata, initium huius scenae sic constituo.

Diéspiter te díque, Ergasile, pérdant et ventrém tuom,
Parasítosque omnes ét qui posthac cénam parasitís dabit.
Cladés calamitas íntemperies modo ín nostram advenít domum,
Quasi lúpus esuriens. [*Mísere*] metui ne ín me faceret ímpetum.

At vs. 921 paucas litteras ab initio deperditas si reposueris, tollitur *ἀπορία*. Nam hoc Plautus videtur scripsisse

Assérvate istum súltis, servi: ego íbo ut conveniám senem:
Dicam út sibi penum áliud ornet, sí quidem sese utí volet:
Penúm nam hic quidem ut adórnat, aut iam níl est aut iam níl erit.

Act. V Sc. I Constructionem turbatam versuum 933 sqq. partim expedivit

---

1) Postquam haec scripsi, iam Ussingio idem in mentem venisse comperi. Ille vero, cum codex Ambros. ei supplemento adversari videretur, prorsus id abiecit. Frustra, nam simul agnoscere debuit etiam *praefecturam* quod in omnibus reliquis legitur ab Ambrosiano abesse videri. Varietas lectionum h. l. nimirum est inter A et *α*. Equidem nihil aliud feci, quam omissa lectione cod. A, quippe de qua non liqueat, lectionem archetypi *α* coniectura probabili restitui.

Digitized by Google

Brix deleto *potes* ante *pater*, eoque vocativo versui 933 addito. Sed non ante sententia recte procedet quam pro *et* initio vs. 934 scripseris **ita**. Loquitur Philopolemus

immó, pater,
Íta tu poteris ét ego potero et dí potestatém dabunt,
Út beneficium béne merenti nóstro merito múnerer:
Sícut tu huic potés, pater mi, fácere merito máxume.

Si vulgatum *et* ante *tu poteris* retinetur, coniunctione comparativa demonstrativa, quam desiderat *sicut*, aegre carebimus. Hoc enim vult Philopolemus: ut tu huic gratiam referre potes, ita opto ut et in posterum et tu et ego cuilibet benefactori possimus.

VSC. II Versus 971 sq. sic traditi sunt

ST. Pauca ecfugiam, scio: nam multa evenient, et merito meo,
Quia et fugi et tibi surripui filium et eum vendidi.

Languidum est *quia et fugi*, varieque nervos addere conati sunt viri docti, quorum coniecturas vide apud Schoell. p. 134. Una littera detracta germanus Plautus apparebit. Nam scripsit

ST. Pauca ecfugiam, scio: nam multa evenient, et merito meo,
Qui et fugi et tibi surripui filium et eum vendidi.

Cicero hic scripsisset *fugerim, surripuerim, vendiderim.*

VSC. IV Versus 1021 a metro laborat. Deest aliquid, sed quid desit, interpretes ut solent ambigunt. Brixii sententia, quae post *oro* pronomen *te* inserit, multis, etiam Sonnenscheinio placuit. Sed in hac formula ordo invertitur *te oro*, non *oro te*. Aliud vocabulum excidit, forma et sono *τῷ oro* simillimum, quod praeterea sensus hoc loco flagitat, nimirum **vero**. Tyndarus, ut Hegionem patrem suum esse audivit, primum incredulus astat, mox rogat Hegionem

Séd dic, oro, *véro* pater meus tún es? HE. Ego sum, gnáte mi.

Vero = ex veritate, re vera Plautinum est. Captt. 567 sese ait qui non est esse et qui *vero*st negat, Most. 178 (I, 3, 21) eho mavis vituperarier falso, quam *vero* extolli, Asin. 568 (III, 2, 22 sq.) tua quoque malefacta iterari multa | et *vero* possunt.

Si forte quem offendat in eo pede, qui verbis *pater meus* efficitur, *pater* monosyllabi vice fungens aut positio neglecta, adeat Brixium vel Spengelium vel Ramsay vel Müller vel si quis alius de prosodia Plautina scripsit.

Digitized by Google

AD APULEIUM.

SCRIPSIT

J. VAN DER VLIET.

Apulei de deo Socratis liber, edid. Chr. Lütjohann. Greifswald. 1878.

p. 1. v. 4. *sed ut me omnifariam noveritis, etiam in isto, ut ait Lucilius, schedio incondito experimini, an idem sim repentinus, qui praeparatus.* Melius interpungemus: *noveritis, etiam in isto, u. a. L., schedio incondito, experimini, an idem sim repentinus, qui praeparatus.* Non adhortatur orator auditores, ut experiantur *et* in alio orationis genere *et* in oratione non meditata, *an idem sit repentinus, qui praeparatus*, sed invitat eos ad ipsum ab omni parte cognoscendum, non tantum in oratione cogitata sed etiam in repentina.

p. 1. vs. 6. *quae scilicet audietis pari labore* [*quo scribimus*] *venia propensiore* [*quam legimus*]. Lütjohann (p. 33) adnotat „stare non pos„sunt quae vulgo leguntur: *quae* (i. e. subitaria nostra) *scilicet audie„tis pari labore quo scribimus, venia propensiore quam legimus.* opus est „pronominibus relativis, ut ea sententia eveniat, quam requirit „sententiarum conexus: (subitaria nostra) *audietis pari labore quo „quae scribimus, venia propensiore quam quae legimus.* sed etiam si „haec addideris, restant aliae difficultates: bis idem i. e. *quae scripta „sunt* mutatis verbis dicitur et pro *scribimus*, ni fallor, *scripsi„mus* dicendum erat, *legitis* pro *legimus*. ergo utrumque abicere „malui ad illustrandam sententiam non satis apte inventum." Lenior medicina sufficiet et eadem fere lectio, quae ab ipso

Digitized by Google

L. indicatur, dummodo recte intelligatur, oratoris sententiam plane reddet. Lego enim: *quae scilicet audietis pari labore, quo quae scribimus, venia propensiore, quam qua legimus.* Non opponuntur inter se *libri* et *orationes*, sed oratio subitaria et dictio, quae de scripto recitetur. Hoc enim significat vs. 10, *quae scripta legimus*, i. e. quae de scripto libro recitare solemus, neque ulla exstat necessitas mutandi *legimus* in *legitis*, vel scribendi: *scripsimus* pro *scribimus*. Invitat autem orator auditores suos, ut subitariam suam orationem audiant eadem *diligentia* (pari labore), qua audire solent ea, quae *scribit* (i. e. de scripto recitat), sed maiore *indulgentia* (venia), quam solent adhibere iis, quae *legit* (i. e. de scripto recitat). Ita re vera bis idem mutatis verbis dicitur: id vero sententia ipsa flagitabat, nec est quicquam, quod huiusmodi oratores magis affectent. Scripta autem, quae *pensiculantur et examinantur*, non sunt libri, qui domi otiose legantur, sed orationes curiose praeparatae et chartae mandatae, quibus opponuntur: *repentina*, quae eo meliora evadent, quo maiore plausu et favore oratoris animos auditores auxerint. Quod ad ipsam adtinet lectionem, iam Hildebrandius haec adnotavit: *quae legimus*, Harl. edd. ante Vulc., forsitan: *quam qua legimus.*

p. 4. vs. 4. *verbo subito sumpta sententia est, quia de repentino oborta est.* Suspicor: *verba subito sumpta* SUNT, *quia sententia de repentino oborta est.*

p. 5. vs. 4. *quod utinam sicuti cygno cantum indulsit, ita huic quoque vocem tribuisset, ne tam pulchra ales, quae ex omni avitio longe praecellit, voce viduata, delicie facundi dei, muta viveret et elinguis.* Satis est absurdum *vocem* appellare *delicias facundi dei*, quippe qui sine voce omnino facundus esse non possit. Idem erit, si quis dixerit *spiritum* esse delicias *hominis viventis.* Scripsit vero nisi fallor noster: *ne tam pulchra ales, quae ex omni avitio longe praecellit, deliciae facundi dei, voce viduata muta viveret et elinguis. Deliciae* est lectio optimorum librorum M et F. Quodsi coniectura mea recte se habet, forma *delicies*, quae hoc solo loco inniti videtur, e Lexicis erit expungenda et perpetuae confusioni tribuenda quae in libris inter *e* et *ae* obtinet.

Digitized by Google

p. 5. vs. 16. *Tempus est in Latium demigrare de Graecia; nam et quaestionis huius ferme media tenemus, ut, quantum mea opinio est, pars ista posterior, prae illa Graeca, quae antevertit, nec argumentis sit effetior nec sententiis rarior nec exemplis pauperior nec oratione defectior.*

Duae causae oratorem adducunt, ut ad alteram suae orationis partem, Latinam scilicet, transeat. Disputationis suae mediam fere partem adtigit, vult autem aequam Latinae eloquentiae, quam Graecae operam dare; deinde auditores transitionis haud erit poenitendum, quippe, quod ipse, qua est modestia, orator profitetur, posterior pars non minus quam priora illa omnibus orationis virtutibus excellit. Hanc sententiam, si quid video, ita Apuleius enuntiavit: *nam et quaestionis huius ferme media tenemus, ut, quantum mea opinio est, pars ista posterior prae illa Graeca, quae antevertit, nec argumentis* ERit *effetior nec sententiis rarior nec exemplis pauperior nec oratione defectior.*

p. 5. vs. 21. *Summum, medium et infimum fac intellegas, non modo loci disclusione verum etiam naturae dignitate, quae et ipsa neque uno neque gemino modo sed pluribus cernitur.* In codice Parisino 8624, teste Goldbachero, omissa sunt: *sed pluribus*, neque, ut videtur, iniuria. Omnium animalium tripertita divisio est, non tantum locorum, quae incolunt, sed etiam dignitatis cuiusque generis ratione habita. Illa dignitas non uno modo neque duplici, i. e. *triplici* modo cernitur. Ne quod omnes scribunt et ipse scribat, rhetorice Apuleius pro *tribus* dicit: *neque unum, neque duo.*

p. 5. vs. 23. *ordiri tamen manifestius fuit a loci disposition;* non carpit orator Platonem propter parum luculentam argumenti ordinationem (fuit = fuisset), sed magistri sententiam refert. Legendum igitur pro *fuit* FUERIT. cf. p. 9. vs. 21. *atqui si Platonis vera sententia est — facilius — me audierit lapis quam Iuppiter.*

p. 6. vs. 7. *sive illa proprio sibi et perpeti candore — parte luminis compos, parte altera cassa fulgoris pro circumversione oris discoloris multiiuga pollens specie sui variat*, Lütjohann: „*multi-*

Digitized by Google

iuga pollens vix sanum." Num sanum: *pro circumversione oris discoloris multiiuga pollens* DEFICIENSQUE *speciem sui variat?*

p. 9. vs. 11—12. *Quem denique, quod frequentissimum est, iuri iurando arbitrum adhibebo? an ut Vergilianus Ascanius per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat? at enim, o Iule*, cet. Veri simile est nostrum ita rogasse: *an ut Vergilianus Ascanius* ‘*per caput hoc*’ IURABO ‘*per quod pater ante solebat?*’

p. 11. vs. 22 sq. *Quodsi manifestum flagitat ratio debere propria animalia etiam in aëre intellegi, superest, ut quae tandem et cuiusmodi ea sint, disseramus. igitur terrena nequaquam, devergunt enim pondere, sed nec flammida, ne sursum versus calore rapiantur.* Pro *devergunt*, restitue *devergant.*

p. 14. vs. 11. *quippe, ut finem comprehendam, daemones sunt genere animalia* e. q. s. Goldbacherus ad hunc locum: „*ut fine* MGFL; *ut finem* PA, lacunam significavi." Suspicor: *ut fine* REM *comprehendam*, cf. Augustinum Apulei sententiam ita referentem: *breviter autem eos definiens ait daemones esse genere animalia* e. q. s. (de Civ. d. VIII. 16).

p. 14. vs. 17. *Unde etiam religionum diversis observationibus et sacrorum variis suppliciis fides inpertienda est.* † *et sunt nonnulli ex hoc divorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promptis vel occultis, laetioribus vel tristioribus hostiis, vel caeremoniis vel ritibus gaudeant* cet. Omnia bene inter se congruent, si pro *et* reposueris *et*ENIM. Diversae daemonum voluntates efficiunt infinitam illam in rebus sacris et caeremoniis diversitatem. Contra p. 18. vs. 5. Lütjohann pro *enim* reposuit *etenim.*

p. 15. vs. 11 sq. *nam quodam significatu et animus humanus etiamnunc in corpore situs daemon nuncupatur.* [diine hunc ardorem mentibus addunt] *igitur et bona cupido animi bonus deus est. unde nonnulli arbitrantur, ut iam prius dictum est, εὐδαίμονας dici beatos, quorum daemon bonus, id est animus virtute perfectus est.* In his argumentatio claudicat: si *animus* adhuc in corpore

Digitized by Google

humano situs daemon vel deus appellabitur, non ideo et *eiusdem animi cupido* iure inter deos referetur. Immo: si animus deus erit, *bonus* animus *bonus* erit deus: quod ipsum voluit Apuleius scribendo: *igitur et boni cupidus animus bonus deus est.* Suspicor corruptelam originem ducere ex versibus Vergilianis, quos lector quidam loco nostro obtrusit, vel qui, quod est veri similius, ex annotatione marginali inter verba Apuleiana male recepti sunt. *Bona cupido animi* ex versu fluxisse videtur, qui verba ab Lütjohann suo iure expuncta, pone sequitur: *Euryale, aut sua cuique deus fit dira cupido* (Aen. IX. 185.).

p. 15. vs. 8. *Idcirco supersedebo inpraesentiarum in his rebus orationem occupare —. id potius praestiterit Latine dissertare, varias species daemonum philosophis perhiberi, quo liquidius et plenius de praesagio Socratis deque eius amico numine cognoscatis.* Satis absurde Latina lingua hic memoratur, postquam tam multa, quae praecedunt, eadem lingua concepta sunt; neque quidquam est causae cur de ea re melius Latine quam Graece disputetur. Verum videtur: *id vero praestiterit* LATIUS *dissertare* e. q. s. Idem Koziolio placuisse video.

p. 16. vs. 3 sq. *cum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, nomine Manium deum nuncupant; scilicet honoris gratia dei vocabulum additum est. quippe tantum eos deos appellant, qui ex hoc daemonum numero* (libri *ex eodem numero*) *iuste ac prudenter curriculo vitae gubernato, pro numine postea hominibus — advertuntur.* Post *quippe* excidit vocabulum sive *iure*, seu *proprie* vel *vere*, e. g. *quippe vere tantum eos deos appellant* e. q. s.

p. 16. vs. 9 sq. *Verum haec omnis distributio eorum daemonum fuit, qui quondam in corpore* (libri *in corpore numero*, unde Lütjohann: *in corpore nostro*, malim cum Goldbachero vocabulum *numero* tamquam dittographiam ex sequenti versiculo male receptam expungere, quia daemones, qui quondam in corpore fuere opponuntur iis, qui semper a corporis compedibus et nexibus liberi fuerunt) *fuere. sunt autem non posteriore numero, praestantiore longe dignitate super his aliud augustius genus daemonum, qui semper a cor-*

Digitized by Google

poris compedibus et nexibus liberi, certis potestatibus curant. Verba: *sunt autem non posteriore numero*, vero sunt contraria, quod genus daemonum, quo de agitur, quamvis nobilitate superius, tamen altero loco memoratur. Veram lectionem servat Codex Laurentianus (L), ubi legitur: IN *posteriore numero. Sunt autem* IN *posteriore numero praestantiore longe dignitate super his aliud augustius genus daemonum*, i. e. quamquam posteriore de eis disseritur loco dignitate longe alterum genus superant.

p. 17. vs. 13: *nam cum duo columina totius exercitus dissident — quis igitur tali in tempore* [*me*] *ad dicendum exhortatus est? nempe Pylius orator* e. q. s. Verum credo: *quis igitur tali in tempore ad dicendum* EXCITATUR, cf. ea quae statim sequuntur: *itidem cum — speculatores deligendi sunt — nonne Ulixes cum Diomede deliguntur.*

p. 19. vs. 27. *et idem in ceteris artibus, ne omnes persequar, licet tibi nescire nec pudet.* Non idem in omnibus artibus ignorare licet, sed in ceteris artibus ignorantia non magis pudori est, quam in *ratione pingendi et in ratione psallendi.* Pro *et idem* autem scribendum: *itidem*, cf. vs. 20. *itidem si pugillare valde velis* cet.

p. 20. vs. 12 sq. *omnia affluentia, omnia opulentia, omnia ornata praeter ipsum dominum, qui solus Tantali vice in suis divitiis inops, egens, pauper non quidem † fluentem illum fugitivum captat et fallacis undae sitim <patitur> sed verae beatitudinis esurit et sitit cet.* Lütjohann „in his *fluentem illum fugitivum captat*, quae vel eo offendunt, quod alibi, quantum ego scio, non dicitur *fluens* pro *fluento*, non dubito, quin fructiferi rami, qui Tantalum eludit, aliqua lateat significatio. Sed quod Lennepius proposuit *fructum* non satisfacit; mihi autem non contigit, ut verisimilius quid invenirem." Emendo: *non quidem* FRUCTEUM ILLUD *fugitivum captat.*

Digitized by Google

QUAESTIONES GRAECAE.

SCRIPSIT

I. M. J. VALETON.

II.

DE OSTRACISMO.

(*Continuatur ex huius Vol. pag.* 25.)

§ 6. *Quomodo ostracismo usi sint Athenienses.*

Demonstravimus, de ostracismo neque esse publice deliberatum, neque deliberari potuisse [1]). Hinc deduximus, id quod

1) Quamquam eam rem supra absolvi § 5, etiam memoranda neque silentio praetermittenda mihi esse videtur coniectura, quam de harum deliberationum ratione ante paucos annos protulit H. Houssaye, (l'Ostracisme à Athènes, Revue des deux mondes Paris 1885, p. 886—903), quod is solus, quantum novi, perspexit, vulgata opinione stari non posse. Sententiam prorsus novam, quam brevi sine ulla doctrina exposuit, ipsius verbis referam. „D'abord la proposition de cette espèce de plébiscite, proposition que tout citoyen avait le droit d'émettre, était soumise au conseil des cinq cents. — — — Au Pnyx, le requérant ou l'un de ses partisans montait sur le rocher qui servait de tribune et exposait les motifs qui l'avaient inspiré: soit la trop grande puissance d'un homme public, soit la rivalité de deux chefs. Mais l'orateur s'abstenait dans sa harangue de citer aucun nom. *C'eût été fausser le principe de l'ostracisme, qui voulait que tout citoyen décidât en pleine liberté, sans pouvoir être ébranlé dans son impression spontanée par les argumens oratoires*, quel homme nuisait aux intérêts de l'état et devait être banni. C'eût été aussi permettre aux Athéniens éminens, ouvertement menacés, de se défendre et de prononcer leur apologie. Comme ils n'étaient pas designés en termes précis, ils ne pouvaient intervenir dans la discussion autrement que d'une façon générale; s'ils eussent mis en avant leur personnalité, on leur eût retiré la parole sous prétexte qu'ils n'étaient pas en cause. *Les formalités de l'ostracisme étaient tout justement pour protéger le peuple contre les surprises de l'éloquence.* D'ailleurs personne dans l'assemblée n'était dupe de l'équivoque de la motion; chacun voyait vite de qui il s'agissait. Lorsque les orateurs avaient

Digitized by Google

direxerit ostracismum non fuisse consilium publicum civitatis, sed iram et cupiditatem populi consilio carentis. — Revertimur nunc ad illam quaestionem quam supra posuimus (Vol. Sup. p. 349 sq.), quatenus in demagogos cadat ostracismus. Responsum vero, quod ad hanc quaestionem solvendam itidem iam supra (l.l. p. 350) anticipando dedimus, cuius tunc argumentum distulimus, huiusmodi erat: „in concordia publica sex milia testarum consentire non posse nisi contra demagogos rempublicam gubernantes (τοὺς ὑπερέχοντας) eorumque socios, et tum illud solum genus relegationum obtinere, quod ad democratiam servandam pertineret; in discordia et odio civilibus vero non quidem exclusum esse illud genus relegationum, sed praeterea locum esse alteri generi (τῷ στασιαστικῶς χρῆσθαι), quo fieret ut in eo statu civitatis cum demagogi gubernantes tum demagogi oppugnantes obnoxii essent relegationi". Itaque hoc nunc suscipimus probandum. Demonstrandum nobis est, esse aliquam causam et rationem irae popularis quae non cadat in demagogos gubernantes, cadat in oppugnantes solos; eam causam vero aliam non esse praeterquam odium civile et studium partium. Itaque apparet de causis agendum nobis esse, quae in iram popularem aliquando adduxisse videantur demagogos.

Eo ut perveniam, primum in conspectu ponam nomina eorum quos aliquando testis ex civitate eiectos esse traditum est, qui sunt quindecim numero, hi:

1 Hipparchus, frater uxoris Hippiae [1]). — 2 Clisthe-

été entendu, l'épistate des prytanes — — faisait voter par mains levées." — In eis sententiis quas ego literis pronis reddendas curavi, ita indicatum est quid ostracismi proprium fuerit, ut tam paucis verbis melius fieri vix possit. Hoc manet, etiamsi ipsa coniectura nihil valet. Quis umquam audivit, ita esse obstrictam libertatem oratorum, ut de aliqua re verba facere eis liceret quidem, sed non liceret eum ipsum virum ad quem ea res pertineret nominare! Quis hoc auderet affirmare sine ulla auctoritate fontium! Deinde, quis concederet, hoc, etiamsi verum esset, impediturum fuisse eos qui lacesserentur, quominus se defenderent! Denique quis crederet, ullum oratorem verba facturum fuisse si revera eloquentiae effectus omnis esset sublatus. Veruntamen apparet, si ex nonnullorum erroram tralaticiorum vinculis melius se solvere potuisset auctor, eum perventurum fuisse ad veritatem, cum e veris principiis proficiscatur eius sententia.

1) Vol. sup. p. 180 n. 8 [A lectore precor ut ibi p. 180 n. 2 pro numero 498 reponat 496]. Plut. Nic. 11, Clitod. fr. 24.

Digitized by Google

nes[1]). — 3 et 4 Alcibiades, pater Cliniae qui ad Artemisium in pugna navali a. 480 praemia fortitudinis reportavit Her. 8. 17 et obiit a. 447 in pugna ad Chaeroneam Plut. Alc. 1; socer Deinomachae Megaclis filiae. Is anno 509 invenis cum Clisthene liberam restituit rempublicam Isocr. big. 26; bis relegatus est, Lys. 14. 39, (Andoc. 4) 33. — 5 Aristides a. 484. — 6 Themistocles a. 470. — 7 Xanthippus filius Ariphronis pater Periclis (fr. Aristot. Herm. 15 p. 377, Heracl. 1. 7, supr. pag. 25 h. v.). — 8 et 9 Megacles filius Hippocratis Clisthenis fratris, frater uxoris Xanthippi, avunculus Periclis; fr. Aristot. l.l. p. 377, supr. pag. 25; is quoque bis relegatus est Lys. 14. 39, (And. 4) 33. — 10 Callias filius Didymi, (Andoc. 4) 32; Olympiae pancratio vicit a. 472, Paus. 5. 9. 3, 6. 6. 1. — 11 Cimon a. 459; is sub a. 455 de exilio revocatus est, Theop. fr. 92; a. 449 in insula Cypro obiit. — 12 Miltiades filius Cimonis, Andoc. 3. 3. Videtur relegatus esse post a. 455; nam sub a. 445 ab Atheniensibus restitutus et ex Chersonneso arcessitus, ut legationem Spartanam obiret, pacem cum Lacedaemoniis legatus condidit, quam pacem non eam esse constat quae a. 451 in quinque annos facta est, Thuc. 1. 112, sed alteram in triginta annos (Thuc. 1. 115) factam post mortem Cimonis, quae per tredecim annos servata est, 445—432, ut certissime scribunt Aeschines (f. leg. § 172) et Andocides (de red. § 3), qui in hac sola re fortasse falluntur, quod in quin-

1) Vol. sup. p. 171 n. 1 et 2. — Herodotus narrat ad a. 490 (6. c. 115 et 121—124, cfr. c. 109), Alcmaeonidas, qui quinam fuerint et quot numero non addit, pactos esse cum Persis, ut horum classem signo dato Athenas vocarent, et his urbem militibus vacuam traderent, et Hippiam in tyrannidem restituerent. Huius proditionis causam fuisse suspicatur iniuriam aliquam quam a populo Atheniensi se accepisse censerent Alcmaeonidae. C. 123 sq.: *οἱ Ἀλκμ. ἦσαν μισοτύραννοι. Θῦνμα δὲ μοι καὶ οὐ προείμαι τὴν διαβολήν — — ἀλλὰ γὰρ ἴσως τι ἐπιμεμφόμενοι Ἀθηναίοισι τῷ δήμῳ προεδίδοσαν τὴν πατρίδα.* Equidem hoc libenter rettulerim ad relegationem Clisthenis. Non incredibile videtur, aliquot viros ex Alcmaeonidarum gente, veluti fratrem aut filium Clisthenis, non constanti usos consilio sed gravissimae offensionis ira permotos, moleste ferentes ingratum animum populi, cum occasio ulciscendi sponte se offerret, gratiam inire decrevisse cum Pisistratidis, itaque eos paulisper deseruisse consilia popularia a Clisthene ante viginti annos suscepta (Vol. sup. p. 146 adn. 1), exemplum secutos quod iam multo ante, a. 548, aliquando eis constituerat avus Megacles (Her. 1. 61), cum is quoque adversarios praepotentes profligare et locum suum in republica obtinere se non posse crederet nisi assumpta vi tyrannorum quam ipse detestari soleret.

Digitized by Google

quaginta annos hanc pacem factam fuisse tradunt, contra auctoritatem Thucydidis; hanc pacem autem legatus condidit Miltiades filius Cimonis a. 445 [1]). — **13** Damon sive Damonides [2]) (secundum v. d. Duncker a. 443), Plut. Nic. c. 6, Per. c. 4, Arist. c. 1. — **14** Thucydides a. 444 (Duncker 442). — **15** Hyperbolus a. 417.

Verum compositis his quindecim relegationibus quas aliquando decretas esse cognovimus, cum deinde quaeramus quae semper fuerint harum relegationum causae et rationes, parum proficimus. De plerisque enim, et eis quidem quas posui sub 1, 2, 3 et 4, 7, 8 et 9, 10, 12, 13, idonei auctores non extant qui conscripserint quod memoria dignum esset; de his omnibus frustra quaerimus, quo tempore factae sint, quibus de causis, quo reipublicae statu.

Causae, quibus singulas relegationes ascribunt auctores, non sunt generales neque constantes.

Supersunt 5, 6, 11, 14, 15 paulo melius cognitae; etiam 13 aliquid praebet praeter nomen nudum. Itaque siquidem de causis ostracismi quaerendum est, oportebat, ut videtur, diligenter consideratis auctorum testimoniis quae suppeditant, tamquam

---

1) Priorem pacem, a. 451, a Cimone revocato conditam esse constat quidem (Plut. Per. 10, Nep. Cim. 3. 3), sed non *ideo* revocatum esse Cimonem *ut* pacem conderet, quod perperam effici solet ex Theop. fr. 92, iam inde manifestum est, quod inter Cimonem revocatum (a. 455) et pacem factam (a. 451) interfuerunt plus quam tres anni (Thuc. 1. 112). Itaque nihil est cur statuas, quod a multis creditur, Aeschinem et Andocidem errore inductos Miltiadem filium pro Cimone patre nominavisse.

2) Duncker statuit (G. d. Alt. N. F. 2 p. 12 n. 1) apud Plutarchum Per. 9 legendum esse: *συμβουλεύσαντος αὐτῷ Δάμωνος Δαμωνίδου τοῦ Οἰηθέν*, inserto nomine *Δάμωνος*, cum *Damonem* fuisse amicum Periclis, Damonidem vero illius patrem fuisse ex nominibus ipsis et ex Steph. Byz. s. v. *Ὄα* efficiat. Sed hac coniectura — quamvis facillima sit — opus non esse et eandem personam utraque nominis forma designari posse, haec exempla quae collegi satis opinor probant: 1 Archestratus (Plut. Alcib. 16) = Archestratides (Lys. 14. 3); 2 Archedemus (Paus. 4. 24. 5, cod. male Archimedes), archon a. 464/3 = Archedemides (Diod. 11. 70); 3 Eucles (Chronogr.) archon a. 427 = Eucleides (Diod. 12. 53); 4 Eurycrates *ὁ δεύτερος* (Paus 3. 3. 5) = Eurycratidas (Her. 7. 204); 5 Mnesarchus pater Euripidis (vit. Eur.) = Mnesarchides (Eus. pr. ev. 5. 33); 6 Mnesarchus pater Pythagorae (Her. 4. 95) = Mnesarchides (Philostr. v. Ap. 8. 15 p. 333); 7 Nicomachus (Lys. 30 passim) = Nicomachides (Lys, 30. 11); 8 Philippus (Nep. Milt. 4) = Philippides (Her. 6. 105); 9 Philochares Spartanus (Lys. 12. 72) (male Philochoros fr. Androtionis, cfr. Usener Jahrb Phil. 1871 p. 314) = Philocharidas (Thuc. 4. 119, 5. 19 et 44); 18 Phrasicles (Plut. Mor. p. 835 C) archon a. 460 = Phrasicleides (Diod 11. 77); 11 Sphodrias Spartanus (Xen. Hell. 5. 4. 13) = Sphodriadas (Diod. 15. 29. 5); 12 Xanthippus (Diod. 11. 27, Marm. Par.) archon a. 479 = Xanthippides (Plut. Arist. 5).

Digitized by Google

fundamentum inquisitioni nostrae supponere quidquid de his relegationibus ab auctoribus memoriae mandatum est, ut inde deduceremus, si fieri posset, quod in universum verum esset de causis ostracismi. Atqui ita agere ubi instituimus, difficultas gravis se offert. Satis notum est, varias irarum causas et rationes, quales ad demagogos relegandos in illis quinque vel sex testarum iudiciis paulo melius cognitis semper apud populum valuisse tradantur, non ita comparatas esse ut accipi possint tamquam causae generales, constantes, eundem et similem effectum semper in omnibus demagogis praebiturae. Itaque quid his auctorum testimoniis faciendum nobis sit primum videamus; liceat ante brevi ea percensere et inverso ordine quidem.

Hyperbolo [15] causam exilii fuisse *μοχθηρίαν τρόπων, πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως*, auctorum magnus quidem est consensus (vid. loc. Vol. Sup. p. 352 n. 2), sed non prorsus in aperto est, quid hae voces significent. Quamquam ego non dubito quin his vocibus significare voluerint auctores, non, Hyperbolum fuisse hominem nequam et scelestum, sed hoc, eum fuisse moribus rudibus et inhumanis, animo pusillo et inculto, aeque nescientem malas cupiditates pigmento urbanitatis tegere, aeque bonam voluntatem venustate urbana ornare; hoc autem aequo animo non tulisse plebem (revera enim plebs, quamvis ipsa careat morum venustate, nihilominus eius rei est diligens aestimator, neque paulum huic rei tribuere solet in viris politicis, quatenus non obstat odium partium), quod hominem tam rustice moratum ad eum insignem locum se extulisse videbat, quem a viris plerisque bono loco natis, et, non quidem animo omnibus sed moribus saltem plerisque, excultis atque expolitis adhuc fere occupatum viderat.

Relegationis Thucydidis [14] nullae aliae causae traduntur nisi politicae, ad quas paulo post revertar.

De Damone [13] [1]) hoc scripsit Plutarchus (Per. c. 4): *οὐ μὴν ἔλαθεν ὁ Δάμων τῇ λύρᾳ παρακαλύμματι χρώμενος, ἀλλ' ὡς μεγαλοπράγμων καὶ Φιλοτύραννος ἐξωστρακίσθη καὶ παρέσχε τοῖς κωμικοῖς διατριβήν· ὁ γοῦν Πλάτων καὶ πυνθανόμενον αὐτοῦ τινα πεποίηκεν οὕτω·*

1) De Damone cfr. Wilamowitz-Möllendorf in Hermes 1879 p. 318 sqq.

Digitized by Google

πρῶτον μὲν οὖν μοι λέξον, ἀντιβολῶ· σὺ γὰρ
ὥς φασιν, ὁ Χείρων ἐξέθρεψας Περικλέα;

Eius discipulum Periclem fuisse etiam tradit Plutarchus Arist. c. 1 (cfr. Per. c. 9). Idem illo loco dicit eum relegatum esse ὅτι τὸ φρονεῖν ἐδόκει τις εἶναι περιττός, et eius exemplo utitur ut probet τῷ ὀστράκῳ πάντα τὸν διὰ δόξαν ἢ γένος ἢ λόγου δύναμιν ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς νομιζόμενον ὑποπίπτειν; eodem modo alibi (Nic. 6) eius casum citat (una cum condemnatione Periclis et suspicione et odio in quibus apud populum erat Antiphon Rhamnusius rhetor praetorius), ut ostendat τὸν δῆμον ἀποχρᾶσθαι εἰς ἔνια ταῖς ἐμπειρίαις τῶν ἐν λόγῳ δυνατῶν ἢ τῷ φρονεῖν διαφερόντων, ὑφορᾶσθαι δὲ ἀεὶ καὶ φυλάττεσθαι τὴν δεινότητα καὶ κολούοντα τὸ φρόνημα καὶ τὴν δόξαν. — Videtur Plutarchus hoc significare voluisse, Damonem, cum videret discipulos suos alios ad magnam eloquentiae famam, alios ad summam potentiam et favorem pervenisse, cum gratiam ab illis comparatam etiam ad se pertinere crederet, cum se ipse duceret tamquam principem illius factionis quae ex discipulis suis constaret neque sane reverentiam magistro debitam sibi praestare supersederet, his amicitiis elatum, nimis confidentem se praebuisse et fastidio suo apud populum offendisse.

Cimonem [11] relegatum esse tradit Plutarchus (Per. 9) ὡς φιλολάκωνα καὶ μισδήμον; idem alio loco etiam (Cim. 15) scribit, Λακωνισμὸν ei vitio factum esse a civibus. Sed quod inprimis in ea re valuisse videtur, quod acerrime ei imputabant inimici et gravissime ferebant cives (Cim. c. 17: μικρᾶς ἐπιλαβόμενοι προφάσεως ἐξωστράκισαν), fuit crimen incestus cum sorore Elpinice admissi, quod tangit idem Plutarchus illo loco (Cim. 15: ἐκεῖνα τὰ πρὸς τὴν ἀδελφὴν ἀνανεούμενοι); hoc crimen tamquam veram et praecipuam exilii Cimonis causam iam antiquitus acceptum et vulgatum fuisse etiam ostendit rhetor ille quarti saeculi (Andoc. 4) 33: οἱ πρόγονοι ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίαν, ὅτι τῇ ἀδελφῇ τῇ ἑαυτοῦ συνῴκησε.

Themistocles [6] relegatus esse propter arrogantiam et superbiam incivilem antiquitus creditus est. Demosthenes ait (23 § 205): ἐκεῖνοι Θεμιστοκλέα λαβόντες μεῖζον αὑτῶν ἀξιοῦντα φρονεῖν ἐξήλασαν ἐκ τῆς πόλεως. Diodorus statuit (11. 54. 5) eum relegatum esse quod οἱ μὲν φοβηθέντες αὐτοῦ τὴν ὑπεροχήν, οἱ

Digitized by Google

δὲ Φθονήσαντες τῇ δόξῃ, τῶν μὲν εὐεργεσιῶν ἐπελάθοντο, τὴν δ' ἰσχὺν αὐτοῦ καὶ τὸ φρόνημα ταπεινοῦν ἔσπευδον. Specimen arrogantiae, qua apud cives offenderat, affert Plutarchus (Them. 22): ἡνίασε δὲ τοὺς πολλοὺς καὶ τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰσάμενος, ἣν Ἀριστοβούλην μὲν προσηγόρευσεν, ὡς ἄριστα τῇ πόλει καὶ τοῖς Ἕλλησι βουλευσάμενος, πλησίον δὲ τῆς οἰκίας κατεσκεύασεν ἐν Μελίτῃ τὸ ἱερόν· — τὸν μὲν οὖν ἐξοστρακισμὸν ἐποιήσαντο κατ' αὐτοῦ κολούοντες τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν ὑπεροχήν, ὥσπερ εἰώθεσαν κ. τ. λ. — Plutarchus etiam addit, Themistoclem, cum iam auctoritatem suam, tum ipsum, cum ad summum fastigium elata esset, labefactatam et periclitantem, sustentare vellet, cum ad magna merita sua et beneficia quibus obligaverat civitatem, quae obsequium voluntarium populi diu ei paraverant, ipse crebro provocare et animos advertere non vereretur, huius argumenti abusu molestum factum in iram populi incidisse, cum neque admurmurationes et plausus usitatos huic argumento quoties in concilio moveretur denegare posset populus, neque tamen amplius ei placeret obsequium: ἤδη καὶ τῶν πολιτῶν διὰ τὸ φθονεῖν ἡδέως τὰς διαβολὰς προσιεμένων ἠναγκάζετο λυπηρὸς εἶναι τῶν αὐτοῦ πράξεων πολλάκις ἐν τῷ δήμῳ μνημονεύων· καὶ πρὸς τοὺς δυσχεραίνοντας „τί κοπιᾶτε, εἶπεν, ὑπὸ τῶν αὐτῶν πολλάκις εὖ πάσχοντες;"

Similis ratio est cur Aristides [5] relegatus esse ab antiquis feratur. Nam sicuti Themistocles offendebat eo ipso argumento, quo animos civium ducere conabatur, cum admonitione coacti id facere nollent cives quod voluntarie facere desituri erant, ita Aristides fama praeclara et iustitiae laude insigni abusus auctoritatem suam labefactatam, quam hoc argumento sustentare conabatur, inscius ipse subito evertit, et cives suos invitus adduxit ut testarum iudicio se liberarent a vi argumenti quam palam in concilio non possent effugere. Haec est significatio eius dicti, „Aristidem ob eam causam expulsum esse patria, quod praeter modum iustus esset" (Cic. Tusc. 5. 36. 105); sic a Plutarcho (Arist. 7) dicitur: Φθονεῖσθαι διὰ τὴν ἐπωνυμίαν (τοῦ δικαίου). Eadem res a Plutarcho optime significatur in narratiuncula illa ficta quidem sed tamen verissima, quam supra (h. v. pag. 13) tractavi. Accedebat, secundum Plutarchum (Arist. 7), quod Aristides etiam ex iudiciis privatis quasi regnum aliquod

Digitized by Google

sibi creavisse videbatur, cum frequentissime eum a magistratibus arbitrum (διαιτητήν) petere (sumere) solerent cives privato iudicio litigantes, cum vero ab eius sententiis ad heliastarum iudicium appellare (appellationem enim, ἔφεσιν, Solon litigantibus concesserat ad heliastas a sententia arbitri, quem in iure dederat magistratus, ex Areopagitis lectum, ut videtur [1]); nam eo tempore nondum κατὰ φυλὰς creati esse videntur διαιτηταὶ annui) omnes fere omitterent, sive verecundia viri prohibiti, sive eius sententiarum aequitate manifesta permoti; hoc enim Themistocles ei vitio vertisse apud populum et in aures civium insusurravisse fertur: ὡς Ἀριστείδης ἀνωφελῶς τὰ δικαστήρια τῷ κρίνειν ἅπαντα καὶ δικάζειν λέληθε μοναρχίαν ἀδορυφόρητον ἑαυτῷ κατεσκευασμένος. Haec res partim eodem fere redit quo illa; Aristides tam firmo vinculo, ex integritatis et aequitatis intactae fama comparato, alligaverat mentes civium, ut magnam partem rerum publicarum et vitae publicae civitatis auctoritate sua occupatam teneret, utque cives tum ipsum graviter taedere coepisset huius vinculi, cum palam ei quam maxime obsequerentur.

Quid autem faciendum est his testimoniis, quae declarant Aristidem esse relegatum propter iustitiam, Themistoclem et Damonem propter arrogantiam, Cimonem propter crimen incestus, Hyperbolum propter mores incultos? Quibus etiam alia haud absimilia addere licet. Nam propter factionis ostentationem Cleon testas metuere ab Aristophane fingitur. Pericles vero traditur, ut primum ad demagogiam se contulisset, vitae privatae ratione funditus immutata, sedulo cavisse a conviviis (Vol. Sup. p. 160 sq.); itaque lautae epulae et conviviorum celebratio im-

Causae quas tradunt auctores fuerant secundariae; causa primaria vero semper fuit politica.

1) Areopagitas fuisse iudices sive arbitros in iudiciis privatis, etiam confirmatur his locis: Plut. Cim. 15: (Cimon conabatur a. 459:) πάλιν ἄγειν τὰς δίκας ἀναλαμβάνεσθαι. Plut. Per. 9, et Cim. 15: (a. 460) ἀφείλοντο τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς τὰς κρίσεις πλὴν ὀλίγων ἁπάσας. cfr; Poll. 8. 126. Ab eorum sententia appellationem ad heliastas dedisse Solonem, ostendit Plut. Sol. 18, Comp. Sol. et Popl. 2. — Arbitrorum officium et iudicia privata iam a Themistocle ademta esse Areopagitis, verisimile mihi videtur propter Aristotelis fragm. 366 (p. 1539): ὁ γὰρ Ἀριστ. λέγει ἐν τῇ πολιτείᾳ τῶν Ἀθηναίων ὅτι καὶ ὁ Θεμιστοκλῆς αἴτιος ἦν μὴ πάντα δικάζειν τοὺς Ἀρεοπαγίτας, coll. cum loco nostro, Plut. Arist. 7. — Romae quoque ex senatoribus legendos fuisse praetori arbitros et iudices de rebus privatis notum est, Dion. Halic. 2. 14, Polyb. 6. 17. 7, Keller R. Civ. Prox. p. 37 et 40.

Digitized by Google

modica etiam causam idoneam praebuisse putandae sunt cur in ostracismum incideret aliquis. Niciam in periculo fuisse dicit Plutarchus (Nic. 11) cum propter divitias, tum propter τῆς διαίτης τὸ μὴ φιλάνθρωπον μηδὲ δημοτικὸν ἀλλ' ἄμικτον καὶ ὀλιγαρχικὸν ἀλλόκοτον; Alcibiadem (ibid.) quod τὸν βίον ἐβδελύττοντο καὶ τὸ θάρσος ὠρρώδουν. — Difficile est, his omnibus plenam fidem dare, nisi accedat aliquid quo explicentur et suppleantur. Quid? Num ex Aristidis exemplo concludendum est, populum non tolerare iustitiam in demagogis? Num revera efficiendum est, quod inde effecit Cicero (Tusc. 5. 36. 105) „populum odisse omnem exuperantiam virtutis"? Quod cum per se absurdum videtur, tum satis refutatur exemplis Periclis, qui numquam relegatus est propter integritatem quae summa in eo fuit [1]), Cimonis, cui numquam liberalitatem [2]) exilii causae fuisse constat, aliorum. Quid? nonne multi alii fuerunt Athenienses iusti praeter Aristidem, inculti praeter Hyperbolum, libidinosi praeter Cimonem, arrogantes praeter Themistoclem; quomodo autem factum esse dicemus ut hi omnes relegati non sint, si ea crimina revera sola suffecerunt ad perdendos illos demagogos? Attamen nequaquam licet illa omnia tamquam vana et ficta reicere; quod ego certe ut faciam tantum abest, ut etiam plurimi facienda esse credam ea testimonia, et gravissime errare eos qui de eorum fide et veritate dubitare audeant. Sed ita de eis causis statuendum esse mihi videtur: eas omnes non esse causas relegationis primarias, sed secundarias. Vera et primaria causa irae popularis longe ab illis rebus aliena esse mihi videtur, et semper unius generis; irae populari quae ad ostracismum ducat semper subesse censeo causam aliquam politicam, i. e. ad rempublicam pertinentem. Verum haec causa politica, cum saepissime accidat ut ipsa non possit enunciari, non possit nominatim proferri, non possit claris verbis comprehendi neque a civibus ipsis neque ab oratoribus inimicis aut demagogis adversariis, plerumque indiget auxilii causae secundariae, quae formam praebeat populo et quasi involucrum quo induat iram suam. Itaque hae causae secundariae sunt res quae-

1) Thuc. 2. 65. 8; 2. 60, 5; Plut. Per. c. 15 s. f. et c. 16.
2) Plut. Cim. c. 10, Per. c. 9.

Digitized by Google

dam leviores, accedentes; eas arripere solet populus, quoties demagogi alicuius praesentiam et operam moleste ferre coepit, ut taedium suum, ex causa primaria seu politica susceptum, possit ad ipsum illius demagogi (aut socii eius) personam referre, et certo argumento ex eius vita privata vel moribus petito firmare et quasi interpretando explicare. Hae res autem, quippe quae ad personas demagogorum pertinere debeant, semper fere diversae sunt et pro re nata variant; certi quidquam de eis affirmari et praestitui nullo modo potest, nullum crimen tam leve aut etiam tam absurdum inveniri potest, quod non possit a populo tamquam irae suae et taedii politici involucrum arripi. Sed quemadmodum ab altera parte causa politica sola non semper suffecisse videtur ad excitandas testas, si quando forte causam secundariam nullam praeberet demagogus quo taedium illud referret populus, et quemadmodum ei certe demagogi a testarum periculo magis tuti longiusque remoti fuerunt qui in rebus suis privatis sedulo evitaverunt quidquid aptum erat ad stomachum movendum civibus — quamvis hi quoque *prorsus* extra periculum positi esse dici nequeant nisi etiam contigerit ut evitarent causam irae primariam — sic ab altera parte causae illae secundariae nihil valent, neque oriri possunt, si nulla adest causa politica. Iam supra idem hoc aliis verbis comprehendi, cum statuerem (Vol. Sup. p. 343) testas adhiberi non posse nisi contra „viros politicos", et contra demagogos quidem; in demagogos solos enim hoc cadit ut adsit eiusmodi „causa politica" irae popularis; quae causa politica alia esse non potest quam taedium hominis, ortum ex taedio consiliorum publicorum ab eo inventorum, sive ea consilia iam peracta et consummata sunt et in tempore praeterito locum suum habent; sive etiam sunt in suspenso et in expectatione et quae in futuro tempore effectum habitura sint si a populo accipiantur. Quod autem dixi, causam politicam irae saepissime ita comparatam esse, ut non posset a populo irato enunciari neque directis verbis comprehendi, id huiusmodi est: consilia publica quae a demagogo commendantur, sive iam peracta sunt et ad praeteritum tempus pertinent, sive nondum a populo accepta sunt et etiam ad futurum tempus spectant, nullo modo ipsa vitio verti possunt demagogo a populo neque tamquam causa iusta irae in sermo-

Digitized by Google

nibus et rumore popularibus circumferri, quia nulla fuerunt aut futura sunt haec consilia *sine voluntate et assensu ipsius populi*, qui de administratione reipublicae, quatenus continetur demagogorum sententiis, summum iudicium fert ipse in concilio.

Ira et taedium populi, quae ex causa politica suscipiuntur, pertinere possunt, sicut modo dixi, aut ad tempus praeteritum, aut ad tempus futurum. Nos primum hunc casum considerandum sumimus, ut pertineant ad tempus praeteritum, altero casu paulisper etiam dilato. — Itaque taedium et ira excitantur dolore quodam, quem maior pars populi suscipit ex statu reipublicae qui nunc est, qui displiceat neque talis esse videatur qualem oporteat; huiusmodi dolorem enim, si forte accidit ut adsit homo aliquis auctoritate praegravans, civitatis gubernator, huic viro imputari solet, et taedium parere solet contra eum, quod ad hunc statum rempublicam duxisse videtur suis consiliis, et contra eius gubernationem. Ac primum quidem hoc facile accidit, si magna aliqua calamitate concutitur respublica. Sic ingens ira suscipi potest adversus ductorem civitatis popularem ex irruptione hostili quam consiliorum suorum temeritate excitavisse videatur; ex gravi bello quod eo auctore susceperit populus, si infeliciter geratur; ex annonae caritate et rerum necessariarum inopia quam aut temere patriae intulerit demagogus aut saltem non satis praecavisse videatur; ex multis aliis cladibus publicis [1]). Haec ira autem si vehemens est, facile etiam fieri potest ut adversariis copia detur prosternendi gubernatoris accusatione et iudicio; tum ostracismo nequaquam opus est. Sed fortasse satis etiam valet auctoritas et existimatio gubernatoris, ut ex inferioribus demagogis nemo eum aperte aggredi et turpe crimen in eum intendere audeat, vel ut ex iudicio integer evadat homo; tum ostracismus viam facillimam praebere videtur qua iram suam libere sine ullo impedimento effundat populus in eum quem malorum praesentium auctorem esse sibi persuaserit. Vera causa irae tum est dolor cladis acceptae; demagogus qui

Causa politica primum pertinere potest ad consilia demagogi peracta et consummata; ita aliquid quod displicet in statu reipublicae ascribitur culpae demagogi, et inde oritur ira populi.

1) Cfr. ex. gr. Thuc. 2. 59. 1 sq.; 8. 1. 1: *χαλεποὶ ἦσαν τοῖς ξυμπροθυμηθεῖσι τῶν ἡτόρων τὸν ἔκπλουν, ὥσπερ οὐκ αὐτοὶ ψηφισάμενοι.*

Digitized by Google

nunc per caenum trahitur, idem in coelo esset si nonnullae res, quarum penes ipsum non fuit potestas, aliter evenissent. Huiusmodi fortunae vicissitudinibus omnes demagogi praepotentes aeque semper obnoxii fuerunt; pauci tantum effugerunt cum eorum consiliis fortuna perpetuo arrideret. Sed tamen, quamquam prorsus negari non potest huiusmodi causam valere posse in ostracismo, neque nobis hoc silentio praetermittere licebat, rarius eventurum esse videtur ut ex gravi calamitate publica ad ostracismum adhibendum se conferant cives, cum fere semper tum praesto sint accusatores, crimen turpe, iudicium. Revera testas ex huiusmodi causarum genere adhibitas esse a civibus nullum certum exemplum praebet historia Atheniensis; longa vero series est demagogorum potentium quos ab aetate Miltiadis ad tempora Demosthenis oratoris et ulterius accusatione et iudicio oppressos aut lacessitos esse memoriae traditum est. Sic a. 430, cum in Periclem dominum civitatis ingentem iram excitavissent terrores hostiles et agrorum depopulationes, primum accidit ut in concilio facilem victoriam reportarent adversarii eius, qui pacem cum Lacedaemoniis faciendam esse censerent [1]), deinde ut de furto publico condemnaretur Pericles vir integritate praestans [2]), etsi iam tum a Lacedaemoniis iterum pacem petere non placuerat civibus, et consilia Periclis denuo approbare coeperant cives. Ab ostracismo vero etiam tum abstinuit populus; quod partim fortasse etiam huic rei attribuendum est, quod ira contra Periclem erupit eo tempore anni 430, post mediam aestatem, quod extra tempus legitimum ostracismi caderet. Mentione autem dignum est, quod etiam in hoc iudicio, sicuti fieri solet, non veram irae causam nominatim protulerunt cives: Pericles non accusatus est de bello imprudenter excitato, sed de crimine aliquo turpissimo quod ad iram effundendam temere arripuerat populus.

Verum gravis calamitas publica non unica neque frequentissima causa est quae pariat dolorem popularem ad consilia praeterita pertinentem. Graviter etiam displicere potest status rei-

1) Thuc. 2. 59. 2.

2) Thuc. 2. 65. 3: *οὐ μέντοι πρότερόν γε οἱ ξύμπαντες ἐπαύσαντο ἐν ὀργῇ ἔχοντες αὐτὸν πρὶν ἐζημίωσαν χρήμασιν.* Plut. Per. c. 35.

Digitized by Google

publicae, quamvis nihil novi subito acciderit; sive quod ea neglegi videantur quae praeter propria commoda maxime cordi esse soleant civibus, fas et cultus deorum, honestas publica, gloria et existimatio patriae; sive quod res quasdam quae propriis commodis populi vel magnae populi partis necessariae videantur, aut quae desiderentur a populo, retardari, differri, omitti sentiat populus a consilio civitatis publico, quamvis ipse huius consilii particeps sit; ab altera parte fieri potest ut res quae minus probentur vel quae molestae sint, conservari sentiat aut in rempublicam introduci. Taedium huiusmodi, quod ex rerum publicarum statu in cives incidere potest, *plerumque* (quamquam in universum vix quidquam de ea re constitui potest quod prorsus constans sit) subitarium non est neque celeriter exortum; immo lentum est, sensim nascitur, paulatim increscit, occultum manare potest per longius aut brevius temporis spatium, per magnam annorum aut parvam mensum seriem. Nihil novi enim accidit, quod subito animos commoveret; nulla sententia demagogi gubernantis indicari potest quae per se displicuerit, nulla quae molestiae initium aut causa fuisse dici possit. Singulas sententias a demagogo omnes non sine sua approbatione dictas esse, non sine suo consensu perlatas esse novit populus; nihilominus displicet effectus, quem obsequium suum per tot annos fortasse demagogo habitum, in universum edidisse videat in republica. Taedium huiusmodi quin in populo interdum adsit quamvis dubium non sit — revera enim ex ea re oriuntur omnes difficultates politicae, quod statu suo aut patriae interdum contenti non sunt cives — difficillimum tamen est ad cognoscendum, cum voce careat populus qua ipse dolorem suum edat; difficillimum est ad describendum, cum ex eventu tantummodo quale fuerit liceat suspicari. Ne ipsi quidem populo semper quid displiceat, quid desideretur, accurate cognitum est; taedium experiuntur omnes, nesciunt qualis esse debeat sententia quae taedio communi remedium afferat. Res eiusmodi est ut per unam sententiam acceptam, per unum decretum, nequaquam possit absolvi; nam si in eo res versaretur, sane populo non deesset demagogus aliquis oppugnans, qui hac evincendi occasione arrepta, infirmitatem auctoritatis suae compensaret desiderio et studio populi, et sententia illa dicta voti compotem faceret

Digitized by Google

populum; sententiae demagogorum oppugnantium non sufficiunt; quid eis obstaret, quo vitio laborarent, cur accipiendae non essent, semper ita a demagogo gubernante vere adhuc demonstratum est, ut populus facere non posset quin de eis rebus singulis semper fere ei assentiretur. Sed interea manet taedium; oritur suspicio in populo, mutationem desideratam consulto differri, impediri a demagogo gubernante; huius argumenta, huius gravitatem, quin etiam huius sapientiam superiorem, suis aut patriae saluti et commodis impedimento esse sentit, quamvis nihil demagogus umquam perfecerit de quo non persuasisset populo, neque perfecturus sit. Hoc modo quin possit etiam in democratiis discordia oriri inter voluntatem publicam quae administret rempublicam, et voluntatem populi qui ex propriis potissimum opinionibus et ex experientia rerum quotidianarum cupiditates et studia suscipere soleat, dubium non est; iam supra (Vol. Sup. p. 391—399) ostendimus, qui fieret, ut etiam in democratiis non ex cupiditatibus et studiis et opinionibus populi, sed ex consilio, regeretur respublica. Sed etiam constat, nullum fere demagogum ita se gerere posse, inprimis si per longum tempus, per totam aetatem duxerit demagogiam suam, ut prorsus caveat ne quando oriatur eiusmodi discordia; nisi saltem omni dignitate abiecta ad populi libidinibus semper inserviendum se accomodare voluerit, quamquam ne id quidem sufficit, cum constet talem ignaviam servilem breviter tantum prodesse demagogis, et maxime aptam esse ad evertendam eorum auctoritatem contemptu et odio populi. Ne Pericles quidem, postquam semel satiatis populi desideriis favorem popularem firme sibi alligaverat, veritus est suscipere pugnam cum opinionibus et studiis populi gerendam, et quod in ea pugna vicit, praecipua eius laus est apud auctores nostros [1]). Sed cum nunc in universum loquamur, multum abest ut statuamus, in tali discordia semper a parte demagogi gubernantis stare superiorem sapientiam et melius consilium. E contrario,

---

1) Vol. Sup. p. 397. — Plut. Per. c. 15: *οὐκέθ' ὁ αὐτὸς ἦν οὐδ' ὁμοίως χειροήθης τῷ δήμῳ καὶ ῥᾴδιος ὑπείκειν καὶ συνεκδιδόναι ταῖς ἐπιθυμίαις ὥσπερ κνοαῖς τῶν πολλῶν — ἦν δ' ὅτε καὶ μάλα δυσχεραίνοντα κατατείνων καὶ προςβιβάζων ἐχειροῦτο τῷ συμφέροντι κ. τ. λ.*

Digitized by Google

ab utra parte stet ius et aequitas et prudentia maior, nullo modo in universum praestitui potest, neque de ea re iudicium est nisi diligenter considerata ipsa re de qua semper agatur, si satis cognosci potest. Quae alias est in demagogo constantia admirabilis, alias est contumacia perversa; cum alias demagogus duci putandus sit veris patriae commodis, experientia rerum, optimis consiliis, alias eius tenacitas tribuenda est pusillitati animi qua nolit novum consilium sincere contemplari et diligenter et vere aestimare, qua nolit approbare aliquid ob eam solam causam quod id placeat competitori alicui infesto [1]), vel tribuenda est avaritiae turpi, cum admiscuerit privata lucra consilio suo publico, vel studio partium deterrimo, cum in animo suo praeter communem salutem praevalere sinat commoda supervacua unius partis et ordinis civium quo ipse pertineat, sive pauperum, sive ditiorum, optimatium aut agros possidentium, mercatorum aut artificum; revera nonnumquam etiam prorsus ignorari posse a demagogo numquid commoveat populum agnoscendum est, et fieri posse ut invitus atque inscius resistat desiderio populi, cui libenter subventurus esset si novisset. Et quae in populo alias est perversa libido, alias est legitimum atque iustum studium quo commoda sua modice persequi omnibus in republica licet, alias est patriae amor laudabilis, alias religionis vel honestatis studium venerandum; universum iudicium de ea re ferri nequit. Sed etiam cum diligenter consideraverimus singulas res de quibus agatur, siquidem sumimus fieri posse ut eae res satis ab omnibus partibus a nobis cognoscantur, tamen saepissime accidat necesse est — ea enim est iudicii humani de rebus politicis naturalis infirmitas — ut de ea re nullus existat consensus, ut aliis improbandum videatur quod alii admirentur; inprimis futurum est ut in aestimandis rationibus et stimulis quibus duci se passus esse videatur demagogus vehementer fluctuet iudicium, cum alii ad partium studium, alii ad cupiditatem privatam, alii ad ignorantiam referant, quod aliis ex purissimo patriae amore profectum esse videatur. — Nobis sufficit statuere, facile

1) Hoc se contra Themistoclem aliquando admisisse confitetur Aristides apud Plut. Arist. c. 3.

Digitized by Google

fieri posse quin etiam fere necessarium esse, ut ex gubernatione diuturna demagogorum potentium, tum ipsum cum potentissimi sint, quamvis eorum potestas nitatur liberis suffragiis populi, interdum aliqua aegritudine afficiantur animi multorum civium, quae si saepius reviviscat, tandem possit in taedium et iram crescere, unde fiat ut populus liberum se non esse intellegat suamque voluntatem ab hoc demagogo liberam fieri cupiat, cum tamen frustra se id cupere sentiat.

Quodsi autem ostracismum non instituisset Clisthenes, in huiusmodi rerum statu fieri potuisset quidem ut adversarius aliquis, temporibus callide inserviens, opportuno tempore usus, accusatione et iudicio obrueret demagogum gubernantem; neque raro hoc accidisse fortasse concedendum est. Fieri quoque potuisset ut adversarius demagogus, sententiis ad studia et desideria populi sedulo accomodatis, paulatim novam auctoritatem sibi compararet qua superior fieri et de loco detrudere inimicum posset. Sed utrumque remedium neque certo exitu esse neque semper in promptu esse facile apparet. Accusatio gubernatoris tum solum poterit effectum edere, si iam adeo creverit fastidium demagogi, ut vicerit et superaverit in animis civium eius fidem et auctoritatem (at id ipsum nondum factum esse nunc sumimus); repulsis vero et suffragiis adversantibus vix poterit opprimi gubernator, demagogus adversarius enim, etiamsi rogatione populo gratissima perlata unam alteramve victoriam in concilio reportaverit — nam ut sine certo auctore ad reiciendas sententias gubernatoris se conferat populus, sententiis negativis ultro acceptis, fieri omnino non posse videtur, cfr. Vol. Sup. p. 395 — mox denuo cedere coactus erit auctoritati maiori gubernatoris, nisi forte ei contigerit ut re aliqua bellica praeclare gesta eum aequiparare incipiat fide et gravitate, sed hoc totum a fortuna pendet. Itaque si neutrum remedium adest, sive quod morbus non tam gravis sit ut ipse sibi remedium pariat, sive quod tempora non sinant, facile accidet ut ultro sedetur brevis animorum concitatio, ut praetereat res sine ullo effectu. Id eo facilius accidet, quo longius auctoritate, fama, rebus praeclare gestis eminet demagogus inter competitores suos, quo revera potentior est. Itaque tum vicit demagogus, neque obscurum est quanti fructus ex ipsa hac victoria ab eo percipi

Digitized by Google

possint ad magis etiam confirmandam eius potentiam. Populus eum sequi perget tamquam longe meliorem auctorem; et eo constantius eum secuturus est populus, quo magis constat omnes reliquos auctores esse multo deteriores (cfr. Vol. Sup. p. 395 sq.). Neque locus ullus populo datus est quo se vertat ad effugiendam auctoritatem huius demagogi in republica administranda et in suffragiis de summa re habendis (scilicet excipienda sunt suffragia de magistratuum creatione et pauca similia); omnia enim quae geruntur in concilio, fiunt secundum eventum deliberationis publicae, atqui auctoritas demagogi tam longe tendit, quam pertinet deliberatio publica in qua dominatur.

Verum intervenit institutum Clisthenis, et interrogatio illa annua quae de demagogis habetur. Locus nunc constitutus est populo extra concilium, quo se vertat ab auctoritate gubernatoris liber. Exclusus enim est ex ostracismo deliberatio publica; atqui simul inde exclusa est auctoritatis omnis vis. Populo datum est suffragium, in quo nihil valet gravitas gubernatoris, nihil consilium; quod unice regitur cupiditatibus et studiis populi consilio carentis. Huius suffragii exitus unice pendet a ratione qua affecti sint animi civium adversus gubernatorem; pugnant in animis taedium desiderii non expleti cum recordatione beneficiorum publice acceptorum; quodsi haec superior manet, salvus est gubernator (sicut Pericles salvus fuit, Vol. Sup. p. 421 sq.), si illud vincit, periit. Itaque nunc ut possit in lucem prodire et effectum edere omnis aegritudo etiam levissima qua affecti sint animi magnae partis civium, omnis molestiae sensus ex statu reipublicae praesenti iam pridem susceptus, una re tantummodo etiam opus est. Hac scilicet, ut formam aliquam quasi concretam arripiat populus qua iram suam induat; ut rationem inveniat qua iram suam referat ad ipsam demagogi praepotentis (aut socii alicuius demagogi) personam, qua in ipsum eam effundat aut in socium. Itaque conspicitur quid valeant in ostracismo causae secundariae. Scintillae sunt, ad ipsam materiem diu congestam allatae, quo fiat ut flamma alte exurgat. Atqui haec scintilla (quae si ostracismus inventus non esset, omnino in hoc rerum statu non esset proditura, nisi forte iam eo pervenisset animorum aegritudo ut ab accusatione et iudicio aliquis fructus pos-

Huic irae formam aliquam et causam secundariam praebent instigationes adversariorum.

Digitized by Google

set sperari) ut ultro in populo oriatur fieri potest quidem; aliquando etiam comoediae irritamenta aliquid ad hanc rem valere potuisse recte fortasse suspiceris; sed saepissime accidet ut extrinsecus afferatur causa secundaria aliqua ad mentes civium, scilicet a demagogo aliquo inferiore et adversario. Haec igitur plerumque vis est illarum instigationum, quas iam saepius supra tetigimus, primum ut suppeditent populo causam irae quae verbis comprehendi et circumferri possit, deinde ut in unum dirigant mentes civium et ad ostracismum animos advertant. Id autem ab unoquoque, sive demagogo, sive homine novo, aeque fieri posse, neque ulla ad eam rem opus esse auctoris gravitate, facile intelligitur. Nam non hoc agit is qui ad ostracismum instigat populum, ut sententiam dicat quae debeat aestimari ex praestantia auctoris aut possit refutari a gravitate et fide dissuasoris (Vol. Sup. p. 395); nihil aliud agit nisi ut viam monstret affectibus a populo aliunde acceptis (ibid. p. 392); huiusmodi affectus si adsunt in populo, accendi possunt voce instigatoris cuiuslibet; si nulli sunt, irrita est instigatio (ibid. p. 418). — Iamvero omnium maxime manifestum est hanc causam politicam, quae contineatur dolore ex praesenti statu reipublicae aut etiam ex calamitate aliqua publica a maiore parte civium suscepto, non cadere nisi in demagogos gubernantes. Hoc certe nemo contenderit, fieri posse ut damnum cladis publicae alicuius, aut molestia desiderii alicuius nondum expleti, ascribatur a populo culpae eius demagogi, cui nondum contigerit ut perferret et maiori parti probaret consilia sua publica, quod ipsum proprium est demagogorum oppugnantium; hic, si quis alius, certe ab omni culpa liber erit et ab hac ira populi tutus.

Haec ira, ex consiliis peractis suscepta, non cadit in demagogos oppugnantes.

Fructus autem, quem ex relegatione demagogi gubernantis percipiat populus, unus tantummodo certus est et constans, nempe hic, quod iram effudit populus et malum aliquod detulit in eum hominem, cui malum inferre cupiebat. Numqui alii praeterea fructus futuri sint populo, quos „politicos" dicas, valde incertum videtur. Omnino cavendum nobis est, ne eos fructus nimis magnos, nimis certos esse putemus. Illud enim, quod omnino

Gubernatores relegat populus ut iram effundat, ut reprehendat consilia nunc vigentia, ut voluntatem suam liberam faciat; non vero ut certis quibusdam consiliis novis viam aperiat.

Digitized by Google

fieri non possit, ut civitas administretur ex cupiditatibus et studiis populi consilio carentis (cfr. Vol. Sup. p. 397), id etiam nunc populo non continget ut fiat, postquam relegatus est demagogus; populus, ab auctoritate huius demagogi liberatus, mox denuo pendebit ex auctoritate demagogi — non huius quidem, sed alius; qui num melius potuerit prospicere desideriis maioris partis meliusque ad huius voluntatem dirigere consilium publicum civitatis, experiendum erit civibus, sed ab eo id fieri posse minime constat. Si id quod displicebat in statu reipublicae praesenti eiusmodi forte fuit, ut omnino a consilio publico civitatis tolli et procurari non posset, id etiam a novo demagogo sublatum et procuratum non iri satis certum est. Quam incerti fructus sint qui ex cladibus demagogorum gubernantium percipiantur a populo, interdum conspicimus in nonnullis occasionibus quibus accusatione et iudicio oppressi sunt gubernatores. Periclem tota civitas (*οἱ ξύμπαντες*, ait Thuc. 2. 65. 3, cum pauperes tum ditiores omnes) magno consensu prostravit, quod belli molestias non toleraret, tamen pacem ex eius clade non nacta est civitas, neque deinde tuta fuit ab incursionibus hostium. Similia exempla haud pauca afferre licet. Neque est cur statuas, fructus politicos quos ex gubernatorum relegatione percipiat populus, certiores esse quam ex gubernatorum condemnatione. Verumtamen nonnumquam fieri potest ut aliquis fructus percipiatur. Primum, etiamsi demagogus is qui relegatus est fuit forte socius gubernatoris, fieri potest ut hic, admonitus clade socii sui, diligentius circumspiciat quid sit quo possit animorum aegritudinem aut tollere aut mitigare. Deinde, si ipse gubernator relegatus est, etiamsi forte successorem habet aut ex sua factione [1]) aut saltem similibus consiliis publicis addictum, fieri potest ut similem effectum in hoc viro praebeat

1) Quod nunc saepe statuitur, relegationem demagogi effecturam esse ut diluatur eius factio (Lngebil p. 129), id sane valet si inter amicos nemo est qui possit eiusdem factionis princeps fieri, nam sine principe factio nulla est (Vol. Sup. p. 149, p. 348 n. 1). Sic accepimus, factionem Thucydidis dissolutam esse cum relegaretur Thucydides (Plut. Per. 14), quod nemo adesset qui eius locum occupare auderet aut posset. Sed si quis alius ex eadem factione iam antea aliquid *per se* quoque et per reliquos amicos valuit in republica, is id amissurus non est propter cladem unius amici potentissimi; hoc solum ipsi et factioni detractum erit, quod eis antea accedebat ex magna potentia illius amici.

Digitized by Google

relegatio eius qui adhuc civitatem duxit. Omnino ostracismus docuit demagogos nobiles, populo se subicere eiusque gratiam beneficiis petere, neque talem credo futurum fuisse Periclem qualem eum fuisse accepimus, si nullus fuisset ostracismus (Vol. Sup. p. 168 sq., p. 421 sq.). Denique, accidere potest, ut gubernator antequam relegatus sit iam diu habuerit competitorem oppugnantem, gravitate et fide inferiorem quidem, sed non multo inferiorem; quem ex clade adversarii plurimum profecturum esse consentaneum est, quemadmodum ex Aristidis clade Themistocles, ex Themistoclis Cimon crevit [1]). Is autem iam diu frustra invectus est in consilia publica quae commendabat gubernator; sua consilia eis opposuit; adhortando, commonendo ab illis deterrere conatus est civitatem; fortasse, quamvis ei fidem tum non haberent cives, et alterum demagogum sequerentur, tamen aegritudo quae commovit animos partim orta est ex faece quadam quae ex eius admonitionibus, querelis, conviciis crebro renovatis, quamvis irrita fuerint, in animis civium resederit. Is nunc libere poterit perferre consilia sua nova quae tam diu oppressit auctoritas praegravans gubernatoris; ea consilia nunc experiri poterit civitas, et fieri potest ut meliora ea esse appareat. — Verum qui quod sentiat clare et apte eloqui studeat, is caveat necesse est ne sententiam suam de ostracismo

1) Concedimus igitur fieri posse et nonnumquam accidisse ut ostracismus tum ipsum interveniret, cum forte inter duos demagogos acre gereretur certamen; quamquam, quo minus inter se auctoritate differunt duo demagogi, eo maior est libertas populi, cum eo facilius ex alterius consiliis ad alterius transire possit, eoque minus opus est ostracismo. Sed satis etiam ostendimus, non ex tali certamine pependisse ostracismum, neque causam eam esse ostracismi. Nam si inter eos demagogos optionem facere *solet* populus, hoc quoque in concilio facere possit, constanter reiectis sententiis alterius; si *solet* in concilio certamen dirimere, etiam in ostracismo hanc optionem facere recuset. Itaque quod primus Grote statuit (4 p. 85 adn. 1: »the practical working of the ostracism presents it as a struggle between two contending leaders, accompanied with chance of banishment to both"), quod deinde prolixius exposuerunt Lugebil (p. 128 sq) et alii, ostracismum adhiberi non potuisse nisi cum duo demagogi certarent, ut id certamen dirimeretur, iam tamquam commenticium reicere licet, cum ad id probandum non sufficiat rerum gestarum memoria (nam etiamsi nulla relegatio nobis nota esset quae non decreta esset cum certarent duo viri illustres — quod in Damonis relegationem cadere non videtur, neque in Hyperboli — minime inde sequeretur, ostracismum adhiberi non potuisse nisi in tali certamine), cum vero ratione satis id refutaverimus, cum denique aperte ei repugnet testimonium Aristotelis (Vol. Sup. p. 163 n. 1).

Digitized by Google

comprehendat his verbis, quibus interdum perperam statuitur, „ostracismum hunc fructum tulisse civibus et ideo adhibitum esse a civibus, ut sub novo duce nova consilia, quae sibi ostentavisset et comprobavisset novus dux, quae sibi melius placerent, in republica administranda persequi incipere possent" [1]). In hac opinione enim inest error manifestus. Nam ad nova consilia, si quae magis placeant, transire possit populus etiam sine ostracismo, *si* velit; ostracismus igitur ideo adhibitus esse dici non potest, *quod* velit populus ad ea nova consilia transire. Quod qui statuunt, hac in re errant, quod cum certo consilio politico adhiberi ostracismum a populo censeant, quale consilium si esset in populo omnino careri posset ostracismo; neque satis reputant ostracismum, quippe qui sit effusio irae tantum et ul-

1) Haec sententia latere videtur in dicto viri d. Roscher, quod assensu multorum concelebratum est, quod attulit Lugebil l.l. p. 121 sq., quo ita concluditur: „Wir haben den Ostracismos ganz nach art unserer constitutionellen ministerwechsel auf zu fassen". Lugebil, quamquam concedit hanc comparationem claudicare (p. 122), tamen de ea scripsit p. 185: „Hieraus ersieht man, dass und inwiefern Roscher recht hatte zu sagen: man habe den Ostrakismos nach art der ministerwechsel in constitutionellen staaten auf zu fassen. Wenn nemlich das scherbenvotum einen staatsmann zur verbannung verurtheilte, so war ein von der gegenpartei gegen ihn und seine politik beantragtes mistrauensvotum durchgegangen." Mihi ea comparatio eatenus valere videtur, quatenus in utraque re (in demagogo relegato et in ministro regio abacto) homo aliquis qui aliquamdiu fide concilii alicuius publici usus est, subito pellitur e loco quem tenebat. Sed praeterea nihil convenit. Et nonnullae differentiae adsunt quae simul tam graves sint, simul tam facile neglegantur ab eis qui hac comparatione utantur, ut fallacissima et ad animos in graves errores inducendos aptissima dicenda sit. Nam qui de ministro regio cogitat, facile obliviscitur munus demagogorum primum patere omnibus qui velint, modo possint ad aures et animos civium penetrare et assensum voluntarium excitare; praeterea, numquam uni homini soli mandatum esse, sed ita semper in complures distributum ut ex variis consiliis et diversissimis sententiis fere semper de omnibus rebus gravioribus libera optio data sit populo; deinde seiunctum et alienum esse ab omni imperio et potestate in certum aut infinitum tempus datis, neque quidquam aliud in se continere praeter consuetudinem sententiae dicendae aut per alios proferendae in concilio; denique ultro finem capere ut primum eorum consiliis fidem deneget populi maior pars; quae omnia in officio ministrorum regiorum prorsus contraria sint. Itaque repraesentatores debent *abigere* ministrum regium cuius consilia politica improbant, neque satis habere possunt reicere eius rogationes, quia nisi abigitur in officio etiam mansurus est homo ingratus, et impediturus ne rogationes optatae ferantur, et ex sua sententia reliquis officiis ministri est functurus; maiori populi parti vero numquam opus est *relegare* demagogum cuius consilia accipere non vult, cum possit semper ut primum placet eius officium terminare. Causa igitur cur demagogus relegetur longe differt a causa cur abigatur minister regius.

Digitized by Google

ciscendi cupidinis a populo consilio carente susceptae, numquam posse consulto neque cum certo consilio politico a populo adhiberi. Ostracismus ideo tantum adhibitus esse dici potest (cum discesseris ab altero casu, de quo postea agemus, consilia quae offenderint nondum esse peracta), primum ut iram suam ex statu reipublicae susceptam effundat populus, deinde ut reprehendat et reiciat consilia quae illo tempore cum suo assensu in republica vigeant, quorum effectum molestum expertus esse sibi videtur, denique ut voluntatem suam a gravitate auctoris horum consiliorum liberam faciat; minime vero, ut certa quaedam consilia nova in reipublicae administratione valere incipere possint.

Ostracismus adhiberi non potuit ad electiones liberas faciendas ab auctoritate demagogi, cum ab ea semper liberae sint.

Verumenimvero si hunc fructum ex ostracismo percipi dicimus a populo, ut se liberet ab auctoritate molesta gubernatoris, cavendum etiam est ne longius quam oporteat pertinere putemus hunc fructum, neve eum referamus ad rem quo non pertineat. Fuerunt enim qui statuerent, libertatem quam ex ostracismo sibi compararet populus, potissimum quin etiam unice pertinere ad creationes magistratuum annuas [1]). Hanc opinionem parum mihi placere confiteor. Quomodo enim licet, ad id ipsum potissimum vel unice referre libertatem ex relegatione demagogi comparandam, quod omnino non cadat sub auctoritatis demagogorum regimen, et iam initio per se suamque naturam ab eorum potestate et gratia liberum sit? Atqui creationes magistratuum liberas esse ab auctoritate demagogi etiam potentissimi primum docet ratio. Demagogi enim sunt ei qui voluntatem suam populo acceptam faciunt persuadendo in deliberatione publica; creationes autem non diriguntur deliberatione ulla publica, sed ab initio concessae fuerunt libero arbitrio populi sine ullo consilio (Vol. Sup. p. 374 sq., p. 397). Quod non quidem ita intellegendum est, quasi prorsus nihil extrinsecus accidat populo quo duci possit

1) Köhler (loco Vol. Sup. p. 344 n. 1 laudato): „Mag man über die Bedeutung des Ostrakismos in der Attischen Verfassung urtheilen wie man will, so wird man nicht umhin können den Bezug desselben zu den Amtswahlen an zu erkennen; mit anderen Worten das Scherbengericht war eine Art Präjudiz, durch welches für jene das Feld frei gemacht wurde, und musste also früher stattfinden." — Gilbert Beiträge p. 231 et 236 sq.

Digitized by Google

voluntas in electionibus. Hanc ipsam ob causam enim in omnibus civitatibus antiquis ab initio instituta fuit petitio candidatorum, ne nimis fluctuaret optio neve omni ductu careret populus. Itaque opera adhibenda est candidatis ut affectus excitent in animis civium sibi gratos: quod facere possunt dignitate et fama, aut meritis, aut nomine illustri et gloria avita, aut comitate supplicandi cum benignitate coniuncta, aut amicorum multitudine, aut beneficiis et officiis, aut omnibus his rebus simul, coitione insuper inita; praeterea consiliorum politicorum ostentatione, promissis directis aut expectatione quam suscitent; denique illecebris non legitimis, largitionibus sive simpliciter sive per sodalitia institutis. Ex his omnibus quae praesto sint „nationi officiosissimae candidatorum" (ut eam Cicero vocat), quid plurimum valeat in populo vix dixeris; at minimum inter ea valere consiliorum politicorum rationem, pro certo affirmari posse videtur. Quod potest admonere viros doctos, qui censeant „historiam politicam" esse solam veram historiam quae conscribi debeat, non ita tamen id faciendum esse ut nullius rei ratio habeatur nisi consiliorum politicorum, quae quoque tempore a principibus viris defendi et inter se opposita esse videantur, et studiorum partium ad eos viros pertinentium quae politicae dici soleant, utque omnibus actionibus publicis supponant rationes politicas quasdam ab ipsis plerasque fictas, ut sunt qui faciunt; hi neque ostracismi, neque electionum antiquarum rationem intellegere et explicare possunt. Quod maxime cernitur in electionibus Romanis. Quid? Nonne eisdem comitiis, eodem die, ab eisdem electoribus consules designati sunt Caesar et Bibulus? Nonne tribuni plebis Clodius et Ninnius? Quae exempla si forte reiciuntur quod empta fuerint comitia, adeunda sunt collegia tribunorum plebis, quos per totum tempus liberae reipublicae Romanae fere numquam omnes ex eadem parte politica profectos et eisdem consiliis politicis addictos inveneris; adeunda etiam collegia praetorum Atheniensium quae nota sunt, veluti anni 412/11; ita satis opinor apparebit, non plurimum, nedum unice, in electionibus valuisse rationes politicas. Sed quidquid de ea re censet aliquis, hoc certe constat, populum liberum esse in electionibus, et *si* parti alicui politicae favere velit, nullius praeiudicii testarum indigere; demagogum autem

Digitized by Google

(quatenus demagogus sit, nam si candidatis suffragatur aliquis vel suffragia emit, non tamquam demagogus hoc facit) nullum stimulum afferre posse populo, nihil habere quo voluntatem populi ducat, cum exclusa sit deliberatio de candidatis, manifeste docet ratio [1]). Idem vero docet historia. Themistocles archon creatus est a. 493, cum civitatem gubernaret Aristides. Collegia praetorum quos creavit populus cum gubernaret Pericles, quatenus cognita sunt, non tota semper ex eadem parte politica constituta esse, inquirenti opinor apparebit; quamquam etiamsi forte aliter esset, hoc non demonstraret suffragia subiecta esse auctoritati gubernatorum invitis civibus, sed ostenderet cives ex animi sententia praetulisse eos candidatos qui cum gubernatore facerent; sed cum exilem materiam inquirendi praebeat historia Atheniensis, iterum provocare licet ad historiam Romanam, ad demonstrandum potentiam eorum, qui plurimum valeant in administratione reipublicae, parum aut nihil valere in electionibus magistratuum. Verum id prorsus incredibile mihi videtur, tantum umquam valere potuisse potentiam demagogi, ut populus se liberum fore in comitiis non putaret, nisi ante comitia cito e civitate eiecisset demagogum aliquem; quod amplius refutare supervacaneum videtur. — Auctoritas demagogorum longius pertinere non potest quam ad concilium populi, quo finiuntur deliberationes publicae populi; id solum liberum reddi potest relegatione demagogi quae extra concilium sine deliberatione publica decernitur. —

Neque magis adhiberi potuit ut concilium liberum faceret a custodia Areopagi vel potestate senatus.

Neque tamen ad alia impedimenta tollenda, quae libertati populi in concilio et decernendi potestati obstent, si qua forte fuerunt praeter potentiam demagogorum gubernantium, aptus fuit ostracismus neque adhibitus est. Sic libertati concilii non parum obstitit Areopagus, a Solonis temporibus ad a. 460. Nam cum huic senatui custodiam legum dedisset Solon, eique prospiciendum esset ne quod populiscitum ratum fieret quod legibus re-

1) Omnino quamdiu eligendi potestas civibus relinquitur, libertas eligendi nulla alia ratione opprimi potest quam si quis candidatorum nominationem sibi arrogat, aut potestatem deiciendi candidatos reliquos praeter unum cui faveat. Hoc quidem fecit Pisistratus (Thuc. 6. 54. 6); sed is, cum fieret tyrannus, demagogus esse desiit (Isocr. Panath. § 148).

Digitized by Google

pugnaret [1]), cum singulis Areopagitis, ut videtur, datum esset intercedendi ius in concilio (ὑπωμοσία) [2]), et de intercessione iudicandum esset ipsi Areopago [3]), cum vero ab eo, qui intercessisset et de παρανόμοις accusaret rogatorem, non posceretur ut certae cuidam legi repugnare sed ut improbandam et malam (ἀσύμφορον) eius rogationem esse demonstraret, quod idem etiam post a. 460 semper fuit proprium illius actionis quae γραφὴ παρανόμων dicebatur, ut omnibus notum est, — omnia populiscita quae contra sententiam Areopagi lata erant ab Areopago impediri potuerunt [4]). Hac impediendi potestate autem severe et abundanter usum esse Areopagum inprimis per annos 480—460, tradit Aristoteles [5]). Neque tamen ad Areopagi severitatem reprimendam ostracismum adhibuerunt Athenienses; cuius rei haec causa est manifesta, quod etiamsi ex Areopagi deliberationibus secreto habitis aliquid in vulgus emanavit, singuli tamen Areopagitae, etiamsi singuli forte sunt qui praeeant et reliquos auctoritate ducant, ansam nullam praebent irae populari, neque singulorum sed universorum culpae ascribitur id quod peccavisse videtur senatus. Itaque, quamquam nonnulli demagogi qui ante a. 460 relegati sunt, fuerunt Areopagitae, nemo tamen relegatus est tamquam Areopagites, sed tamquam demagogi omnes. Ira quam in populo excitaverunt consilia Areopagi, quae non potuit per testas effundi, irrita fuit quamdiu leges salvae fuerunt; neque alia via patuit populo, cum ad summum fastigium crevissent irae, qua molestiam tollere posset, quam ut vi et seditione leges everteret; revera a. 460 concilium populi, impulsu Ephialtis, prostravit Areopagi potestatem politicam, per seditionem et populiscitum non legitimum [6]). — Deinde quod

1) Plut. Sol. 19: τὴν ἄνω βουλὴν ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων ἐκάθισε. Cfr. Schoem. Gr. Alt. (1861) 1. p. 510; Philippi Areopag. (1874) p. 194.

2) Cfr. quod de munere νομοφυλάκων, ad quos a. 460 ἡ νόμων φυλακή, Areopagitis adempta, delata est, scribit Philochorus fr. 141b.

3) Philoch. fr. 17: ἐδίκαζον οὖν Ἀρεοπαγῖται περὶ πάντων σχεδὸν τῶν σφαλμάτων καὶ παρανομιῶν.

4) Cic. Rep. 1. 27. 43: „Athenienses quibusdam temporibus sublato Areopago nihil nisi populi scitis ac decretis agebant, quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant."

5) Aristot. Polit. 5. 4. p. 1304ᵃ: ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ εὐδοκιμήσασα ἐν τοῖς Μηδικοῖς ἔδοξε συντονωτέραν ποιῆσαι τὴν πολιτείαν.

6) Diod. 11. 77. 6.

Digitized by Google

in potestate senatus quingentorum obstat libertati concilii, non magis tolli potest testis. Si in senatu aliquando ita praevalet factio viri alicuius qui populo ingratus factus est, sive is ipse senator reliquos ducere solet sive per amicos et socios senatores, ut impediantur et retardentur consilia quaedam populo accepta, hoc impedimentum satis tolli nequit relegatione unius viri, factionis principis, neque hoc modo via in senatu aperitur consiliis contrariis; non in testis spes erit populo, sed in sortitione senatorum proxime futura, qua possit mutari condicio rerum et dissolvi factionis potentia. Itaque libertas quam ex ostracismo comparare potest populus, ad concilium solum et demagogos pertinet.

Obici etiam potest, si verum esset testas hunc fructum praebuisse civibus, ut concilium liberarent ab auctoritate praegravante demagogorum gubernantium, fieri non potuisse quin saeculo quarto et deinceps, cum ostracismus sublatus esset, cum hoc praesidio carerent cives ad libertatem vindicandam, multo plus quam antea valuerint demagogi; quod tamen minime acciderit. E contrario, demagogi quarti saeculi quin multo magis subiecti fuerint voluntati et cupiditatibus populi quam antea cum vigeret ostracismus, neminem dubitare posse; itaque non eum esse effectum ostracismi, quem multo longius pertinere videamus quo tempore nullus fuerit ostracismus. — Sed facile cadet hoc argumentum, cum admonuerimus, ea omnia quae de demagogorum auctoritate scripserim, unice pertinere ad demagogos nobiles vel certe rerum militarium arte et usu imbutos et magnis divitiis instructos, qui fuerint saeculis sexto et quinto. Qua de re cum supra prolixe egerim (Vol. Sup. p. 134—141, p. 148 sq., p. 394), cum satis etiam ostenderim quomodo factum sit ut demagogorum novum genus sit ortum quod neque esset „in suspicione tyrannidis" neque auctoritate posset aequiparari cum demagogis antiquis (Vol. Sup. p. 352—354), nunc eo relegare liceat lectorem. Quarto saeculo cum non essent demagogi praepotentes, neque esset cur concilium suum demagogorum gravitate exonerare cuperent cives, ostracismus supervacaneus factus ne desiderari quidem potuit[1]); et idem

Saeculo quarto, cum nulli essent demagogi nobiles, opus non fuit ostracismo ad liberandum concilium a demagogorum auctoritate.

1) Etiam ad ea quae supra illis locis scripsi, provoco ad refellendas coniecturas

Digitized by Google

accidisse Syracusis et in reliquis civitatibus [1]) quae ad demagogos nobiles coercendos assumpsissent ostracismum, postquam discussa esset nobilium potentia, consentaneum est. — Nos autem revertimur ad res sexti et quinti saeculi, et ad eos demagogos de quibus quaerere mihi propositum est.

Manifestum autem videtur, si quis relegetur propter dolorem quem ex consiliis eius consummatis et perfectis capere sibi visus sit populus (quod in demagogos gubernantes solos cadit), nihil ad eam rem valere odium partium, et accidere posse ut eam ob causam relegetur demagogus gubernans etiam cum summa sit concordia populi. — Discordia quae orta est inter consilium civitatis publicum et studia et opiniones maioris partis, quae ad relegationem gubernatoris ducit, cohaerere potest quidem cum commodorum dissimilitudine aliqua, quae ex causis naturalibus disiunctos teneat varios ordines sive partes populi; quamquam ut hoc accedat necesse non est. Populi maior pars persequitur id quod sibi deesse sentit, quod a gubernatore non satis neque quantum fieri posset curatum esse suspicatur; ea autem esse potest rerum conditio ut adsit pars aliqua (sive ordo) populi numero inferior, quam vehementer delectent consilia gubernatoris, quae adversetur desideriis maioris partis, quae salvis commodis suis illud maiori parti concedi non posse intellegat; eiusmodi conditio si forte obtinet, relegatio gubernatoris cohaerere dici potest cum studio partium; maior pars eum ideo abiecisse dici potest quod nimis patrocinatus esset commodis

Causa politica, quae est in consiliis demagogi peractis et in taedio ex statu reipublicae suscepto, non pendet ex odio partium, et valere potest in summa concordia civium. Id apparet in relegatione Damonis;

---

quas de causis ostracismi sublati protulerunt alii, veluti Lugebil (p. 174: „jetzt hatte sich eine politische moralität gebildet, welche es nicht gestattete sich im parteiinteresse, in der hitze des parteienkampfes, über das gesetz hinaus zu setzen"), et Gilbert, qui (Beitr. p. 287) ostracismum repudiatum esse censet quod a. 417 Alcibiades et Nicias rationem et viam ostendissent, qua testis abuti possent ductores partium etiam adversus eos qui candidati non essent; et Zurborg (Hermes 12 1877 p. 201), qui statuit ostracismum ideo non esse adhibitum post quintum saeculum, quod acres partium politicarum contentiones nullae tum essent.

1) Inter eas civitates Ephesum quoque fuisse, (quam omisi Vol. Sup. p. 180), docet Cicero Tusc. 5. 36. 105: „est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro: universos ait Ephesios esse morte multandos, quod, cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: nemo de nobis unus excellat; sin quis extiterit, alio in loco et apud alios sit."

Digitized by Google

minoris illius partis populi, quae forte ab eo conciliari non potuerint cum commodis maioris partis; sed tamen etiam sic odium partium non fuit stimulus qui ad relegandum adduceret. — Est autem, inter testarum iudicia illa paulo melius cognita, unum certe in quo ne vestigium quidem ullum appareat illiusmodi conditionis; in eo contemplando frustra quaerimus quomodo adesse potuerit pars minor civium cui profuisset id quod maiori parti peccavisse videretur demagogus gubernans in consiliis suis peractis. Relegatio Damonis (quae fuisse videtur reprehensio consiliorum alius cuiusdam demagogi potentioris, et Periclis quidem, ut verisimile est; in Damone non reprehendebatur, ut videtur, quod ipse perfecerat, sed quod perfecerat discipulus eiusque factio, cui specie quadam et honore fortasse princeps, revera socius tantum et administer erat Damon) decreta esse videtur ab universo populo, ipsa factione scilicet excepta, quam a parte politica sedulo distinguere oportet; neque verisimile est, opinor, eo tempore fuisse partem politicam minorem, cuius commodis et gratiae condonavisse visus esset Pericles commoda maioris partis. Idem quod de relegatione Damonis, concludendum nobis esset opinor, si Pericles relegatus esset, aut antea cum aedificatum esset Odeum [1]), aut postea instigante Cleone; idem si Cleon eiectus esset instigante Fartore (ut iterum in rem vocem commenta Aristophanis); hae relegationes si decretae essent, omnino non cohaesissent cum ulla dissimilitudine commodorum ordinum neque cum ullo studio partium. Si quid forte tum fuit odium civile et partium discidium, id omnino non pertinuit ad relegationem Damonis, neque pertinuisset ad relegationes Periclis et Cleonis si decretae essent; hae etiam decerni potuerunt in summa populi concordia [2]).

---

1) Vol. Sup. p. 422 n. 1; cfr. Wachsmuth Stadt Athen (1874) p. 553 n. 3 et p. 554 n. 2.

2) De causis et temporum conditione quibus relegatus est Hyperbolus, quamquam hoc loco agendum erat, nunc disputare omitto, cum tam obscura sit ea res ut magis ex ostracismi ratione lucem accipere debeat, quam ut possit ad ostracismum illustrandum adhiberi. Itaque cum quod de ea re censeam non paucis verbis possit confirmari, satis habeo nonnullos citare ex eis qui nuper de ea re scripserunt: Zurborg, der letzte Ostracismos (Hermes 1877 p. 197 sqq. et 1878 p. 141 sqq.); Seeliger (Jahrb. f. Phil. 1877 p. 739); Gilbert Beiträge 1877 p. 209—215 et 231—239; Fekke, Rettungen des Alkibiades, 1883, 1. p. 41 et 2 p. 45; Beloch, die Attische Politik

Digitized by Google

Sed aliae fuerunt relegationes, in quibus dissimilitudo commodorum partium populi aliquantum valuisse videatur. Causa politica, cur a. 484 Aristides relegatus sit, haec fuisse videtur, quod aegre ferret populus, magnas exspectationes, ad potentiam patriae et imperium maritimum inprimis pertinentes, quas iam ante permultos annos in animis civium excitaverant consilia Themistoclis, habuisse exitum et effectum opinione minorem, cuius rei culpam ascribebant contumaciae Aristidis; et fieri potest ut eo tempore optimatium maior pars putaverit optime suis commodis consuluisse Aristidem. Aristides enim, quem in consiliorum communionem iuvenem a Clisthene receptum esse tradit Plutarchus (Arist. c. 2), iam mature ad gubernationem civitatis pervenisse videtur. Contra eum surgens Themistocles, postquam a. 493 ad archontatum pervenit, rogationem celeberrimam maximo populi assensu pertulit, quae fuit ut mirificae locorum maritimorum opportunitati arte subvenientes, Piraeum muro in ipsa ora litoris ducto circumdarent, et in eum locum transportarent stationes navium et machinas ad navigiorum aedificationem necessarias [1]). Haec rogatio, quamquam ad commoda privata civium vix pertinebat (praeter eam parvam plebis partem, litus marinum occidentale et vicos maritimos incolentem, iam diu multa maris consuetudine imbutam, quam magnis cladibus iam diu afficiebat bellum Aegineticum (Her. 5. 81 et 89), cui multa deerant necessaria ad percipiendos fructus quos maris vicinitas et egregius locorum situs ex mercatura et navigatione et artificiis ei offerre videbantur, cuius regionem nunc non solum nova defensione, sed etiam, ex publica navigiorum aedificatione, industria, ope-

sed etiam in relegatione Aristidis,

---

seit Per. 1884, p. 49—57; Philippi, über einige Züge aus der Gesch. des Alcib. (Hist. Zeitschr. v.v. Sybel 1887. 3 p. 398—416).

1) Thuc. 1. 93. 3; Paus. 1. 1. 2. Alteram rogationem (Her. 7. 144; Plut. Them. 4; Nep. Them. 2; Polyaen 1. 30. 5; Thuc. 1 14. 2), quae fuit de classe ad ducentarum navium summam augenda et de reditibus Lauriensibus insumendis ad navium aedificationem (quae distinguenda esse videtur a rogatione fere a. 477 perlata de vicenis navibus quotannis aedificandis Diod. 11. 43) libenter etiam referrem ad eundem annum 493, neque dubitarem probare rationes quas in hanc sententiam attulerunt Holzapfel, Untersuch. über die Darst. der Gr. G. von 489—413 Leipzig 1879 p. 189 sqq. et inprimis Bauer Themistokles 1881 p. 57 et 163 sqq., nisi obstaret fragmentum Aristotelis, in quo haud dubiis vestigiis nomen Nicodemi

Digitized by Google

rarum mercede, lucro multiplici affectura erat haec rogatio), tamen tam insigni utilitate erat et tanta spe salutis patriae, novae potentiae, odii Aeginensium explendi (Her. 5. 82 sqq., 6. 87—93) commovebat animos, ut ei resistere non posset melior auctoritas Aristidis gubernatoris, qui ne dissuadere quidem eam ausus, ne civibus videretur cupiditati et odio privatis ductus repudiare quod manifeste utile esset, Miltiadi demagogo socio reliquit ingratum munus, verba frustra faciendi contra rogationem popularem (siquidem licet huc referre quae tradit Plut. Them. 4). Itaque rogatio de Piraeo muniendo accepta est; verum, quamquam ab illo anno in Piraeum permultos cives ex ceteris vicis maritimis migravisse verisimile est, et Piraeus subito crevit et multitudinis nauticae quasi receptaculum factum est, res tamen nonnisi inchoata est; opus inceptum munitionis mox relictum, multo postea demum, ut videtur fere a. 477 et insequentibus, absolutum est [1]). Illud opus autem ab Aristide retardatum et dilatum fuisse videtur, cui tempus ad pugnam cum consiliis Themistoclis gerendam aptissimum tum venisse videbatur, cum iam a populo et ab Areopago probata et accepta essent. Nam cum ad perficiendum opus decretum longa etiam serie rogationum et populiscitorum opus esset, quibus de singularibus operis partibus decerneretur, ea ut ex animi sententia perferrentur non aeque contingere potuit Themistocli; obstabat semper melior Aristidis auctoritas, qui de singulis populo persuadebat cum de universa re antea persuadere ne conatus quidem esset. Itaque diuturna et acerrima dimicatio fuit inter Themistoclem et Aristidem; in ea per novem annos Aristides superior fuit [2]), frustra renitente plebe Pi-

---

archontis videtur indicari, i. e. annus 483. Cfr. Bergk. N. Rhein. Mus. 36. 1881 p. 107. — De hac rogatione cfr. praeterea Böckh Staatsw. 1 p. 350 sq.; Grote 4 p. 402; Curtius Gr. G. 2. p. 825; Busolt Lakedaim. p. 385; Duncker 7 p. 181. — [Haec cum scriberem, nondum cognoveram quae de fragmentis Aristotelis disputavit Diels, Abh. B. Ak. 1885, p. 32 n. 1, quibus tollitur e fragmento nomen Nicodemi et aliter explentur lacunae fragmenti. His inspectis nunc revertor ad sententiam viri docti Bauer, rogationem Themistoclis de classe construenda priorem etiam perlatam esse a. 493; eamque ad disputationem meam me non adhibuisse vehementer doleo.]

1) Diod. 11. 41; Plut. Them. 19; Thuc. 1. 93. 8; eo pertinet Philoch. fr. 81. — Cfr. de ea re Wachsmuth Stadt Athen. p. 513 adn. 2, p. 518 adn. 1.

2) Cfr. Plut. Arist. 3.

Digitized by Google

raea [1]), cuius ex castris amicissimis quoties in aciem descendebat Themistocles etiam de navibus aedificandis fortasse iam tum frustra agens, repulsam haud dubiam ferebat in populo cui praeerat inimicus. Itaque rogationem Themistoclis oppressisse, τὸ σοφὸν ἐξεύρημα illius [2]), quod semel a. 493 facilem victoriam ei pepererat, prudentia sua discussisse, videbatur Aristides, neque vi neque malo dolo, sed libero consensu et suffragiis ipsius populi; unde etiam fiebat ut nemo hoc exprobrare posset Aristidi, nisi una cum eo accusare et reprehendere vellet ipsum populum. Sed victorem subito evertit taedium populi; quod neque favori quo partem politicam Piraeam amplexus esset populus, neque solis querelis et conviciis Themistoclis (quamquam ex eis sane aspera quaedam faex resedit in animis), neque ulli odio adversus optimates suscepto attribuere licet, sed discordiae ortae inter consilium civitatis et desideria populi, cui cum conscius fieret se neque portum novum et egregie munitum habere, neque cuiquam praeterquam sibi suisque decretis hoc imputari posse, subito molestae factae sunt gubernatio Aristidis et illa iustitiae fama insignis qua Aristides astrictam tenebat vitam publicam. Itaque adversus eum surrexit populi ira, ut leonis, βριμωμένου καὶ ὀστρακίνδα βλέποντος, et testis postulatis Aristidem ex civitate expulerunt cives, scilicet „quod nimis iustus esset". — Iamvero difficillimum est affirmare, quae fuerint rationes quibus ad consilia Themistoclis impugnanda perductus sit Aristides, quibus permotus non perspexerit magnam utilitatem quam percipere posset patria ex rerum maritimarum curatione, quam monente Themistocle a. 493 praeter eum perspexissent tot milia civium — nam de his rebus Aristidis maxime valet quod supra diximus, fluctuare iudicium et alios ad partium studium, alios ad cupiditatem et ambitionem, alios ad ignorantiam, referre, quod aliis ex purissimo patriae amore

---

1) Arist. Polit. 5. 4 p. 1303b: στασιάζουσι δὲ ἐνίοτε αἱ πόλεις καὶ διὰ τοὺς τόπους, ὅταν μὴ εὐφυῶς ἔχῃ ἡ χώρα πρὸς τὸ μίαν εἶναι πόλιν — · καὶ Ἀθήνησιν οὐχ ὁμοίως εἰσὶν, ἀλλὰ μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν Πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ. Ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς πολέμοις αἱ διαβάσεις τῶν ὀχετῶν, καὶ τῶν πάνυ σμικρῶν, διασπῶσι τὰς φάλαγγας, οὕτως ἔοικε πᾶσα διαφορὰ ποιεῖν διάστασιν. — Cfr. Vol. Sup. p. 161.

2) Aristoph. Eq. 884 sqq.

Digitized by Google

profectum esse videatur; satis demonstrari vix potest Aristidem ductum fuisse favore commodorum optimatium; neque testimonium Plutarchi sufficit, quo Aristides dicitur (Arist. c. 2) ἄψασθαι ἀριστοκρατικῆς πολιτείας, et habuisse ἀντιτασσόμενον ὑπὲρ τοῦ δήμου Θεμιστοκλέα, cum ita de Aristidis consiliis iudicent recentiores minus ex ipsorum natura quam ex comparatione eorum cum levissimis consiliis posterorum demagogorum facta (sic ipsa reipublicae temperatio quam instituit Clisthenes, aristocratica nonnumquam dicitur) [1]), neque hoc iudicium bene quadret in eum qui primus immutatis legibus Solonis et Clisthenis ad archontatum aditum dederit omnibus civibus, quod fecit Aristides [2]). Sed etiam valde dubium est, num eo tempore revera optimates respuerint consilia Themistoclis suorum commodorum gratia. Nam doctrina illa qua omnino optimatibus cavendum esse praescribebatur a consiliis ad potentiam navalem condendam vel augendam pertinentibus (Plut. Them. 19 s. f. et 4 s. f., alii passim) postea demum orta esse videtur et partim ex ipsarum rerum Atheniensium exemplo effecta. Tempore Aristidis minime a disciplina et gloria navali alienos se praebuerunt viri illustres Athenienses, ut ostendit a. 489 ipse Militades, qui classe ad expeditionem navalem uti et facto probare utilitatem consiliorum quibus ipse ante paucos annos restiterat, non est dedignatus; a. 481 Cimon, vir ex factione Aristidis eiusque consiliorum socius (Plut. Cim. 10), ipse cives exemplo praeiit cum mari se confidere et iunioribus in classe impositis ab opibus suis maritimis salutem petere dubitarent (Plut. Cim. 15); eodem anno Areopagus quoque, optimatium et ditiorum tum etiam praesidium et quasi receptaculum, largitione decreta effecit ut naves implerentur a militibus voluntariis (Aristot. ap. Plut. Them. 10), ipsi Themistocli hac in re obsecutus, qui pecunias necessarias ex sacro exprompserat (Clitod. ap. Plut. ibid.), et „vere (ut ait Cic. Off. 1. 22. 75) a se adiutum Themistoclem dixerit Areopagus; est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus". — Sed fortasse

1) Plut. Cim. 15. Cfr. Vol. Sup. p. 146 n. 2.
2) Plut. Arist. 22.

Digitized by Google

haec diligentia quam a 481 praestiterunt optimates attribuitur temporibus mutatis, metui belli instantis, necessitati denique cui parere coacti erant; fortasse magis placet statuere, a. 493 optimates non solum auctoritate Aristidis, sed suorum etiam commodorum cura perductos fuisse ad impugnanda consilia Themistoclis; fortasse etiam evincit opinio, Aristidem abusum esse potentia et gratia ut obtineret quod prodesset ordini nobilium et magnos agros possidentium. Neque ego valde reclamo; haec omnia quae incerta sunt, certa esse sumamus. Discordia, quae orta est inter consilia Aristidis gubernatoris praepotentis et studia et opiniones populi, revera fuerit discordia inter studia partium orta, pertinuerit ad eam commodorum dissimilitudinem quam interdum etiam in democratiis inter varios ordines et partes populi procreare possit (et tum procreasse videatur) necessitas et rerum conditio naturalis (cfr. Vol. Sup. p. 161); hoc tamen utique constat, relegationem Aristidis non profectam esse ex odio civili, et eundem eius rei futurum fuisse eventum sive adesset odium partium acerrimum, sive summa concordia. Non ea enim fuit causa doloris popularis qui Aristidem subvertit, quod bene ab eo procurata essent commoda optimatium, et quod aegre hoc tulerit populus optimatibus iratus, sed haec quod nimis neglectum ab eo esset aliquid quod saluti patriae necessarium esse sentiret maior pars populi. Quodsi commoda optimatium non contraria fuissent studiis populi, populus facile tulisset illa quoque bene curari a gubernatore civitatis, neque ob eam causam relegavisset Aristidem, et per longissimum temporis spatium revera id facile tulit populus, et assensu suo et suffragiis comprobavit sententias Aristidis, neglectis et spretis admonitionibus Themistoclis, donec eius rei effectum asperum expertus est; itaque non fuit odium optimatium quod ad eum relegandum permovit, quod, si fortasse accessit, ex eadem causa simul ortum est; sed contraria commodorum natura fuit causa relegationis.

Similis ratio est relegationis Themistoclis, siquidem statuere licet hanc eius fuisse causam politicam, quod displicuerit maiori parti civium effectus consiliorum quae per annos 480—470 persecutus est, quibus urbem moenibus circumdatam primum ab agro seiunxit, deinde, Piraeo munito

et in relegatione Themistoclis.

Digitized by Google

et exornato, ad mare adduxit [1]) et „navales reddidit Athenienses" [2]) et partem plebis urbanae eisdem studiis implevit quae iam pridem nutriebat plebs Piraea [3]); quae etiamsi fuit causa taedii populi, non tamen odio multitudinis Piraeae et nauticae neque optimatium favore permotus eum condemnavit reliquus populus, sed molestia mali alicuius, aut ad propria commoda aut ad patriae salutem pertinentis, quod ipse expertus esse et Themistoclis culpae ascribere debere sibi videbatur. — Neque omnino hoc fieri posse videtur ut gubernationem civitatis aliquamdiu obtineat is, quem ita oderit populi maior pars tamquam patronum et defensorem partis alicuius minoris infestae, ut tandem hoc eodem odio mota eum ex civitate eiciat. Aristides (siquidem revera fuit patronus optimatium) sane non potuisset per tot annos in concilio dominari, suffragia populi regere, voluntatem publicam ducere, si magnum eo tempore in populo fuisset odium optimatium; Themistocles non potuisset per decem annos assensu populi peragere consilia Piraeae plebi et plebi urbanae humiliori utilissima, si ab ea plebis parte acri odio dissedisset maior populi pars. Apparet igitur fieri posse ut in concordia publica demagogi relegentur propter dolorem quem ex consiliis eorum consummatis et perfectis susceperit populus, sed hoc in gubernatores solos cadere; odium civile vero et partium discordiam, etiamsi forte una cum illo dolore orta accedant, non tamen ipsa esse causam relegationis gubernatorum. Itaque eius quod erat demonstrandum priorem partem demonstravisse mihi videor, relegationes gubernantium non pendere ex odio civili.

---

1) Aristoph. Eq. 815 sqq.: ὃς (τῇ πόλει) τὸν Πειραιᾶ προσέμαξεν — κἀκεῖνος μὲν φεύγει τὴν γῆν. — Plut. Them. 4: ἐκ δὲ τούτου κατὰ μικρὸν ὑπάγων καὶ καταβιβάζων τὴν πόλιν πρὸς τὴν θάλασσαν κ.τ.λ. — Them. 19: οὐχ, ὡς Ἀριστοφάνης ὁ κωμικὸς λέγει, τῇ πόλει τὸν Πειραιᾶ προσέμαξε, ἀλλὰ τὴν πόλιν ἐξῆψε τοῦ Πειραιῶς καὶ τὴν γῆν τῆς θαλάττης κ.τ.λ.

2) Her. 7. 144: ἀναγκάσας θαλασσίους γενέσθαι Ἀθηναίους. — Thuc. 1. 93. 4: ναυτικοὺς γεγενημένους. Plut. Them. 4; cfr. Plato leg. 4. p. 706 C.

3) Aristot. Polit. 5. 4. p. 1304a 22: καὶ πάλιν ὁ ναυτικὸς ὄχλος γενόμενος αἴτιος τῆς περὶ Σαλαμῖνα νίκης καὶ διὰ ταῦτα τῆς ἡγεμονίας διὰ τὴν κατὰ θάλατταν δύναμιν τὴν δημοκρατίαν ἰσχυροτέραν ἐποίησεν. Cfr. ibid. 2. 12, p. 1274a 13: τῆς ναυαρχίας γὰρ ἐν τοῖς Μηδικοῖς ὁ δῆμος αἴτιος γενόμενος ἐφρονηματίσθη, καὶ δημαγωγοὺς ἔλαβε φαύλους ἀντιπολιτευομένων τῶν ἐπιεικῶν.

Digitized by Google

Transimus ad alterum genus causarum politicarum, cum non ex consiliis peractis et consummatis, sed ex consiliis nondum a populo acceptis et ad futurum tempus pertinentibus oriatur taedium et ira populi.

Ac primum quidem, cum ipsae sententiae et rogationes quibus consilia sua in postero tempore persecuturus sit demagogus, cognitae non sint populo antequam ferantur, haec causa politica relegationis eo redit, ut cogitatio eius quod demagogus in futuro tempore acturus sit, in iram adducat maiorem partem populi, sena milia civium amplius. Cogitatio autem eius quod in futuro tempore acturus sit demagogus, nasci potest ex recordatione eius quod in superiore tempore egerit, cui illud simile et congruens fore expectetur. Itaque videndum est num ad maiorem partem populi pertinere possit metus eius quod postea perfecturus sit demagogus aliquis, natus ex eo quod adhuc egerit.

Causa politica deinde pertinere potest ad consilia demagogi futura, quae nondum accepit populus.

Iam statim manifestum erit, opinor, hoc non cadere in demagogos gubernantes eorumque socios; siquidem, quod nunc nostro iure praesumimus, satis placet maiori parti status reipublicae praesens et effectus consiliorum eius consummatorum (quod si non praesumerem, ad priorem disputationis partem me rediturum fuisse apertum est). De gubernatoris opere et consiliis tres adsunt, ut plerumque, in civitate opiniones. Prima est eius partis politicae, si qua adest, quae tamquam patronum et ducem colit hunc demagogum; haec pars, siquidem adhuc nihil accidit quo fides eius labefactaretur, ingenti gratia et favore prospicit eius consilia futura etiam quae nondum accuratius cognita habet; ad hanc partem igitur metus ille pertinere nullo modo potest, et, si cogitari potest ab ea parte confici sena milia amplius suffragiorum, utique salvus est gubernator. Secunda opinio est eius partis populi cui integrum de sententiis gubernatoris fuit iudicium, i. e. quae non fuit in ea conditione, ut putaret consilia huius demagogi sedulo accomodata esse ad propria et singularia sua commoda aut opprimenda aut efferenda. Quod de sententiis superioribus gubernatoris animis secum reputant hi cives, huiusmodi est,

Haec causa exilii non cadit in demagogos gubernantes; nam si qua pars politica adest, quae gubernatoris consilia futura metuit, haec pars 6000 civium minor sit necesse est.

Digitized by Google

eius sententias (etiam si quae forte inprimis utiles et acceptae fuerint parvo alicui ordini vel parti populi) ideo a se plerasque acceptas esse, quod haberent quo se populo commendarent, quod foverent, certe non laederent, sensum communem populi de eo quod fas, honestum, patriae gloriosum, civibus utile, partibus populi aequum esset, quod bonis argumentis ex his ipsis principiis petitis ab eo defenderentur, quod denique haberent auctorem bonum, patriae et religionis et honestatis amantem, rerum peritum, de cuius bona voluntate ne dubitari quidem posset; nam his omnibus rebus (cfr. Vol. Sup. p. 392—395) nisi eius sententiae superassent sententias contrarias ab oppugnantibus demagogis dictas, acceptae non essent neque gubernator fuisset demagogus ille de quo agimus. Itaque nihil est cur deterius quidquam expectent hi cives ab eius sententiis futuris, neque magis quam ad illam partem politicam, ad hos cives pertinere potest metus ille. — Tertia opinio denique est eius partis politicae (si qua adest) quae inimica est illi parti politicae; quae patronum et ducem sibi praefecit demagogum alium, gubernatori oppugnantem; quae omne odium et iram effundere solet in ipsum gubernatorem, quem maxime sibi obstare suisque commodis haud dubie insidiari censet. Huic parti politicae sane nihil magis optatum est, quam ut quam citissime e civitate eiciatur demagogus gubernans de quo agimus; ad eam quam maxime, sed ad eam solam, pertinet ille metus qui ex cogitatione eius sententiarum futurarum oritur; sed haec pars adhuc vincere non potuit neque potest, cum numerum suffragiorum non expleat quo possit victoria *in concilio* reportari (nam si expleret, gubernator non esset ille demagogus); apertum igitur est minime sufficere eius partis suffragiorum numerum ad victoriam *in ostracismo* reportandam, ubi longe maior numerus suffragiorum postulatur, neque posse ab ea parte relegari demagogum gubernantem. Itaque ex hac causa politica, quae pendet ex odio civili et discordia partium, omnino non possunt relegari demagogi gubernantes. Sic Aristides a. 484, Themistocles a. 470, Damon postea, salvi fuissent si satis placuisset civibus status reipublicae et effectus quem eorum consilia habuisse putabantur. Relegatio Aristidis enim tum non potuisset flagitari propter metum consiliorum futurorum nisi a sola parte politica Piraea,

Digitized by Google

quae numero per se sane non satis valebat ad ostracismum, cum ne in concilio quidem vincere posset; Themistoclis relegatio non potuisset necessaria videri nisi soli parti politicae optimatium, at ea cum impedire non potuisset quominus civitatem gubernaret, sane ad ostracismum nihil valebat; Damon — siquidem recte statuimus eum periise tamquam socium factionis Pericleae — testis lacessi non potuisset nisi ab optimatibus et agricolis, quorum numerus sane non sufficiebat.

Itaque superest ut videamus de demagogis oppugnantibus, in quos solos cadit relegari ex odio partium. Etiam de eis, et de eo quod adhuc egerunt, quod idem postea persecuturi esse videntur, variae opiniones in civitate esse possunt. Quodsi autem ei numero superiores sunt, quibus suum cuique parti tribui et bene temperari commoda partium posse videantur, quodsi odium politicum nondum permanavit ad totius civitatis maiorem partem, hos quoque salvos esse apertum est. Sic Themistocles salvus fuit etiam per annos 493—484, quamquam eo tempore gubernabat Aristides eius adversarius et inimicus, quod ei qui tum Aristidem approbare et sequi, Themistoclem repellere solebant, non omnes tamen animati erant odio partis politicae Piraeae recens natae, neque tamquam odiosam et funestam abominabantur cogitationem, aliquando fieri posse ut aliquid perferret Themistocles si ei contingeret ut maiori parti id acceptum faceret auctoritate et fide, quamvis adhuc id ei post brevem victoriam anni 493 nondum contingeret. Sic salvi fuerunt Aristides et Cimon, etiam per annos 480—470 cum plurimum valeret Themistoclis auctoritas; sic salvus fuisset Cimon a. 459, Thucydides a. 444, nisi odium civile superius fuisset et integrum corrupisset iudicium [1]).

---

1) Gravissimum errorem, quo nunc fere statuunt viri docti, maiorem partem civium a parte politica minore potuisse cogi ad testas etiam invitam adhibendas, scilicet ne per maiorem partem testarum vinceret minor pars adversaria, si ipsa maior pars a testis abstineret, supra satis discussimus, cum demonstraverimus in ostracismo postulatam esse maiorem partem absolutam totius civitatis. Ille error, natus ex falsis opinionibus Plutarchi quas supra p. 7—11 refutavi, inprimis conspicitur in eis quae de relegatione Thucydidis commenti sunt viri docti. Placuit enim, ac primo quidem v. d. Grote (5. p. 282), deinde Curtius (2. p. 191 sq.) Duncker (N. F. 2. p. 188) aliis, statuere a. 444 non Periclis amicos ultro testas sumpsisse

Digitized by Google

Civibus rempublicam gerentibus et de sententiis demagogorum decernentibus, iudicium est de singulis sententiis dictis aut integrum, aut partium studio subiectum. Qui integre iudicant, sententias semper exigere conantur ad ea quae sentiunt de religione, de honestate, de patriae gloria et potentia et optima forma reipublicae, de commodis civium communibus, de optima temperatione commodorum quae partibus populi singularia sunt; et secundum eventum huius contemplationis fieri potest ut aut iam ultro aliquem affectum acerbum aut gratum, aut nullum affectum suscipiant ex ipsa sententia dicta (Vol. Sup. p. 392 sq.). Ex his principiis quoque sen-

Cives quibus integrum de rebus publicis iudicium est, qui partis politicae ocii non sunt, causam non habent cur se subducere metuant decretis futuris maioris partis.

---

contra Thucydidem, sed ipsum Thucydidem, signo dato factioni et parti suae, ad testas provocavisse, suaeque cladis ipsum fuisse auctorem; quod cur statuerint, nescio, neque ulla ratio est (nam nihil effici posse ex Plutarchi verbis Per. c. 14: *πρὸς Θουκυδίδην εἰς ἀγῶνα περὶ τοῦ ὀστράκου καταστὰς καὶ διακινδυνεύσας ἐκεῖνον μὲν ἐξέβαλε*, manifestum est); placuit tantummodo, et suspicari possis inde apparere, eos viros doctos non probaturos fuisse relegationem Thucydidis si a Pericle excitatum esse ostracismum concedere deberent. Itaque statuunt, amicos Periclis coactos fuisse ad testas adhibendas contra Thucydidem, ne si Thucydidei suffragium inirent numero ex. gr. 3500, si Periclei alii numero ex. gr. 2500 suffragium inirent, alii numero 1500 a suffragio abstinerent, periret Pericles contra voluntatem maioris partis. Sed nunc de ea re melius iudicari potest; apparet enim, *etiamsi* ad testas suos provocavisset Thucydides, opus non fuisse amicis Periclis, si nollent, certamen inire, eosque sine ullo suo periculo Thucydidem in patria retinere potuisse. Nam si Thucydidei 6000 suffragiorum explere non poterant, nihil efficiebant; sin vero superabant numerum, id ipsum indicabat amicorum Periclis, etiam qui a suffragio abstinuerant, esse numerum minorem. — Obici non debet, cum eo anno numerum civium verum fuisse sciamus 14240, fieri potuisse ut 6100 Thucydidei relegarent Periclem, cum 8140 Periclei a suffragio abstinuissent, utque hunc eventum cavere voluerint Periclei. Constabat enim apud Athenienses, fieri non posse ut in *binos* demagogos conspiraret numerus testarum 6000 maior. Nam si hoc non apud eos constitisset, auxissent numerum postulatum ad 7120, i. e. ad ipsum dimidium civitatis (supr. p. 11). Etiam a nobis teneri debet, hoc apud eos constitisse, et eam rem actam non esse inter plus quam 12000 civium, sed inter multo pauciores, puta 8000 (Vol. Sup. p. 37), aut, si ad ineredibile progredi placet, inter 10.000. Thucydides si excitaverat 6000 suffragiorum amplius contra Periclem, amicis Periclis non plus supererant quam 4000 civium; hi utrum suffragium inirent necne, nihil ad rem faciebat. Itaque, cum relegatus sit Thucydides, amicos Periclis testis usos esse apparet non quod Periclem servare vellent, sed quod Thucydidem perdere volebant. Mihi autem persuasum est, amicos Thucydidis omnino neque provocavisse ad testas, neque suffragium iniisse; si facere volebant quod sine ulla spe et prorsus irritum esset nisi populo displiceret Pericles, id quotannis eis faciendum erat. Credo semper unum tantum fuisse ostracismi candidatum, quamquam id probari nequit neque ullius momenti est.

Digitized by Google

tentias a demagogis defendi et impugnari debere censent. Cum autem ex singulis illis principiis, quoties deliberetur, binae oriantur quaestiones, altera: quid sit fas? altera: num huic definitioni conveniat sententia de qua agatur? et sic de reliquis: quid sit honestum, quid patriae gloriosum et idoneum, quid civibus utile, quid partibus populi aequum, deinde, num his definitionibus respondeat sententia dicta — ita de singulis sententiis disputandum et arguendum esse censent oratoribus, ut de priore quaestionum serie idem eos sentire appareat quod sentiat populus (quod si dubium non est, etiam ab oratore omitti potest disputatio de hac serie quaestionum), ut de altera vero serie quaestionum recte et constanter disputent; utrumque autem, num ex veris principiis proficiscatur disputatio demagogi, et num recte et constanter et melius quam ab adversario ab eo disputetur, satis a se et a populo dispici posse censent. Deinde vero, cum in rebus politicis via lubrica, error facilis sit, cum etiam argumenta quae optima videantur fallere et decipere possint, a demagogis postulant ut certa signa et quasi pignora dent quibus appareat eos esse primum rerum peritos — quod fere effici solet a populo ex rebus ab eis praeclare bello gestis et fama militari — deinde eos habere voluntatem bene consulendi reipublicae, eos esse viros bonos, patriae amantes, deorum non contemptores, integros; de ea re autem satisfactum esse solet populo si ex vitae privatae ratione, ex rebus praeclare gestis, ex amicorum multitudine, ex divitiis et aestimatione et loco quo nati sint, ex sententiis denique antea dictis, de his rebus aliquid certi sequi videtur (cfr. Vol. Sup. p. 393 sq.), et eorum demagogorum argumentis plus tribuit populus, qui de his rebus magis quam reliqui satisfecerint populo. — Eis autem demagogis quorum sententiae cum argumentorum praestantia tum auctoris fide excellere videantur, suffragandum esse censent illi cives; et etiamsi forte accidit ut ipsi ad aliquam sententiam ab eiusmodi auctore dictam accipiendam se permovere non possint, quod nimis obstare videatur commodum aliquod singulare suae partis vel ordinis, quale cum sibi tum unicuique modice persequi in republica licere credant, nihilominus facile concedunt, si simile impedimentum non pertinere apparuerit ad maiorem partem (quod si fiat, reiectum iri sententiam), sed si

Digitized by Google

accipiatur a maiore parte sententia demagogi, se ipsos se subicere debere et se subiecturos esse voluntati maioris partis, cum democratiae confidant, et putent in democratia vincere debere id quod maior pars sentiat de optima temperatione commodorum partium vel ordinum. Non enim tyranni alicuius libidini, neque inimicorum odio et malignitati permissas esse suas utilitates, sed populo; cuius iudicium etiamsi non extra omnem errorem positum sit, tamen magis tutum et fidum sibi esse quam iudicium tyranni aut parvi ordinis vi civibus impositum.

Cives qui in partem politicam abierunt quod commoda sua neglegi putarent, etiamsi se subicere metuunt decretis futuris maioris partis, tamen non satis numero valent ad relegandum demagogum suspectum.

Sed accidere potest ut in eis opinionibus quas de temperatione commodorum teneat vulgus (quae plerumque ex praesenti rerum statu effici solent), acquiesci non posse censeat pars populi, quod sua commoda nimis neglecta iacere videat, neque huic morbo remedium oriturum esse intellegat ex ratione reipublicae administrandae quae nunc obtineat. Itaque haec pars, quae a reliquo populo distinguitur differentia aliqua quae inter sua commoda et reliquorum intercedat, in „partem politicam" abire potest. Opiniones quas de optima temperatione commodorum singularium tenet haec pars, diversae sunt ob opinionibus de eadem re vulgatis; ex ea diversitate opinionum quas de principio aliquo politico tenet pars populi, pervenit ad iudicium diversum ferendum de reipublicae administratione [1]). Haec pars politica certat

1) Causa partium politicarum non unice pertinet ad diversitatem opinionum quas teneant cives de optima temperatione commodorum singularium. Partes politicae tum oriuntur, cum de rebus gravioribus decernendum sit, si antea consensus inter cives esse desiit de priore illa serie quaestionum quam supra tetigi: quid sit fas? quid sit honestum et iustum? quid sit patriae gloriosum et utile, (ex. gr. quae forma civitatis sit apta patriae?) quae sit optima temperatio commodorum singularium quae ad partes et ordines populi pertinent? i. e. de ipsis principiis politicis sive de studiis publicis primariis. — Ita oriri possunt partes politicae ex religione (quod hodie satis experti scimus); ex iure (quemadmodum hodie sunt qui publice reiciant et tollant ius proprietatis); ex dissensione de optima forma civitatis. Sed haec omnia in antiquis civitatibus subfuisse certationibus politicis, non accepimus, itaque ea omnia nunc a nobis neglegentur; certationes partium politicarum in civitatibus Graecis fere gestae sunt de optima temperatione commodorum, cum quaererent quantum tribuendum esset commodis mercatorum, agricolarum, artificum, agros possidentium, reliquorum ordinum; ea dissensio etiam suberat quoties certabatur de forma civitatis et imperiorum dispensatione, de bello ac pace, etc.

Digitized by Google

et pugnat et *mutationem* persequitur sive legum sive consilii quo utitur civitas et rationis qua administretur respublica. Primum aliter interdum quam reliquus populus afficitur rebus quae semper in civitate accidunt; aliter interdum quoque afficitur sententiis in concilio dictis; aliter inprimis quam reliquus populus afficitur a demagogis. Pars politica non quidem propria consilia de reipublicae administratione sibi informare potest, non magis quam reliquus populus, neque magis quam reliquus populus se ipsa regere potest sine demagogorum auxilio; sed addicta est certo ductori. Eos enim demagogos solos fidos sibi ducunt socii partis, quos ad suam partem pertinere persuasum habent, quos eisdem principiis, quibus ipsi favent, addictos esse credunt, quos eodem modo, quo ipsi solent, interpretari credunt illam quaestionem (quae sit optima commodorum temperatio) quam supra tetigi, et hos suae parti (quamdiu illa fides manet) ideo praeficiunt, quod horum consilia suae parti utilissima fore confidunt. Civis aliquis eatenus partis politicae alicuius socius est, quatenus demagogo alicui suffragatur non propter argumenta quae audivit, neque propter amorem religionis et honestatis et patriae quem ei tribuit, neque propter rerum peritiam quam in eo inesse credit, sed propter voluntatem quam ei esse suspicatur bene consulendi commodis singularibus illius partis seu ordinis ad quem civis ipse pertinet; quae ante omnia alia procurationem efflagitare intellegit. Certe socii partis politicae neque conscripti neque decuriati sunt a demagogis praefectis; sed etiam nullo modo omnino aliquis civis in longius tempus se ascribere potest parti politicae; in unoquoque suffragio semper nova optio data est unicuique eligendi, utrum malit integro de ipsa re proposita iudicio uti (quo fiet ut ei demagogo suffragetur qui constantius disputet cum maiore gravitate et rerum peritia), an iudicium velit subicere partium studio (quo fiet ut ei demagogo suffragetur cui voluntatem tribuat suae parti consulendi). Demagogi qui parti politicae praefecti sunt, ad oppugnantes pertinere possunt, quamdiu nondum eis contigit ut meliore auctoritate in populo vincerent; sed etiam fieri potest ut simul obtineant gubernacula civitatis, quemadmodum Themistocles parti Piraeae praefectus aliquando civitatem gubernavit a. 480—470.

Digitized by Google

Sed si quid valent in populo, *persuadendo* valent, argumentis petitis ex opinionibus vulgatis de eo quod fas honestum patriae gloriosum civibus utile partibus populi aequum sit; parti politicae vero *imperant*, hoc uno argumento freti cui ultro quamdiu fides manet obsequuntur socii, consilia sua necessaria esse ad persequenda commoda singularia partis illius; illius partis autem socii sunt omnes, qui quamvis non perspiciant illa consilia, huic imperio se subicere parati sunt. Pars politica, hac ratione orta, certat quidem, sed cum magis pro se quam contra alios certet, certamen ab ea geri potest sine odio vehementi, sine inimicitia contra reliquos cives suscepta. — Verum etiamsi forte adest in ea parte politica odium acerrimum, quod iustas suas querelas nimis diu irritas manere putet, etiamsi eo iracundiae pervenit ut reliquos demagogos a sua parte alienos, a quibus sibi persuaderi non patiatur, etiam omnino non toleret et tamquam suspectos et invisos libenter e civitate eiectura sit, nihilominus in ostracismo nulla ei est utilitas. Nam ad ostracismum adhibendum senis milibus suffragiorum opus est; quae si conficere et explere posset haec pars politica, non amplius talis esset qualem eam esse praesumpsimus; non amplius oppugnaret, sed facile in concilio regeret ingenti multitudine suffragiorum; non amplius *mutationem* efflagitaret in ratione qua gereretur respublica, sed ipsa ita rempublicam gerere posset quemadmodum maxime placeret.

Sed est etiam alterum partis politicae genus. Etiamsi commoda singularia alicuius partis populi aliquatenus diversa sunt a commodis reliquorum civium (quod fere in omnes partes sive ordines magis minusve cadit), tamen ut neglecta iaceant minime necesse est; fieri potest ut satis procurari videantur a consilio publico civitatis, utque opiniones quas de optima temperatione commodorum singularium teneat illa pars populi, non aut non multum differant ab opinionibus vulgatis. Huic parti igitur nulla causa est cur pugnet et *mutationem* flagitet, e contrario *conservare* studet rationem qua hoc tempore administretur respublica. Nihilominus eatenus quoque eiusmodi pars tamquam pars politica se gerere incipit, quatenus partem in civitate adesse cre-

Ei cives soli, qui in partem politicam abierunt quod metuerent ne quid aliquando concederetur parti inimicae, possunt relegare demagogos sibi suspectos, si odium suum communicaverunt cum maiore parte civium.

Digitized by Google

dit cuius commoda suis commodis non solum dissimilia, sed contraria et inimica esse credat, quam partem mutationem rerum persequi suspicetur quo melius ipsius commoda neglecta curentur. Huic parti inimicissima est; nihil ei concedi posse sentit salvis suis commodis; hoc odium, hic metus efficiunt, ut interdum quoque aliter quam reliquus populus ipsa afficiatur casibus et eventis publicis, aliter rogationibus et sententiis dictis, aliter inprimis a demagogis. Haec pars omnibus demagogis fidem se habere et ab eis sibi persuaderi posse negat, quos ad illam partem inimicam inclinare suspicatur; eos vero quos a parte inimica alienos esse videt, etiam se *regere* sibique, huic argumento quod ex odio partis inimicae petitur obsequenti, *imperare* patitur. Itaque hoc addendum est ad ea quae modo scripsi: civis aliquis eatenus etiam partis politicae alicuius socius est, quatenus in suffragio aliquo publico demagogo alicui suffragari recusat, non propterea quod argumenta eius deficiant, neque quod amore patriae religionis honestatis et rerum peritia inferior esse putetur, sed propter voluntatem quam civis ei esse suspicatur bene consulendi commodis singularibus partis alicuius inimicae, quae quocunque modo opprimi et impugnari debere intellegit, ne suis commodis noceatur. Apertum esse videtur, malae cupiditatis et avaritiae potius arguendos esse eos cives qui hac ratione ad partem politicam se conferant, quam qui illa; quis enim pro certo scire potest, nullo modo posse per mutuam benevolentiam conciliari commoda utriusque ordinis? Sed viam pacis si quam forte aperuit natura, odium partium ab initio occludit. Apertum etiam est, conformationem huiusmodi partis politicae semper necessario coniunctam esse cum odio civili acerrimo. Nam haec pars politica non certat, ut ipsa aliquid quo careat assequatur a consilio publico civitatis, sed ut altera ne assequatur quod concupiscat; non desiderio agitatur, sed metu et suspicione; ipsa nulla esset nisi esset altera pars cui invideret. — Ceterum hic quoque valet quod illic: in unoquoque suffragio semper nova optio data est unicuique civi eligendi, utrum malit odio partis ductus repudiare demagogum cui voluntatem esse suspicetur tuendi commodorum partis inimicae, an velit integre de re proposita in-

Digitized by Google

dicare, et de singulis sententiis dispicere quam bene, qua cum fide et auctoritate, defensae sint, quatenus forte directe obstare videantur commodo alicui necessario suo [1]). — Postquam autem

---

1) Viros doctos quibus propositum est historiam antiquam politicam scribere (neque opus esse videtur nomen addere quod in animo est), cum explicare studeant quomodo semper factum sit ut aliqua rogatio a populo aut accepta aut antiquata sit, facile in hunc errorem incidere opinor, ut hoc solum quaerant, quae argumenta a praefectis partium politicarum prolata esse possint, utque putent, nihil aliud valuisse in populo, praeter haec argumenta et consilia ad partes politicas pertinentia (similem errorem ad electiones pertinentem supra tetigi p. 184). Ego autem censeo, primum, hac ratione non multum profici ad veritatem; plerumque enim consilia politica partium, quae ad illum eventum (acceptionem aut reiectionem rogationis) duxerint, si de eis forte nihil ab auctoribus memoriae traditum est, fingenda eis fuerunt, aut rationibus partium, si quae adfuerunt quidem sed apud paucos tantummodo cives valuerunt, nimis ab eis tribuitur. Deinde ea ratio ex errore quodam nata esse videtur, cum permutentur conditiones rerum hodiernae cum rebus antiquis. Hodie enim, cum nihil agant cives qui reipublicae administrandae participes sunt nisi per „repraesentatores" in certum tempus electos et certis consiliis politicis addictos, omnes cives coacti sunt, tum ipsum cum repraesentatori suffragantur, parti alicui politicae se ascribere; repraesentatores vero, cum suffragium ineunt in concilio, rationibus et consiliis partis politicae suae obsequi semper itidem coacti sunt; itaque omnia fere suffragia hodie subiecta sunt consiliis partium. Verum multum abest ut semper, cum populus ipse suffragium ineat de rogationibus, necesse sit ut tantum valeant rationes partium. Apud antiquos nulla illiusmodi causa adest; rationes partium politicarum non semper solae valent in suffragiis populi, quin etiam statuere velim, eas interdum nihil valuisse, raro tam multum ut eventus suffragii eis tribui possit. Primum ipsos demagogos non unice, neque tam saepe quam sunt qui putent, determinari censeo rationibus ad partium discidia pertinentibus. Sed populus, cum proprium consilium politicum omnino non habeat (nam si haberet, se ipse regere posset, quod absurdum est) semper decernit ex affectibus; permulti affectus autem in populum cadunt praeter illos qui ad certationem partium politicarum pertinent; omnino affectus partium in ea tempora tantummodo cadere videntur, quibus gravissima commoda contraria agitantur, et in eos homines tantum ad quos ea commoda directe pertinere videntur. Etiamsi adsunt duae partes politicae inter se contendentes, magna plerumque multitudo superest (quamdiu odium nondum ad ipsam maiorem partem civitatis permanavit), quae integro iudicio, a partium rationibus aliena, de ipsa re proposita iudicat, et eo fere inclinatur trutina politica, quo se vertere placet huic parti civium integrae. Facillimum est, citare longam seriem populiscitorum, ad quae facienda omnino nullo modo valere potuerunt consilia partium; ex. gr. populiscita a. 427, quibus priore die Mytilenaei condemnabantur a maiore parte, altero die vero absolvebantur (Thuc. 3. 36—50), multa alia; haec eventa intellegi nequeunt ab eis qui praeter consilia partium nihil agnoscunt quod in populo valeat. — Denique illa ratione corrumpi et adulterari mihi videtur id quod ipsum proprium est democratiae antiquae, ut etiam consilia partium politicarum inferiorum et numero deficientium possint aliquantum valere et aliquem effectum edere, utque commoda earum partium minorum possint ad procurationem pervenire, modo eatenus repressum sit odium ut non ad ipsam

Digitized by Google

ex metu partis *conservandi* studiosae semel orta sunt odium et suspicio in civitate, haec etiam penetrent necesse est ad partem quae *mutationem* efflagitet. Utraque pars tum illum demagogum quem alteri parti infestae praepositum esse aut noverit aut suspicetur, ad silentium redigere, e concilio summovere, e patria eicere vehementer concupiscit; utraque testas contra eum adhibere quotannis parata est. Sed iam apparuit, hoc nullo modo contingere posse parti *mutationem* flagitanti, ut inimicum releget, cum nullo modo possit 6000 suffragiorum explere; alteri parti vero *conservandi* studiosae id haud magis contingere posse apparet quamdiu etiam suffragiorum numerus dimidio totius civitatis minor sit, et ita tantummodo ab ea ostracismum adhiberi posse sequitur, si odium et partium studium permanaverit ad omnes cives, i. e. ad totius civitatis maiorem partem. Quod ipsum erat demonstrandum.

Athenis autem et in aliis civitatibus Graecis (nam Romam nominatim excipio, cum de ea nunc non agam) magis magisque pervulgata est opinio, commoda optimatium non posse ullo modo publice respici nedum procurari salvis commodis illorum ordinum qui praeter optimates (et unum alterumve fortasse ordinem praeterea) in civitate erant (cfr. Thuc. 3. 82—85). Neque tamen omnibus temporibus, ne per quintum quidem saeculum, *aeque* praevalere videmus hanc opinionem stultam atque funestam, quam quae stultitia et immanitate aequiparet una tantummodo opinio esse dici possit, haec, nihil posse concedi ordinibus popularibus quod non de optimatium commodis detrahatur; quod quis umquam ita probavit, ut antea omnes conditiones naturales, omnia remedia quae excogitari possent, plene a se explorata et usu aestimata esse diceret? — Sed quibus temporibus illa opinio in rebus politicis multum valuerit, quando odium ordinum fuerit acre, partim ostendit

Sic Cimon relegatus est a parte politica quae simul erat maior pars totius civitatis, tamquam demagogus aristocraticus;

---

maiorem partem civium pertineat; illud fieri non potuisse apertum est si semper publica res opprimeretur consiliis partium politicarum oppositis; inter ea enim quin consilia partis maioris superiora semper essent fieri non posset. — Verum eis viris doctis quoque, quibus utile et bonum videatur ut semper apud omnes praevaleant rationes partium, nihilominus minime licet rationes negare quae praeterea in populo valeant, etiamsi eas improbant.

Digitized by Google

historia ostracismi. Aristides et Themistocles, quo tempore gubernacula civitatis ipsi non tenebant, sed gubernatori alicui oppugnabant, a parte politica conservandi studiosa tamen relegati non sunt. Sed flagravit odium eo tempore, quo per seditionem et populiscitum legi contrarium Areopagi potestatem evertit populus. Cimonem, paulo postea a. 459 in urbem redeuntem, operam daturum esse in vulgus emanavit ut restitueretur Areopagus (Plut. Cim. 15); sive quod ipse in concilio ostentaverat hoc consilium ad animos praeparandos, occasionem periclitandi deinde expectaturus et interea paulisper quieturus, sive quod ea consilia cum populo communicaverant eius adversarii, ut animis civium admonendo praeoccupatis negotia ei pararent. Hanc autem rogationem futuram securi expectare poterant cives, siquidem credebant Cimoni patriae amore et rerum peritia neminem praestare, voluntatem vero patriae bene consulendi maximam in eo inesse. Ita enim futurum erat, si quando eius rogationem acciperet maior pars quoniam eius auctoritati confideret neque suis (i. e. maioris partis) opinionibus de bona commodorum temperatione et de reliquis principiis repugnare videret eius rogationem, ut etiam ei qui rogationem frustra reicerent non voluntati tyranni neque parvi ordinis, sed ipsius maioris partis liberae voluntati se subicere deberent, quod ab eis postulare in democratia sane iniquum non erat; sin vero rogationem reiceret maior pars civium, quoniam ex commodis suis periclitantibus affectum acerbum suscepissent qui superaret in eorum animis auctoritatem Cimonis, futurum erat ut utique irrita esset rogatio. Verum vicit odium partium. Cives statuerunt, etiamsi rogatio acciperetur a maiore parte, nihilominus eam perniciosam non esse non posse suis commodis, ob eam solam causam quod gratam eam esse appareret optimatibus. Ea cogitatio autem, aliquid latum iri a Cimone, viro ceteroquin maxima apud populum auctoritate, quod gratum esset optimatibus, in talem iram eos adduxit contra Cimonem, ut e civitate eum eicerent; scilicet, cum malignitatem et insidias aperte Cimoni, viro inter paucos optime merito, nemo posset imputare, avide arrepto quod adversarii praebebant crimine secundario, incestu olim rumoribus agitato et hospitiis Spartanis.

Consilia Thucydidis futura et sententias quas postea dicturus

Digitized by Google

erat, quaenam fuerint, neque nobis traditum est neque opinor cognitum fuit populo Atheniensi cum eum relegaret. Iam per longum temporis spatium reclamare non desierat factio quam iam pridem ex optimatibus constituerat Thucydides, quoties de aedificiis publice struendis agebatur in concilio. Sic, postquam primum ut videtur Odeum aedificatum erat [1]), postquam eodem fere tempore Pericles, ostracismo lacessitus, non expleverat numerum testarum legitimum (Vol. Sup. p. 422 n. 1), postquam deinde thesaurus Athenas delatus erat a. 454 [2]) eiusque administrationem occupaverant Athenienses, factio et pars Thucydidis vehementer restitit decretis quibus condita sunt Propylaea, Parthenon, alia aedificia, partim ita ut eam pecuniae publicae effusionem perniciosam esse dicerent (Plut. Per. 14), partim ita ut non licere contenderent ad ea opera consumere partem pecuniae a sociis apud se depositae (Plut. Per. 12, cfr. Diod. 12. 40, Thuc. 2. 13. 3 cum Thuc. 2. 70. 2); cuius rei argumentum petere solebant ex sensu aequitatis civium et ex existimationis patriae cura, sed frustra. Itaque fortasse conicere licet, Thucydidem operam daturam fuisse ut tributorum parte exoneraret socios, quae opera dubio sane futura erat eventu; de reliquis eius consiliis nihil suspicari licet. — Verum quidquid rogaturus erat, liberum manebat civibus de singulis eius sententiis iudicare, sive hoc facere volebant iudicio integro, examinatis argumentis quae allaturi essent Pericles et Thucydides, ipsorumque virorum cum sententiis tum auctoritate inter se comparatis, sive malebant aut suorum commodorum curae, aut etiam suspicioni et odio tantum tribuere ut reicerent quidquid gratum videretur optimatibus. Sed ne hanc optionem quidem populo relinqui passum est odium; etiam si futurum erat ut integre iudicantibus aliquando placeret aliqua rogatio Thucydidis, hoc ferri non posse credebant; ipsa Thucydidis praesentia, cum optima-

itidem Thucydides relegatus est, quod in eo voluntatem esse suspicabantur cives, sibi persuadendi de aliqua re etiamtum ignota quae optimatibus grata esset.

1) Odeum ante a. 456 absolutum esse videtur, cfr. Schol. Arist. Nub. 971, cum Plut. Per. 13, Wachsmuth die stadt Athen p. 554. Odeum *fortasse* aedificatum est ex decreto sociorum et partim de pecunia a sociis ex thesauro Delio concessa.

2) cfr. Köhler Untersuch. u. Urkunden 1869 p. 102 sqq.

Digitized by Google

tibus aliquid praebere videretur quod sperare possent, ob eam causam optimatium inimicis praebebat quod metuerent; et relegatus est Thucydides tamquam demagogus aristocraticus. — Quod cum semel factum esset, expectari non poterat fore ut alius, ei succedens, eidem cladi temere se offerret. Si ostracismus non fuisset, certe surgere etiam potuisset aliquis partis politicae optimatium patronus, qui, cum assensus et suffragia optimatium certa sibi essent, ex his castris amicis prodiens temptaret animos reliquorum civium, et, etiamsi operam frequentissime perditurus esset, et inprimis cum de rebus plebi necessariis ageretur repulsam certam laturus esset, nihilominus interdum aliquid fortasse proficeret, si magna auctoritate instructus ea imprimis roganda et tuenda arriperet quae etiam toti patriae utilia et decora esse viderentur, neque ab integro iudicio facile reici possent, sicuti Themistocles fecerat a. 493. Sed occlusa haec via nunc erat hominibus excellentibus, et qui eam ingrederetur se ipse in certam perniciem proiecturus erat, cum semel voluntatem tuendi id quod optimatibus gratum esset, si eam voluntatem in aliquo esse effecisset populus ex amicitia et favore quo eum amplecterentur optimates, iram populi impotentem excitare et relegationem certam elicere apparuisset. Itaque nemo, ut videtur, temptavit quod desperandum esset. Ne Antiphon quidem umquam ad demagogiam se conferre ausus est; eum revera id ipsum, quod a deliberatione publica abstineret, solum servavit a relegatione [1]). Quieverunt optimates, silentio indulgentes odio et irae', cum a scena legitima deliberationum publicarum testis pulsi essent; tandem seditione facta everterunt imperium populare, et vi et sanguine aliquamdiu miscuerunt rempublicam.

Itaque in odio civili is demagogus relegationi maxime obnoxius est, quem

Itaque cum in odio et discordia civilibus testas semper paratas habeat populus contra eum quem ex parte minore inimica ad demagogiam se collaturum esse videat, fieri non posse videtur, quin magis tuti interea ab ostracismo sint reliqui demagogi, qui in populo dominentur quod eiusmodi suspicionem diligenter caverint. Nam etiamsi

1) Plut. Nic. 6, Thuc. 8. 68. 1.

Digitized by Google

propensum esse suspicetur maior pars ad id tuendum quod gratum sit minori parti infestae; et eo minus tum relegationi obnoxius est demagogus maiori parti fidus, gubernans.

forte aliquid in statu reipublicae displicere coepit maiori parti, quod per se libenter testis persecutura et reprehensura esset, facilius hanc molestiam toleratura est maior pars, si obstat metus ne pars minor infesta utilitatem aliquam capiat ex relegatione gubernatoris. Maior pars enim, si partis politicae vice fungens odio persequitur demagogum oppugnantem propter curam eius commodorum suorum partis, quam a parte minore sollicitari censeat, simul etiam propter hanc curam impenso favore persecutura est demagogum sibi praepositum, et ab eo sibi imperari passura est; et is favor facile vincere poterit molestiam aliquam leviorem, si quam fortasse acceperit ex reliquis suis commodis si minus bene curentur, aut ex religione aut honestate si laedantur, aut ex patriae statu si parum floreat. In odio civili, quamquam fieri posse negari non potest ut relegetur demagogus gubernans propter effectum minus gratum quem edidisse videantur eius consilia consummata (cfr. Vol. Sup. p. 355, et supr. p. 163), tamen rarius et difficilius hoc futurum esse agnoscendum est quam si nullum esset odium inter cives.

Inde simul apparet quam ingens fructus sit quem ex odio civili capere possit demagogus gubernans maiori parti fidus. Non solum enim hoc argumentum quod ex odio partis petitur semper praesto habet ad sua consilia commendanda et perferenda; sed etiam minus metuere ei opus est ne effectus illorum consiliorum graviter feratur a populo. Itaque vix ab eo expectari poterit ut populum adhortetur ad animos sedandos, ad adversariis aeque aurem praebendam, ad deponendum metum ignavum; e contrario multa sunt, quae eum adducere debeant ad instigandas iras, ad odium nutriendum; cum praesertim etiam incendenda suspicione facillime se liberare possit a competitore molesto aut metuendo. Itaque non facile deerit populo contra minorem partem irato vox instigatoris quae ad ostracismum excitet.

Usus ostracismi, qui pendet ex odio partium,

Denique animadvertendum esse videtur, hunc usum ostracismi qui ex odio partium pendeat, natura sua contrarium et oppositum esse democratiae; siquidem hoc est proprium democratiae antiquae ut superior semper sit

Digitized by Google

natura sua oppositus est rationi democratiae.

voluntas maioris partis civium cum de singulis rebus ad rempublicam pertinentibus decernendum sit. Nullam aliam ob causam enim testae contra oppugnatores adhiberi dici possunt, quam ut ne ratum fieri possit quod aliquando placiturum sit populo. Nam metus quem excitant futura consilia demagogi suspecti, revera est metus quo singuli cives omnes agitantur, ne forte aliquando *se subicere debeant voluntati maioris partis*, cum de re aliqua nunc etiam ignota in futuro tempore decernendum sit, de qua metuant ne male decernat maior pars. Unusquisque, qui testam defert, id ipsum committit quod saepe aristocraticis viris imputatur, quam ipsam ob causam hi *οἱ ὀλίγοι* aliquando dici coepti sunt (Plut. Per. c. 11), scilicet quod consilia *paucorum* imponere et obtrudere velint maiori parti; is civis enim certa consilia, quae sibi hoc tempore forte probanda videntur, quae ne ipsius quidem propria sunt, ne cognita quidem sibi sunt, sed quae accepit a demagogo aliquo hoc tempore populari et cuius voluntati ipse fidem habeat, ita in civitate stabilire et confirmare studet, ut non possit ab eis consiliis avocari populus neque ab eis declinare etiamsi velit. At ea ipsa non solum contra oligarchos est vulgata criminatio; nihil aliud quoque est quod tyrannos infestos reddat libertati, qui non a populo sed a se ipsis civitatem regi volunt. Itaque testa hac ratione usurpata revera est telum sumptum contra libertatem et democratiam; qui testam defert, pro parte sua virili et pro facultate sua tyranni vice fungitur, libertatem et potentiam populi tollit. Neque miramur, cives Athenienses ita usurpavisse testas; hoc enim humanum est, suam sententiam, aut sententiam hominis alicuius cui fidem habeas, in republica administranda etiam in posterum tempus aliis obtrudere velle, et revera cum semel institutus esset ostracismus, cum deinde oreretur odium civile, fieri non potuisse concedimus quin per testas voluntatem suam populo imponere conarentur partes politicae. Sed eo magis agnoscendum est, hunc ostracismum detestari oportere omnes, qui democratiam oligarchiae praeferant, quod, nisi fallor, cum multi alii tum Grote Lugebil Duncker se facere haud dubie ostentare solent. Verum si quis ita hunc ostracismi usum defendit, ut dicat plus quam libertatem valere debere sapientiam politicam, et utilius esse ut vin-

Digitized by Google

cant certae rationes politicae quam ut vincat sententia maioris partis inconstans semper et fluctuans, duas res etiam proferre velim. Primum, sapientiam politicam nullam per se esse in civitate absolutam et perfectam, sed adesse sapientiam huius demagogi et illius et tertii; itaque qui statuat sapientiam politicam plus valere debere quam libertatem, eum praeferre imperio populi imperium unius hominis aut paucorum, quod ipsum est principium tyrannidis aut oligarchiae, a democratia quam maxime alienum. Nostrum non est, neque nunc, si umquam, suscipere velimus, argumentis defendere rationem democratiae contra rationem tyrannidis; utraque suos habeat fautores, sicut semper habuit, et de ea re unicuique liberum maneat sentire quod velit: hoc tamen iure nostro postulamus, ne permisceantur duae rationes neve democratiae nomine defendatur et commendetur, quod naturae democratiae inimicum sit; atqui id aperte admittere mihi videntur Lugebil Duncker quicumque praeterea hunc ostracismi usum tueri solent. Nam si quis democratiam antiquam se approbare dicit, hoc utile sibi videri praedicat, civitatis formam et leges ita esse instructas et formatas, ut de rebus gravioribus, quae in republica gerenda semper compareant, ab integro semper secundum animi sui sententiam libere decernat et ex variis consiliis semper de novo liberam optionem faciat maior pars; at si quis hanc rationem, quae est ratio democratiae antiquae, semel probavit, ei etiam accipiendi sunt effectus consequentes et necessarii huius rationis, inter quos hic sane princeps est: consilia certa politica non posse teneri a civitate, sed semper aliquatenus fluctuare consilium publicum civitatis. Haec fluctuatio parumne tibi placet? Civitatem fortem, vicinis formidabilem, bellicosam, maris et terrae dominatricem, esse non posse censes sine certis consiliis politicis? Fortasse vere dicis; fortasse ideo Roma perficere potuit quod non potuerunt Athenae, quia democratia Romae non fuit; et si cui haec ratio sufficere videtur cur democratiam antiquam condemnet, ego non interpello; quamquam facile aliquis obicere potuerit, non id maxime appetendum esse in rebus politicis, quod vires civitatis quam maxime augeat, sed id quod quam maxime augeat et conservet felicitatem singulorum civium. Sed utile fuerit Athenis, aliquid a Clisthene in democratiam introduc-

Digitized by Google

tum esse, quod adhiberi posset ad tollendum fundamentum democratiae; quamquam amplius hoc etiam considerandum erit, num revera bonos fructus ex ea re ceperint Athenae — nam brevis omnino Athenarum fuit gloria —; num alia et melior nulla fuerit ratio qua stabiliri potuisset infirmitas democratiae, veluti potentia Areopagi si sublata non esset, vel aliud aliquid; num haec fuerit optima ratio ad constringendam exuperantem libertatem popularem, ut populus ipse cum ira et odio commotus esset invitaretur ad impediendum ne ipse nimis facile ira excussa ad nova consilia declinaret neve sedatus desereret auctorem consiliorum praesentem cuius fide iratus se obligasset (de quibus omnibus ego vehementer dubito); verum hoc utique tenendum est, illum usum ostracismi, si defendi possit, eatenus defendi debere quatenus democratiae oppositum fuerit, non vero tamquam democratiae congruentem [1]). — Deinde, quod ad ipsas res Athenienses magis pertinet, hoc addendum videtur: id ipsum hoc usu ostracismi sublatum esse ex democratia Atheniensi qualis esset post a. 460, quod optimum in ea civitatis forma fuisse facile alicui videri possit, scilicet quod possent etiam minores partes aliquantum valere in consilio publico civitatis constituendo, cum certa consilia politica (quippe quae numquam a populo teneri possent), etiam quae ad utilitatem maioris partis inventa esse viderentur, non tam multum valere possent, ut ab eis in perpetuum opprimerentur minores partes. Haec res, qua inter omnes civitatium formas antiquas longe excellit democratia, tam magna est, ut hoc bonum ample com-

1) Quod scripsit Holm (Gr. Gesch. 1. p. 507): „allerdings war der Ostrakismos die Erfindung eines Mannes, dessen demokratische Gesinnung wohl nicht ernst genommen werden kann", eatenus verum est, quatenus refertur ad ostracismi usum recentiorem, in discordia civili adhibiti. Verum neque ad Clisthenis consilium hoc pertinet, de quo meliora discere potuerat v. d. e Diodoro, neque ad usum antiquiorem ostracismi contra gubernatores adhibiti, de qua re tam temere hodie sperni posse Aristotelis auctoritatem, vix credas. Ceterum quod antea scripsit idem v. d.: „wenn man die Bestrebungen eines politischen Gegners nur durch seine Verbannung glaubt überwinden zu können, so hat man nur die Gewalt im Auge", id fortasse paulo cupidius dictum est; inprimis quoque idem error subesse videtur, quo omnes de ostracismo laborant sententiae recentiores, nempe quod relegationes decretae esse putantur ex rogatione alterius demagogi, ex eventu deliberationum, ex consilio publico civitatis, neque perspectum est testes adhibitas esse sine certo auctore publico, sine ullo consilio, a populo irae libere indulgente.

Digitized by Google

pensare videatur aliquot infirmitates, democratiae antiquae innatas, ex consilii civitatis necessaria fluctuatione ortas; ea sublata est cum via inventa esset, qua posset populus odio commotus non solum potentiam sed etiam *vocem* minoribus partibus adimere, et quin ipsa etiam alteram partem audiret se prohibere, ne forte faceret quod est ipsum aequitatis principium, suum cuique tribuere.

Causas primarias relegationum, quas politicas fuisse et a causis secundariis distinguendas esse statuimus, describere conati sumus. Videndum superest quatenus hanc distinctionem fecerint auctores nostri, et praeter causas secundarias fortuitas etiam agnoverint causas primarias generales. — Fuerunt autem qui pervenirent quidem ad causam generalem constituendam, sed qui, cum ad eum testarum usum solum respicerent qui ex odio partium pendet, quo relegati interdum sunt demagogi oppugnantes, qui post a. 460 Athenis ortus est et in aliis civitatibus omnino praevaluisse et frequentior fuisse videtur, unam solam causam politicam fuisse statuerent, hanc: iram populi susceptam ex voluntate demagogis oppugnantibus attributa, tuendi commoda optimatium et proculcandi commoda plebis. Hanc opinionem invenimus apud Suidam et Photium[1]); hi igitur in eundem fere errorem inciderunt, in quem postea Lugebil et alii, scilicet ut rationem nullam haberent alterius generis ostracismi. — Ab hoc errore cavit Plutarchus; is ad alterum usum ostracismi, quo contra gubernatores adhibitus est, crebro animum advertit, neque omnino tetigit illam causam politicam, voluntatem ex odio partium suspectam, quia illis relegationibus eam minime aptam esse intellexit. Sed cum quaereret quid tandem permovere potuerit populum ad relegandos tot viros excellentes, cum non perspiceret veram causam politicam fuisse iram a populo susceptam ex aliqua molestia qua displiceret praesens status civitatis, aliam causam

Causas politicas generales non satis agnoverunt auctores antiqui. Photius tamquam unicam causam protulit eam quae valet in odio partium.

Plutarchus causam generalem fuisse statuit invidiam populi contra potentiores.

1) Phot. s. v. ὀστρακ. p. 353: οἱ κακονούστατοι τῷ δήμῳ ἐξωστρακίζοντο καὶ κατεδικάζοντο. — Idem tradit Suidas s. eod. v.

Digitized by Google

generalem excogitavit: relegationes hominum illustrium, innocentium, gubernantium, nulli rei imputari posse putavit praeterquam *invidiae*; invidiam autem populi contra potentes, pauperum contra divites, humiliorum contra viros fama celebratos semper paratam fuisse et praevaluisse videri [1]). Verum quamquam haud mirum videtur Plutarchum in hanc opinionem incidisse, cum revera nihil aliud supersit si quis neglexerit veram causam politicam, tamen ita iam facile refutatur, si provocamus ad viros excellentes qui relegati numquam sunt, ut Periclem; apparet enim invidiam populi non fuisse impedimentum necessarium et constans cur in civitate salvi non essent demagogi nobiles omnes. — Deinde Diodorus causam generalem nullam quaesivit quae ad testas contra demagogos nonnullos adhibendas adduxerit populum. Is ceteroquin optime exposuit ostracismi rationem, verissime descripsit consilium quo ostracismum a Clisthene inventum in civitatem suam introduxerint Athenienses, scilicet ut relegari possent demagogi illustres, quippe qui essent in tyrannidis suspicione omnes, utque animos suos superbos demittere et populi voluntatibus subicere discerent demagogi nobiles [2]). Idem simul sedulo cavit a gravi errore, quem si qui postea admiserunt recentiores, et si qui forte ad Diodori auctoritatem provocaverunt ut opinionem suam falsam probarent, etiam hac re erraverunt, quod verba Diodori perperam interpretati sunt. Diodorus enim nusquam affirmavit, Athenienses, cum testas adhiberent contra hunc aut illum demagogum, ideo id fecisse, quod suspicarentur ab eo demagogo tyrannidem affectari, nusquam affirmavit metum tyrannidis fuisse causam generalem quae ad relegationes singulas semper decernendas cives adduxerit; de relegatione Themistoclis agens (11. 59. 5), ne nominat quidem tyrannidem; crebro quidem,

Diodorus pro causis politicis quas omisit describit consilium quod persecutus est Clisthenes.

1) Plut. Them. 22: *κόλασις γὰρ οὐκ ἦν ὁ ἐξοστρακισμός, ἀλλὰ παραμυθία φθόνου καὶ κουφισμὸς ἡδομένου τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ τὴν δυσμένειαν εἰς ταύτην τὴν ἀτιμίαν ἀποκνέοντος.* Idem Arist. 7; Alcib. 13; cfr. Nic. 11 et 6.

2) Diod. 19. 1. 1: *τῶν πόλεων ὕνιαι τοὺς ἰσχύοντας μάλιστα τῶν πολιτευομένων ὑποπτεύουσαι καθαιροῦσιν αὐτῶν τὰς ἐπιφανείας. — Ἀθηναῖοι μὲν διὰ ταύτας τὰς αἰτίας τοὺς πρωτεύοντας τῶν πολιτῶν ἐφυγάδευσαν — ὕπως τοῖς δυναμένοις παρανομεῖν ἐξουσία μὴ γένηται κατὰ τῆς πατρίδος ἐξαμαρτεῖν.*

Digitized by Google

quod longe aliud est, affirmavit, Athenienses cum testas adhiberent, eas adhibuisse contra eos qui maxime semper in suspicione tyrannidis essent, i. e. contra demagogos gubernantes [1]), quorum superbiam frangi utile esset [2]); sed *cur* populus eiecerit quos eiecerit, cur alios minus eiecerit, in universum non addit. — Neque revera, quod aliquando affirmare solebant viri docti qui de ostracismo scribebant ante v. d. Lugebil, ullo modo teneri potest, demagogos relegatos esse quod regnum affectare crederentur. Nemo dubitabit assentiri viro d. Holm, cum scribat „bei Aristides hat Niemand an Tyrannis gedacht" [3]); revera Aristides relegatus est quod populo displiceret status quo adduxisse videretur rempublicam; et idem valet de omnibus gubernatoribus qui relegati sunt. — Verum fortasse ita aliquis arguere conari possit, Atheniensibus usitatam et frequentem hanc fuisse criminationem contra viros fastidiosos et morum plebeiorum contemptores prolatam, eos „affectare tyrannidem", qua minime voluerint affirmare hos viros revera insidias moliri contra libertatem, sed tantummodo reprehenderint petulantiam et fastidium [4]); itaque nobis licere accipere tamquam causam generalem relegationum: „tyrannidem affectatam", i. e. animum superbum et incivilem, quo nihil molestius ferre soliti sint Athenienses in viris politicis [5]), et sta-

Revera cives numquam adhibuerunt ostracismum quod suspicarentur tyrannidem affectari a demagogo.

---

1) Diod. 11. 55. 2: ἕκαστος ἔγραφε τοὔνομα τοῦ δοκοῦντος μάλιστα δύνασθαι καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν. — 11. 87. 1: ἔδει γράφειν τοὔνομα τοῦ δοκοῦντος μάλιστα δύνασθαι τυραννεῖν τῶν πολιτῶν. — 19. 1. 3: ὅπως τοῖς δυναμένοις παρανομεῖν ἐξουσία μὴ γένηται κατὰ τῆς πατρίδος ἐξαμαρτεῖν.

2) Diod. 11. 55. 3: νομοθετῆσαι ταῦτα δοκοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι, ἵνα τὰ φρονήματα τῶν ὑπερεχόντων ταπεινότερα γένηται διὰ τὴν φυγήν. — 11. 87. 2: τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ διελάμβανον ταπεινώσειν τὰ φρονήματα τῶν πλείστων ἰσχυόντων ἐν ταῖς πατρίσιν —, δυνάμεως καὶ αὐξήσεως τῶν ἀνδρῶν ἐποίουν ταπείνωσιν. — Cfr. Bekker Anecd. 1. p. 285. 23: ἐνομίσθη δὲ τοῦτο ἐπὶ τῷ τοὺς ὑπερέχοντας τοῖς φρονήμασι κωλύειν (leg. κολούειν).

3) Holm Gesch. Gr. 1886 Calvary, 1. p. 507.

4) Cfr. Aristoph. Vesp. 486—511; vs. 493 sqq.:

ἦν μὲν ὀνῆταί τις ὀρφώς, μεμβράδας δὲ μὴ 'θέλῃ,
εὐθέως εἴρηχ' ὁ πωλῶν πλησίον τὰς μεμβράδας·
οὗτος ὀψωνεῖν ἔοιχ' ἄνθρωπος ἐπὶ τυραννίδι, κ. τ. λ.

cfr. Aristoph. Lysistr. 610 sqq.

5) cfr. Plut. Nic. 2: τοῖς γὰρ πολλοῖς τιμὴ μεγίστη παρὰ τῶν μειζόνων τὸ μὴ καταφρονεῖσθαι.

Digitized by Google

tuere demagogos relegatos esse quod superbia offenderint. Sed revera haec coniectura minime sufficit, neque teneri potest. Primum, multi relegati sunt, quos superbia ulla offendisse omnino traditum non sit; superbiae criminatio non longius pertinet quam ad Themistoclem (supr. p. 168) et Damonem (p. 167) et Niciam qui relegatus non est (p. 170); deinde vero ne in his quidem viris revera ita superbiam reprehensam esse a populo ut eos „tyrannidis cupidos" diceret, a quoquam traditum est. Itaque nulla ratio est, cur „tyrannidis appetitionem" cum ostracismo coniunctam esse suspicemur ex lusu quodam verborum et vocabulorum usu minus proprio. Utique distinctio ea observanda est, quam supra fecimus, cum, de consilio quo ostracismum instituerit Clisthenes agentes (§ 1—3), statueremus hoc ei consilium fuisse, ut everti possent ei qui essent „in suspicione tyrannidis", nempe demagogi praepotentes, utque deprimi possent eorum fastus et confidentia, sicut Diodorus tradit; cum causa vero cur relegationes singulas decreverit populus, illud consilium minime cohaerere. — Denique de ostracismi ratione optime egit Aristoteles. Is nequaquam quaesivit quo consilio ostracismum instituerit Clisthenes. Neque magis indagare sibi proposuit quo consilio ostracismum semper adhibuerint cives; neque de ira populi, neque de causis irae secundariis, neque de causis generalibus vel politicis verbum fecit. Nihilominus exponere studuit *consilium ostracismi*. Nobis autem hodie inusitatum est, quaerere de consilio alicuius rei ipsius, cum consilium rei nullum agnoscamus nisi referatur aut ad eum qui rem invenit et instituit, aut ad eum qui usurpat; consilium rei nullum agnoscimus separatum a consilio inventoris aut usurpatoris. Attamen obscurum non est quid voluerit Aristoteles, cum quaereret de *consilio* rei *interno*, *innato*, *absoluto;* nihil aliud enim significat haec vox, quam *effectum* rei *rationalem*, naturae rei et notioni congruentem. Sic consilium pluviae dici possit hoc ut irriget; consilium clypei ut obtegat. Hunc effectum rationalem (quem a consilio Clisthenis, si sanum fuit, non longe differre posse manifestum est) ita persecutus est Aristoteles, ut rationem vix ullam haberet

Aristoteles quoque omisit causas politicas; sed comparavit notionem ostracismi cum notione democratiae, et quaesivit quatenus haec inter se convenirent, et ostendit per ostracismum tolli ex democratia id quod rationi democratiae contrarium esset.

Digitized by Google

discordiae civilis (*στάσεως*), quam esse putaret democratiae condicionem non naturalem neque rationalem, sed extraordinariam et quasi morbidam (cfr. Vol. sup. p. 146 et p. 147 n. 1); hanc condicionem, in qua etiam effectus ostracismi rationalis corrumperetur necesse esset, sub finem una voce tantummodo tetigit et perstrinxit: *ὅπερ οὐκ ἐγίγνετο περὶ τὰς πόλεις· οὐ γὰρ ἔβλεπον πρὸς τὸ τῆς πολιτείας τῆς οἰκείας συμφέρον, ἀλλὰ στασιαστικῶς ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς* (p. 1284 b 20). Sed ceteroquin eius civitatis condicionis tantum rationem habet, quae est democratiae propria, in qua odium civile nullum est; quaerit quem effectum ibi habiturus sit ostracismus si introducatur, exponit quatenus iustus hic effectus sit, et quatenus conveniat rationi (sive consilio) ipsius democratiae, et quatenus inde democratiae utilis et salubris esse dici possit. Effectum rationalem autem ostracismi hunc esse statuit in democratia pacata: ut ei viri e civitate tollantur, qui adeo excellant aliquo potentiae aut auctoritatis instrumento, ut modum democratiae supergressi, rationi democratiae obstare, naturae democratiae ferendi non esse, in democratia tolerari non posse, dici debeant (*αἱ δημοκρατίαι γὰρ δὴ δοκοῦσι διώκειν τὴν ἰσότητα μάλιστα πάντων, ὥστε τοὺς δοκοῦντας ὑπερέχειν δυνάμει διὰ πλοῦτον ἢ πολυφιλίαν ἤ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἰσχὺν ὠστράκιζον — ὁ γὰρ ὀστρακισμὸς τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν τρόπον τινὰ τῷ κολούειν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ φυγαδεύειν — διὸ κατὰ τὰς ὁμολογουμένας ὑπεροχὰς ἔχει τι δίκαιον πολιτικὸν ὁ λόγος ὁ περὶ τὸν ὀστρακισμόν*) [1]. Hinc optimo iure a democratiis in se introduci et accipi statuit ostracismum; scilicet ut ipsae tollant et ex se eiciant semen mortiferum in sinu sparsum; et eodem quidem iure quo in omnibus aliis civitatis formis (etiam in civitate optime temperata) opprimantur exuperantes potestates, eodem denique iure quo in nulla re id ferri et servari possit quod, modum eius rei migrans, ipsam

---

1) Huius sententiae vestigia non pauca praebet Plutarchus; Arist. 1: τῷ ὀστρακισμῷ [illegible] τοὺς πολλοὺς νομιζόμενος [illegible]. Ibid. 7: [illegible] καὶ δυνάμεως βαρυτέρας [illegible] καὶ [illegible]. Idem Them. 22: κολούοντες τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν ὑπεροχήν, [illegible] τῇ δυνάμει [illegible] καὶ τοὺς [illegible] — Cfr. Aristid. Rhet. 46. p. 385: [illegible] τοὺς ὑπερέχοντας [illegible] — cfr. p. 216 n. 2.

rem corrumpat; veluti cantor quamvis pulcre cantet, tum a chori magistro excluditur, cum tam magna voce cantet, ut eo admisso chorus non amplius chorus esse possit, sed monoedia fiat; veluti pictor in animalis imagine non tolerat pedem, quamvis egregie pictum, tam magnum ut imago non amplius sit animalis [1]). Itaque ostracismum improbari non posse censet Aristoteles; quamquam melius eam civitatem sibi consuluisse arbitratur, quae aliam rationem invenisset qua ab initio prohiberetur ne ad tantam potentiam et auctoritatem eveherentur viri politici [2]). — His omnibus de consilio quo ostracismus adhibitus sit nihil declarari, apertum videtur; effectus rationalis solus definitur, et democratiae rationi ita convenire dicitur, ut tendat ad conservandam democratiam. Sed etiam manifestum videtur, nihil ab Aristotele declarari de effectu vario, quem in variis condicionibus civitatis fortuito ortis edere potuerit et ediderit ostracismus. Aristoteles enim, cum loquitur de ostracismo et de democratia, de choro et de tabula picta, agit de notionibus harum rerum, de rebus quales secundum suam definitionem esse debeant. Quod si non ita esset, manifeste falsa scriberet, et iam ipse se refutaret illis vocibus: ὅπερ οὐκ ἐγίγνετο περὶ τὰς πόλεις. Notum est, virum d. Oncken prorsus profligavisse et diluisse sibi videri sententiam Aristotelis, cum ita argueret: „Pericles fuit vir in democratia praepotens; atqui Pericles relegatus non est; itaque verum non est, effectum ostracismi hunc fuisse in democratia, ut relegarentur viri praepotentes" [3]). Sed parum intellexisse videtur sententiam Aristotelis. Fieri enim potuit, ut civitas Atheniensis eo tempore cum in ea dominaretur Pericles, parum responderet notioni democratiae [4]); atqui Aristoteles quaesivit quatenus ad id quod proprium esset democratiae, si non obvolutum neque corruptum esset studiis civium alienigenis et fortuitis, veluti amore et gratia benefactoris, aut odio partium, aut metu, aut spe, sed si purum et integrum adesset, accommodatus esset ostracis-

1) Aristot. Polit. 3. 13, p. 1284 a 17 — b 32.

2) Ibid. p. 1284 b 17—20; cfr. Polit. 5. 2. p. 1302 b 15—21.

3) Oncken, Athen u. Hellas, Leipzig 1865, 2. p. 49—63.

4) Cfr. Thuc. 2. 65. 9: ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.

Digitized by Google

mus, et quid in ea democratia, quae quam maxime et verissime democratia esset, effecturus esset ostracismus. Sic quod de pictore et de chori magistro scripsit Aristoteles, non refutabitur etiamsi argumentis probaverit Oncken, aliquando fuisse tabulam pictam in qua membrum aliquod animalis esset ἀσύμμετρον, vel aliquando chori magistrum fuisse qui non e choro suo excluserit malum cantorem; Aristoteles de eis tabulis pictis, de eis choris tantum cogitavit, quae quam maxime convenirent notionibus illarum rerum. Sed concedo, totam hanc quaestionem de effectu alicuius rei rationali, secundum ipsam notionem, separatam ab effectu vero quem habeat res secundum condiciones fortuitas in quibus agat, haud magnam utilitatem habere nobis videri. Quid enim? Quod ex ipsius notionis pura contemplatione videtur esse derivatum, revera cognitum est ex cognitione variorum effectuum, quos rem habuisse docuerit experientia, quorum eum qui frequentissimus et constantissimus esse videatur, accipimus tamquam effectum rationalem. — Quod autem in sententia Aristotelis dignissimum inest quod attendatur, hoc est, ostracismum adhiberi potuisse neque raro adhibitum esse contra eos qui civitatem gubernarent; hoc nisi cognitum fuisset Aristoteli, nihil tale de effectu rationali ostracismi scribere potuisset; neque hoc refutatum est exemplo Periclis qui relegatus non sit; et iure reprehenderis incredibilem levitatem qua hoc testimonium historicum auctoris praeclari spreverunt Lugebil (l.l. p. 122—129) Oncken [1]) alii. — Quod praeterea contra Aristotelem attulit Oncken [2]), eum nomine ostracismi comprehendere varias relegationes vel condemnationes quae non per testas decretae sint, id prorsus falsum est, neque refutari potest quia omni ratione caret. — Solum argumentum vero, quod a viris d. Lugebil et Oncken (ll. ll.) contra Aristotelem allatum est, quod ad rem pertineat, huiusmodi est, eos viros a consilio publico civitatis non posse relegari, qui ipsi regant consilium publicum civitatis, itaque ostra-

Inde apparet, Aristotelem cognovisse, haud raro testis relegatos esse viros praepotentes; quod refutare non potuit Oncken.

1) Oncken die Staatslehre des Aristoteles, Leipzig 1875, p. 458: „Wenigstens wissen wir von Aristoteles, dass er — gerade wie Philochorus den ursprünglichen Sinn und Zweck des Scherbengerichtes gänzlich missverstanden hat." —

2) Ath. u. H. 2 p. 53; Staatsl. 2 p. 459.

Digitized by Google

cismum non potuisse adhiberi nisi contra demagogos potentia inferiores et parti politicae debiliori praepositos. Hic error, quem supra refutavimus (Vol. Sup. p. 413 sqq.), excusari potest, cum non perspexerint viri docti, ostracismum non regi consilio civitatis publico, cum ab eo exclusae essent deliberationes et auctoritates, sed populi cupiditatibus, hoc igitur facile fieri potuisse ut populus consilio carens eum ipsum relegaret iratus, cuius auctoritati et consiliis ceteroquin in concilio obsequi soleret. Certe neminem fugiet, hoc argumentum nostrum mirifice confirmari testimonio Aristotelis, quod solum iam sufficiat ad probandam sententiam nostram. — Denique Oncken, postquam semel relicta Aristotelis auctoritate fluctuabat sententia, primum ad sententiam viri d. Lugebil se vertit; ostracismum numquam usurpatum esse statuit nisi a partibus politicis contendentibus [1]), et hunc fructum ex eo percipi putat, ut alterius partis duce relegato pax et concordia restituatur [2]), quod quam contrarium sit sanae rationi supra ostendi (Vol. Sup. p. 157—161). Deinde vero [3]) Oncken delapsus est ad probandam sententiam viri d. Müller-Strübing: „der Zweck, ait, des Scherbengerichtes war, einem bewaffneten Wahlkampf um die höchsten Aemter des Staates vor zu beugen", quae sententia quantum valeat etiam satis a nobis expositum est (Vol. Sup. p. 344. n. 1); certe maxime ita necessarium fuisse dixeris tertium aliquod praeiudicium antecedens, ut per nova suffragia praecedentia populi vis excluderetur ab ostracismo (um einem bewaffneten Ostrakismuskampf vor zu beugen), deinde quartum et deinceps; sed monuisse sufficiat, primum, suffragia populi, si non possent a legibus et magistratibus defendi contra vim, minime certe contra vim defendi posse per nova suffragia antecedentia; deinde, vim (in democratia) nihil valere in electionibus, et suffragia posse quidem emi

1) Ath. u. Hell. 2 p. 58: „darin dass Aristoteles nach seiner Auffassung die geschichtliche Anwendung des Ostrakismos als einen „Missbrauch des Parteihaders" verurtheilt, liegt doch eben die Verkennung der eigentlichen Absicht des Instituts".

2) Ibid. p. 55: „der Ostrakismos ist der Schiedspruch eines höheren Gerichts über den Kampf zweier Gegner, die neben einander an der Spitze der öffentlichen Angelegenheiten keinen Raum haben, und die Folge dieses Richterspruchs ist für den siegenden Theil die Befreiung von einem Nebenbuhler, für den Staat die Entfernung inneren Haders, die Beseitigung der Gefahr des Bürgerkrieges."

3) Staatslehre des Aristot. 2. p. 461.

Digitized by Google

a candidatis blanditiis aut pecunia, non vero posse vi extorqueri, cuius rei nullum exemplum sit in tota antiquitate. — Verum qui primus monuit, testimonium Aristotelis temere neglegere nobis non licere, Gilbert [1]), simul inde tantum profecit, ut recte perspiceret duplicem fuisse usum ostracismi, neque ab initio eum destinatum fuisse ad dirimendum certamen partium politicarum; sed is cum non amplius confirmaverit opinionem suam, neque ostenderit quomodo potuerit relegari demagogus praepotens qui in concilio dominaretur, non supervacanea fuisse videtur descriptio rationis ostracismi quam ego dare mihi proposueram. — Id autem quod susceperam, ad finem perduxi, et nisi fallor satis ab omni parte confirmavi sententiam meam.

§ 8. CONCLUSIO.

Huius sententiae praecipuas partes nunc etiam paucis verbis componam.

I. Clisthenes, cum ostracismum instituret ad arcendam tyrannidem, non ideo hoc telum paravit, quod putaret tyrannidem oriri posse ex discordia et odio. Primum enim odia *virorum nobilium aemulantium* (Grote) in democratia ad tyrannidem ducere non possunt, quia eorum discordiae dirimuntur et reprimuntur legibus et iudiciis, neque cruentae fieri possunt cum earum particeps non fiat populus. Deinde, si quod periculum tyrannidis inest in contentionibus *partium politicarum* (Duncker), quia ex contentione partium et ex animorum concitatione oriri possit bellum civile, inde vero tyrannis, hoc periculum multo *maius* fiat necesse est ex relegatione alterius ducis, quae alium effectum non possit edere quam ut vi oppressa parte minore multo magis etiam exasperentur animi, i. e. ut excitetur ipsum bellum civile; itaque ad hoc periculum arcendum inventus esse nequit ostracismus. — Clisthenes putavit, tyrannidem in democratia oriri non posse nisi ex nimia potentia unius demagogi, qui cum auctoritate sua obstrictum teneret concilium populi, hac auctoritate abusus, malo dolo concilium perducere posset ad rogationes accipiendas quae ipsi occasionem darent potiendi

1) Handbuch 1. p. 145 sq.

Digitized by Google

summa rerum, veluti imperio aliquo extraordinario suscepto aut manu armata conducticiorum impetrata.

II. Itaque cum omnes demagogi essent in suspicione tyrannidis, i. e. cum potentia quam ex auctoritate comparare possent demagogi, quam nullis terminis circumscriberent leges, perpetuum periculum libertati reipublicae minaretur, cum nemo sciret essentne aliquando hac potentia abusuri et graviores insidias molituri, Clisthenes populo concedendum esse censuit ut de omnium demagogorum salute decerneret, ut omnes aut in civitate retineret aut eiceret singulos, prout placeret; hoc aequum eis accidere putavit, quod a tyrannidis metu alioquin libera esse non posset respublica.

Inprimis autem idcirco necessarium hoc esse ei visum est, quod tum ipsum diluenda esse videretur potentia Hipparchi, Charmi filii. Nam quod aliquantisper putaverat satis a se praecautum esse, cum medio a. 507 (ipse, ut verisimile est, archon modo creatus) introduceret novas leges, quas superiore anno Isagora archonte ostentaverat populo, scilicet ne nimis potens fieri neve rempublicam suam facere, sicuti antea, posset vir aliquis ambitiosus et audax, id tum magna quidem ex parte, sed tamen nondum satis, a se perfectum esse post paucos annos intellexit, cum nihilominus contra spem ad singularem et tyrannicam potentiam se efferentem videret Hipparchum. Quid fuerit autem quod a. 507 recte assecutus esset, quid vero quod etiam desideraretur, ad praecavendas nimias singulorum nobilium potentias, brevi indicabo.

Hippias per ultimos annos regni sui (514—509), cum potentiae suae labefactatae nova firmamenta partim peregre partim domi quaereret (Thuc. 6. 59. 2), longe deflectens a consiliis quae olim Pisistratus pater persecutus ad tyrannidem pervenerat, in amicitiam et societatem eius partis nobilitatis se insinuare coeperat quae divitiis et superbia oligarchica summum locum iam diu tenebat [1]), quae Pediaea factio iam per multa saecula ideo

1) Haec sententia confirmatur his argumentis: 1. Hippias post a. 514 crudelitate a se abalienaverat haud paucas familias nobiles, antea sibi fidas, quas Diacriae factionis antea fuisse facile suspiceris. Cives enim quos eum necavisse tradit Thuc. 6. 59. 2, ex ipsius amicis plerosque fuisse narrant Polyaen. 1. 22, Justin. 2. 9. 8 sq. Damnum inde acceptum melius compensare non potuit tyrannus, quam nova fide

Digitized by Google

dici solebat, quod hi nobiles, cum in urbe habitantes praedia magna haberent in regione Pediaea (i. e. in campis Eleusinio et Atheniensi), plurimum valebant in plebe huius regionis satis opulenta, proprios agros colente pleraque, eisdem duabus phylis adscripta quarum ipsi erant, Geleontibus et Hopletibus. Haec coitio quam cum factione Pediaea (Isagora duce) fecerat tyrannus, non potuit quidem ab eo cladem avertere; Hippiam a. 509 prostraverunt Alcmaeonidae de exilio redeuntes et arma Spartanorum a sacerdotibus Delphicis in eorum gratiam per vim religionis fere invita excitata; nobiles Pediaei, qui contra Alcmaeonidas libenter, ut videtur, pro Hippiae regno pugnaturi fuissent (quod revera paulo ante ad Leipsydrium fecisse viden-

---

alius et multo potentioris partis nobilitatis. — **2.** Ex Aristophane (Lysistr. 1150 sqq. Schol. Lys. 619) notum est, plebem rusticam edicto tyranni a chlaenae usu prohibitam, *τὴν κατωνάκην φορῆσαι*, i. e. vestimentum servile et agreste induere coactam esse. Hoc edictum non ad omnes cives plebeios, ne ad omnes rusticos quidem, pertinuisse, natura rei docere videtur. Non crediderim, id pertinuisse ad Zeugitas, nedum ad Hippeas; sed utique constat ad *θῆτας* certe hoc edictum pertinuisse. Atqui huius modi edictum, ad mores Laconicos magis quam Athenienses accomodatum, ad pauperum animos exasperandos aptissimum, non placere non potuit nobilibus oligarchicis, quibus etiam vestitu ad servile dedecus reprimendus potius quam in civili dignitate retinendus videbatur infimus ordo plebis; nobilium superbiae hoc *concessisse* tyrannum satis constat. — **3.** Alcmaeonidae propugnatores democratiae, pro plebe ultimum perpessi, *τὸν δῆμον* tandem *καταγαγεῖν* apud oratores vulgo feruntur (Isocr. 16. 26, Dem. 21. 144, cfr. And. 2. 26); quae fama certe percrebrescere non potuisset, si eo tempore etiam popularis et infimae plebi magis quam optimatibus fides fuisset tyrannus. — **4.** Hippias cum a Spartanis foedus et auxilium peteret, hanc condicionem eis tulit, ut obtemperaret voluntati Spartanorum in rep. administranda, et Spartae submissam teneret civitatem (Her. 5. 91). Hoc tum demum recte intelligimus, cum perspicimus Hippiam animum induxisse ut consilia sua ad summae nobilitatis voluntatem dirigeret. Huius nobilitatis fides etiam Athenis certa erat Spartanis, sicuti per eam in civitatibus Peloponnesiacis dominabantur Spartani; huic nobilitati si summam rerum permittebat Hippias, pignus dabat Spartanis fidei futurae; alioquin vana promissa erant, neque revera dari neque accipi potuerunt. Ita quoque clarum est, cur Spartani ad Hippiae societatem magis propensi fuerint quam ad Alcmaeonidarum. — **5.** Factio Pediaea, si ad annum 509 in odio Hippiae perseverasset, etiam cum liberatoribus libenter se coniunxisset contra Pisistratidas, neque Clisthenem statim cum rediisset oppugnatura fuisset. — **6.** Memoria regni Pisistratidarum aeque ad metum *oligarchiae* atque ad tyrannidem metuendam perduxit populum Athiensem; tantum abest ut tyrannis aliquid populare et oligarchiae contrarium habere credita sit, ut una cum oligarchia soli democratiae opponi solet, non vero oligarchiae (cfr. inpr. Thuc. 6. 60. 1). Hoc facile explicatur, si regnum Hippiae novissimum revera fuit dominatio oligarchica.

Digitized by Google

tur), nunc, cum contra opinionem ipsi Spartani aggrederentur Hippiam, eum deseruerunt, et dux eorum Isagoras Cleomenem regem hospitem tecto recepit, quamquam certo non fuerant inter eos qui Spartanis statim se adiunxerant „quod liberi esse vellent" (Her. 5. 70 et 64); sed tamen, postquam exciderat tyrannus, nobiles Diacrii (i. e. eupatridae qui in Diacria regione praedia magna habebant et in urbe habitabant et Aegicorensium phylae erant — cfr. Kuhn, Entstehung der Städte 1878, p. 66 —, quos olim in tertiam factionem composuerat Pisistratus), inprimis ei qui inter illos tum excellebant, quod cognatione vel affinitate cum tyranno coniuncti fuerant (Pisistratidae dicti), non deseruerunt consilia ab Hippia paulo ante inita; cum Pediaea factione stare perseveraverunt contra Alcmaeonidas; eis quoque suspecti erant exules nuper reversi, quorum acerrimam ambitionem antea saepe experti erant, quibus ut nunc ultro inservirent et ex debilibus magnos denuo Alcmaeonidas facerent nihil erat quod suaderet; ita factum est ut medio a. 508 inimici Clisthenis suffragiis vincerent, Isagoras archon crearetur; ut soli et destituti in republica laterent Alcmaeonidae et tota factio nobilium Paraliorum qui cum eis reducti erant, patriae liberatores.

Tum Clisthenes, cum frustra patriam recuperavisse nollet, ad nova illa consilia popularia se vertit, quibus plebe tota in suam partem vocata facile superior factus est. Praecipua utilitas, quam ex opere suo a. 507 perfecto percepit Clisthenes [1]), haec fuit, ut everteret potentiam factionum nobilium, quae tum nihil ei proderat et maxime nocebat, cum e republica ipse excluderetur per coitionem factionum adversariarum. Clisthenes plebem rusticam liberam fecit a vinculis obsequii, quibus eam in omnibus regionibus Atticae ad eupatridarum gentes fere alligatam tenuerant religio, vicinitas, consuetudo, absentia denique propriorum consiliorum quae cum maiore fructu pro se persequi posset plebs [2]). Per haec vincula inprimis adhuc in plebe suae

1) De opere Clisthenis cfr. Wilamowitz-Möllendorf Phil. Unters. 1. 1880 p. 110 sqq.

2) De eupatridarum gentibus multae falsae opiniones etiam nunc feruntur. Eupatridae habitabant in urbe, ἐν ἄστει, omnes (Etym. Magn. p. 395. 50). Inter eos alii erant Pediaei, alii Paralii (ex. gr. Alcmaeonidae, cfr. Aristoph. Nub. 47: ἐξ ἄστεως), alii Diacrii (ex. gr. Pisistratus); eupatridae enim in *omnibus* regionibus, inde ab

Digitized by Google

phylae et suae regionis praesertim valuerant factiones singulae; quamquam ipsis finibus suarum regionum sane non prorsus continebantur factiones, ut ostendit Plut. Sol. 29 cfr. 13. Factio nobilium Pediaeorum non solum regere solebat suffragia plurima plebis Pediaeae, sed alii rustici quoque qui ubique ditiores erant et suos agros colebant huic parti favere solebant (eidem fere qui ante Solonem in classem „agricolarum", γεωμόρων, recepti fuerant [1]), quibus a. 638 tria loca in archontatu data sunt) [2]); factioni urbanae Paraliorum obsequebatur non solum plebs

---

antiquissimis temporibus, habebant praedia magna, ut tradit Plut. Thes. 32 (τῶν κατὰ δῆμον εὐπατριδῶν), cfr. Thuc. 2. 15. 2 (νεμομένους τὰ αὑτῶν ἑκάστους) et Cic. leg. 2. 2. 5; secundum eas regiones in tres factiones coierant (Plut. Sol. 29: οἱ ἐν ἄστει πάλιν ἐστασίαζον, καὶ προεστήκει τῶν μὲν Πεδιέων Λυκ., τῶν δὲ Παράλων Μεγ., Πεισ. δὲ τῶν Διακρίων), quae certamina sua gerebant in urbe; eorum certaminum pro re nata participes se faciebant ordines plebis rusticae. — Alcmaeonidas eupatridas non fuisse, perperam effecerunt Grote (3. p. 72 n. 2) et alii, etiam Philippi (Bürgerrecht Berlin 1870 p. 289 n. 112) ex loco multum vexato Isocratis (16. 25: ὁ πατὴρ πρὸς μὲν ἀνδρῶν ἦν εὐπατριδῶν — πρὸς γυναικῶν δ' Ἀλκμαιωνιδῶν, ὃ τοῦ μὲν πλούτου μέγιστον μνημεῖον κατέλιπον); sed is locus non sufficit ad hanc sententiam probandam, ut iamdudum monuit Vischer (Alkmaeon., Basel 1847, p. 5). Apparet, Isocratis tempore magnam etiam fuisse famam Alcmaeonidarum, et tantam quidem, ut multo maiori gloriae hoc nomen alicui esse crederet Orator, quam nomen Eupatridarum, qui quinam fuissent plerisque ignotum tum erat, ut ipse ostendit Orator illis verbis puerilibus: εὐπατριδῶν, ὧν τὴν εὐγένειαν ἐξ αὐτῆς τῆς ἐπωνυμίας ῥᾴδιον γνῶναι; eam ob causam gloriam maiorem illius nominis *insuper* ad matrem pertinuisse dicit Orator. Alcmaeonidas neque fuisse Geomoros, neque Demiurgos, sed Eupatridas, iam pridem alii ostenderunt, ex archontatu eponymo quo Megacles functus est anno Cyloneo et ex versibus Pindari Pyth. 7. 5 sq. (Vischer l.l. p. 6—8); novum argumentum affero ex Scolio notissimo (Athen. 15. p. 695):

αἰαῖ Λειψύδριον προδωσέταιρον
οἵους ἄνδρας ἀπώλεσας μάχεσθαι
ἀγαθούς τε καὶ εὐπατρίδας —

nam qui ad Leipsydrium profligati sunt, fuerunt ipsi Alcmaeonidae; hi semper pro omnibus exulibus soli nominantur, quod perpauci eupatridae praeter eos in exilio fuerunt, et inter eos longe excellebat Alcmaeonidarum gens cum fama tum multitudine. Sic Herod. 5. 62 dicit: οἱ Ἀλκμεωνίδαι γένος ἐόντες Ἀθηναῖοι προσέπταισαν μεγάλως Λειψύδριον τειχίσαντες; etiam Schol. Aristoph. (Lysistr. 665, Aristot. fr. 356) hos solos nominat; fieri non potest ut de his tacuerit illud scolion et alios praeter eos memoraverit.

1) Classes sedulo distinguendas esse a phylis (quae fere cum regionibus conveniunt) recte monuit Philippi Bürgerrecht p. 280 sqq.

2) Ante a. 594 fuerunt tres classes: eup., geom., dem. — Post a. 594 hae classes abrogatae sunt, et institutae sunt quatuor novae: pentac., hipp., zeug., thet. — Itaque si archontatus ordinatus est secundum *illas* tres classes, hoc factum sit ne-

Digitized by Google

Paraliae quae erat phylae Argadensium attributa, quae ex mercatura et artificiis pleraque modicum victum quaerebat, sed ei suffragari solebat fere ordo medius plebis, qui olim fuerat classis secundae „artificum" (δημιουργῶν), quae duo loca habuit in archontatu; nobiles denique Diacriae non solum ex temporibus Pisistrati plurimum valebant in plebe huius regionis pauperrima et pastoricia pleraque, Aegicorensium phylae attributa, sed etiam interdum pro se excitaverunt suffragia eorum qui ubique pauperrimi erant (Plut. Sol. 29: Διάκριοι, ἐν οἷς ἦν ὁ θητικὸς ὄχλος καὶ μάλιστα τοῖς πλουσίοις ἀχθόμενος). Ita ad plebem urbanam quoque, quae eo tempore etiam numero exigua erat (cfr. Dionys. 2. 8, Hesych. s. v. ἀγροιῶται), pertinere coeperant discidia factionum, quamquam haec tota extra regiones erat. Verumtamen quantopere inprimis ex regionibus (phylis) pependerint et regionatim (secundum phylas) valuerint factiones, ostendunt ipsa nomina non ex ordinibus populi sed ex regionibus eis data. — Quod autem omnino discordiarum et contentionum nobilium participem se faciebat plebs rustica, partim attribuendum est veteri cuidam et naturali invidiae, qua se invicem despiciebant ei qui diversas regiones incolebant; partim ut diximus religioni, vicinitati, consuetudini; beneficiis quibus domini praediorum nobiles facile obligare possunt vicinos suos humiliores (ut inprimis traditum est de Pisistrato — Theop. fr. 147 — et de Cimone), liberalitate erga pauperes, comitate et affabilitate adversus locupletiores phyletas usi; hospitio fortasse si opus erat ad dies festos et prandio in urbe eis dato a nobilibus; praesertim denique absentiae illi consiliorum vere popularium. Ea factio urbana autem in annum praevalebat, cuius sociis nobilibus contigerat ut die creationibus annuis constituto maximum numerum rusticorum, phyletarum inprimis, in urbem vocarent et ad suffragia pro se ineunda permoverent; ea tum vincebat numero suffragiorum, neque deerant, si forte pugnis et fustibus res gerenda erat, qui etiam in tumultibus forensibus eam superiorem facerent. In archontatu occupando autem, qui magistratus fere summum premium erat de quo per-

---

cesse est *ante* a. 594. Hoc moneo contra viros d. Landwehr (Philol., Suppl. 5, p. 114 sqq.) et Diels (Abh. B. Ak. 1886 p. 11—15).

Digitized by Google

petuo certabant factiones [1]), ut una pars (vel duae coniunctae) vinceret necesse erat; in senatorum creatione vero, quippe quae fieret secundum phylas (Vol. Sup. p. 144 n. 4), difficilius erat uni parti plenam victoriam reportare. — Nihilominus id a. 560 factum esse memoriae traditum est (V. Sup. p. 363 n. 2); tum igitur tanta spe omnes pauperes impleverat fides Pisistrati, ut in ipsis castris adversariorum hi victoriam reportassent; ut ex Pediaea (Eleusinia et Atheniensi) regione maior fortasse numerus θητῶν quam γεωμόρων ad urbem et ad suffragia ferenda accurrisset, vel ut ex ipsa Paralia regione plures venissent qui Pisistrato quam qui Megacli phyletae suo faverent. Sed rarior erat tantus ardor unius partis, neque revera tam singularem effectum praebere potuerant a. 560 concitatio et spes pauperum, nisi in suis candidatis adiuvandis admodum segnes et frigidos se tum praebuerunt reliqui ordines plebis. Eiusmodi segnitiem autem in plebe vulgo fuisse mirari non possumus, cum specie quidem pro se certantes in suffragiis publicis, revera pro aliorum potentia tantummodo sine magna sua utilitate se certare sentire debuerunt cives rustici. Hoc enim vix latere potuit plebeios qui ex regionibus a nobilibus excitati ad suffragia adducebantur, cum ex eorum nutu eos prorsus pependisse historia doceat. Quam stolide ei, qui ad suffragia ineunda permoti erant, phyletis suis nobilibus obsequi et suffragia dare solerent, clarissime apparuit, quotiens placuit duarum factionum principibus coitionem facere; tum victoria his factionibus coniunctis semper certa fuit, quod fieri non potuit nisi plebei qui suffragia inibant probare et in suffragiis perficere solebant quodcunque nobiles admonebant, ei vero quibus non placebat creare quem indicarent nobiles, a suffragiis abstinere solebant. Eiusmodi coitiones factae sunt a. 554 a Pediaeis et Paraliis (Lycurgo et Megacle) contra Pisistratum; a. 548 a Paraliis et Diacriis (Megacle et Pisistrato) contra Pediaeos et contra libertatem reipublicae; a. 547 iterum a Pediaeis et Paraliis contra eundem tyrannum. Hinc apparet, plebem Paraliae certe, omnis consiliorum constantiae expertem, regi se passam esse a nobilibus

1) Fragm. Aristot. Hermes 15 p. 372: οἷς καὶ δῆλον ὅτι μεγίστην δύναμιν εἶχεν ὁ ἄρχων· φαίνονται γὰρ ἀεὶ στασιάζοντες ταύτης ἕνεκα τῆς ἀρχῆς. Thuc. 1. 126. 8.

Digitized by Google

suis et a Megacle; per ea tempora quibus nondum armis et vi confirmatum ex suffragiorum eventu etiam pendebat regnum Pisistrati, tum quoties in civitate eum tolerabat Megacles salvus erat et pro eo erant suffragia maioris partis; quoties vero ad eius inimicos declinabat Megacles, cum suffragiorum fere tertia pars altera excideret tyranno, nihil ei supererat quam ut peregre abiret, quod bis factum est. Haec exempla sufficiunt ad indicandam condicionem politicam plebis rusticae, quae fuit ante annum 507. Simili coitione autem etiam nuper, medio a. 508, Isagoras et is qui tum Pisistratidarum dux erat (Hipparchus ut videtur) a republica amoverunt Clisthenem, ut supra dixi.

Atqui a medio anno 507 subito dissolutae sunt factiones regionatim constitutae, neque amplius comparent, cum per tot saecula antea, cum ante tum post Solonem, dominatae essent in vita publica civitatis; quo gravius et certius indicium esse non potest potentiae nobilium nunc demum vehementer infractae. Hoc quin assecutus sit Clisthenes constitutione decem phylarum et descriptione centum tribuum dubium non est. Quomodo vero hae novae divisiones tantum efficere potuerint, ut suffragia plebis quae antea coacta erant libera fierent, id nunc (quatenus non ex modo dictis ultro sequitur) amplius explicare supersedeo, paucis rebus indicatis tantum: religionem antiquarum phylarum dilutam et ex suffragiis inprimis sublatam esse; homines inter se alienissimos et loco etiam plerosque separatos, haud paucos quoque qui antea fuissent peregrini et libertini [1]), in novas phylas esse compositos, in quibus nihil valerent divitiae et amplitudo nobilium urbanorum; phylas a regionum descriptione prorsus seiunctas esse; tribus factas esse novas et parvas consociationes vicinorum, quibus cives de plebe multas res publicas ipsi per se agere assuescerent sine ulla nobilium urbanorum ope et ductu, cum veteres naucrariae etiam pependissent ex veteribus phylis; his alia etiam addi possunt [2]).

---

1) Aristot. Pol. 3. 2. p. 1275 b.

2) In universum provoco ad Aristot. Polit. 7. 4. p. 1319 b: *ὅτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα κατασκευάσματα χρήσιμα πρὸς τὴν δημοκρατίαν τὴν τοιαύτην, οἷς Κλεισθένης τε Ἀθήνησιν ἐχρήσατο βουλόμενος αὐξῆσαι τὴν δημοκρατίαν — φυλαί τε γὰρ ἕτεραι*

Digitized by Google

Itaque homini ambitioso qualis Hipparchus erat nunc occlusa erat via praecipua, qua antea talis vir ad summam potentiam pervenire potuerat, auxilium factionum regionatim constitutarum. Eo accedebant aliae quoque mutationes ad reipublicae ordinationem pertinentes, quae valebant ad resistendum imperandi cupidini singulorum. Sic dubitari non potest quin a. 507 imminuta sit potentia novem archontum. Nam cum rerum publicarum administratio quotidiana permitteretur collegiis quinquagintavirorum officio publico perpetuo fungentibus per dies 35 vel 36, ex senatu secundum phylas certo ordine lectis, quibus ideo *prytanibus* nomen inditum esse videtur, quod in partem succedebant collegio annuo duodequinquagintavirorum, curatorum sive prytanum naucrariarum, quos instituerat Solon (quamquam his succedebant maiore cum potestate, cum in bonis civium censendis et classibus describendis et tributis exigendis — quae omnia nunc ad demarchos translata sunt — magis quam in administratione reipublicae quotidiana eorum officii summam posuerit Aristoteles fr. 359 Harp. 204) [1]), fieri non potest quin simul hac ratione multum accesserit ad potentiam senatorum, qui tum demum administrationis quotidianae compotes facti sunt, simul vero tantumdem detractum sit potentiae novem

---

ποιητέαι πλείους καὶ φρατρίαι, καὶ τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συναχτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά, καὶ πάντα σοφιστέον ὅπως ἂν ὅτι μάλιστα ἀναμιχθῶσι πάντες ἀλλήλοις, αἱ δὲ συνήθειαι διαζευχθῶσιν αἱ πρότερον. — De antiquis phratriis sublatis, de gentibus veteribus 360 nova ratione constitutis et phratriarum nomine ita donatis ut abhinc pro 12 essent 360 phratriae, de sacris denique ex parte reformatis, nunc consulto tacui.

1) Naucrariae siquidem a Solone institutae sunt (Aristoteles fr. 349 et 359, p. 1356 sqq.), Herodotus 5. 71 erravit iam anno Cyloneo de earum curatoribus mentionem faciens, quod idem ostendit Thucydides qui consulto Herodoto contradicere videtur 1. 126. 8; Harpocration vero p. 204 ab Herodoto in errorem se inductum esse tantum non ipse confitetur. — At si umquam fuerunt illi πρυτάνεις τῶν ναυκραριῶν (ita scrib. mihi videtur cum v. d. Stein) οἵπερ ἦνεμον τὰς Ἀθήνας, fuerint necesse est inter annos 594—507. Inde credibile non est, per eos annos fuisse etiam alios prytanes secundum phylas ex senatu lectos, quod aliam ob causam quoque probari vix potest (qui enim centeni viri per quartas anni partes perpetuo officio fungi potuerunt?), et statuendum videtur prytanes phyletas 50 a. 507 demum successisse 48 prytanibus naucrariarum. Hos autem per annos 594—507 exercuisse — praeter illa munera quae a. 507 ad demarchos translata sunt — administrationem quotid. reip., sequi videtur cum ex ipso nomine (quod etiam ostendit eos in prytaneo apud archontes habuisse sedem suam), tum ex verbis Herodoti: οἵπερ ἦνεμον τὰς Ἀθήνας.

Digitized by Google

archontum, quibus magis nunc propositum erat obedire prytanibus a populo creatis, quam sicut antea rempublicam regere et τὰ πολλὰ τῶν πολιτικῶν πράσσειν. — Praeterea si recte suspicamur ante a. 507 archontes praefuisse prytanum illorum (sive naucrariarum curatorum) consessibus quotidianis, et cum illis praeparavisse quidquid referendum erat ad senatum et ad concilium populi, et ipsos praefuisse senatui et populi concilio [1]) (quamquam eam sententiam magis verisimilitudine quam certis vestigiis niti confiteor) — hoc quoque officium praesidendi senatui et concilio populi nunc amiserunt archontes. Utique dubitari non potest, quin a. 507 aucta sit potentia et libertas concilii populi, et ab eo anno magis penes populi concilium quam penes archontes fuisse summam rerum administrationem; praesertim cum praefectos nunc haberet concilium ab ipso populo libere creatos (prytanes phyletas), quos magis nunc voluntate ipsius populi quam sicut antea nobilium aut magistratuum arbitrio directos et ductos esse consentaneum est. — Non solum igitur abhinc vix aliud quidquam videbatur praesto esse Hipparcho et aliis viris quos stimularet ambitio, quo ad archontatum pervenirent, praeter honestas artes et bonam famam et liberum populi favorem; sed etiam, postquam eo pervenissent, legibus ut subiecti manerent et reipublicae et populo non ut imperarent sed ut servirent futurum erat.

Quo magis autem ad concilium populi et senatum translatum erat summa reipublicae gubernatio, ab archontibus deducta, eo magis nunc omnibus qui ad eum locum pervenire vellent quo consiliis et voluntate suis possent consilium civitatis publicum dirigere, opera facienda erat ut multum valerent in concilio populi, ut *demagogi* fierent; hoc munus nunc multo gravius factum erat quam omnia quae possent ex creationibus annuis impetrari, archontatus, praetura (nunc ipsum a Clisthene instituta, quae a phylis tunc etiam dabatur ut videtur), cetera magistratus et curationes et imperia. Sed in hac re quoque id

1) Hoc coniectura assecutus est Duncker, 6. p. 171: „Mit seinen Collegen hatte der erste Archon die Versammlungen des gesammten Volkes zu leiten, mit ihnen führte er wohl auch den Vorsitz in dem neuen Rathe der Vierhundert und leitete dessen Verhandlungen".

Digitized by Google

ipsum assecutus esse sibi videbatur Clisthenes, quod sufficeret ad resistendum insidiis hominum audacium et turbulentorum. Nam cum suo statu politico contenti facti essent cives etiam humiliores et pauperes, simul his civibus excussa erat cupido rerum novarum; frustra igitur novus Pisistratus aliquis, si forte existeret, rerum novarum spe in animis excitanda et illecebris promissorum pulcrorum ostendandis, ad magnum et inusitatum ardorem instigare conaturus erat humiliorem et longe maiorem partem plebis, quemadmodum Pisistratus a. 560 fecerat, quo ipse posset superior fieri in concilio. Hoc a. 560 quidem Pisistrato contingere potuerat, et ita per fidem et ardorem populi vicerat auctoritatem probatam et sapientiam expertam Solonis. Sed nunc plebs quomodo aurem praebitura erat promissis et blanditiis, cum sciret non alios civitatem regere contra suam voluntatem, sed ipsam, ratione non habita voluntatis paucorum; non sibi operam dandam esse ut aliquid impetraret per patronum aliquem nobilem praepotentem, sed nobilibus a se esse blande expetendum et cum persuasione rogandum, si quid in republica assequi et valere cuperent. Hoc fortasse in parvum aliquem ordinem cadebat, ut etiam mutationem aliquam vehementer efflagitans certum ductorem propter eius promissa sibi praeficeret et caecus se in eius fidem committeret, sed per parvum ordinem regi non poterat civitas; universus populus vero non erat uni praefecto propter causas politicas se addictura, sed omnibus demagogis libera et aequa proposita erat aemulatio; in ea non victurus erat unus qui partis et ordinis alicuius desideriis sedulo se applicavisset, per odium civile et iram partium, sed is semper universi populi suffragia secum ducturus esse videbatur, cui semper contigerat ut optime invenisset quod universae patriae maxime conduceret. In hac aemulatione libera autem et democratiae apta, quin ipse omnibus aliis parem, nemini inferiorem facile se praebiturus esset, non dubitabat Clisthenes; itaque eo tandem a. 507 pervenisse sibi videbatur, ut oppressis omnibus insidiis, dolis, ambagibus adversariorum ambitiosorum, id solum valeret quod per se fide dignum esset, et is maxime civitatem dirigeret suis sententiis, qui, ut ipse, maxime suas sententias dirigere paratus esset ad salutem civitatis.

Digitized by Google

Verum tum Hipparchus, acceptis novis condicionibus quas sibi tulerat Clisthenes, omissis coitionibus cum viris oligarchicis antea initis quae inutiles factae nunc erant, spreta consiliorum seditiosorum aut ad partes singulares pertinentium ostentatione et odii civilis fovendi ratione qua olim Pisistratus callide usus vicerat, qua fortasse nunc etiam parvi ordinis (veluti oligarchorum, vel plebis maritimae) sed non amplius maioris partis populi favor conciliari poterat, certamen cum Clisthene de meliore auctoritate gerendum iniit — et contra opinionem nihilominus in eo superior fuit. — Clisthenes cum suo damno perspexit, non utique meliorem sententiam vincere in populo, et multo magis etiam a populo exquiri quis sit qui dixerit sententiam, quam qualis sit ipsa, et suffragia populi haud minus pendere ex praestantia auctoris quam ex sententiarum natura. Nobis autem sufficere debet, cognovisse victoriam Hipparchi et eius potentiae rationem accepisse (*δημαγωγὸς ὢν καὶ στρατηγὸς ἐτυράννησε*); sed quomodo eo pervenerit, quando famam militarem insignem nactus sit (fieri potest ut fuerit archon polemarchus a. 506/5 in bellis Thebano et Chalcidico, cuius anni archontes ignoti sunt), cur auctoritate superaverit Clisthenem in deliberatione publica, ea omnia neque cognosci neque indagari a nobis possunt. — Sed tum Clisthenes intellexit, denuo rempublicam et libertatem et salutem publicam permissas esse uni viro; tum perspexit, salvam esse non posse democratiam et ab audaciae insidiis prorsus tutam, nisi etiam obsisteretur potentiae demagogorum ex auctoritate natae. Neque fortasse tam perniciosa ei visa esset potentia demagogorum, si forte tum *ipse* eam tenuisset; sed cum esset penes hominem quem odisset, cuius fidem suspectam haberet, cuius consilia fraudulenta esse crederet, quem lucrum suum solum cordi habere et certe potentia abusurum persuasum haberet, tum hoc malum e civitate tollendum etiam esse censuit, et ostracismum invenit *ὅπως συνεκβάλῃ τοὺς Πεισιστρατίδας*.

III. Demagogorum nimia potentia autem, quae nititur auctoritate qua subiecta tenent concilium et deliberationem publicam, quia non potest a populo dilui in ipso concilio, Clisthenes populo locum constituit extra concilium (i. e. exclusis deliberationibus publicis), quo posset ab eorum auctoritate liber

Digitized by Google

ex sua sententia de eorum salute decernere. Quod ut perficeret, instituit epicheirotoniam annuam de demagogis, qua sine ulla deliberatione cives in concilio praesentes interrogarentur num testas deferendas esse placeret, institutum Solonis imitatus. Solon enim de legibus annuam epicheirotoniam dederat civibus, ut possent a maiore parte civium in concilio praesentium sine ulla senatus aut demagogorum admonitione eae leges notari quas diutius tolerari non posse cives docuisset usus quotidianus, et ut posset via aperiri ad novas rogationes promulgandas, cum ceteroquin leges mutare aut novas ferre nemini liceret. Clisthenes hoc imitatus transtulit ad ipsos demagogos. Sed ne ostracismo male uterentur cives, neve contra alios cives praeter demagogos eum adhiberent, ita cavit Clisthenes, ut institueret testas delatas ratas non esse, nisi in eundem civem relegandum conspirarent sex milia suffragiorum amplius, quo fieret ut ei soli relegarentur quos condemnasset absoluta totius civitatis maior pars, i. e. ipse populus. — Populus autem, postquam hanc legem ei ostentavit Clisthenes, etiamsi eam suadere non poterat, libenter in epicheirotonia annua occasionem dedit Clistheni promulgandae legis, scilicet propter memoriam Hippiae „omnium civium suorum potentiam" et fraudem demagogorum nobilium extimescens, et a nomothetis et Areopago lex accepta est.

IV. Hoc autem quo anno factum sit, minime constat. Sed cum Hipparchus archon fuerit a. 496, cum exilium fuerit decennale, si ante a. 496 exulavit Hipparchus, ostracismus ipso anno 507 institutus sit necesse est; sin vero post a. 496 in exilium actus est, etiam ad hunc annum fere descendere possumus. Ego autem, cum satis ostenderim cur non putem ipso a. 507 statim esse institutum ostracismum, eo inclino, ut cum viro d. Lugebil et aliis fere a. 498 id factum esse statuam. Res tamen valde incerta est.

V. Clisthenes, ut tolleret inimicum, provocare animum induxit ad malum aliquod, quod in democratiae natura latens, potius videatur legibus esse constringendum et retinendum, quam sedulo speciali lege fovendum et laxatis habenis libere emittendum. In imperio et absoluta potestate vulgi enim, si aut nullis legibus regitur aut non satis temperatur malis legi-

Digitized by Google

bus, hoc inesse videtur, tamquam semen aliquod repugnantiae et discordiae intestinae, ut simul *domino carere* non possit vulgus, simul *dominum nullum* possit *tolerare*. Ac primum quidem domino carere non potest, quia non potest se ipse regere, neque sine consilio unius hominis (nam consilium semper ad singulos pertinet, neque potest ad plures simul pertinere) pervenire potest ad explenda desideria et persequendas cupiditates. Is autem qui semel consilio suo explevit cupiditates populi, ingentem expectationem futuri excitavit in populo; huius consilio ultro obedire paratus ipse obsequio suo ad summam potentiam eum evehit, et ad dominum se sentiendum quam maxime allicit. Deinde vero dominum non tolerat, quia dominatio aliena repugnat ipsius imperii popularis naturae; quia discordia oriatur necesse est inter voluntatem domini et desideria populi; quia fieri non potest quin aliquid existat quod minus placeat, quod a domino non possit tolli, aut ut novum desiderium exurgat, quod ab eo expleri nequeat. Nihil enim est ab omni parte beatum; felicitatem quoque perpetuam nullus dominus populo potest comparare. Verum vulgus non quaerit quid pro se facere possit ingenium domini, quid minus; qui sint fines a natura suae felicitati positi, sed tantummodo quaerit numquid sibi desit; huic postulato nullum consilium humanum satisfacere potest. Accedit quod voluntatem et desiderium suum directe enuntiare non potest vulgus; dominus igitur non habet unde certo et perpetuo cognoscat quid sit quod a populo desideretur, etiamsi forte eiusmodi est id desiderium ut sibi satisfieri possit, fortasse etiam debeat. Denique irae suae et odii ipse compos non est populus, non contra eum vertit iram, quem reicere aut punire ratio suadeat, hanc ad rem etiam consilium quo careat adhibere non potest; eum, quem nuper ad coelum extulit, odio immodico persequi cogitur necessitate naturali, ut primum aliquid oritur quod displiceat, neque iniquitatis aut ingrati animi accusari potest populus, cum non ultro neque sciens ingratus sit, sed ingratus esse cogatur. Itaque semper vidimus, cum in longiore seditione effrenatae furerent cupiditates populi sine ullo impedimento, eos qui modo plurimum apud eum valerent, quo altius escendissent, eo atrociore ruina procidisse, et alium statim illius locum occupavisse, ut eandem sortem subiret. — In civitate

Digitized by Google

autem legibus temperata, cum cupiditates populi contineantur, neque liberae se edere possint, maximum est periculum, ne omnino opprimantur, et hoc malum quod in monarchia et oligarchia latet multo gravius etiam esse videtur quam illud quod est ochlocratiae insitum. Verum democratia bene temperata, in qua legibus et iudiciorum ordine firmissimo iustitia ita defendatur, ut nemo possit innocens vel certe indefensus condemnari, in qua singulorum hominum nimia gratia quam maxime praecaveatur, ut omnes qui habeant quod utile visum sit libere id populo possint proponere et sine ullo quidem suo periculo, in qua cautum sit ne de rebus gravissimis nimis celeriter decernatur a populo, et inprimis leges tutae serventur ab inconstantia populari, neque eidem consessui populari qui rempublicam decretis suis administrandam habeat, concedatur constitutio legum novarum et custodia antiquarum, — democratia bene temperata ab utroque malo longissime remota et maxime tuta esse videtur; neque a reipublicae forma quam instituit Clisthenes prorsus aliena fuisse haec summa laus, haud paucis visa est. Sed cum in eam ostracismum insereret Clisthenes, in demagogos emisit illud ἀναρχίας principium, quod in democratiae natura inest; et valde quaerendum esse mihi videtur, num hoc possit probari. Populo enim concessit, ut poenas sumere posset ab eo quem ipse in republica potentissimum fecisset obsequio suo, ut primum aliquid displicere coepisset in reipublicae statu, etiamsi nondum eo provectum esset taedium, ut ad alterius demagogi consilium accipiendum se conferret populus, illius consiliis spretis; cum autem fieri non possit ut diu ab omni parte placeat reipublicae status, nullum demagogum qui in populo auctoritatem nactus esset non obnoxium fecit huic condemnationi, innocentem. Primum autem hac lege multis viris excellentibus civitatem privavit, quorum consilium egregio usui etiam esse potuisset populo; quod quam imprudens fecerit, apparuit cum paulo postquam inimicum suum ex animi sententia testis ex patria eiectum vidisset, ipse eandem cladem subiret quam paravisset Hipparcho; deinde vero hac lege inventa demagogis novum stimulum attulit, ut magis etiam quam ceteroquin facturi fuissent se dirigere studerent ad cupiditates et desideria maioris partis populi, et nimis quidem, ut videtur;

Digitized by Google

non solum enim ab eventu consiliorum quae in populo pertulissent et peregissent, si forte contra opinionem molestus esset, hoc expectandum esse voluit demagogis, ut deminueretur eorum auctoritas et minus valerent eorum sententiae — hoc enim aequum eis accidere nemo negabit —; sed etiam ab eventu consiliorum (et qui consiliorum eventus esse crederetur) si forte spe deterior esset, *poenam* eis metuendam esse et *exilium* voluit; hanc poenam neminem evitare potuisse facile apparet nisi ita, ut qualibuslibet consiliis arreptis, etsi ipse ea improbaret, eventum conficeret sibi favorabilem, populo gratum.

VI. Magna autem fuit demagogorum multitudo quos ideo populus relegaverit, quod eorum potentia et locus insignis quem in republica tenerent eos solos idoneos faciebant qui poenas darent pro taedio aliquo aut desiderio aliquo non expleto quale in populo interdum parere solet status reipublicae, cum ex ipso hoc taedio efficeret populus, publicas res non omnes optime a consilio civitatis esse procuratas. Huiusmodi autem etsi esset vera causa irae, forma et species eius longe alia esse solebat; nam cum persona demagogi ingrata esse coepisset, facile aliquid arripiebatur, ad ipsius personam magis proprie pertinens, quo offendisse perhiberetur.

Verum causa irae, quae testas excitavit, non semper haec fuit quam modo descripsi, ad statum reipublicae pertinens. Duplex fuit usus ostracismi; testae etiam adhibitae sunt contra demagogos, qui nihil etiam perfecerant in republica, aut propter causam longe diversam ab eo quod iam perfecerant; sunt qui relegati fuerint ob eam solam causam *quod crederentur optimatibus favere* (τῷ δήμῳ κακόνοι εἶναι).

Haec ratio autem, qua ex studio partium (στασιαστικῶς) testae adhibitae sunt, non solum non fuit unica quam admitteret rei natura, ut multi crediderunt qui, cum statuerent de ostracismo publice deliberatum esse, crederent ostracismum quoque pependisse e sententia melioris auctoris (Lugebil), sed etiam omnino non fuit propria neque vulgata, cum in unam tantum et certam civitatis condicionem caderet, eam scilicet, qua odio civili dilaceraretur respublica. Demagogus enim, qui optimatibus favere creditur, ob eam causam in iram populi incidere et

Digitized by Google

ex ea ira relegari non potest, nisi optimates magno odio sunt populo.

Demagogi autem, qui ex studio partium relegati sunt, ideo relegati sunt quod auctoritas et gratia, qua utebantur apud partem minorem populo infestam, eos idoneos faciebant qui poenas darent pro odio quod in populo excitaverat pars illa minor, cum ex ipso hoc odio efficeret populus, publicas res non posse non detrimentum capere ex eorum consiliis si quando acciperentur.

Minor pars autem relegare non potest demagogum popularem, quia consensu absolutae partis maioris opus est. Is qui testam defert, novit se aut nihil agere, aut secum facere partem tam magnam, ut in omnibus suffragiis vincat necesse est.

Hinc clare apparet, hunc ostracismi usum repugnare sanae rationi. Maiori parti enim opus non est ostracismo, ad arcendum detrimentum quod ex sententiis demagogorum a republica capi possit; nihil enim contra eius voluntatem perferri potest.

Deinde apparet, hunc usum ostracismi repugnare rationi democratiae. Is enim qui testam defert permotus studio partium, aut ideo id facit, quod fidem non habeat populo, neque credat populum distinguere posse malas sententias a bonis; aut ideo, quod nolit populum liberum esse et accipere quod placeat; utrumque convenit rationi oligarchicae.

Denique utilis non fuit hic usus ostracismi. Exclusit enim optimates ex administratione reipublicae. Hinc primum odium partium auctum est, cum optimates gravius semper succenserent populo, populus vero ab eorum odio semper magis cavendum esse crederet. Deinde ita factum est, ut nihil posset ad populum ferri, quod simul optimatibus gratum, simul reipublicae utile esset, cum nulli essent qui de eiusmodi rebus sententiam dicere vellent.

Hic usus testarum postquam semel Athenis inventus et probatus est, inde translatus (paulo post a. 460) acceptus est a multis civitatibus subiectis aut sociis, ut ibi quoque e reipublicae administratione excluderentur nobiles.

Digitized by Google

AD SOPHOCLIS ANTIGONAE vs. 280 sqq.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

Locus, quem volo, propter leviora quaedam vitia in infamiam quandam fraudisque suspicionem incidit. Coryphaeum Creonti suadentem ut cedat numini deorum, Polynici manifesto faventium, sic increpat rex iratus:

παῦσαι, πρὶν ὀργῆς καί με μεστῶσαι λέγων, 280
μὴ ἐφευρεθῇς ἄνους τε καὶ γέρων ἅμα.
λέγεις γὰρ οὐκ ἀνεκτὰ, δαίμονας λέγων
πρόνοιαν ἴσχειν τοῦδε τοῦ νεκροῦ πέρι.
πότερον ὑπερτιμῶντες ὡς εὐεργέτην
ἔκρυπτον αὐτὸν, ὅστις ἀμφικίονας 285
ναοὺς πυρώσων ἦλθε κἀναθήματα
καὶ γῆν ἐκείνων καὶ νόμους διασκεδῶν;
ἢ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷς θεούς;

Aut magnopere fallor aut integra sunt haec omnia usque ad versum 287, et summo poeta digna; graves sunt sententiae, versus sunt canori. Quod ἔκρυπτον dicit rex, non ἔθαπτον, id inde explicatur quod nuncius retulit Polynicis corpus ἠφανίσθαι (vs. 255). In versu penultimo vero pro ἐκείνων scribendum esse κενώσων vidit Naberus [1]); in quam coniecturam me quoque incidisse, monere liceat. Quod praeterea culpatur, νόμους non posse διασκίδνασθαι, id concedo sane, nec tamen inde effecerim spurium esse locum, sed restituerim quod suadet ratio et contextus: δόμους. Apud Euripidem (Phoen. 1450) ipse Polynices in mortis limine matrem et sororem precatur: *curate ut rite condar sepulcro*, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχω | χθονὸς πατρῴας, κεἰ δόμους ἀπώλεσα. Nec sine utilitate cum toto hoc loco conferas Atheniensium ad Mardonium responsum apud Herodotum VIII 143:

1) Mnemos. Vol. IX (1881) p. 218.

Digitized by Google

θεοῖσί τε συμμάχοισι πίσυνοί μιν ἐπέξιμεν ἀμυνόμενοι καὶ τοῖσι ἥρωσι, τῶν κεῖνος οὐδεμίαν ὄπιν ἔχων ἐνέπρησε τούς τε οἴκους καὶ τὰ ἀγάλματα.

Denique non ἤ sed ποῦ scribendum est initio versus sequentis. Sic Sophocles amat:

Ai. 1100: ποῦ σὺ στρατηγεῖς τοῦδε; ποῦ δὲ σοὶ λεῶν
ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἦγαγ' οἴκοθεν;

Oed. R. 390: ἐπεὶ Φέρ', εἰπέ· ποῦ σὺ μάντις εἶ σαφής;

Videmus PRAESENS tempus adiungi, et ποῦ in hoc genere loquendi potius valere *quando* vel *quomodo* quam *ubi*. Sic igitur nostro quoque loco Creon dixit:

ποῦ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷς θεούς;

Quod vero haec verba ambiguitate vix ferenda laborare contendit Nauckius, id crimen pace viri doctissimi dixerim sine causa esse prolatum. En exempla nonnulla ex multis quae mihi praesto sunt, sed plura non capit charta:

Hom. I 315: οὔτ' ἐμέ γ' Ἀτρεΐδην πείσειν Ἀγαμέμνον' ἀΐω.
O 119: ὣς ἔφατο, καὶ ῥ' ἵππους κέλετο Δρεῖμύν τε
ζευγνύμεναι. [Φόβον τε
Aesch. Cho. 886: τὸν ζῶντα καίνειν τοὺς τεθνηκότας λέγω.
Eur. Herc. f. 583: δίκαια τοὺς τεκόντας ὠφελεῖν τέκνα.
ibid. 828: οὐδ' εἷς πατὴρ
Ζεύς νιν κακῶς δρᾶν οὔτ' ἔμ' οὔθ' Ἥραν ποτέ.
Ar. Lys. 763: ἡμᾶς δ' οὐκ οἶσι | ποθεῖν ἐκείνους;
Vesp. 429: φημ' ἐγὼ τὰς χελώνας μαχαιρεῖν σε τῷ δέρματος.
Soph. O. R. 859 sq.: τὸν ἐργάτην | πέμψον τινὰ στελοῦντα.
ibid. 656 sq.: τὸν ἀναγῆ φίλον μήποτ' ἐν αἰτίᾳ
σὺν ἀφανεῖ λόγῳ σ' ἄτιμον βαλεῖν.

Constanter autem his similibusque locis, ut in versu de quo agimus, PRAECEDIT OBIECTUM, SEQUITUR ACCUSATIVUS SUBIECTI.

Quovis igitur spoponderim Sophocleos esse omnes versus ex Antigone fabula quos supra excripsimus, ultima autem ita esse corrigenda:

ὅστις ἀμφικίονας
ναοὺς πυρώσων ἦλθε κἀναθήματα
καὶ γῆν κενώσων καὶ δόμους διασκεδῶν.
ποῦ τοὺς κακοὺς τιμῶντας εἰσορᾷς θεούς;

Digitized by Google

AD XENOPHONTIS COMMENTARIOS.

SCRIPSIT

A. H. GARRER.

Analecta Xenophontea scripsit J. J. Hartman, litt. hum. doct.

Multis verbis laudare librum, cuius titulum supra adscripsi, non mihi in animo est; iam in multorum manibus versatur intra nostros fines et extra, et quicunque viri doctissimi Analecta legerit, meritum honorem ei tribuet. In hoc volumen enim eximiam copiam collegit observationum, quarum aliae ad corrupti sermonis Xenophontei emendationem spectant, aliae quaestiones varii generis tractant ad ipsum Xenophontem eiusque opera pertinentes. Nam quamquam loci fere sunt innumerabiles, quibus in Xenophontis libris, allata felicissima criticorum ope, vera lectio restituta est, satis multa tamen cum in Expeditione Cyri tum in Historia Graeca supersunt, quae si quis recte explicare conetur, summam ei exhibeant molestiam; eiusmodi igitur difficultates auctor Analectorum complures emendando removit. At non minore laude digna sunt ea capita libri, quibus et de Xenophontis anno natali et de variis eius scriptis ita disputat ut iudicia summa sagacitate lata et defensa, etiamsi non omnia ei concedamus, nemini profecto negligenda videri possint. Censuram vero instituere egregii libri non meum est; id solum mihi proposui, aliquot observationes in lucem edere quas in legendis Commentariis feci eodem tempore quo Analecta colligebantur, ut pro viribus meis nonnullas opiniones

Digitized by Google

docti scriptoris confirmem et defendam, alias impugnem et mea iis opponam, pauca etiam addam, de quibus disputare ille praetermisit.

Pag. 121 legimus: „Iam haereo in iis, quae inde a διετεθρύλητο γὰρ (§ 2 cap. I lib. I) usque ad finem paragraphi quintae de Socratis genio dicuntur." Ob varias causas, cum ex lingua tum ex argumentatione sumtas, haec omnia et praeterea quae usque ad paragraphum decimam leguntur Commentariorum scriptore iudicantur indigna. Non habeo quibus hanc opinionem impugnem; mihi quoque, etiamsi non spuria iudicarem, multa in hac parte difficultatis plena videbantur. Non tamen assentior Hartmanno contendenti (p. 123 in fine) cum iis, quae § 2 leguntur ante vocabula διετεθρύλητο γάρ, rectissime iungi ea verba quae sequuntur in § 10; non enim video quo modo reiectis illis sequentia usque ad § 11 retineri possint. Etenim si accipimus Hartmanni opinionem, in priore parte decimae paragraphi moleste iterantur quae paulo ante dicta sunt. „Quo tandem argumento", ita rogat Xenophon, „accusatores usi sunt ut demonstrarent Socratem deos non agnoscere? Saepe tamen conspiciebatur domi et foris sacrificans et deorum voluntatem exquirens." Quid sequitur autem § 10? „At praeterea semper ille erat in foro et conspiciebatur in frequentia hominum." Quid igitur opus est hoc loco verbis ἀλλὰ μὴν ἐκεῖνός γε, quibus uti solet Xenophon, ubi post interpositam digressionem ad argumentum redit et aliquid novi ad superiora adiungit? In praecedentibus de solo Socrate mentio fit; nullum igitur sensum habet illud ἐκεῖνος. Videte praeterea quam inepte sibi proxime succedant φανερὸς ἦν, οὐκ ἀφανὴς ἦν, ἦν ἐν τῷ φανερῷ, iterum φανερὸς ἦν, τῆς ἡμέρας ἦν. Aut igitur ex iis, quae inter paragraphos secundam et decimam in textu vulgato reperiuntur nonnulla sunt servanda, ut ἐκεῖνος propriam significationem habeat, neve iste frequens usus eorundem verborum taedium moveat, aut etiam paragraphus decima interpolatori tribuenda est et verbis οὐκ ἀφανὴς ἦν statim verba οὐδεὶς δὲ πώποτε subiungi debent. Equidem tamen non ea sum audacia ut hoc suadeam; id tantum ostendere volui, paragraphum decimam post secundam aptum locum non habere.

Digitized by Google

Proximum caput (II) multas praebet difficultates, ad quas solvendas Hartmannus mea opinione saepius felicissime navavit operam. Imprimis sententia eius de dialogo inter Alcibiadem et Periclem mihi verissima esse videtur; quem sermonem ego quoque, aliam tamen ob causam, aliunde huc esse translatum credebam. Xenophon enim narrat, § 40, Alcibiadem iam inde ab adulescentia ambitione stimulatum esse capessendae reipublicae. Sequitur sermo lepidissimus, in quo Alcibiades Periclem tutorem ita urget ut tandem iuveni roganti utrum lex sit an vis cum plebs iussa det optimatibus, respondeat Pericles: „Et nos, o Alcibiades, tales eramus ea aetate vitae qua tu nunc es et iisdem cogitationibus et studiis agitabamur." „Utinam", inquit Alcibiades, „eo tempore te cognovissem, cum maxime talibus studiis occupatus esses." Urbanissime et modestissime hoc respondet Alcibiades, sed, ut de Pericle, τῷ δεινοτάτῳ λέγειν, taceamus, qui quodammodo ab imperito iuvene ad silentium compellitur, estne credibile Xenophontem hoc loco nobis Alcibiadem depingere velle tamquam amabilem ac modestum adulescentem, qui contentus fuisset eiusmodi responso? Minime hoc convenit in eum qui non nisi invitus, § 39 et 47, consuetudine Socratis uteretur et arderet cupidine imperii gerendi. Qua ratione quum mihi persuasissem illam disputationem hoc saltem loco male esse insertam, opinio mea confirmata est iis, quae in Hartmanni Analectis legi, p. 127 sq., ubi etiam paragraphi 39 et 47, idque iustissimam ob causam, huic loco minime aptae iudicantur.

In sequentibus ferri non posse mihi videntur quae leguntur in fine § 54, καὶ τὸ σίαλον κτέ., non eam ob causam quod exemplum parum sit elegans, sed quia nullo modo ad argumentationem convenit. Simulac vita aliquem reliquit, corpus defuncti, etiam dilectissimi et familiarissimi, quam celerrime potest effertur et absconditur; sic quoque homines, dum vivunt, omnia quae inutilia sunt a corpore, quod tamen maxime amant, ipsi removent vel alios removere iubent; ipsi ungues, crines, clavos in pedibus interdum cum magno dolore recidere iubent medicos, iisque gratias insuper agunt et mercedem solvunt. Deinde legimus: καὶ τὸ σίαλον ἐκ τοῦ στόματος ἀποπτύουσιν ὡς

Digitized by Google

δύνανται πορρωτάτω, διότι ὠφελεῖ μὲν οὐδὲν αὐτοῖς ἐνόν, βλάπτει δὲ πολὺ μᾶλλον. Hoc exemplum inepte mihi videtur esse additum. Comparatur enim in praecedentibus sepultura dilecti parentis cum iactura nonnullarum particularum quae corpori firmiter adhaerent: utrumque est acerbum sed necessarium; nititur ergo comparatio seiunctione, quae cum dolore efficitur, illarum rerum quae antea arcte cohaerebant. In sequenti exemplo vero primum abest, certe minus apparet, sensus doloris; deinde, quum de partibus corporis loquatur Xenophon, non videtur mihi ea quoque indicare velle, quae natura corporis ipsa homines eiicere cogit; suo arbitrio aliquis crines et ungues resecat; τὸ σίαλον vero et alia eiusmodi non possunt in corpore retineri. Postremo, si sententiam releges, videbis eam optime esse dispositam usque ad illa verba καὶ τὸ σίαλον κτἑ., quae quo magis inspicio, eo magis mihi speciem additamenti praebent, ab interpolatore quodam adscripti; quam opinionem etiam confirmant verba sequentia: ταῦτ' οὖν ἔλεγεν, οὐ τὸν μὲν πατέρα ζῶντα κατορύττειν διδάσκων, ἑαυτὸν δὲ κατατέμνειν, ἀλλὰ κτἑ. Optime haec respondent comparationi crinium et unguium, sed nulla mentio fit ultimi plane supervacui exempli, quod igitur ὡς πορρωτάτω reiiciendum esse existimo.

Eadem manus facile cernitur § 62, ubi insanus homo affirmat Socratem omnium maxime remotum fuisse ab iis maleficiis, longa serie enumeratis, quae poena capitis luuntur. Rectissime ab Hartmanno ea delentur.

Non iniuria in capite sequenti (III) spuria videtur Hartmanno paragraphus quarta, quae pessime ordinem argumentorum disturbat. Non solum sententia ipsa laborat, sed vel ex verbis falsarius manifestus tenetur; an vero non taedium movet quum brevissimo intervallo unius paragraphi quinquies praepositionem παρά legamus, in vicem cum genitivo dativo accusativo casibus coniunctam? Quis credat tam duro et inelegant sermone usum esse Commentariorum auctorem? Quod in praecedenti paragrapho identidem quinquies ea praepositio legitur, suam habet causam; ibi enim verba τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν bis opponuntur verbis τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν. Eo minus tamen

Digitized by Google

esset ferendum si in proxime sequentibus tam immoderate eadem particula Xenophon abusus esset. Neque defendi potest hic locus iis quae leguntur in Expeditione Cyri I, 4, 3, ubi quater eadem praepositio cum variis casibus coniuncta recurrit; illa enim enumeratio copiarum et itinerum in ea Anabaseos parte quae maxima simplicitate conscripta est (ut egregie in capite secundo Analectorum ab Hartmanno expositum est), non est comparanda cum his Commentariis, dulci et eleganti sermone nitentibus, quos summa cura composuit doctus discipulus in honorem venerandi magistri.

In eadem cum Hartmanno sum sententia cum de capite quarto disserens (p. 131 seq.) id neque cum sequentibus neque cum praecedentibus cohaerere demonstrat; ubi vero sermonis vitium absurdum observasse sibi videtur, quam ob rem colloquium totum Xenophonti abiudicari debeat, aliter sentio equidem. Ridiculum profecto esset si § 4 verbis *οἱ ζῷα ἔμφρονά τε καὶ ἔνεργα ἐργαζόμενοι* designarentur *οἱ τέκνα γεννῶντες*, ut contendit Hartmannus; sed neque Xenophontis est haec sententia neque Aristodemus ita intelligit. Hic enim deos esse non credit; cui ut persuadeat hanc opinionem falsam esse, Socrates initium facit rogando: „Utrum maiore admiratione dignos putas eos qui simulacra vitae expertia conficiunt an eos qui animantia creant, mente praedita?" Respondet Aristodemus: „Per Iovem, eos qui animantia creant, siquidem, quod ego valde dubito, non casu quodam sed consilio nascuntur." Suspicatur enim Socratem iis, qui animantia procreent, *deos* designare, quum ipse putet omnia humana casu, non voluntate deorum fieri. Socrates pergit demonstrando deos existere hoc argumento, quod nulla humani corporis pars, nullus in corpore sensus, quae omnia maximo usui sunt hominibus, nisi consilio in utilitatem hominum potuerint esse creata, finemque facit rogando ipsis verbis contemptoris numinis divini: *ταῦτα οὕτω προνοητικῶς πεπραγμένα ἀπορεῖς πότερα τύχης ἢ γνώμης ἔργα ἐστίν*; quoniam ergo *οἱ ἐργαζόμενοι* sunt dei, non homines, nihil illis verbis inest quod Xenophonte indignum putemus.

Quae p. 133 sq. Analectorum leguntur de reliquis libri primi

Digitized by Google

capitibus, pro parte verissima sunt, ut mihi quidem videtur; caput septimum scilicet ad hunc librum non pertinere facile concedo. Quare tamen quintum quoque caput abesse velit Hartmannus, non video; postrema paragrapho excepta, quae revera cum praecedentibus ne tenui quidem filo coniuncta est, genuinum mihi videtur. Sexti quoque capitis postrema verba valere iubeo, quippe quae nullo modo cohaereant cum ceteris, sed toti capiti suum in hoc libro locum negare non ausim. Utraque huius capitis pars (§ 1—11, § 11—15) colloquium nobis dat inter Socratem et Antiphontem; in utroque colloquio hic rogat illum quam ob rem Socrates pecuniam non exigat a discipulis (§ 3 et § 11). Altera causa quae eum impedit quominus hoc faciat est vitae continentia, altera est cupido vivendi ad suum ipsius arbitrium. Commentarii autem cum sint series praeceptorum et sermonum, quibus imaginem magistri Xenophon depingere conatur, non vero oratio pro iudicibus habita (nam maxime comprobo hanc Hartmanni opinionem, capite quinto Analectorum expositam), in qua argumenta arctissime inter se cohaerere debeant, nulla omnino causa videri potest quare nitide et eleganter compositi capitis sexti partes separemus.

Quoniam ad secundum librum accessimus, obiter tractemus locum in primo capite, ubi Hartmannus (p. 161) transportanda censet aliquot verba, quae ordine quo nunc leguntur molestiam praebeant. Leguntur ea § 14. Verba *τοὺς γὰρ ξένους — οὐδεὶς ἔτι ἀδικεῖ* tribuit Aristippo, ne Socrates *φλυαρεῖν* videatur. His tamen transpositis particulae *ἀλλὰ νῦν* necessario sunt mutandae in *νῦν γὰρ*, neque ita simplex iam videtur emendatio. Equidem credo traditum ordinem verborum servari posse, una enim vocula interposita optime decurrere sententiam, si videlicet legimus *τοὺς μὲν γὰρ ξένους*. Aristippus se ad nullam civitatem profitetur pertinere sed ubique hospitem, *ξένον*, esse. In responso autem Socrates utitur duplici sensu verbi *ξένος*, hospes et peregrinus. „Id ipsum", inquit, „est magnum periculum; nam hospites quidem suos nemo iam iniuria afficit, ex quo tempore Sinis et Procrustes huius sceleris poenam vita expiaverunt; nostro vero tempore civitates legibus ferendis et sociis sibi comparandis cavent ne iniuriam patiantur, quam tamen evitare

Digitized by Google

non possunt; et tu, cui nihil harum rerum praesidio est, putasne, ξένος ὤν, i. e. peregrinus, usquam sine periculo vitam degere posse?" Ius hospitii ergo nemo violabit domi suae, sed sine iure civitatis nusquam vita et libertas tutae erunt.

De reliquis non multa mihi restant dicenda; unam observationem proferam ad caput VI libri secundi pertinentem, de qua paulo longius disputare mihi liceat. Egregie in hoc capite a Socrate tali fere ordine tractantur quaestiones: quales homines aliquis sibi amicos reddere debeat, quales sint evitandi, quomodo huiusmodi homines diiudicandi sint, quo animo ipsum te oporteat esse ut tibi amicos adiungas, quibus de causis amicitias inter sese homines probi iungant, qua ratione amici comparandi sint. Perspicue et ingeniose haec omnia explicantur et inter pulcherrima totius libri capita hic sermo locum obtineret, nisi ea quae leguntur a paragrapho decima ad decimam quartam miserrime interpolata essent, quum vera lectio esset deperdita. Quam brevissime potero, quibus argumentis haec sententia nitatur, exponam. Per totum colloquium inter Socratem et Critobulum more solito ille εἰρωνικῶς sed quam maxime perspicue sententiam explicat, ita ut nihil obscurum, nihil dubium relinquat. Initio ostendit quales homines digni qualesque indigni sint, quibuscum amicitia coniungatur; roganti Critobulo quo modo eos, qui amicitia digni videantur, amicos sibi comparare oporteat, respondet Socrates: „Primum dii sunt consulendi." „Quid", ita pergit Critobulus, „quem volumus amicum reddere, diis non adversantibus, quomodo is est captandus?" „Μὰ Δί' οὐ κατὰ πόδας ὥσπερ ὁ λαγῶς κτέ." iocans respondet Socrates, quia voce venandi Critobulus usus est. „At quomodo tandem?" „Incantationes sunt et philtra, quibus qui uti sciunt, homines alliciunt amicosque sibi faciunt et retinent." „Quomodo ista discere possumus?" „Qua incantatione Sirenes usae sint ut Ulixem caperent, bene nosti." „Haccine igitur utebantur ut ceteros quoque omnes allicerent?" „Non ita, ἀλλὰ τοῖς ἐπ' ἀρετῇ φιλοτιμουμένοις οὕτως ἐπῇδον". Significantur his verbis, ni fallor, ii qui honori ducunt sibi virtutem parare; sed quid hoc sibi vult quod Sirenes dicuntur ea incantatione, quam in Odyssea legimus, eos tantum homines allicere qui virtutem sibi acquirendam

Digitized by Google

proponant? Nonne omnes adducebant verbis blandissimis, *πᾶσι πόρρωθεν ἐπῇδον* (§ 31)? Quare non enumerat plures *ἐπῳδάς*? qui fit ut de philtris ne mentionem quidem faciat, quum tamen post verba *ἃ μὲν αἱ Σειρῆνες ἐπῇδον κτἑ.* eiusmodi plura sequi deberent? Omnia illa oraculo mihi obscuriora videntur et quasi dubitanter a Socrate expressa, neque profecto apta ad docendum iuvenem discendi cupidissimum. Hunc vero intellexisse apparet quid sibi velint verba Socratis, nam ita dicendo pergit: „Dicis fere talibus carminibus oportere aliquem incantari (laudari, *ἐπαινεῖν*, ut nonnulli legunt), quibus auditis non possit putare laudatorem se irridere velle; ut si quis hominem, parva statura et indecora facie et exiguis corporis viribus praeditum, magno et decoro et fortissimo corpore insignem esse contenderet." Hac sua explicatione, quam Socrates videtur admittere, satis contentus, rogat an hic etiam alias incantationes sciat. „Οὐκ, *ἀλλ' ἤκουσα μὲν ὅτι Περικλῆς πολλὰς ἐπίσταιτο*, quibus effecit ut cives eum amarent." Credas nunc sequi laudationem Periclis *τοῦ πάνυ*, ut ingenuo iuveni exemplo sit quomodo comparentur amici, — vehementer erras; quasi nihil audiverit neque ullius momenti iste Pericles sibi videatur, denuo rogat Critobulus: „At quomodo Themistocles civitatem sibi reddebat amicam?" Μὰ Δί' *οὐκ ἐπῴδων*, respondet Socrates, *ἀλλὰ περιάψας τι ἀγαθὸν αὐτῇ*." Iocose nimirum videtur Socrates dixisse Themistoclem, auctorem salutis patriae, aliquantulum boni attulisse civitati, sed dubito num iste iocus Socrate dignus habendus sit; et qualem, quaeso, opinionem de Pericle nobis imponere vult, cuius ars incantandi verbis *μὰ Δί' οὐκ ἐπῴδων* non sane laudari et extolli videtur? (cf. de notissimo usu vocis *μὰ Δί' οὐκ* § 9 huius capitis, III, 10, 4; III, 11, 11). At vero hunc sensum ex ultimis verbis elicere nobis licet: bene faciendo, exemplo Themistoclis, amicos nobis esse parandos. Non ita tamen intelligit Critobulus: „Videris mihi dicere, inquit, si velimus bonum quendam virum nobis amicum reddere, nosmet ipsos bonos esse oportere." Manifestum est hoc responsum non posse referri ad praecedentia, nam bonum esse et bene agere non est plane idem; qualis tamen fuerint ea ad quae Critobulus respondet, et quo casu ea perierint, nescimus. Id vero videor mihi demonstravisse, omnia quae legantur a § 10 usque ad § 14 obscura esse atque

Digitized by Google

sensu adeo carere. Quod si verum est, etiam ex ipso sermone manifestum interpolatorem teneri exspectari potest, neque vero desunt indicia. 1.) Verba *εἶναι μέν τινάς φασιν κτέ.* male sunt disposita, quasi haec sententia inesset: sunt quidem, sed non licet iis uti. 2.) Neque post verba *ἃ μέν*, neque post *ἥκουσα μὲν* sequitur suum *δέ*. 3.) Dubito num Xenophontis simplici et eleganti generi scribendi conveniat tam frequenter brevissimo intervallo uti hac structura: *ἃς οἱ ἐπιστάμενοι ἐπῄδοντες — ποιοῦσιν, οἷς οἱ ἐπιστάμενοι — χρώμενοι Φιλοῦνται, ἃ — ἐπῄδον, ἥκουσας, οἷα μὴ νομιεῖ ἀκούων τὸν ἐπαινοῦντα κατηγελῶντα λέγειν* (!), *ἃς ἐπῴδων τῇ πόλει ἐποίει αὐτὴν Φιλεῖν αὐτόν*. 4.) *ἐχθίων* pro *μᾶλλον ἐχθρός*, ut paulo ante (§ 9) rectius Xenophon ipse loquitur. Operae pretium est comparare ista cum colloquio iucundissimo inter Socratem et Theodotam, quo nihil praeclarius apud Xenophontem invenitur, et facile apparebit quam diverse hic et illarum ineptiarum auctor de eadem re loquantur.

Pauci adhuc loci mihi tractandi sunt. In Analectorum capite I Hartmannus agit de aetate et auctore libri de Vectigalibus, et citat locum e Commentariis (III, 6, 12.) quo demonstret Xenophontem hunc libellum composuisse (p. 9 sq.). Si verum esset verba *λέγεται βαρὺ τὸ χωρίον εἶναι* significare: *est profecto is locus difficillimus*, i. e. difficillimum est de administrandis metallis iudicare, responsum Glauconis: *σκώπτομαι*, *videris mihi verba dare*, nullum sensum haberet, nam nihil iocosi inesset verbis Socratis. Per totum colloquium autem Socrates stultissimo iuveni persuadere conatur eum nihil quidquam scire de ulla re quae ad reipublicae administrationem pertineat. Non dubitari igitur potest, quin voce *χωρίον* ipsam metallorum regionem Socrates indicet et adiectivum *βαρύ* non *difficile* significet, verum *insalubre* (cf. Kühner, Xen.'s Comment.). Ipse Glaucon, quo nullus est vanior et stolidior, sentit se rideri, ut apparet ex eius responso: *σκώπτομαι.* Hic igitur locus non est argumento Xenophontem scripsisse librum de Vectigalibus.

Finem faciam citando locum e capite nono libri tertii, quem Hartmannus miserrimum esse declarat (§ 1—4, p. 144 Analectorum). Neque ego credo Xenophontem scripsisse *ἐν πέλταις*

Digitized by Google

κτὲ. διαμάχεσθαι, sed quidni abiiciamus cum Dindorfio particulam ἐν, qua remota nihil barbari in sermone remanet? Restat ut demonstrare conemur exemplum Spartanorum et Scytharum, quo Xenophon ostendere vult virtutem partim animo esse insitam, partim opera et studio acquiri posse, non tam ineptum esse quam putat Hartmannus. Socrates interrogatus utrum virtus διδακτὸν sit an φυσικόν, respondet: probe se scire alium alio fortiore in periculis animo a natura esse praeditum, attamen hoc quoque sibi persuasum esse, uniuscuiusque virtutem disciplina et cura posse augeri. Scythae et Spartani, utrique natura audacissimi et fortissimi, si suis armis uti iis non liceret, nullum haberent studium pugnandi, alienis enim armis uti nesciunt. Ad virtutem innatam necesse est igitur ut accedat disciplina. Quum autem homines, quibus iam natura animum fortem praebuit, studio et industria virtutem possint amplificare, omnes, etiam qui tardioris ingenii sunt, curam et laborem impendere debent iis rebus ἐν οἷς ἂν ἀξιόλογοι βούλωνται γενέσθαι. Conferantur ea quae leguntur l. II, 6, 39: ὅσαι δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται (εἶναι), σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας.

Postremum vereor ne ingeniosius quam verius disseruerit Hartmannus (p. 146 sq.) de colloquiis quae Socrates cum artificibus habet (cap. decimo l. tertii). Quid enim, ut de primo et tertio sermone taceamus, legimus in sermone secundo? Socrates rogat Clitonem quo modo simulacra quasi animata efficiat. Non statim respondere potest artifex. Dein Socrates: „Non eo quod habitus et motus corporis exprimere conaris?" Assentiente Clitone, rogat: τὸ δὲ καὶ τὰ πάθη τῶν π. τ. σ. cet. Igitur et corporis motus et affectus animi effingendi sunt ut simulacrum vitae similitudinem praebeat; lucide hoc apparet vocabulo καὶ bis repetito. Ceterum maxime approbo metathesin verborum τῆς ψυχῆς.

Digitized by Google

QUAESTIONES AD HISTORIAM SCENICAM PERTINENTES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

I.

DE VESPARUM FABULAE ARISTOPHANEAE *ὑποθέσει*.

Argumenti quod Vesparum fabulae praemissum legitur longe maior pars est mera enarratio rerum quae in scena aguntur, qualem quilibet Aristophanis lector etiamnunc suos in usus conficere possit. Sed in fine superest particula parva quidem misereque corrupta, sed tamen quantivis pretii particula veteris didascaliae, qualis nisi ex antiquis fontibus profluere non potuit. Missa igitur verbosa quae praecedit fabulae expositione, ad hoc fragmentum eruditionis Alexandrinae unice animum attendere licebit.

Verba, quae volo, in codicibus Ravennate et Veneto sic extant exarata:

ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμυνίου (immo *Ἀμεινίου*) *διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει ὀλυμπιάδι β΄ ἤν. εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος.*

Graviter haec aegrotare quivis videt, et variis igitur remediis viri docti loco subvenire conati sunt. Nihil est *ἐν τῇ πόλει ὀλυμπιάδι*. Diesne festus quo acta est fabula indicandus erat? Aut *εἰς Λήναια* erat dicendum, quod statim sequitur, aut si Magnis Liberalibus data esset, *ἐν ἄστει* sive *κατ' ἄστυ*. Neque

Digitized by Google

ὀλυμπιάδι sensum praebet nisi adiciatur numerale. Quapropter multorum assensum tulit vir doctus Kanngiesser [1]) cum statueret *anni* indicium latere in suspecto vocabulo πόλει, hoc enim ex πθ (LXXXIX) esse corruptum. Speciosa coniectura; attamen videamus quid sic lucremur. Actam esse Vesparum fabulam ἔτει β' τῆς πθ' ὀλυμπιάδος, id verum est sane, sed non minus verum est aliena esse ista verba a veteri ὑποθέσει; nam neque in ipsis monumentis publicis vel in Aristotelis Διδασκαλίαις ea lecta fuisse quisquam contendet, neque Aristophanes Byzantinus aliusve e veteribus grammaticis additurus erat tam inutilem observatiunculam. Itaque postquam correcta sunt verba ad Kanngiesseri sententiam, spuria ea esse suo iure contendit Dindorfius, qui e textu eiecit tanquam „ab recentiore grammatico inserta." Non multum tamen profuisse dixeris remedium quod aegrum leto dederit, nisi forte laborantibus magis conducibile arbitremur lege artis interfici quam invito Aesculapio convaluisse. Nimis autem clementem iudicem se praestitit Iulius Richterus, cum palmariam emendationem vocaret coniecturam illam Kanngiesserianam; nam non est critici prudentis ita refingere verba obscura ut perspicua quidem fiant sed simul insulsissima et obelo digna.

Sed fac quam maxime verisimilem esse Kanngiesseri suspicionem si per se spectetur, confutatur tamen ex contextu; vicina enim restant corrupta, neque is sanasse locum dici potest qui unum aliquod vocabulum mutet, proximum nihilo minus obscurum intactum sinat. Nam aliquanto etiam gravius quam illud ἐν τῇ πόλει offendit bis commemoratus Philonides. Didascaliae verbis si credendum est, Philonides uno eodemque die festo duas fabulas Aristophaneas, Proagonem [2]) et Vespas, suo nomine dedit. Quod cum incredibile sit et vere absurdum, fortasse huic malo sic occurrendum arbitretur quispiam, ut aut verba διὰ Φιλωνίδου mutentur in διὰ Καλλιστράτου [3]), aut Καλλίστρατος

1) Alte kom. Bühne p. 268.

2) Proagonem fabulam, quae in argumento commemoratur, non a Philonide *scriptam* esse, sed *Aristophanis* esse comoediam, aliunde satis cognitam, quae Philonidis nomine scenae commissa fuerit, procul dubio recte statuerunt Willamowitzius Anal. Eur. 153, Kockius Fragm. Com. I p. 510, Dindorfius Fragm. Aristoph. (Poet. Scenic. p. 189), Blaydesius Fragm. Aristoph. p. 240, alii.

3) Quod suasit Meinekius.

Digitized by Google

substituatur pro Φιλωνίδης. Qualis tamen coniectura cum temeraria foret tum vero sensui nihil quidquam prodesset. Absurdus erat Philonidis aemulus Philonides, absurdus foret Callistratus!

Nam nego et pernego Athenis in ludis publicis eiusmodi artificia sive lege concessa fuisse sive per fraudem interdum adhibita, quibus id efficeretur ut binae comoediae eiusdem poetae in certamen simul prodirent. Si Aristophanes Philonidis nomine Vespas simulque per Callistratum Proagonem scenae committere poterat, quid obstabat quominus etiam tertium aliquem virum obscurum sibi adsciscceret, qui suo nomine tertiae fabulae Aristophaneae chorum impetraret? Sic vero solus Aristophanes agebat omnia, neque habebat cur ante diem festum trepidaret iudicumve Dionysiacorum reformidaret sententiam; tutus enim et securus in scena, veluti triceps, dominabatur et certo certius sciebat primas laturum esse Aristophanem, secundas Aristophanem, tertiasque Aristophani tributum iri [1]). Interim ceteri poetae comici ad moestum iratumque suum animum exhilarandum Archilochi versiculos detorquere poterant in aemulum vaferrimum et nimis prosperum:

νῦν δὲ Λεώφιλος μὲν ἄρχει, Λεώφιλος δ' ἐπικρατεῖ,
Λεωφίλῳ δὲ πάντα κεῖται, Λεώφιλος δὲ κλαύσεται [2]).

Credibile autem est non queritando solum et mussitando tempus trituros fuisse, sed operam potius daturos ut fraus palam fieret. Sin vero tacerent omnes, ipsos tamen spectatores Athenienses, quales eos novimus, latere non poterat artificium quo victoriam sibi ἀκονιτὶ paravisset poeta; aurita theatra non fallebat Philonidis vel Callistrati nomen, fabulae Aristophaneae publice praescriptum vel tamquam victoris renunciatum, sed omnes

1) Qui ultimus *de Callistrato et Philonide* egit A. Briel (Berolini 1887), pag. 56 sic scribit: „cur Aristophanes duas simul fabulas in certamen committendas curaverit „semper ignorabitur. Voluitne praecavere ne iterum exploderetur, cum alteram fabu„lam secundum saltem locum obtinere necesse esset, etiamsi altera caderet?" — Ad quam quaestionem, nimis fortasse candidam, respondere licebit, omnes sane scriptores tale quid praecavere velle libentissime, si modo possint, et libentius etiam praecauturos esse ne competitori primum cedere possit praemium, si hoc quoque per leges liceat assequi; sed id ipsum incredibile videri, certaminis scenici leges ita migrari potuisse ut suus quis ipsius evaderet aemulus.

2) fr. 71 Bergk; quos ad deridendum Metiochum Periclis amicum mutatos habes apud Plutarchum Mor. 811 *f.*

Digitized by Google

statim persentiebant hunc docuisse tantum fabulam, non fecisse, et vero poetae suam tribuebant laudem. Quod ut demonstremus, non opus erit profecto multis argumentis, ipse enim Aristophanes non verbis sed factis per totam vitam id ita est testatus ut dubitandi non relinquatur occasio. Nam nisi poetae satis honoris attulissent victoriae alieno nomine reportatae, tales victorias non appetivisset profecto; aliis docendas fabulas non tradidisset, si revera Philonidi vel Callistrato tribuissent cives quae peperisset ipsius ingenium laetum atque ferax. Post diem quo Daetalensium fabula spectata est et laudata [1]), nemo opinor erat Athenis quantumvis plumbeus in rebus literariis, quin probe sciret dicis causa tantummodo praescribi fabulis Aristophaneis nomina obscurorum quorundam homuncionum [2]), qui cum poeta ne comparandi quidem essent, sed hac una in re meliore quam ille uterentur condicione, quod cives essent Attici, cum Aristophanes civitate esset nimis dubia. Itaque cum Babylonii darentur, quivis spectator, nisi forte „Ἰωνικός τις ἀνὴρ" peregre advectus, intellegebat Aristophanis agi fabulam, etiamsi Callistrati nuncuparetur publice; neque id latebat archontem, qui Callistrato dederat chorum; neque Cleon, cum Callistratum propter hanc ipsam comoediam apud senatum maiestatis reum fecit [3]), nesciebat alienam hunc luere culpam, sed petivit quem per leges solum poterat [4]); haud aliter hodie maiestatis vel calumniae

1) Ipso certaminis die Daetalensium fabula pro Callistrati sane opere est spectata, tunc enim ignotus erat adhuc Aristophanes; quod et res ipsa fert et poeta diserte dicit Nub. 528 sqq. Sed postridie poetae nomen in omnium ore fuisse nec postea unquam in oblivionem abiisse quovis pignore certem.

2) Philonidem fullonem, postea poetam fuisse Suidas dicit s. v.; fragmenta nonnulla ex una eius fabula Κοθόρνοις afferuntur aliarumque duarum commemorantur nomina. Callistratum autem poetam ipse Aristophanes vocat Vesp. 1018 noto loco, ubi de primis suis comoediis, Daetalensibus Babyloniis Acharnensibus, loquens dicit se „aliorum poetarum ore" verba fecisse. Sed tamen poetarum nomine vix dignos eos fuisse inde potissimum apparet quod proli infitiatae parentem suum nomen commodare non recusarunt, nec erubuerunt publice laudari praemiisque donari pro alieni ingenii fetibus.

3) Quod disertis verbis ipse Callistratus in Acharnensibus fabula, ubi protagonistae partibus fungitur, testatur versu 377 sqq., 503, 631; cf. etiam 515 sq., 663.

4) Hanc sententiam, quae sana ratione satis commendatur, hodie regnare fere video, neque pluribus igitur verbis tuebor. Olim tamen non Callistratum sed ipsum Aristophanem reum factum esse, multi viri docti censebant, inter alios Ribbeckius in Acharnensium editione p. 216.

Digitized by Google

in iudiciis arcessi videmus ephemeridis editorem, si scriptionis culpatae ipse auctor ignoretur vel certe in iure designari nequeat.

Fac igitur impudentissimum et ventosissimum nebulonem fuisse Aristophanem, qui suus ipsius aemulus fieri cuperet quo certior esset victoriae, frustra tamen Philonides et Callistratus binis eius comoediis apud archontem petituri erant choros. Sin vero archon, a literis alienior, neque ipse ex ungue leonem agnosceret neque inter assessores amicosve suos haberet quem in censura fabularum oblatarum adiutorem sibi adsciscere aut posset aut vellet, — ne sic tamen impune id laturus erat comicus callidior aequo; acuti enim spectatores certo certius detecturi erant fraudem. Sed fac etiam totum theatrum illo die dormitavisse, nec intellexisse cum Aristophane in scena certare Aristophanem, — at postridie certe aemulus aliquis urbi et orbi ostensurus erat turpem dolum, et vere καδμεία igitur νίκη evasura erat poetae, qui malis artibus viam vincendi praeclusisset competitoribus. Nam postea sane nullus archon comoediae Aristophaneae chorum erat daturus. Semel igitur ut sic vincere potuerit comicus, alteram profecto victoriam numquam postea erat laturus.

At apage nugas in quibus refellendis ne nimis diu versatus sim vereor; in equorum certaminibus hodiernis tales fallacias nonnumquam adhiberi credibile est, — quid enim mortalia pectora cogit auri sacra fames! — sed campum literarium ab ista infamia purum fuisse neque coronam oleagineam eiusmodi artificio unquam fuisse surreptam confidere licet.

Attamen „interdum poetam duabus vicisse fabulis novimus ex monumento didascalico, quod Boeckhius edidit CIG. I p. 353 (nº 231): ἐπὶ Δι]οτίμου (Ol. 106, 3) Σιμύλος πρῶτος .... σίᾳ, ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος δεύτερος Νεκρῷ, ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος τρίτος Μαινομένῳ, ὑπεκρίνετο Κηφίσιος." — Verba sunt Dindorfii ad Proagonis fragmenta. Sed reicio testem, quem profert ut verum esse probet id quod credibile esse supra negavi; sunt enim haec ex posteriore illo tempore quo *quinos* poetas certasse et aliunde scimus et ex ipsa hac inscriptione, in qua sequitur ... ης τέταρτος Ποητῇ, quinti autem poetae memoria cum lapidis parte inferiore intercidit, sed praecedenti

Digitized by Google

anno quintum fuisse Antiphanem *Ἀνασῳζομένοις* in superiore parte inscriptionis lacunosae traditur. Illo autem tempore, quo quini certabant comici, si binis fabulis certare licuit, id neque indignor neque magnopere miror; nam si quis ex quinque sortibus duas sibi habet tributas, non multo meliore utitur condicione quam is cui una ex tribus concessa est. Sed tamen videndum an aliter fortasse interpretanda sit inscriptio. Nam si non concedas lapicidae errori imputari posse Diodori nomen iteratum, id tamen debebis concedere fieri posse ut ceteri quoque competitores binis vel etiam ternis certaverint fabulis, ita ut decem vel quindecim comoediae in certamen committerentur, quemadmodum tragoedos quaterna dramata docuisse in vulgus notum est. Tute igitur negligemus inscriptionem illam, qua rem confici Dindorfius aliique censuerunt, et id quod fieri non potuit ne factum quidem esse unquam nostro iure statuemus [1]).

Missam igitur faciamus suspicionem istam vere absurdam, de Aristophane suo ipsius aemulo. At illa reiecta simul concidit coniectura illorum qui statuerunt non Callistrati sed ipsius Aristophanis nomen Vespis praescriptum fuisse, et delenda igitur esse argumenti verba *διὰ Φιλωνίδου* [2]). Quae coniectura vel aliam ob causam est damnanda; vix enim credibile est Aristophanem, qui *γραφὴν ξενίας* expertus fuerat propter Equitum fabulam suo nomine commissam, insequenti statim anno chorda eadem oberraturum fuisse; immo neque hoc anno neque postea eum suo nomine victoriam appetivisse tutius statueris. Sed hanc quaestionem, quam in capite sequenti fusius tractabo, nunc mittere licet; nam etiamsi nihil obstitisset quominus suo nomine chorum peteret Aristophanes, in illum tamen diem festum, quo Proagon ipsius fabula Philonidis nomine est data, id non facturus erat, quoniam binis fabulis unum hominem certare non sinebat lex aut ratio.

---

1) Neque igitur nostram faciemus Bergkii coniecturam (Rel. Com. 369), *Amipsias Comissatores* revera *Phrynichi* fuisse fabulam, eamque Amipsiae nomine simul cum *Phrynichi Monotropo* in certamen esse propositam Ol. 91, 2.

2) Haec opinio, cuius auctor extitit Rankius, postea ab ipso reiecta sed nuper a v. d. Petersen recepta est multisque nisi fallor hodie placet.

Digitized by Google

Quid igitur fiet de fragmento didascaliae quod ad nos corruptum pervenit? depositumne dicimus? an novum tentandum videtur remedium? Equidem auctor sum ut in verbis corruptis non *olympiadis* quo acta est fabula indicationem quaeramus inutilem, sed potius nomina, quibus aegre caremus, *competitoris* qui secundas tulit *fabulaeque* ab eo compositae. Neque admodum arduum videtur ea nomina eruere; literae *ἐν τῇ πόλει ὀλ.* quid significent, si modo expungatur articulus, cito apparebit: corrupta sunt ΕΝΠΟΛΟΛ ex ΕΤΠΟΛΠΟΛ, id est ΕΤΠΟΛΙΣ ΠΟΛΕΣΙ.

Sic igitur verba constituenda censeo:
ἐδιδάχθη ἐπ' ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου. Εὔπολις Πόλεσι δεύτερος ἦν. — καὶ εἰς Λήναια ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προάγωνι. — Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος.

Quod si recte statui, integra fere supersunt ipsa didascaliae verba, quibus referebatur *Aminia archonte* (Ol. 89, 2, mense igitur Martio anni 422) *Vespas Philonidis* (id est Aristophanis) *primas tulisse Magnis Liberalibus*, *Eupolidis Urbes secundas*, *Leuconis Legatos tertias* [1]). Exciderunt tantummodo verba *ἐν ἄστει· πρῶτος ἦν*, insertum autem est grammatici alicuius monitum, quod in margine opinor olim appictum fuerat, haud sane inutile neque spernendum, licet ad ipsam didascaliam non pertineat: „poetam hoc archonte *bis* vicisse, Lenaeis enim huius anni (altero igitur mense ante Vespas) Proagonem eius fabulam primas tulisse, hanc quoque Philonidis nomine propositam" [2]).

---

1) Intellego opponi posse fragmentum inscriptionis anno 1878 evulgatae, quae ad victorias scenicas huius anni et sequentis pertinet, C. I. A. II 971 *b*:

[*κωμωιδων*]
..... Παι(*α*)[*νιεὺς ἐχορήγει*]
....*ος ἐδ*[*ίδαξεν*].

Nam si certum est quod statuitur, nomen poetae, qui Magnis Liberalibus huius anni vicit, in lacunosis his verbis latere, idque in *-ος* exiisse, *Hermippum* hunc fuisse vel *Archippum* vel etiam *Callistratum* suspicari poterimus, *Philonides* vero spoliandus erit praemio quod modo ei decrevimus. Verum neque probari potest, *ἀστικῶν* tantummodo certaminum in illo laterculo rationem esse habitam, neque constat recte suppletas esse literas quas lapis exhibet, cum praesertim ΠΑΙΔ potius quam ΠΑΙΑ in eo extare videatur, quod ΠΑΙΔΩΝ igitur fuisse non sine causa suspiceris. — Per hunc igitur lapidem nihil obesse arbitror quominus censeamus Vespas actas esse Magnis Liberalibus primasque tulisse.

2) Simile quid suspicatus est Richterus prol. p. 27; sumsit enim, duas notitias

Digitized by Google

Proagonem autem antecessisse Vespas eo libentius credimus, quod concinit haec opinio cum scholio ad Vesparum vs. 61, ubi grammaticus loquitur de fabulis Aristophaneis ante Vespas scenae commissis: *εἰσῆκται Εὐριπίδης καὶ ἐν τῷ Προάγωνι καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν.*

Superest ut inquiramus quid fragmenta, quae ex Eupolidis Urbibus aetatem tulerunt, nos doceant de tempore quo data sit haec fabula. Quod cum facere instituissem, de veritate coniecturae quam proposui ipse dubitans, non sine gaudio comperi, fragmentis eam plane confirmari et stabiliri. Eaedem enim res eidemque homines in iis perpetuo fere respiciuntur quos in Nubibus Vespis Pace tetigit Aristophanes [1]). Deinceps igitur recensebo fragmenta quae huc pertinent.

Quorum primum hoc est, quod proximo tempori *μετὰ τὰν* Πύλῳ aptissimum esse nemo negabit (fragm. 205 Kock):

οὓς δ' οὐκ ἂν εἵλεσθ' οὐδ' ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
νυνὶ στρατηγοὺς ἔχομεν. ὦ πόλις πόλις,
ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Componendum autem est cum his versiculis epirrhema Nubium de Cleonis praetura (vs. 575—594), prae ceteris autem haec verba:

ἀλλ' ὅμως εἵλεσθε τοῦτον. φασὶ γὰρ δυσβουλίαν
τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι, ταῦτα μέντοι τοὺς θεοὺς
ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ' ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν.

---

didascalicas, quarum altera ad huius anni Lenaea, altera ad Magna Liberalia pertineret, in unam confluxisse; olim igitur sic fuisse adnotatum:

I *εἰς Λήναια.* | *ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου* | *Ἀριστοφάνης Προάγωνι πρῶτος,* | *ὑπεκρίνετο Φιλωνίδης.* | ..... | ..... | *Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος,* | *ὑπεκρίνετο* ..... | .

II *ἐν ἄστει.* | *ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου* | *Ἀριστοφάνης Σφηξὶ πρῶτος,* | *ὑπεκρίνετο Φιλωνίδης.*

At etiamsi accipiamus suspicionem illam de Philonide non *διδασκάλῳ* fabulae sed *actori*, fieri vix potuit ut librarius aliquis ex his duabus notitiis unam faceret: quis enim coniuncturus eas et Vesparum fabulae ambas praescripturus erat? Ipsis autem grammaticis veteribus tam foedum, qualem Richterus statuit, errorem nemo tribuet.

1) Neque id fugerat Meinekium, cum verissime statueret Eupolidis *Πόλεις* nonnisi Olympiade 88 vel 89 potuisse in certamen committi (Hist. Com. p. 141).

Digitized by Google

In fragmento 218 (apud schol. Ar. Nub. 351) fur quidam vellicatur *Simo*, qui

ἐξ Ἡρακλείας ἀργύριον ὑφείλετο,

aliunde autem hunc hominem non novimus nisi ex Aristophanis Nubibus, ubi vs. 351 ἅρπαξ τῶν δημοσίων vocatur et ἐπίορκος in versu 399. Heracleam vero quam dixerit Eupolis ignoramus. Paene adducor ut suspicer legendum esse ἐξ Ἡρακλέους γὰρ ἀργύριον ὑφείλετο, et alludi ad furtum illud quod in Sophoclis Vita et clarius a Cicerone de Divinatione I 25 [1]) commemoratur; sed incertissima haec esse eo libentius fateor quod a quaestione in qua versamur aliena sunt.

Fragmento 211 laudatur *Stilbides* haruspex (quem brevi ante cladem Siculam obiisse ex Plutarcho in vita Niciae p. 539*a* constat): idem nominatur Pacis vs. 1031. — In fragmento 212 vates occurrit *Hierocles*: etiam ab Aristophane comes ille Stilbidi adiungitur Pacis vs. 1046.

In Platonis scholiis (Eupol. fr. 239) legimus, Eupolim in Urbibus Chaerephontem propter colorem luridum appellasse πύξινον. Idem de eodem homine dixit Aristophanes Nubium versu 104, ubi ὠχριῶντες καὶ ἀνυπόδητοι per chiasmum vocantur Socrates et Chaerephon; clarius autem in Vespis vs. 1413, ubi Chaerephon similis esse dicitur θαψίνῃ Ἰνοῖ, Euripidis heroinae miserabili. — Cratinum quoque in Πυτίνῃ, quae eodem cum Nubibus die in certamen commissa est, risisse Chaerephontis squalorem et paupertatem, testatur schol. Platon. 331 Bekk.

In fragmento 235 mollis quidam et delicatulus iuvenis vellicatur Philoxenus:

ἔστι δέ τις θήλεια Φιλόξενος ἐκ Διομείων,

in eundem autem scriptus est Aristophanis iocus Nub. 685 sqq.:

ἄρρενα δὲ ποῖα τῶν ὀνομάτων; — μύρια·
Φιλόξενος Μελησίας Ἀμυνίας.
— ἀλλ' ὦ πονηρέ, ταῦτά γ' οὐκ ἔστ' ἄρρενα,

1) *Cum ex aede Herculis patera aurea gravis surrepta esset, Sophocles in somnis vidit ipsum deum dicentem qui id fecisset* etc.

Digitized by Google

in quibus non ad nomen sed ad ipsum virum parum virilem traducendum commemorari Philoxenum quivis videt; sin quis dubitet, certiorem reddet alter locus Aristophaneus, ubi non tecte et urbane sed vel nimis aperte de Philoxeno iudicium fertur, Vesp. 84:

καταπύγων ἐστὶν ὅ γε Φιλόξενος.

Eryxidis hic est filius, quem Anaxagorae magistri dedecus vocat Aeschines apud Athenaeum V 220*b*, quem votum fecisse aliquando ut gruis sibi guttur obtingeret Athenaeus refert p. 6*b*; cum notissimo vero dithyramborum poeta cognomini a quibusdam male confusum esse, suo iure statuit Bergkius in Commentatione de Reliq. Com. Att. p. 208 sqq.

In Urbium fragmento 213 perstringitur Demus, Pyrilampis filius nimis formosus:

καὶ τῷ Πυριλάμπους ἄρα Δήμῳ κυψέλη
ἔνεστιν;

quod autem capsam Demo inesse contendit poeta, pro stupiditatis signo id per proverbium afferri censent viri docti, sive iure sive iniuria, non enim satis id intellego [1]); sed id certe constat vellicari iuvenem pueritiae annos vixdum egressum, quem Aristophanes quoque risit Vesparum festivo loco vs. 98, ubi iocose innuit, per urbem passim ianuis murisque inscriptum legi Demi nomen, quem omnes iam depereant:

καὶ νὴ Δί' ἦν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
υἱὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλόν,
ἰὼν παρέγραψε πλησίον „κῆμος καλός."

In Eupolidis fragmento 215 muliercula quaedam nomine Rhodia, Lyconis uxor, Autolyci mater, cum contumelia designatur, utpote ad quam cuilibet liber pateat aditus:

ὥσπερ ἐπὶ τὴν Λύκωνος ἔρρει πᾶς ἀνήρ.

Quid vero moverit Eupolim ut prostibulum eam vocaret, Aristophanes narrat in Parabasi Vesparum, dum se ipse collaudat simulque aemulum Eupolim vellicat (vs. 1024 sqq.):

---

1) Minus obscurus foret iocus, si referri posset ad proverbium de piscatoribus εὕδοντι κύρτος αἴρεῖ, cuius parodia εὕδοντι πρωκτὸς αἴρεῖ apud Cratinum in fabula Ἀρχιλόχοις in quosnam nebulones tendat, supervacuum videtur monere.

Digitized by Google

οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα, οὐδὲ παλαίστρας περικωμάζειν πειρῶν· οὐδ' εἴ τις ἐραστὴς κωμῳδεῖσθαι παιδίχ' ἑαυτοῦ μισῶν ἔσπευδε πρὸς αὐτὸν, οὐδενὶ πώποτέ φησι πιθέσθαι, γνωμήν τιν' ἔχων ἐπιεικῆ ἵνα τὰς Μούσας αἴσιν χρῆται μὴ προαγωγοὺς ἀποφήνῃ,

i. e.: *nec tamen poeta vestro favore elatus superbire coepit aut in palaestris puerorum pudicitiae insidiari, neque si quis amator amasium suum perosus a poeta peteret ut in scena eum traduceret, talibus precibus aurem praebuit unquam, ne musam suam ad lenae ministeria detrusisse dici posset.* — At id quod se fecisse Aristophanes negat, Eupolim id fecisse claro innuit: ab illo igitur nescio quo petente Autolycum cum matre in fabulis vellicatum esse (conf. Pac. 751) contendit. Quod quibusnam potissimum in comoediis fecerit Eupolis, mitto quaerere [1]); cavendum vero ne in errorem adducamur verbis scholii ad vs. 1025: δι' Εὔπολιν· ἐν Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτά φησιν, — quae neque per se spectata sensum praebent idoneum, fieri enim non potuit ut in Autolyco fabula ultro Eupolis testaretur „se palaestras lustrare ad corrumpendos iuvenculos," neque cum temporum ordine conciliari possunt; Eupolidis enim fabula Autolycus, qua et ipsum hunc iuvenem et eius parentes turpiter proscidit, acta est biennio post Vespas, uno anno post Pacem [2]). Non tamen scholiasta erravit si quid video, sed librarius; Didymus enim vel quisquis fuit annotaverat ἐπ' Αὐτολύκῳ δὲ τοιαῦτά φησι, neque igitur subiectum sententiae, quod mente est supplendum, *Eupolis* est sed *Aristophanes*; vertatur: *iuvenis, quem ab Eupolide proscindi Aristophanes innuit, est Autolycus.*

---

1) In annotatione tamen quid suspicer breviter exponam. Nisi fallor ipsam *Urbium* fabulam respicit Aristophanes; verba enim quae attulimus, quibus simillima leguntur in Pace (vs. 751 et 762), Vespis tum demum cum tota parabasi inseruit cum fabulam hanc retractaret, post Cleonis igitur mortem, nec tamen diu post. In Pace autem respicere poterat Eupolidis Urbes, praecedenti anno datam fabulam, in Vespis quo tempore actae sunt non poterat.

2) Neque Aristophani aemulo pepercisse Eupolim in Autolyco fabula, nostro jure statuere possemus si nulla de ea re ad nos pervenisset memoria; quali tamen coniectura nihil opus est, nam diserte testatur scholiasta Platonicus noto loco, Eupolim in Autolyco deridendam propinasse spectatoribus ingentem Pacis statuam quae in Aristophanis comoedia cognomini ex antro protrahitur et in scena collocatur.

Digitized by Google

Etiam ad Amyniae legationem Eupolis in Urbibus allusit, quam Aristophanes risit his verbis Vesparum vs. 1271:

ἀλλὰ πρεσβεύων γὰρ ἐς Φάρσαλον ᾤχετ' etc.,

ubi cum Thessalis penestis dicitur societatem eo facilius iniisse quod ipse esset πενέστης ἔλαττον οὐδενός. Hanc igitur legationem καὶ Εὔπολις ἐμφαίνει ἐν ταῖς Πόλεσιν, ut scribit scholiasta, simul ipsa verba Eupolidis afferens, quae tamen hoc loco excribere supersedeo, quoniam nimis corrupta ad nos pervenerunt; rem ipsam quominus addubitemus obstat alterum testimonium in schol. Nub. vs. 691: Εὔπολις ὡς παραπρεσβευτὴν Ἀμυνίαν σκώπτει.

Leuconis quoque fabulam Πρέσβεις mordacibus iocis de Amyniae πρεσβείᾳ vel παραπρεσβείᾳ non caruisse, ipsumque nomen et argumentum fortasse inde deduxisse, suspicari licet, probari nequit, cum de Leuconis illa fabula praeter nomen nihil omnino compertum habeamus.

Unum indicandum restat Urbium fragmentum 232. De Chio insula, foederata illa civitate quae in paucis fidam se praestitit Atheniensibus, Eupolis dixit:

πέμπει γὰρ ὑμῖν ναῦς μακρὰς ἄνδρας θ' ὅταν δεήσῃ,

copias navesque longas vobis praebet si quando opus sit. Nonne is qui sic loquitur innuere videtur eiusmodi apparatum bellicum iam *non* requiri? nonne igitur veri videtur simillimum, quo tempore haec dicebantur non fuisse bellum? Equidem putaverim vel haec sola verba sufficere ad assignandam Urbium fabulam tempori τῆς ἐνιαυσίας ἐκεχειρίας, illi igitur anno quo scenae commissae sunt Vespae.

Addo me prorsus consentientes habere viros doctos Runkelium [1]) et Raspium [2]), uterque enim huic ipsi anno (Ol. 89, 2) fabulam tribuit.

Tenemus igitur in Eupolidis verbis anni quo Urbium fabula acta est indicium [3]): nec non ipsum diem festum indicavit poeta.

---

1) De Eupolidis Δήμοις ac Πόλεσιν 1832.

2) Pherecratis et Eupolidis fragmenta 1829 p. 143.

3) Contra tot indiciorum concursum nihil valet unum argumentum quod posterius tempus attestari videtur; fragmentum dico 207 in schol. ad Aristophanis Av. 1297,

Digitized by Google

In scholiis enim ad Acharn. 504 haec legimus: *εἰς δὲ τὰ Διονύσια ἐτέτακτο Ἀθήναζε κομίζειν τὰς πόλεις τοὺς φόρους, ὡς Εὔπολίς φησιν ἐν Πόλεσιν.* — Ex quibus verbis discimus, adventum Urbium, quae singulae procedebant in orchestram, a poeta sic fuisse explicatum, ut fingeret debita tributa ab iis solito tempore, id est tempore Liberalium, Athenas deferri. Quod nisi ipsa Urbium fabula Liberalibus agenda esset parum aptum erat inventum [1]).

Confidenter igitur suadeo ut PHILONIDIS (id est Aristophanis) VESPAS, EUPOLIDIS URBES, LEUCONIS LEGATOS ARCHONTE AMINIA MAGNIS LIBERALIBUS actas esse [2]) in fastis scenicis adnotemus; primas tulisse Philonidem, secundas Eupolim, tertias Leuconem. Quam per se non spernendam esse notitiam concedent ut spero philologi; proxima autem occasione fusius ostendere conabor cur apprime nostra scire intersit, Aristophanis, cum Vespas doceret, aemulum fuisse Eupolim. Prius tamen par est me solvere promissum quod supra dedi, pluribus me esse expositurum de Aristophanis *ξενίᾳ*. Quae sequentis igitur capitis praebebit materiem.

II.

DE ARISTOPHANE PEREGRINO.

Peregrinum fuisse Aristophanem, disertis verbis dicit biographus, cuius verba integra apponenda videntur:

---

ubi *Syracosius* vocatur catulus latrans, qui idem Aristophanis l. l. audit *pica* (*κίττα*) *garrula*, nec non in Phrynichi *Μονοτρόπῳ* tangebatur, quae fabula simul cum Avibus est commissa. Fortasse igitur per errorem scholiasta *Urbes* nominavit cum Baptas aliamve comoediam Eupolideam vellet.

1) Lenaeis Ol. 89, 3, sequentis igitur anni, Urbium fabulam assignabat vir d. Mueller-Struebing Aristoph. p. 286 sq. in annotatione. — Qui quod addit, Cimonem cum Elpinice et Aristidem e mortuis excitatos in scena apparuisse, id causa carere censeo. Senem aliquem in Urbibus primas partes egisse potius crediderim, qui in fr. 233, plane ut Philocleon apud Aristophanem Vesp. vs. 286 sq., lactos iuventutis dies recordetur; hunc etiam in fragmento 221 (*οὐδὲν ἐσμὲν οἱ σαπροί*) loqui puto, necnon ei tribuerim fragmenta 208 et 216, in quibus ad Miltiadis et Cimonis tempora alluditur.

2) Verum igitur vidit Richterus, cum contenderet Vespas *ἐν ἄστει* datas esse.

Digitized by Google

διήχθρευσε δὲ αὐτῷ (nempe Cleoni) ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἔθετο, καὶ ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων. ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς αὐτόθι ποιεῖσθαι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατὰ τινὰς δὲ ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης. ἀπολυθῆναι δὲ αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ Ὁμήρου ταῦτα·

μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἐγώ γε
οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε καὶ οὕτω φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος.

Haec non de nihilo ficta esse cuncta, immo ex optimis fontibus magnam partem fluxisse, sentit quicunque perlegit. Sed male turbata et manifestis mendaciis intermixta esse concedendum est. Ut id quod loco ultimum est primum indicem, non est verum Aristophanem Cleonis *κατακρατῆσαι*, neque facile dixeris quo sensu hoc accipi voluerit grammaticus, nisi *κερτομεῖν ἐπὶ κατθανόντι Κλέωνι*, quod fecit in Pace et in Vespis retractatis, idem sit quod debellasse vivum. Neque id verum est, Aristophanem unquam *φανερὸν κατασταθῆναι πολίτην*, nullum saltem huius rei ad nos pervenit indicium; immo contrarium evinci posse videtur.

Audiamus ipsum poetam.

Alieno nomine Aristophanes docet primas fabulas, Daetalenses Babylonios Acharnenses. In Equitibus dicit se id ideo fecisse quod suo nomine docere fabulam tunc non sineret imperitia [1]).

---

1) Verba coryphaei, quae huc pertinent, haec sunt (vs. 512 sqq.):

ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας
καὶ βασανίζειν πῶς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευε φράσαι περὶ τούτου. φησὶ γὰρ ἀνὴρ
οὐχ ὑπ' ἀνοίας τοῦτο πεπονθὼς διατρίβειν, ἀλλὰ νομίζων
κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων.

Et vs. 541 sqq.:

ταῦτ' ὀρρωδῶν διέτριβεν ἀεί, καὶ πρὸς τούτοισιν ἔφασκεν
ῥήτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κἄπτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
κἄπτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Notatu autem dignum est, quod his verbis poeta spectatores *exorare* studet quodam-

Digitized by Google

Equites docet suo nomine: iam igitur pudor ille iuvenilis non amplius obstat. Post Equitum fabulam actam ξενίας insimulatur [1]). Absolutum contendit biographus propter iocum tempestive dictum. Esto, et facetiis non argumentis apud iudices certatum fuisse credamus: — haud aliter tamen posthac eum agere videas ac si damnatus fuisset, ceteras enim fabulas perinde atque primas alienis nominibus docet. Cur non suo? etiamne propter breves annos? Ranasne igitur cum doceret imberbis adhuc erat iuvenis scenaeve non satis peritus? Nae δὶς παῖδας τοὺς ποιητάς fieri sic statuamus necesse est! Apage causam commenticiam et manifesto falsam [2]), et si quis cupit scire quid comicum moverit ut cuculi instar alienis nidis sua concrederet ova [3]), eius aemulos interroget potius quam ipsum Aristophanem; nam hunc fictas causas interseruisse cum contenderet pudore vel imperitia se aliquantisper a scena deterritum fuisse, ostendunt fabulae quas provectiore aetate in certamen commisit nec tamen suo nomine commisit: non audiendus igitur est testis qui sibi ipse contradicat.

Aemuli vero cui causae imputarent mirificam illam sui diffi-

---

modo, ne sibi stomachentur qui nimis fere modestum se hactenus praestiterit. Unde statim apparet nullam in causa fuisse „legem annalem", qualis Athenis extitisse olim credebatur propter scholium interpolatum ad Nubium versum 530. Nam si extitisset, *modestiam* profecto nullam ostendisset poeta qui non ante tempus legitimum chorum peteret, neque flagitasset opinor a spectatoribus ut *ignoscerent* sibi quod legi scilicet vim non intulisset.

1) Accusationem diserte testatur schol. Acharn. 378: καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο (Cleon) καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν. Propter *Equitum* autem fabulam poetae illam litem intentatam fuisse, Rankii est suspicio, quam libenter meam facio.

In Vitae vero verbis supra allatis accusatio κακονοίας εἰς τὸν δῆμον, qua Callistratus petitus est, et altera illa qua Aristophanes ξενίας est postulatus, coniunctim et vel inverso ordine commemorantur; quod tamen in unam coaluerunt prorsus absurde, non veterum grammaticorum ea est culpa sed Bergkii, qui delebat καὶ ante ὅτι.

2) Minus etiam prosunt verba quae in Nubium parabasi leguntur vs. 530 sqq.; nam ibi de sola *Daetalensium* fabula loquitur poeta, hanc autem assimulat proli furtivae, a matre expositae sed ab alia puella susceptae et servatae. At verbis tam parum definitis utitur ut rem adumbrare potius quam illustrare videatur, nec pro certo inde quicquam effici possit.

3) Non explicationem reiecit sed ipsam rem nimis audacter negavit Kockius, in Commentatione de Philonide et Callistrato (a. 1855). Scilicet poetam post Equites ceteras comoedias cunctas suo nomine docuisse contendit, et erroris insimulavit grammaticos, contrarium passim tradentes; hos enim διδασκάλους vocasse qui revera fuissent πρωταγωνιστάς. Quam opinionem ante eum proposuerat Dindorfius.

Digitized by Google

dentiam nimiumque illud studium occultandi sui nominis, non sane reticuerunt, neque tecte sed disertis mordacibusque verbis plus semel significarunt. *Peregrinum* eum fuisse una voce testantur, nemo autem clarius quam Eupolis, qui in parabasi nescio qua sic conquestus est de iniquo spectatorum Atheniensium iudicio:

ὅ τι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφοὺς,
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδὲν ἓν χεῖρον φρονῶν
ἐπιτίθηται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν [1]).

Nam de Aristophane sibi praelato Eupolim sic queri manifestum est me iudice et omnes fere consentiunt [2]). De nihilo tamen fictam fuisse peregrinitatis hanc accusationem, nuper contendit Brielius [3]). At quam multa ei consideranda fuerant priusquam sic statueret. Nam ut mittam alia quae contra moneri possent — spectatores igitur quomodo intelligere poterant Eupolidis verbis, quae supra attuli, carpi potissimum Aristophanem? Nisi certus aliquis extaret Eupolidis aemulus nimis felix, quem civico iure carere in vulgus notum esset, acumen deerat querelae et aquam verberabat Eupolis.

Respici autem Eupolidis his verbis fabulas Aristophaneas quae post Equites datae sunt, *Vespas* praesertim, certum est. *Equites* enim Aristophanes cum doceret, amice adhuc cum Eupolide consueverat, ita ut hic postea contendere posset se fabulam illam Aristophani dono dedisse [4]); *Nubium* autem fabula non placuit in scena, neque igitur Eupolidi invidiam movere potuit; neque *Pacem* respicere potuit, hanc enim vicit ipsius fabula Adulatores.

Peregrinum igitur illum nimis prosperum, cum vincere vix possent aemuli, ulti sunt irridendo, *γναθμοῖς* tamen *ἀλλοτρίοισιν*. Ridebant illum qui multa agendo sibi nihil ageret, sed veluti novus in scena Hercules suis laboribus alienae gloriae inserviret. *Τετράδι γεγονότα*, Herculis die natali malo omine natum, Plato

1) Fragm. 357 Kock.

2) Praeunte Meinekio. Rankius cum olim scripsisset „ne minimum quidem indicium adesse, ad Aristophanem Eupolidis querelam pertinuisse", postea in breviore de Comici vita commentatione, quae praemissa est editioni Meinekianae, ipse ad Meinekii opinionem accessit. De Meinekianae explicationis veritate dubitare se innuit Zielinskius in libro Gliederung der altatt. Komödie (a. 1885) p. 242.

3) De Callistrato et Philonide p. 41.

4) Fragm. 78 Kock, e Baptis allatum apud Schol. Nub. 554, Equit. 1291.

Digitized by Google

eum dixit in Pisandro [1]); quem iocum ceteri competitores Aristonymus Amipsias Sannyrio [2]) cupide arripuerunt, ut subsannando invidiam celarent solarenturve repulsam. Aristophanes vero ita respondit ut decebat poetam ingeniosum. Comparationem enim, quae in eius contumeliam ab adversariis fuerat excogitata, ita detorsit ut magnifice se collaudandi inde captaret occasionem. „Hercules sum? esto, Cerberum saltem meum devictum mihi habeo et prostratum"; — et hinc erupit in splendidos illos versus qui in Pacis fabulae parabasi ita placuerunt ut postea etiam Vesparum parabasi eos inseruerit [3]).

Alterum quoque dictum ex Platonis Pisandro, verba Ἀρκάδας μιμούμενος [4]), ad Aristophanem pertinuisse fidenter contendo; his enim Platonem non se ipsum designasse, concedet opinor quicunque secum reputaverit, comicorum iocis aculeatis cum ceteros cives peti tum praesertim competitores scenicos, se ipsum vero plebeculae deridendum propinare, id neque comici neque sani omnino esse hominis; quod tamen fecisset Plato si palam in theatro confessus fuisset: „Arcadis instar latronis cuilibet praesto sum, qui praesentibus nummis conducere me velit". Felici autem errore Eustathius [5]) ita conglutinavit bina illa dicta τετράδι γέγονας et Ἀρκάδας μιμούμενος, ut suam quidem ἀκρισίαν luculenter ut assolet testificetur, sed simul ostendat se in fontibus suis coniunctim ea commemorata invenisse:

---

1) Teste Zenobio, fragm. Platonis 100 Kock.

2) Testibus Vita Aristophanis et Schol. Platon. Apolog. p. 19*c*.

3) Non enim vivo Cleone ea scripta aut in scena audita fuisse certum est. Immo quaecunque sive in Nubibus sive in Vespis reperiuntur de Cleone contumeliose dicta, post mortem demagogi a poeta cum fabulas illas retractaret sunt inserta. Vespae cum primum actae sunt, Aristophanis talis erat animus qualem sibi unquam fuisse postea denegavit his versibus additis (Vesp. 1284 sqq.):

εἰσί τινες οἵ μ' ἤλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος etc.;
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Ecce vero sorex suo se indicio prodens; nam qui sic negat se metuisse, ultro confessus esse metum dici potest. — Sed de Vespis retractatis et ipso hoc loco accuratius exponendi posthac erit occasio.

4) Platon. fr. 99 Kock. apud Suidam i. v.: ταύτῃ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ· διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.

5) Pag. 802, ad Hom. B 611.

Digitized by Google

vinculum autem horum iocorum nullum erat nisi in unum eundemque hominem, in Aristophanem igitur, et hic dictus esset et ille [1]).

Quae cum ita sint, non dubito quin Suidae locus vitio sit liberandus. Nam si Aristophanem cum mercenario ex Arcadia milite comparavit Plato, tertium comparationis esse non potuit Aristophanis paupertas; pauperem enim fuisse neque aliunde traditum neque omnino veri est simile; neque si quam maxime fuisset, scribendo paupertatem levare poterat. Alia Athenis alia Romae erant poetarum praemia; non ad Ilyssum paupertas audax impellebat humili loco natos ut versus facerent [2]).

Numquid igitur apud Suidam et Eustathium delemus verba illa διὰ πενίαν, tamquam incommodum emblema? Non ego auctor sum. Nam si statuimus comparationis ansam praebuisse originem Aristophanis parum Atticam, in promptu est corrigere διὰ ξενίαν.

Haec causa Aristophanem, cum primum comoediae manum appulit, prohibuit quominus suo sibi nomine chorum peteret. Lex obstabat scenica; non annalis, sed illa quae vetaret peregrinos de corona Bacchica certare [3]). At cum fabula eius

---

1) Copiose et eleganter idem demonstravit Cobetus in Commentatione de Platonis Reliq. p. 102—110.

2) Non famem sed *nimias opes* Aristophanem movisse ut aliis docenda traderet sua dramata, mirifica est opinio Brielii ll. p. 12; fastidivisse enim poetam divitem et nobili loco natum molesta chorodidascali negotia, utque totus suae arti vacare posset per vicarios comoedias suas docendas curasse. — Levis profecto suspicio, cuius nullum argumentum proferatur aut potuerit proferri. Non ego certe talem novi Aristophanem, qualem sibi finxit vir doctus, qui „quo prudentior erat eo facilius fugacem populi affectum plausumque parvi duceret" (p. 18). Ea philosophum eumque grandaevum, non poetam iuvenem.

3) Poetis peregrinis chorum concessum non fuisse, diserte testatur nemo, quod sciam, sed satis certum tamen videtur. De comoediae incunabulis, priusquam χόρον ὁ ἄρχων ἔδωκεν, non loquor; nam ludere et iocari poterant omnes omni tempore, qui ingenio otioque affluerent suosque sibi auditores haberent; sed ad sollemnia publica celebranda nonnisi cives admittebantur, neque Lenaeis aut magnis Liberalibus poeta peregrinus coronari, praemio ornari, eiusque nomen in monumenta publica recipi poterat aptius quam in εὐανδρίας certamine, ut hoc utar, locus erat seni ἁλλοφόρῳ ex Ionia vel Lacedaemone advecto.

Non aliter iudico de tragoedia, quamquam Ionis Chii, Dionysii tyranni, aliorum fortasse nomina contra me afferri posse non nescio. Qui si suo nomine certarunt, per exceptionem, nisi magnopere fallor, ad ludos publicos aditum sibi apertum habuerunt.

Choragias postea certe immunes non fuisse inquilinos qui divitiis pollerent, ex

Digitized by Google

Acharnenses alieno nomine splendidissimam reportasset victoriam, quidvis sibi licitum fore sperare coepit poeta, suique fiducia elatus, fretus autem auxilio nobilium adulescentium quibus perplacebat eius musa festiva et democratiae infestissima, maius aliquid audendum ratus in novam Equitum fabulam χόρον ἔστησε καθ' ἑαυτόν. Quem cum accepisset, in parabasi sollemnibus fere verbis spopondit, posthac se neque reip. defuturum esse neque suae ipsius gloriae, cui olim minus consuluisset certis quibusdam de causis: — et fictas aliquas profert, quas supra vidimus. Scilicet veram causam indicare non poterat; absurdum enim fuisset palam profiteri: „peregrinus sum equidem et hactenus legi „obtemperandum duxi; nunc vero eam violare mecum constitui „et in posterum violare pergam."

Sed iuvenilem audaciam, quam excitaverat recens fama et optimatium consuetudo quotidiana, mox fregit Cleon, qui haud cunctanter fecit id quod nunquam eum ausurum esse Aristophani persuaserant iuvenes nobiles quibus utebatur amicis. Noli tamen credere Cleonem de iocis mordacibus, quibus in scena vellicatus fuerat, conquestum esse apud iudices; non tam futile ei erat ingenium et aliquanto graviora opinor agere solebat dux partium popularium. Sed legi laboranti opem ferendam censuit, cum irrideri eam intellegeret ab adulescentulo qui bonorum virorum propugnator sibi aliisque videretur. Accusavit ergo aut ab aliis accusandum curavit poetam qui civis sibi Attici iura arrogasset [1]).

---

verbis Demosthenis Leptin. § 18—20 claro apparet, et clarius etiam ex plebiscito de Sidoniis CIG. 87 (= CIA. II 86, Dittenberger. Syllog. 93), quod ad idem fere tempus pertinet; quo iure autem in scholio ad Arist. Plut. vs. 954 perhibeatur, solis Lenaeis, non Magnis Liberalibus, inquilinos munere choragorum functos esse, in medio relinquendum duco. Id vero constat, cum Demosthenis aetate tum aliquanto antea valuisse legem μὴ χορεύειν ξένον, ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν χορηγόν, ut loquitur Plutarchus Phocion. p. 755c; sic statuerant Athenienses βουλόμενοι μηδένʼ ἀγωνίζεσθαι ξένον (Demosthen. c. Mid. § 56; vid. etiam *Andocid. c. Alcibiad. § 20). In *choris* igitur scenicis nonnisi civibus locus erat.

1) Non alienus hinc est Vesparum vs. 718 sq., licet ad ipsum poetam difficilior hic locus (de quo vid. Mueller-Struebing Aristoph. p. 74—96) pertinere non videatur: *nullas non largitiones demagogi promittunt plebeculae esurienti; at ubi standum est promissis, pro trecenis modiis vix tricenos dant, et ne hos quidem sic secum domum abportare licet, sed quotidie ad magistratus recurrere oportet ut unum hordei sextariolum tibi expetas; praeterea autem periculum est perpetuum ne in peregrinitatis illud crimen incidas;*

καὶ ταῦτα, μόλις ξενίας φεύγων, ἵλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν.

Digitized by Google

Neque victorem ex illa contentione evasisse Aristophanem, satis testantur ipsius verba in Vespis (vs. 1285 sqq.):

Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις (?) ἔκνισε· κἀθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην
οὐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,

quibus fidem habeo maiorem quam biographo, comicum propter Telemachi illa verba opportune — si modo opportune! — citata absolutum esse affirmanti. — „Non iterum faciam!" Aristophanes clamavit opinor, aut si non flebilibus verbis id promisit, secum tamen inde ab hoc die id constituit. Neque fecit iterum.

Civem igitur Atticum Aristophanem non fuisse, minime dubium videtur; verba autem pro argumentis dat Brielius [1]) sic disserens: „Nam quin Aristophanes verus civis Atheniensis fuerit, „nemo potest dubitare, etiamsi breviter tantum in transitu „comoedias eius percensuerit. Etenim si non Atheniensis fuisset, „etsi summo ingenio fuisset praeditus, ne unam quidem Aristo„phaneam comoediam composuisset." — Athenis eum constanter fere versatum fuisse et cum optimo quoque consuevisse, id libenter sane concedo; sed de peregrinitate hinc quicquam effici posse nego. Metoecus erat Lysias: quidni fuerit Aristophanes?

Aliquanto magis sane me movet testimonium vetustum in Vitae principio, Aristophanem civem Atticum fuisse e demo Κυδαθηναιῶν, tribus Πανδιονίδος. Quae sine controversia vera esse

---

Hoc ipso igitur tempore ξενίας γραφάς Athenis satis frequentes fuisse luculenter patet; nam non solam διαψήφισιν anni 445 respici a poeta, quivis intellegit. Quam dubia autem multorum Atheniensium fuerit origo tempore belli Peloponnesiaci, ex iocis comicorum satis notum est, et gravibus verbis Isocrates testatur 8 § 88: ἥλιδον σφᾶς αὐτοὺς (Athenienses) τοὺς μὲν τάφους τοὺς δημοσίους τῶν πολιτῶν ἐμπλήσαντες τὰς δὲ φρατρίας καὶ τὰ γραμματεῖα τὰ ληξιαρχικὰ τῶν οὐδὲν τῇ πόλει προσηκόντων ἐμπλήσαντες. Exemplum unum aliquod si requirimus, Hyperbolus ille, qui dux fuit partium popularium, servi filius erat, si quidem Andocidi credendum est, quod ego sane non suaserim; cuius verba haec sunt (fragm. in schol. Ar. Vesp. 1007): περὶ Ὑπερβόλου λέγειν αἰσχύνομαι· οὗ ὁ μὲν πατὴρ ἐστιγμένος ἦτι καὶ τὸν ἐν τῷ ἀργυροκοπείῳ δουλεύει τῷ δημοσίῳ, αὐτὸς δὲ ξένος ὢν καὶ βάρβαρος λυχνοποιεῖ. Sic non iocatur poeta sed serio in concione orator declamitat de viro quem Athenienses brevi post testarum suffragio, quod nonnisi de civibus ferebatur, ex urbe pepulerunt.

1) Pag. 88.

Digitized by Google

censet Brielius: „unde enim terrarum talia fingi potuerunt, urbs, „pagus, tribus?" — Respondemus, primum tres hos testes unum esse, nam si pagum habeas, urbem tribumque simul notas esse; deinde fortasse indicari posse cur grammatici Aristophanem huic potissimum demo adscripserint: putabant opinor ipsum poetam se appellasse Cydatheniensem notissimo Vesparum loco, ubi *κύων Κυδαθηναιεύς* alterum canem Labetem (id est Lachetem) furti insimulat (vs. 895). Quo tamen accusatore non poeta significatur, qui Lacheti favebat potius quam rapacitatem eius indignabatur, sed Cleon, quem e demo Cydatheniensi oriundum fuisse constat [1]). In scena enim aguntur ea quae in ipsa civitate brevi actum iri tunc temporis quilibet expectabat [2]).

Videmus quo redeant testimonia illa quae fingi potuisse negat Brielius. Numquid igitur Aristophanem Lindi natum putamus aut Camiri? Num Aegypto, nam id quoque traditum accepimus, oriundum censemus? Longe absit. Non grammaticis in caligine micantibus sed ipsi poetae ut credamus auctor sum; hic autem Aeginetam se vocavit in Acharnensium fabulae versibus notissimis (652 sqq.):

διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται,
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται.

Hic vero interpellantem audio quempiam: nihil ad quaestionem in qua versamur hos versiculos pertinere; non de Aristophane loqui coryphaeum, sed de illo qui nomen suum dedisset fabulae primasque in ea ageret partes, de Callistrato igitur. At vanum esse hoc argumentum sentio multosque sentire spero. Quamquam demonstrare id nequeo; haec enim res non ex testimoniis pendet neque per seriem quandam syllogismorum confici potest, sed aliquanto liberius diudicari debet secundum ea quae ratio et mentis sanae praecepta suadere aut dissuadere videantur. Itaque si quis credibile censet, spectatores, cum Acharnensium daretur fabula, ad *Callistratum* rettulisse ea quae de rege Persarum

1) Teste titulo in CIG. 213, Dittenberg. Syllog. n° 420.

2) Conf. Vesp. 240 sqq. — *Pandionidi* tribui cur Aristophanem ascriberent grammatici, fortasse etiam Pacis versus 1183 in causa fuit, ubi civis e tribu Pandionide commemoratur, qui a taxiarcho nuper vexatus fuerat.

Digitized by Google

propter comicorum Atticorum dicacitatem Atheniensibus victoriam portendenti in parabasi dicuntur, et cetera quae in suam ipsius laudem illuc congessit Aristophanes, equidem non habeo sane quod obloquar, nam dux chori disertis verbis testatur se haec omnia dicere de fabulae διδασκάλῳ (vs. 628), quem non Aristophanem fuisse sed Callistratum, publica monumenta testabantur olim, nunc testatur didascalia inde descripta. Attamen οὐ πείσει μ' οὐδ' ἢν πείσῃ quisquis talia perhibet [1]), et testimonio modo allato alterum opponi potest testimonium: personatus enim ille *Callistratus* in Acharnensium fabula (versu 301) promittit se Cleonem τεμεῖν τοῖς ἱππεῦσι καττύματα: promisso illo stetit sequenti anno *Aristophanes*. Unde satis me iudice apparet, *dicis causa* tantummodo nomen Callistrati praescriptum fuisse fabulae Acharnensium, non ad fallendos spectatores, qui falli nequirent et probe intellegerent Aristophanem eius ore loqui, sed legibus ut satis fieret, quae cavebant ne ludis publicis certarent poetae nisi qui cives Attici essent optimo iure.

Itaque suam ipsius originem poeta comicus, si quid iudico, in notis illis de Aegina versibus, quos modo attulimus, diserte testatus est. Facile autem intellegitur cur tam tecte et obscure suam patriam innuerit; scilicet perpetua illa Callistrati Aristophanisque confusio clarius loqui non sinebat poetam. Utinam tamen paulo magis perspicue indicasset, nunc enim iis verbis usus est quae optime sane ab auditoribus olim caperentur, posteritati vero non obscura esse vix possent. Certe non assecuti sunt poetae mentem grammatici illi qui rettulerunt poetam unum fuisse ex cleruchis Atticis inter quos insula Aegina primo anno belli Peloponnesiaci divisa est [2]); sic enim, ut prudenter

1) Qui post multos contendit ad Callistratum pertinere illum de Aegina iocum, Brielius (l. l. p. 28 sq.), sic scripsit de iis quae praecedunt: "quod de rege Persarum poeta fabulatur mea sententia merus iocus est, qui utrum opportunus sit et facetus necne tecum ipse deliberes." Quod iocum esse concedit, laudo sobrium iudicium; quod vero de opportunitate ioci se dubitare satis aperte significare videtur, id erroris in quo versatur testimonium duxerim. De Callistrato enim, obscuro homine, qui unde oriundus esset vix quisquam sciebat aut scire curabat, talia parum facete praedicari nemo negaverit; de se ipso vero Aristophanes sic gloriari poterat ridicule quidem sed tamen ita ut nemini insulse mentiri videretur.

2) Schol. Arist. Ach. 654 et schol. Platon. p. 19*c*. Priore loco alter scholiasta annotavit, non Aristophanem sed Callistratum fuisse colonum Atticum in Aegina insula, idque verum arbitratur Brielius p. 31 sq.

Digitized by Google

observavit Muellerus Struebingius, non rediturus erat Aeginam, si insula illa veteribus incolis redderetur, immo fieri non poterat quin statim post illorum reditum inde excideret, neque Athenae igitur deinde illo cariturae erant sed magis etiam quam antea fruiturae. Quapropter statuendum videtur potius, Aristophanem pertinuisse ad unam ex illis gentibus Aegineticis, quae cum Atheniensibus faciebant tempore belli quod Atticam inter et Aeginam aestuavit ante pugnam Salaminiam. Quarum gentium complures solum vertisse et in Atticam migrasse sive tunc temporis sive postea, cum Aegina adversus Athenienses cum Corintho societatem iniit, circa annum igitur 460, et per se satis videtur credibile et ab Herodoto totidem verbis dicitur VI 90: *Νικόδρομος ... ἐκδιδρήσκει ἐκ τῆς Αἰγίνης, σὺν δέ οἱ καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν Αἰγινητέων ἔσποντο, τοῖσι Ἀθηναῖοι Σούνιον οἰκῆσαι ἔδοσαν.* Hos vero homines postea quoque praedia habuisse in insula, neque haec ab Atheniensibus iis ademta esse anno 431, cum colonia illuc missa est, clamat ratio. In his igitur fuerit pater Aristophanis. Nam nisi civis Aegineta erat Aristophanes, sensu carebant verba modo allata: „ideo Aeginam reposcunt Dorienses ut poetam adimant Atheniensibus"; non festiva erant, sed insulsa, absurda, nec cuiquam risum motura. Quod vero nihil obstabat quominus civis Aegineta in posterum quoque commoraretur Athenis, si sic ei luberet, etiamsi Doriensibus eius patria redderetur, id nihil ad nos. Nam ut placeat iocus, non sane opus est ut ex asse verum esse appareat si accurate perpendatur, immo nocet interdum nimium veritatis studium; sed species tamen veri requiritur, requiritur paxillus ille, quo opus esse comicis ad suspendendas imagunculas a se pictas, acute aliquando et verissime dixit Muellerus Struebingius.

Aeginetam igitur fuisse Aristophanem [1]), certum duco, et libenter ad eum rettulerim Teleclidis quoddam fragmentum, quo Periclem tangi Bergkius statuit [2]):

δδ' ἀπ' Αἰγίνης νήσου χωρεῖ δοθιῆνος ἔχων τὸ πρόσωπον: —

quae aliquanto liberius sic vertere licebit: *en ex insula sua ad*

1) Matrem tamen Atticam ei fuisse veri videtur simillimum.

2) Bergk. Reliq. Com. p. 331; cui adstipulatur Kockius in Comicorum Fragment. (Telecl. fr. 43).

Digitized by Google

novas victorias civibus praeripiendas advolat iste, cui ne caput quidem est integrum. Certe fatendum est sono tam similem esse versum quo in Pace clauduntur anapaesti parabasis, ut aut ab Aristophane illum Teleclidis iocum respiɔi, aut a Teleclide versum hunc Aristophaneum carpi, vix nequeas suspicari. Verba Aristophanis sunt (vs. 765 sqq.):

πρὸς ταῦτα χρεὼν εἶναι μετ' ἐμοῦ
καὶ τοὺς ἄνδρας καὶ τοὺς παῖδας·
καὶ τοῖς Φαλακροῖσι παραινοῦμεν
ξυσπουδάζειν περὶ τῆς νίκης.
πᾶς γάρ τις ἐρεῖ νικῶντος ἐμοῦ
κἀπὶ τραπέζῃ καὶ ξυμποσίοις·
„Φέρε τῷ Φαλακρῷ, δὸς τῷ Φαλακρῷ
τῶν τρωγαλίων, καὶ μὴ ἀφαίρει
γενναιοτάτου τῶν ποιητῶν,
λαμπρὸν τὸ μέτωπον ἔχοντος" [1]).

Si vero ex me rogetur cur Teleclides δοθιῆνι potissimum, id est pustulae, similem dixerit aemulum, ingenue fatear me id nescire; nisi forte fronti nimis nudatae cum furunculo aliqua similitudo videatur intercedere, nam calvum ab aemulis dictum esse Aristophanem scimus [2]), et in Pacis loco allato manifeste illuc alluditur. Sed addam, aliquanto etiam minus esse perspicuum cur Pericli tribuatur furunculi facies. Non nescio quidem, apponi posse alia comicorum verba, quibus Periclis caput porro vel cucurbitae eiusque galea tholo Odei assimulatur [3]), sed quicquam hinc explicari nego; nam caput nimis magnum, praelongum, difforme sic rideri posse quivis sentit, at quid haec ad ulcus vel verrucam? Cum tamen Herodianus, qui Teleclidis illud dictum servavit, Hermippi versum subiungat parum perspicuum

φήμης ἱερᾶς ἐξοιγνυμένης ὥσπερ πέπονος δοθιῆνος,

---

1) Simillimum finem habet Equitum μακρόν (vs. 550): ἵν' ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων | κατὰ νοῦν πράξας | φαιδρὸς λάμποντι μετώπῳ. Fortasse igitur haec Aristophanis verba ab aemulis detorta sunt ad deridendam eius calvitiem, et respondetur ad eorum iocos in Pacis versibus supra allatis.

2) Eupol. fr. 78, Nub. 540.

3) ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὁδὶ | προσέρχεται, τῳδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου | ἔχων, Cratin. fr. 71; cf. κεφαληγερέτης Ζεύς fr. 240.

τὴν κεφάλην ὅσην ἔχει. | ὅσην κολοκύντην Hermipp. fr. 79.

μόνος ἐκ κεφαλῆς ἐνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλει Teleclid. fr. 44.

Digitized by Google

ab ipso autem Aristophane Vesp. 1172 non Periclem sed senem delirum assimulari videam δοθιῆνι, eique σκόροδον ἠμφιεσμένῳ, inde efficio satis usitatam tunc temporis fuisse portentosam illam cum ulcere comparationem, qualia multa dicteria subabsurda per sermonem quotidianum aliquantisper volitare solent, κοὔ τις οἶδεν ἐξ ὅτου ἐφάνη: mox in desuetudinem abeunt, et brevi post a nullo intelleguntur. Animi causa ex comoediae veteris reliquiis adscribam unam et alteram comparationem non minus ridiculam nec multo magis perspicuam. A Cratino (fr. 283) aut Eupolide (fr. 107) nescio quis dicebatur faciem habere *cancri coriacei:*

ἔχων τὸ πρόσωπον καρίδος μασθλητίνης.

Apud Aristophanem in Eccles. vs. 127 feminae quae viris se assimularunt cum *loliginibus assatis*, propter cutis pallorem opinor et glabritatem, comparantur:

ὥσπερ εἴ τις σηπίαις
πώγωνα περιδήσειεν ἐσταθευμέναις.

Leagri crura a Platone fr. 64 similia dicuntur *flaccidis cucumeribus*,

σικύου πέπονος εὐνουχίου κνήμας ἔχων,

et Creontis βρίγμα sive sinciput (cf. Hom. E 586) a Strattide (fr. 34) in Medea fabula vocatur simile *mulctrae inversae:*

δίνῳ περὶ κατὼ τετραμμένῳ [1]).

Quicquid id est, nam Teleclidis iocum obscuriorem non multum curo, sic statuamus: Aristophanem Aegina oriundum fuisse et in hac insula bona habuisse paterna [2]); fabulas vero alienis nominibus constanter docuisse, quod peregrinus esset nec aditum igitur sibi haberet patentem ad certamen civibus tantum Atticis institutum; unam Equitum fabulam suo nomine dedisse, fretum optimatium factione.

Sub vitae autem finem suone nomine an alieno dederit Plutum

---

1) Haud minus mirifice ab hominibus nostratibus facies lurida et minus formosa per derisionem vocatur „gallinarium inversum", ὀρνιθοκομεῖον ἀνατετραμμένον — quod dictum parum urbanum est sane, sed satis tamen in plebis ore usitatum.

2) Libenter huc retulerim Pacis 759 sq.:

ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων
ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων,

sed obscurior est totus ille locus, in quo prima persona explicari vix potest.

Digitized by Google

alterum, id scire nostra haud ita multum interest; complura enim tunc temporis et in scena et in rep. mutata erant [1]); neque igitur convellitur nostra argumentatio, si acquiescendum est in verbis quarti argumenti: *τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι κτἑ.* Sed quam nihil his verbis credendum sit, claro apparet ex iis quae adduntur: *καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.* Nam quo tandem sensu grammaticus contendat poetam Plutum posteriorem ideo suo nomine docuisse ut filium suum civibus commendaret, quaerant alii [2]). Dixeris patris fuisse solliciti eiusdemque prudentis, sub vitae finem filio adulescenti docendam dare veterem aliquam comoediam — *ἐν γὰρ τῷ Καρὶ ὁ κίνδυνος* — sed ita mutatam ut pro nova dari posse videretur; iuvenem autem, *διδασκάλου* munere primum fungentem, consilio exemplo auctoritate adiuvare; mox vero, cum filius innotuisset spectatoribus aptumque se probavisset *διδάσκαλον*, *nova* quaedam dramata ei concedere scenae committenda, ut altius etiam se insinuaret in favorem civium et postea sine cortice natare posset. Itaque suspicor alterum Plutum non Aristophanis sed Ararotis nomine datum fuisse, et totidem verbis id revera dicitur in Vita: *ἐν τούτῳ τῷ δράματι συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, ... δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον.* Fortasse igitur sic fere olim scriptum fuit in Argumento: *τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην τὸν υἱὸν Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς συστῆσαι βουλόμενος, καὶ τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.* Sin quis, incertiora haec ratus, contendat fieri tamen posse ut sub vitae finem unam pluresve fabulas Aristophanes suo nomine docuerit, acquiescam haud illibenter. Id vero concedi posse vix videtur, etiam belli Peloponnesiaci tempore Aristophanem sibi chorum plus semel petivisse et impetrasse. Aut enim quae supra disputavi falsa sunt, aut iis certe temporibus solam Equitum fabulam suo nomine scenae commisit, ceteras per vicarios Callistratum, Philonidem, alios fortasse.

---

1) Videantur quae de *Aristophontis* et *Nicomenis* lege anni 403 referunt Isaeus 8 § 48, Demosthenes 57 § 30, Athenaeus XIII 577*b*, schol. Aeschin. c. Timarch. § 39.

2) *Actoris* partes in Pluto egisse Ararotem sine iusta causa statuit Clintonus.

Digitized by Google

Quapropter videndum est quid statuamus de Pacis Argumento, quod opinioni quam tueri conor videtur repugnare:

Φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνης. ἄδηλον οὖν, φησὶν Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν, ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Κράτης μέντοι δύο οἶδε δράματα, γράφων οὕτως· „ἀλλ' οὖν γε ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν ἢ Βαβυλωνίοις ἢ ἐν τῇ ἑτέρᾳ Εἰρήνῃ", καὶ σποράδην δέ τινα ποιήματα παρατίθεται, ἅπερ ἐν τῇ νῦν φερομένῃ οὐκ ἔστιν.

Haec, quae codex Ravennas praebet, docti grammatici sunt verba, sed sensu caret prima sententia. Quod cum non latuisset Dindorfium, in editione scholiorum Oxoniensi *δμωνύμως* dedit pro *ὁμοίως*. At prius probandum fuerat, Aristophanem priorem Pacem suo nomine dedisse, quod per se intellegi non concedimus; quae autem ex didascalia afferuntur, iis in hanc sententiam non uti tutius fuerit, immo non sine causa inde efficias, *Apollodori* cuiusdam nomine datam esse Pacem priorem [1]). Neque vero, quod gravius etiam videtur, sententia fit magis perspicua si *δμωνύμως* legimus cum Dindorfio; immo plane desipere dicas hominem qui sic argumentetur: *ex Didascaliis apparet Aristophanem Pacem* SUO NOMINE *docuisse: dubium est* IGITUR, *ut Eratosthenes dicit, utrum eandem bis dederit an aliam docuerit cognominem, hodie deperditam.* — In Poetarum vero Scenicorum editione V[a] (Aristoph. p. 67) Dindorfius praeterea *δίς* inseruit (*δὶς δεδιδαχὼς Εἰρήνην δμωνύμως*), et adnotat „*δμωνύμως* „autem significat, in utroque *Διδασκαλιῶν* loco fabulam simpli„citer *Εἰρήνη* fuisse appellatam, nulla addita nota qua altera „*Εἰρήνη* a priore distingueretur." — Eodem sensu Meinekius edidit *<καὶ ἑτέραν> δεδιδαχὼς Εἰρήνην ὁμοίως.*

Sic tamen longius longiusque a traditis verbis discedimus. Si quid video, *ὁμοίως* sanum est, sed in nomine proprio *Ἀριστοφάνης* latet vitium. Nam dicere debet grammaticus, ex Didascaliis apparere, post Aristophanem ALIUM quoque POETAM Pacem docuisse,

1) Verba Argumenti haec sunt: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει· πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτερσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος, ἡνίκα Ἑρμῆν λοιοκράτης.*

Ultima bene correxisse videtur Rosius (in Arist. Pseudepigr. p. 554) *ἡνίκα Ἕρμων ὑπεκριτής*, quae ad *actorum* certamen spectare acute suspicatus est v. d. E. Rohde in Mus. Rhenan. a. 1883.

Digitized by Google

sed dubitari utrum eadem haec fabula fuerit an nomine tantum similis, revera diversa. Sic demum apte cohaerebunt quae sequuntur. Cum vero nonnisi de viro, qui amicitiae sanguinisve vinculis Aristophani iunctus esset, cogitari possit, statim nobis venit in mentem filii eius Ararotis. Leni igitur correctione scribendum suspicor ὁμοίως ὁ Ἀριστοφάνους; praeterea ipsum nomen Ararotis post ὁμοίως insertum malim. Quae si vera est coniectura, vertendum erit: *Ex Didascaliis* (i. e. ex Aristotelis notissimo opere) *apparet etiam filium Aristophanis Ararotem Pacem docuisse fabulam, sive patris drama denuo scenae commiserit sive cognominem scripserit ipse comoediam nunc deperditam.* Qualem controversiam moveri potuisse facilius concedemus si reputaverimus satis vulgare fuisse *Pacis* nomen et in quod quilibet incidere posset; *Theopompum* certe constat Pacem fabulam dedisse, cuius unum et alterum superest etiamnunc fragmentum.

Priorem igitur Pacem, quae Alcaeo archonte scenae commissa est, utrum suo nomine dederit Aristophanes an alio homini docendam crediderit, ex testimoniis veterum quae ad nos pervenerunt pro certo effici posse nego; illud autem cur credibile mihi non videatur supra exposui. Itaque de nomine tantum viri, a quo haec fabula Aristophanea in certamen proposita est, ambigi posse censeo; qui utrum Apollodorus fuerit an Callistratus Philonidesve, neque statuere ausim neque scire laboro.

At multo gravior testis, quam grammatici verba modo allata videbantur, contra me excitari potest, nempe ipse Aristophanes, qui in Nubibus sic scripsit vs. 528 sqq.:

ἐξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν [1]),
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγὼ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦ κοὐκ ἐξῆν πω μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε,
ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῶν γνώμης ἔσθ' ὅρκια.

His enim verbis Aristophanes uti non potuit nisi in fabula quam *suo nomine* docere secum constituisset. Attamen ne his

1) Ultima verba corrupta esse patet; correctio incerta.

Digitized by Google

quidem convelli nostram argumentationem arbitror; nam scripta haec quidem sunt, sed audita nunquam.

Quod probandum esse, non edicendum, intellego; nolim tamen diutius commorari in quaestione quae a plurimis viris doctis est pertractata et hodie satis aperta videtur; quapropter summam rerum quam potero brevissime perstringam, praemissis testimoniis veterum quae huc pertinent.

Dionysiis Urbanis anni 423, archonte Isarcho, actam esse comoediam Nubes, et tertias tulisse, refertur in notitia didascalica quae in Argumento V⁰ superest, et praeterea apparet ex ipsius Aristophanis testimonio in Vesparum parabasi (vs. 1016—1050) [1]). Pergit autem Argumentum V^{um}: *διόπερ Ἀριστοφάνης ἀπορριφθεὶς παραλόγως ᾠήθη δεῖν ἀναδιδάξαι τὰς Νεφέλας τὰς δευτέρας καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον. ἀποτυχὼν δὲ πολὺ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ἔπειτα οὐκέτι τὴν διασκευὴν εἰσήγαγεν. αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπ' Ἀμεινίου ἄρχοντος.*

Huius adnotationis maior pars ex eodem fonte fluxit unde archontis et competitorum nomina nobis sunt asservata [2]); ultima vero verba, *alteras Nubes archonte Aminia* (anno 422) *datas esse*, aliunde petita esse debent, ut quae manifesto cum reliquis pugnent. Quid enim praecedit? ad literam si vertas, haec tradita accepimus: *Aristophanes cum praeter spem excidisset victoria, iterum docendam duxit fabulam* [3]). *Cum vero magis etiam quam antea spe frustratus esset, ne postea quidem fabulam retractatam scenae commisit.* Itaque diserte dicitur hoc loco, NUMQUAM in theatro datas fuisse *τὰς δευτέρας Νεφέλας*, et id unum quaeri potest quo

1) Nam non *Nubium* sed *Holcadum* fabulam respici in Vesparum parabasi, quod cum Bergkius contendisset, Willamowitzius Obs. Critic. p. 20 annot. 26 tam certum declaravit ut de tempore quo haec fabula acta fuerit dubitare nemo possit, id mihi credibile non videtur, et gaudeo quod Kockius (Fragm. Com. I p. 495) admodum dubiam appellat illam interpretationem. Nuper Zielinskius ad *Agricolas* rettulit Vesparum locum, quod veri magis simile non censeo. Non eam Nubium fabulam, quam nos habemus, in Vespis respiciebat Aristophanes, sed primam recensionem; in illa igitur *πατέρας νύκτωρ ἀγχομένους καὶ πάππους ἀποπνιγομένους* (Vesp. 1089) ostenderat aut commemoraverat.

2) Cum stipulis grana abicit Dindorfius Poet. Scenic. Ar. p. 188, ubi contendit totum Argumentum quintum spernendum esse, repugnare enim opinioni Eratosthenis, mox afferendae.

3) Quae sequuntur *καὶ ἀπομέμφεσθαι τὸ θέατρον* non intellego. Dindorfius Poet. Scenic. ll. interpretatur *et reprehendere spectatores*, sed ne hoc quidem intellego.

Digitized by Google

sensu accipienda sint verba ἀποτυχὼν πολὺ μᾶλλον. Quomodo igitur magis etiam spe frustrari potest aliquis quam is qui tertias tulit? Si ne chorum quidem impetrare potest [1]).

Indigne igitur tulit poeta, quod displicuisset fabula quae sibi videretur optima; novam paravit recensionem biennio post docendam; sed frustra tunc petivit chorum, neque postea hanc fabulam docuit unquam. *Ficta* igitur est annotatiuncula in fine Argumenti, Nubes Aminia archonte denuo in certamen propositas esse [2]); fortasse autem erroris huius originem etiamnunc indicare licet. Nempe doctus commentator ad versum 549, in quo Cleonis mortem Aristophanes commemorat, haec adnotavit: „ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπ' Ἀμεινίου [3]). πρὸ τούτου δ' ἐστὶν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰσήχθησαν, — quae si quis semisopitus legeret, inde efficere poterat *nostras* igitur Nubes ἐπ' Ἀμεινίου datas esse.

Quicquid id est, constat notitiam illam de altera Nubium editione anno 422 scenae commissa mendacium esse merum, et credendum est potius veteri testi, affirmanti: οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δευτέρων Νεφελῶν (schol. vs. 549). In publicis igitur monumentis, quae haud sane incuriose fuerant explorata ab Aristotele eiusque discipulis, Nubium iterum commissarum nec vola erat nec vestigium [4]). Credendum Eratostheni: λανθάνει αὐτὸν (Callimachum) ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν· ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται,

---

1) Nam hoc quoque tempore, ut postea, *quinas* fabulas committi solitas fuisse, quod post Boeckhium pro certo statuit Naberus in Mnemosynes Vol. XI (1883) pag. 167, id persuadere mihi non potui; immo trinas tantum datas fuisse, et sub finem demum vitae Aristophanis adauctum esse hunc numerum, certum arbitror; vid. Fraenkel ad Boeckh. Oecon. adn. 446.

2) Quod perhibetur etiam in scholio ad vs. 81 admodum absurdo.

3) Praecedentis anni archon nominatur, pervulgato, in historia scenica praesertim, errore.

4) Vereor ut liceat cum Nabero ll. p. 308 id inde explicare, quod poeta in certamine victus fuerit. Nam, ut eius verba (pag. 306) mea faciam, „extabant in didascaliis *omnium* fabularum nomina quae deinceps quotannis in certamen delatae fuerant"; non sero autem natus homo sed grammaticus Alexandrinus, cui αἱ Διδασκαλίαι, id est opus Aristotelicum, ad manum essent, testatur in his οὐ φέρεσθαι Nubes alteras; non consulto igitur omissa fuerat a grammaticis fabula quod victoriam non reportasset, sed in monumentis publicis non fuerat reperta, ideoque in fastis scenicis, ab Aristotele compositis, non comparebat.

Digitized by Google

οὐδὲν ἄτοπον, αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι (schol. vs. 552). Constabat igitur Eratostheni, τὰς διασκευασθείσας Νεφέλας, illam fabulae recensionem quam nos habemus, μὴ διδαχθῆναι. At etiamsi de hac re tacerent omnes grammatici, ex ipsa Nubium fabula luculenter demonstrari posset eam non fuisse denuo in certamen commissam; id quod olim probe perspexit grammaticus, cui prior quoque recensio esset ad manum; cuius sententia prudens et erudita in *sexto* argumento extat: διεσκεύασται ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προβυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἣν ποτ' αἰτίαν ποιήσαντος. Ex ipsa fabula effecit novam recensionem *non ad finem perductam* neque unquam igitur scenae commissam fuisse.

Et recte quidem sic statuit. Parabasis enim, in qua Eupolidis nominatur *Maricas*, post annum 420, quo illam fabulam actam esse constat, scribi debuit, sed antequam Hyperbolus ostracismo pulsus est, quod anno 417 factum esse Cobetus (ad Platon. Comic. p. 143) demonstravit. Cum vero etiam Hermippi *Artopolidas* et Platonis *Hyperbolum* Aristophanes in Nubium parabasi commemoret, apparet hanc non *diu* antequam Hyperbolus civitate eiectus est scriptam esse, sed anno fere 418.

Epirrhema vero (vs. 575—594), in quo Cleonis στρατηγοῦ mentio inicitur, ad priorem Cleonis praeturam anni 425 apte referri posse vix videtur, neque igitur e priore Nubium recensione remansit, sed alteram Cleonis praeturam anni 422 spectat; et cum de *vivo* Cleone loquatur poeta, ante pugnam ad Amphipolim componi debuit; ipso igitur anno 422 scriptum est. Unde apparet, poetae in animo fuisse vere anni 421 Nubes iterum in certamen proponere.

Omnino igitur assentiendum duco grammatico qui ad versum 592 adnotavit: δῆλον οὖν ὅτι κατὰ πολλοὺς τοὺς χρόνους διεσκεύασε τὸ δρᾶμα, et refelli hinc mihi videtur opinio illorum qui statuerunt binas extitisse aliquando editiones Nubium ab ipso poeta elaboratas et in certamen propositas, nostram autem fabulam post eius mortem ex utraque esse conflatam, sive Byzantii, ut v. d. Brentano coniecit, sive illis temporibus quae Aristophanis aetatem proxime secuta sunt, quae Naberi (Mnemos. Vol. XI p. 305 sqq.) est sententia.

Eorum quae hactenus observavimus pleraque ab Hermanno

Digitized by Google

Kockio aliis lucide sunt exposita. Nondum tamen satis, ut mihi quidem videtur, ipsius poetae verba, quae vs. 520 sqq. extant, editores perpenderunt et explicuerunt:

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφὸς,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιοὺς,
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν,
πρώτους ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἡ παρέσχε μοι
ἔργον πλεῖστον· εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθείς, οὐκ ἄξιος ὤν. ταῦτ' οὖν ὑμῖν μέμφομαι
τοῖς σοφοῖς, ὧν εἵνεκ' ἐγὼ ταῦτ' ἐπραγματευόμην.
ἀλλ' οὐδ' ὡς ὑμῶν ποθ' ἑκὼν προδώσω τοὺς δεξιούς.

Quae verba, anno ut vidimus 418 scripta, hunc sensum habent nisi fallor:

cum scirem vos emunctae naris esse spectatores, mearum autem fabularum hanc ducerem optimam, multo labore a me retractatam vobis primis proponere eam decreveram, sed repulsam tuli et nescio quos nugatores mihi vidi praelatos. Quod quamquam indigne fero, non tamen in posterum mea vos opera destituam.

Vix autem aliter haec licet accipere quam de *duabus* Nubium recensionibus, quarum *posteriorem* cum vellet *ἀναγεῦσαι* spectatores, *ἀνεχώρει ἡττηθείς* [1]). Verbum autem *ἀναγεῦσαι*, quod alibi non occurrit, sine dubio recte vertit G. Hermannus (praef. p. XXX) ITERUM *gustandum praebere;* si sine imagine poeta loqueretur, *ἀναδιδάξαι* dicendum fuisset. Non *scribendae* igitur sed *corrigendae* fabulae multum laboris se insumsisse dicit poeta, et *ἀνεχώρουν* significat: *ad scenam pervenire non potui, chorus enim mihi est denegatus.*

Sed quo sensu *πρώτους* addit poeta? Welckerus *πρώτην* reponebat, Hermannus *πρώτως*. Recte tamen Dindorfius servavit codicum lectionem, quae aptum sensum praebeat; poeta enim dicit: *retractatam fabulam nisi in ipsa urbe dare nolui*. Poteratne igitur alibi? In Piraeo aliove demo poterat.

Hanc tamen explicationem Hermannus aspernatur (praef. p. XXXII), contendens „non dignum esse persona Aristophanis si

1) Verba igitur *ἠξίωσα ἀναγεῦσαι, εἶτ' ἀνεχώρουν* idem significant atque *ἀξιώσας ἀναγεῦσαι ἀνεχώρουν*, vel *ἠξίωσα μὲν ἀναγεῦσαι, ἀλλ' ἀνεχώρουν*. — *Οὐκ ἄρ' ἀνέγνωσαν* eos Aristophanes.

Digitized by Google

dicat se noluisse prius in Piraeo experiri placeretne fabula." Sed aspernatur, ut mihi quidem videtur, immerito. Nam verum quidem est, Aristophanem non eum fuisse qui ad Piraei pulpita confugeret rurisque laudes appeteret cum in urbe minus prospero eventu certasset [1]), sed nihil obstabat quominus poeta id ipsum talibus verbis enunciaret quibus populo Atheniensi callide suppalparetur, quasi spectatores urbanos, olim de se bene meritos, noluisset frustrare egregii spectaculi primitiis.

Nunc alius quoque Nubium locus melius videtur explicari posse, vs. 545 sqq.:

κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ ἐξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὐτ' εἰσάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

Id est: *si bis terve eandem fabulam propono, non mente id facio superbienti aut fraudulenta; immo nova semper inventa adicio semperque festiva.* Cavet igitur poeta ne pervicaciae superciliosae reus fiat apud spectatores, cum videant hanc fabulam tertium iam proponi, quae prima commissione victa fuisset, deinde vero ne chorum quidem impetrare potuisset. Fatetur se iterum atque adeo tertium eandem attulisse fabulam, sed negat dolo malo se id fecisse, revera enim ita mutatam auctamque esse ut pro nova sine fraude venditari possit. Quod vero poetae verba ita sunt comparata ut etiam significare possint: *neque idem plus semel proponendo decipere vos conor*, id consulto eum fecisse puto.

Fidenter igitur contendo ex VERBIS poetae apparere, quod ex REBUS in epirrhemate tractatis effici posse supra vidimus, anno 421 Aristophanem, si per ipsum stetisset, iterum daturum fuisse Nubes, sed chorum frustra petivisse [2]). Chorum autem cur archon tunc denegaverit Nubium fabulae, mitto rogare; fortasse retractatam comoediam priori editioni tam similem ducebat ut pro nova accipere nollet; fieri etiam potuit ut Eupolim Plato-

1) Kock Einleit. § 26: „Aristophanes Stolz würde es schwerlich über sich gewonnen haben, für eine Niederlage in der Hauptstadt in der Vorstadt Ersatz zu suchen."

2) Etiam bonis poetis chorum interdum fuisse negatum, cum per se intellegitur, fieri enim poterat ut plures peterent quam impetrare possent, tum Sophoclis ostendit exemplum, cui Gnesippum ab archonte aliquando praelatum esse indignatur Cratinus apud Athenaeum XIV 638*f* (fr. Cratini 15 Kock).

Digitized by Google

nem Hermippum aut quicunque tandem fuerunt ei praeferret [1]). Aristophanes autem etsi ne tum quidem spem suis Nubibus aliquando vincendi abiecit, nunquam tamen eo pervenit ut fabulam denuo scenae committeret, sed *semiperfectam* reliquit; id quod ipsum opus quale ad nos pervenit abunde testatur, διεσκεύασται γὰρ ἐπὶ μέρους, ut veteris commentatoris verbis denuo utar. Neque ante poetae mortem innotuisse τὰς δευτέρας Νεφέλας, ex Platonis Apol. 3, qui priorem Nubium recensionem solam respicit et nosse videtur, magna cum veritatis specie effecit Kockius.

At cavendum ne a via, quam indicat argumentum in quo versamur, aberrasse videamur. Post longiorem igitur sed necessariam tamen digressionem illuc redimus. Vidimus verba, quibus Aristophanes utitur in Nubium parabasi, non obstare nostrae opinioni, praeter Equites eum fabulam suo nomine nullam docuisse. Cetera quoque, quae obstare videri poterant, testimonia recensui, revera autem obstare nullum, ostendisse me spero.

Una adhuc dirimenda superest difficultas. Si nonnisi semel (et fortasse iterum, si Plutum addis) suo nomine fabulam docuit Aristophanes, qui factum est ut eius nomen, quod tamen in publicis monumentis vix appareret, non abiret in oblivionem, sed summa constantia servaretur et ab omnibus praescriberetur comoediis illis quas alius composuisset alius docuisset? Fieri qui potuit ut nemo — quantum quidem sciamus — contenderit scriptam esse Acharnensium fabulam a Callistrato, Ranarumve patrem esse Philonidem, cum tamen lapidum testimoniis utpote veri poetae illi designarentur? Pater est quem iusta connubia monstrant: — fecit fabulam is quem fecisse publica documenta testantur!

Verissime haec obici possent, si fallere spectatores ceterosque cives voluisset Aristophanes cum alienis nominibus suas fabulas

---

1) Hunc igitur, non Cratinum aut Amipsiam, a quibus in prima fabulae commissione victus est, versu 524 appellat ἄνδρας φορτικούς.

Retractatae autem Nubes quales fere fuerint et cur minus placere debuerint aeque censeri, a v. d. Nabero eleganter expositum videre est II. p. 316.

Digitized by Google

docendas curaret. Sic enim etiam post actam comoediam et publice laudatam cavendum erat ne fraus illa percrebresceret. Ipse poeta in *Φροντιστηρίου* sui umbra delitescere debebat, et ingenii sui prolem incredibili sive impudentia sive modestia infitiari. Callistratus contra et Philonides, gloria immerita cum ornati essent vel potius onusti, operam dare debebant ut in posterum quoque aequalibus id viderentur quod publice desubito essent nuncupati, viri nimirum ingeniosi praeclarique poetae, Musarum deliciae, quorum in pectore ipsae Gratiae suum sibi sacellum elegissent. Cavendum ne exciderent pennae pavoniae et graculi ignobiles denuo evaderent qui fuerant antea. Quid quod fabulae non spectabantur tantum sed etiam legebantur; apud bibliopolas igitur venumdari debebant Callistrati Babylonii Aves Lysistrata, Philonidis Proagon Amphiaraus Ranae. Haec omnia si credibilia essent fierique potuissent, ad Alexandrinos quoque grammaticos et philologos hodiernos perventurae fuissent comoediae Aristophaneae commenticiis titulis instructae, et fortasse hodie verum auctorem ne divinando quidem possemus detegere.

At prorsus aliter res se habebat. Cum fabula Aristophanea non ab ipso poeta sed ab aliquo ex eius amicis in certamen scenicum proponebatur, decipiebatur nemo nisi qui decipi non nollet; quid fieret non ignorabat archon, sed ignorare censeri poterat; migrabatur lex, si ita loqui placet, verumtamen non dolo malo migrabatur sed ne obticescere cogeretur comicus prae ceteris facundus et facetus, quem omnes cives audire cuperent. Dicis causa — denuo id dico — praescribebatur nomen alienum, nec fraus fiebat cuiquam. Itaque nihil fere desidero in hoc Welckeri iudicio ad Ranas p. 271: „Es mag auch viel blosse „Formalität dabei gewesen seyn", [equidem scripserim: es war eine blosse Formalität] „wenn man einen fremden Namen „einschreiben liess. Wie kann man z. B. glauben, dass das weit „verbreitete grosse Lob des Dichters, wovon in der Parabase „der Acharner die Rede ist, nicht dem Aristophanes selbst, „sondern dem Kallistratos angehört habe? und dass also die „Gründe in der Parabase der Ritter, warum er sich früher nicht „selbst genannt habe, zum grössten Theile wenigstens anders „als scherzhaft und wegen anderer Motive da seien? Ueber „diesen Punkt scheint eine feine etwas sonderbare

Digitized by Google

„Convention zwischen Publikum und Dichter be„standen zu haben."

At eaedem fabulae quotiens sive in Piraeo aliove demo sive in ipsa urbe postea agebantur, non ut nova praemia reportarent sed ut nova gaudia praeberent spectantibus [1]), dubium non est quin Aristophanis nomen palam professae fuerint, neque nomen illud deerat a fronte exemplarium, quae plurima, opinor, divendita sunt ut primum spectata et laudata est fabula.

Hinc facile explicatur quod ex Aristophanis comoediis nulla aliis poetis adscripta est a grammaticis Alexandrinis. Attamen aliquando fuit opinio, et in enchiridiis nostris commemorari solet, in quadraginta quatuor eius fabulis spurias esse quatuor; sed hanc cum de nihilo fictam tum a proposito nostro alienam esse, demonstrari potest. Nempe fuerunt [2]) qui quatuor Aristophanis comoedias Πολῆσιν Ναυαγόν Νήσους Νίοβον Archippo tribuerent; haec autem suspicio nata est ante *Pollucem*, qui libri IX cap. 89 de Νήσοις fabula veluti de suspecta loquitur, sed post *Didymum*, qui in scholiis ad Avium versum 440 ex Νήσοις fragmentum ita affert ut liquido appareat eum ne dubitasse quidem quin huius fabulae poeta esset Aristophanes [3]). Inter Didymi igitur aetatem et Pollucis, primo vel secundo post Christum seculo, orta est illa suspicio. Falsam autem fuisse certum est; nam ut mittam *Poesin* et *Naufragum*, de quibus fabulis nihil innotuit, at clarissimae olim comoediae fuere *Insulae* et *Niobus* sive *Dramata*, et vere observat Kockius, in fragmentis nihil esse quod Aristophane sit indignum.

1) Verissime de hac re iudicasse mihi videtur Naberus, cuius verba haec sunt (Mnemos. XI p. 167): „Quae fabulae populo placuerant, postquam Dionysiis vel „Lenaeis praemio ornatae erant, non oblivioni tradebantur, sed festis et profestis „diebus saepius edebantur. Apparatus fortasse erat minor et praeter plausum poetae „nullum erat praemium propositum, sed populus vetera non minus cupide expetebat „quam nova." — Conferantur etiam Rohdii *Scenica* in Mus. Rhenan. a. 1883 (pag. 251—292).

2) Teste anonymo in Vita Aristophanis.

3) De sensu versus Aristophanei ἥνπερ ὁ πίθηκος τῇ γυναικὶ διέθετο non constabat inter veteres grammaticos, et ad quamnam *simiam* alluderetur quaerebant. Symmachus et Callistratus ex narratiuncula aliqua desumtam censebant, Didymus vero non de *bestia* sed de *homine* sermonem esse contendebat: Δίδυμος ὅτι αἰσχρός τις ἦν τὴν ὄψιν etc.; ἔοικε δὲ Παναίτιον καμῳδεῖν, ὃν καὶ ἐν Νήσοις „καταλιπὼν Παναίτιον πίθηκον." ἔνθα καὶ μαγείρου πατρὸς αὐτὸν λέγει. πίθηκον δὲ αὐτὸν εἶπε διὰ τὸ πανοῦργον.

Digitized by Google

Quid quod indicare posse mihi videor unde error originem traxerit. Nisi fallor, editio operis Aristophanei extitit Romae, cuius singula volumina quaternas continerent comoedias, ad instar tragicarum tetralogiarum coniunctas; quemadmodum Platonis philosophi dialogos in quaterniones fuisse coniunctos, vix est quod moneam, et Epicharmi quoque opera fuisse, demonstrari posse videtur [1]). Ex undecim his voluminibus unum, quod *Ναυαγόν Νήσους Νίοβον Πολῆσιν* continebat, errore librarii alicuius non *Aristophani* tributum est sed *Archippo*, sive confusis literis APIC et APX, sive Aristophanis et Aristippi nominibus ridicule permixtis. Si quis autem rogat, quidni igitur *Νεφέλαι* quoque fabula, cui soli praeterea erat nomen a litera N incipiens, in isto volumine fuerit, respondemus hanc in prima parte editionis fuisse collocatam cum ceteris fabulis quae in scholis lectitari solebant, quas septem tunc temporis fuisse nota res est [2]); his ceteras ordine alphabetico subiunctas fuisse.

Talem autem ordinem in Aristophane viguisse, facile concedetur ut spero, si in alio comico viguisse constat. En igitur ordinem quo Platonis comici fabulae in Anecdotis Bekkeri pag. 1461 [3]) recensentur ab Aristonico Rhodio, philosopho peripatetico notissimo, qui Ciceronis fuit aequalis:

---

1) Epicharmi quadraginta circumferebantur fabulae secundum Anonymum de Comoedia III, in his spuriae quatuor; supersunt nomina fabularum 35 aut 36, prouti *Ἄβας γάμου* et *Μούσας* pro uno aut duobus dramatis numeraveris. Apollodorus autem, teste Porphyrio in vita Plotini 24 *Ἐπίχαρμον τὸν κωμῳδιογράφον εἰς δέκα τόμους φέρων συνήγαγεν*. En habes tetralogias decem sive fabulas quadraginta; unus tomus fabulas continebat spurias.

Spuriarum autem nomina erant *Πολιτεία Κανών Γνῶμαι Ὀψοποιία*, si credimus Meinekio ad Athen. XIV p. 648*d*. At *dramatum* hos esse titulos vix credo, nec videtur veri simile Apollodorum ea poemata, quae *sciret* spuria esse (Athen. ll.), in suam recensionem recepturum fuisse. Malo igitur statuere, ex decem tomis, in quos Apollodorus digessisset Epicharmi comoedias quas ipse duceret genuinas, unum postea alii scriptori fuisse tributum librarii alicuius errore. In illo autem *τόμῳ* putaverim fuisse *Chironem*, quod ex Athenaei verbis efficio, cum tribus aliis fabulis, quarum nomina hodie ignoramus. Cavendum autem ne Chironem hunc cum Pherecratis fabula cognomini confundamus, illa quoque a quibusdam spuria iudicata (Athen. 364*a*, 368*b*, 658*e*, Meinek. Hist. Com. p. 75).

2) Nempe septem illas quas solas exhibet codex Venetus: Plutum Ranas Nubes Equites Aves Pacem Vespas. — Conferatur Willamowitz. Anal. Eurip. p. 184 sqq.

3) Repetivit Bergkius in Prolegom. Aristoph. p. XLII.

Digitized by Google

(Πλάτωνος) τὰ δράματα τάδε λέγονται:

Γρῦπες	Ἄδωνις	Ἰώ	Ξάντριαι
Κλεοφῶν	Ἀφ' ἱερῶν	Λάϊος	Νῆκαι
Πρέσβεις	Δαίδαλος	Λάκωνες	Νὺξ μακρά
Παιδίον	Ἑλλάς	Μύρμηκες	Πείσανδρος
Σοφισταί	Ἑορταί	Μέτοικοι	Περιάλγης
Συμμαχία	Εὐρώπη	Μενέλεως	Ποιητής
Σκευαί	Ζεὺς κακούμενος	Μαμμάκυθος	Σύρφαξ
			Τυρβολος.

Videmus septem praemitti, quae ordine literarum se excipiunt; has igitur lectu dignas prae ceteris censuerunt Alexandrini; deinde reliquae sequuntur, illae quoque κατὰ στοιχεῖον ordinatae [1]). Non Romae igitur sub principibus, si quid video, neque ea aetate quam praecipue Byzantinam dicere consuevimus [2]), singulorum poetarum scenicorum septenae fabulae in usum scholarum sunt selectae, sed aliquanto prius Alexandriae illum delectum habitum esse [3]) catalogus comoediarum Platonicarum fidem facit.

Sed haec a proposito nostro distant et finis dicendi est faciendus. Certum est, Aristophanis famae nunquam nocuisse neque potuisse nocere fictionem illam, qua fabulae eius publice tribuerentur aliis hominibus; neque fuisse olim qui putarent e. g. Daetalenses fabulam a Callistrato fuisse compositam. Herculem per vitam imitatus est Aristophanes: post mortem quoque cum eo comparari potest; nam Eurystheos illos, quorum in gratiam eum desudare contendebant irrisores, dudum premunt nox fabulaeque manes, ipse vero μετ' ἀθανάτοισι vivitque vigetque, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην.

---

1) Una serie alphabetica omnes Platonis fabulas ordinatas habes apud Suidam.

2) Vid. Willamowitzius ll.

3) Ipse numerus *septenarius* haud scio an originem Alexandrinam prodat. *Pleias Alexandrina* nemini ignota est.

Digitized by Google

NOTULAE CRITICAE AD SILIUM ITALICUM.

SCRIPSIT

J. S. VAN VEEN.

I. 21: *Pygmalioneis* quondam per caerula *terris*
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum
Fatali Dido Libyes appellitur orae.

Pygmalioneis terris auctore Rupertio est: e Phoenicia. Sed idem est *pollutum regnum*. Quamobrem concinnitatis gratia legendum videtur: *Pygmalioneas* q. p. c. *terras*, ut alterum sit alterius appositum.

147 de Hasdrubale:
Tristia corda *ducis*, simul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas erat: — —

Rectissime N. Heinsius emendat *duci*, quod et Rupertius agnoscit. Sed minus recte pro *ira* substituere vult *irae*, quod Silius adamet genetivum in tali re. Quod quamvis verissimum sit, ut permulti loci probant, h. l. nihil ad rem pertinet. *Ira* enim, ut mihi quidem videtur, h. l. est nominativus.

256 de Hannibale: — — nec pulvere fessum
Agminis ardenti labefecit Sirius *astro*.

Nisi vehementer fallor pro *astro* reponendum est *aestu*.

289: Insula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Laërtia regna Zacynthus.

Pro *atque* Silio restituendum esse censeo *Et quae*. Literas *a* et *e* in libris mss. saepius confundi nemo ignorat, ut huius libri vs. 295, ubi alii libri *at*, alii *et* exhibent. Tum quoque *quae* in *que* facillime corrumpi potuit. Constat enim (sicut G. Heraeus permultis exemplis ex vetustissimis Livii libris Puteaneo et

Digitized by Google

Vindobonensi desumptis ostendit) a librariis *que* et *quae* promiscue exarata esse.

342: *Anne* pudet coepti? pudet ominis? — —

Ut toties, sic hoc quoque loco optimus ille codex Coloniensis unus habet genuinam lectionem *nonne*. Cur editores non in textum receperint, sed in notis laudavisse contenti fuerint, valde miror.

378: — — geminoque parente
Dulichios *Italis* miscebat prole nepotes.

Sicut haec verba nunc leguntur, languet *prole*. Quo medela huic loco sine dubio corrupto adhibeatur, conferatur Verg. Aen. VI. 757 (quem locum Silio hoc cum scriberet ante oculos versatum esse constat): qui maneant *Itala* de gente *nepotes*. Apud Silium igitur reponendum est *Itala*. Cf. etiam Sil. V. 563 et I. 377: Rutulo — de sanguine.

422: Cum silvam occursu venantum perdidit, *hirto*
Horrescit (sc. aper) saetis *dorso*.

N. Heinsius proponit *saetas*. Malim ego legere: *hirtum dorsum*, collato, quem Silius imitatur, loco Vergiliano, qui legitur Aen. X. 711: inhorruit *armos*.

515: Sic Poenus, pressumque ira simul exigit ensem,
Qua capuli statuere morae.

Huius loci sensus minime obscurus est. Significare vult poëta ensem usque eo exactum esse, quoad, ne altius exigeretur, capulus impediret. Sed verba mendo quodam laborare nemo non videt. Alii viri docti aliud tentaverunt. Medendi rationem quaerenti in mentem venit mihi: qua capuli statuere *moras*. Cf. Verg. Ecl. X. 12: moram facere; Aen. I. 414: moram moliri; Val. Fl. III. 574: moras afferre; Sen. Herc. fur. 573: moras praebere; Sil. II. 597: moras proferre; Ovid. Met. VIII. 543 moras facere.

530: *Tum* creber, penitusque *trahens* suspiria, sicco
Fumat ab ore vapor.

An vapor suspiria trahere non possit, valde dubito. Legendum videtur: *Dum* creber (i. e. crebro) penitusque *trahit* suspiria (sc. Hannibal).

Cf. Ovid. Met. II. 753; Val. Fl. VIII. 457.

Digitized by Google

II. 62: Cui *patrius* Nasamon aeternumque arida Barce
Parebant.

Cur Nasamon patrius appelletur haud facile, opinor, quisquam assequatur. Rupertius explicat: *eiusdem patriae*, quod in contextum parum quadrat. Equidem censeo hoc verbum corruptum esse ex *patiens*. Cf. Luc. Phars. IX. 439: Nasamon, gens *dura*.

75 de Amazonibus: — Cursuque fatigant
Hebrum innupta manus, — —

Recte Drakenborchius et Burmannus pro *Hebrum* emendant *Haemum*. De Hebro alii aliud sentiunt. Alii de flumine glacie obstricto cogitant, alii de velocitate, qua fluminis undas Amazones superant. Sed utraque sententia quaesita mihi videtur.

96: Ille vagam caelo *demisit* saepe volucrem.

Demisit Col., *dimisit* Put. et Parm., *divisit* Ed. Rom. 3 et Med. N. Heinsius, cui is tantum, qui ipse in superiore loco est, demittere posse videtur, emendat *deiecit*. Sed lectio Col. servanda videtur. Cf. Val. Fl. I. 94.

192: Nec segnis Theron tantae spe laudis in ipsos
Adversus consurgit equos.

Nescio an melius legatur: *adversos*. Vid. Verg. Aen. XII. 266; Ovid. Met. II. 476.

211: Ac simul aerati radiavit *luminis* umbo.

Ipsum clipeum *lumen* appellari posse nemo facile mihi probaverit. *Lumen* est *splendor ferrei clipei*, ut luculenter conspicitur ex Val. Fl. III. 100: seseque a *lumine* ferri sustinuit praeceps; Stat. Theb. IX. 802: ferri lumine diro; XII. 732: lumen cuspidis. Locus apud Stat. Achill. II. 187 nostro simillimus est: si semel adverso *radiavit lumine ferrum*. Sed illic omnia recte se habent, sicut et apud Silium II. 167: gemmataque lumina peltae (i. e. pelta gemmis splendens), quem locum Rupertius laudat ad vulgatam *luminis* defendendam. Quam viam in emendando insistere nos oporteat, ostendunt duo loci Aeneidis, quorum alter legitur X. 884:

Sed sustinet *aureus umbo*,

alter eiusdem libri 887:

Aerato circumfert *tegmine* silvam.

Digitized by Google

Quos versus respiciens vix dubito quin nostro loco reponendum sit:

Ac simul aerati radiavit *tegminis* umbo.

Accedit, quod apud Silium *tegmen* pro *clipeo* haud semel occurrit, ut: II. 79, 453; IV. 293, 386, 388; V. 318, 525; IX. 176; X. 318; XVI. 65, ubi legimus: pulsati *tegminis umbo*.

272: — oratorumque *minaci*
adventu trepidant.

Quod reperire potuerim, verbum trepidandi ablativo eorum tantum nominum iungitur, quae timorem significant, ut: metu, timore, formidine (cf. Verg. Aen. II. 685; VI. 491; Ovid. Trist. I. 5. 37; III. 10. 67; Met. II. 66), sed accusativo ceterorum nominum, ut: Senec. Herc. Oet. 1058; Iuven. 10. 21; 8. 152. Quamobrem hoc loco legendum puto: *Minacem adventum*.

331 verba Gestaris in Carthaginiensium senatu:

Concilione, inquit, Libyae Tyrioque senatu
Pro superi! Ausonius miles sedet? Armaque tantum
Hauddum sumpta viro? Nam cetera non latet hostis.

Melius, opinor, tollitur interrogationis signum post *viro*. Quippe haec verba confirmant id, quod antecedentibus verbis rogavit. Ex Editionibus una Aldina sic habet.

594: — — Sperare *saluti*
Pertaesum, damnantque cibos; — —

Sperare dativo iungi posse vix credo. Lefeburius confert: desperare urbi et ἐλπίζειν τῇ τύχῃ apud Thucydidem. Sed quod in verbo desperandi valet, idem in verbo sperandi valere minime opus est. Potius legendum videtur: *salutem*. Cf. Verg. Aen. I. 451; II. 354; Ovid. Trist. III. 5. 43; ex Ponto III. 4. 37.

630: — densum qua turbine nigro
Exundat fumum *piceus* caligine vertex.

Sine dubio reponendum est *picea*. Manifesta imitatio est eius loci, qui legitur Verg. Georg. II. 309:

— et ruit atram
Ad caelum *picea* crassus *caligine* nubem.

Cf. etiam Luc. VII. 20; Ovid. Met. I. 265; II. 233; Sil. IX. 513: *Caligine* conditus *atra*.

Digitized by Google

LECTIONES VENUSINAE.

SCRIPSIT

J. J. CORNELISSEN.

Carm. I. 1. 3 sqq.

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat metaque feruidis
Euitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos euehit ad deos;
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus,
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis uerritur areis.

Impeditam hic et salebrosam esse orationem Bentleius ostendit. Priora hanc praebent sententiam: „sunt quos iuuat puluerem Olympicum curriculo collegisse et (quos) meta feruidis euitata rotis palmaque nobilis euehit ad deos". Recte et ordine haec procedunt, nisi quod iure quodam reprehendas illam sententiae partem („et quos — euehit"), qua de gloria reportata et honore impetrato agatur, non respondere reliquae sententiae, ubi de uariis hominum studiis et cupiditatibus sermo sit. At magnopere lectorem offendunt sequentia, quia minime liquet utrum *hunc* et *illum* ad *iuuat* sint referenda an ad *euehit*. Carminis autem argumenti ratione habita dubitari non potest quin poeta uoluerit „iuuat hunc si honoratus est, illum iuuat si diues", nam sententiam exaggeratam et paene ridiculam „illum euehit ad deos si ingentem frumenti copiam horreo suo condiderit" ei attribuere uix audebis. Haec igitur dicit Horatius: „alios delectat certamen Olympicum, hunc honores, illum opes et diuitiae". At, dices, non ipsum certamen Olympicum uoluit, sed gloriam ex uictoria

Digitized by Google

certamine illo reportata, et hoc nullo modo effici posse uidebis ex illis „sunt quos meta euitata rotis et palma euehit ad deos", quae quantopere sententiae cursum obstruant nunc iam melius intelleges. Bentleius autem, ut hanc molestiam amoueret, pro *euehit* dedit *euehere*, quem infinitiuum pendere contendit a *nobilis* coll. Carm. I. 12. 15; Prop. IV. 10. 42; Sil. XI. 73. Mihi uero leuius remedium adhibendum uidetur, quo uera lectio restituatur. Scribendum .puto

metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos si uehit ad deos.

Iam hanc habebis sententiam „sunt quos iuuat curriculo puluerem Olympicum collegisse et si meta euitata rotis palmaque ad deos uehit; hunc iuuat, si ...., illum, si" cett. V. *iuuat* in eadem periodo modo personalis uerbi, modo impersonalis potestatem habere non est quod te offendat. Carm. IV. 1. 21 „me nec femina, nec puer Iam, nec spes animi credula mutui, Nec certare iuuat mero". Palma *nobilis* dicitur, quia uictorem nobilem reddit: cf. Carm. I. 12. 35 „Catonis nobile letum" i. e. mors, quae Catonem nobilitauit". *Vehit* pro *euehit* poeta scripsit, qui saepius uerbo simplici pro composito usus est: I. 3. 16 *tollere* et *ponere* pro *attolere* et *componere*; I. 3. 40 *ponere* pro *deponere*; I. 4. 1 *soluitur* pro *dissoluitur*; I. 14. 10 *pressa* pro *oppressa*; I. 29. 16 *tendis* pro *contendis*; III. 29. 48 *uexit* pro *auexit*. Plura exempla enumerare supersedeo. — *Vehere* pro *euehere* inuenies Ouid. Fast. III. 413 „Dum legit in ramo pictas temerarius uuas, Decidit: amissum Liber in astra uehit"; Tacit. Ann. XIV. 54 „hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa uexisse qui et modica tolerarent".

I. 5. 5 sqq. Heu quotiens fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
Nigris aequora uentis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper uacuam, semper amabilem
Sperat, nescius aurae
Fallacis.

Digitized by Google

Inepte editur *uacuam*. Puella uacua dicitur, quae amatore, mulier uacua, quae marito caret. *Vacuus* igitur fere idem intellegit quod *uiduus*: Ouid. Met. XIV. 831; Tac. Ann. XIII. 44. Horatius, Carm. I. 6. 19 „Cantamus uacui, siue quid urimur" i. e. siue uidui (Plaut. Merc. 805) sumus puellae amore, siue amore alicuius flagramus. Itaque si amator Pyrrhae sperat fore ut semper sit uacua, sperat nimirum fore ut semper uel se uel alio amatore careat. Vide quam inepte haec spes homini attribuatur, qui Pyrrha ipse frui dicatur. Reicienda autem est Orellii interpretatio: „*uacuam* i. e. ab aliis amatoribus, sibique unice deditam". Quod uocabulum desideretur ex ipso carminis contextu facile intellegitur. Pyrrhae enim mutabile et irritabile ingenium cum mari comparatur, quod uentis facile agitatur turbaturque. Ideo in fine carminis poeta, qui Pyrrhae amorem uix tandem euaserit, festiue dicit se uelut naufragum ex maris fluctibus emersisse. Quia igitur adiectiuum requiritur, quod puellae aeque ac mari conuenit, scribendum puto

Qui semper **placidam**, semper amabilem
Sperat.

Adiectiuum *amabilis* item mari optime congruere hi docent Ciceronis loci: ad Att. XII. 9 „cetera noli putare amabiliora fieri posse ulla littore, prospectu maris" cett.; ad Fam. VII. 20 „amabilior mihi Velia fuit". Cf. Hor. Carm. III. 13, 10 „tu frigus amabile Fessis uomere tauris Praebes".

I. 13. 13 sqq. Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

Orellius, Wyttenbachii et Weberi auctoritatem secutus, „quinta parte" dictum esse contendit pro „absolutissima parte". „Transfert" inquit „ad amantium oscula *τὸ πέμπτον ὄν*, *τὴν πέμπτην οὐσίαν* Pythagoreorum, qui est aether". Ecquis mortalium credet, lepidissimum poetam Pythagoreorum commentis et argutiis tantum tribuisse, ut illis carminis lasciui elegantiam inficeret et corrumperet? Aliis editoribus diuersa interpretandi ratio placet, qui cum reperissent Ibycum alicubi dixisse mel nonam, alios uero lyricos idem decimam partem esse ambrosiae (Athen. II. 39 b;

Digitized by Google

Schol. Pind. ad Pyth. 9. 16), similiter quintam nectaris partem satis amplam partem significare affirmant. Equidem doctam hanc et tortuosam interpretandi rationem in Horatio legendo minime sequendam censeo. Consultius uidetur statuere uerba „quinta parte" mendo esse corrupta. Quid autem poeta scripserit non liquet. Dubito an conicere liceat

Gutta forte sui nectaris imbuit.

Lucret. IV. 1058 sqq. „Haec Venus est nobis; hinc autemst nomen amoris, Hinc illaec primum Veneris dulcedinis in cor Stillauit gutta.

I. 15. 13 sqq.

Nequiquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem grataque feminis
Inbelli cithara carmina diuides.

Haerent interpretes in v. *diuides*. Sunt qui contendant „cithara carmina diuides" dictum esse pro „lyram pulsabis simulque cantabis"; alii „diuidere carmina" ita explicant tamquam sit „carmina assa uoce cantata alternare sonitu citharae"; alii denique „carmina numeris suis dimetiri". Cum autem uerbi *diuidere* haud tam late pateat significatio, omnes interpretandi conatus irriti uidentur. Et hic corruptelae signum appingere satius puto. Tamen quod in mentem uenit reticere nolo. Suspicio mihi orta est poetam scripsisse

Inbelli cithara carmina **tinnies**.

Suet. Ner. 20 „media in orchestra frequente populo epulatus, si paulum subbibisset, aliquid se sufferti tinniturum ..... promisit"; Calpurn. Ecl. 5. 16 „uere nouo cum iam tinnire uolucres Incipiunt.

I. 17. 24 sqq.

nec metues proteruum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniciat manus
Et scindat haerentem coronam
Crinibus immeritamque uestem.

Orellius priora uerba ita interpretatur „nec metues proteruum Cyrum, suspecta Cyro suspicanti alium a te amari". Vereor ut huic interpretationi quisquam fidem tribuat. Qui *suspecta* scripsit

Digitized by Google

procul dubio idem significare hoc uoc. uoluit, quod *suspicax*, *suspicionis plena*. Caue tamen credas Horatium sic scripsisse, quia *suspectus* pro *suspicax* non inuenitur nisi apud ferreae Latinitatis auctores; Apul. Met. IX. 21; Amm. Marc. XXIX. 4. 5. Poetae restituendum puto

nec metues proteruum
Suspensa Cyrum.

Suspensa i. e. anxia, sollicita.

I. 26. 1 sqq.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare uentis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,
Quid Tiridaten terreat, unice
Securus.

Multum salutis huic loco attulit Luc. Muellerus, qui pro „quid Tiridaten terreat" dedit „quod Tiridaten terreat", ut sit coniunctiuus optatiuus in parenthesi positus. At uel sic scrupulus mihi restat. Etenim paucissimorum Romanorum scire interfuit, opinor, quis tunc Scytharum rex esset. At facile intellegitur fuisse, qui non sine sollicitudine quadam quaererent, quid rex ille secum animo uolueret et quid moliturus esset. Quamobrem poetam scripsisse credo

quid sub Arcto
Rex gelidae **meditetur** orae,
(Quod Tiridaten terreat), unice
Securus.

Cf. Carm. II. 11. 2 „Quid bellicosus Cantaber et Scythes, Hirpine Quinti, cogitet Hadria Diuisus obiecto, remittas Quaerere". De re uide Iustin. XLII. 5 „Victoria de Antonio insolentior Phraates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas ciuitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente regem Parthi Tiridaten quendam constituerant, qui audito aduentu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem ..... profugit".

Digitized by Google

I. 31. 7 sq. Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

V. *mordet*, quia non aliam interpretationem admittit nisi hanc ut idem ualeat quod *radit* uel *rodit*, ab hoc loco prorsus alienum uidetur. Radere enim et rodere ea flumina recte dicuntur, quae, cum rapido cursu ferantur, ripas abradunt et eluunt. Lucret. V. 257 „et ripas radentia flumina rodunt"; Lucan. II. 425 „radensque Salerni culta Siler"; (Senec.) Hippolyt. 16 „Maeander steriles amne maligno radit arenas". Minime uero in Lirim hoc cadit, taciturnum quieta aqua amnem: Sil. IV. 350 „Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto Dissimulat cursum ac nullo mutabilis imbri Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas". Flumen autem, quod placido cursu serpit, adiacentia rura mulcere apte, opinor, dicitur. Pro m o r d e t igitur **mulcet** scripserim, i. e. leuiter praestringit s. lambit, ut est Carm. I. 22. 8 „quae loca fabulosus Lambit Hydaspes".

I. 35. 12 sqq. Purpurei metuunt tyranni
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet imperiumque frangat.

V. *frequens* frigidius dictum puto, quam ut Horatio sit imputandum. Veram lectionem esse conicio **fremens**, i. e. „imperium recusans". Seru. ad Aen. I. 56 („*circum claustra fremunt*") „quidam hoc loco *fremunt* id est *imperia recusant* intellegunt, ut apud Cassium in annalium secundo *ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset*". Et sic ipse Horatius, Epod. 9. 17 „Ad hoc frementes uerterunt bis mille equos Galli". — Ne quem offendant uu. „ad arma" iterata, Orellius apte conferri iubet Ouid. Met. XI. 377 „cuncti coëamus et arma, Arma capessamus"; Ibid. XII. 241 „Certatimque omnes uno ore Arma, arma loquuntur."

I. 37. 6 sqq. Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo uirorum.

Digitized by Google

Vulgatam hanc lectionem merito damnauit Bentleius. Cum enim spadonum et exoletorum turbam, quae Cleopatram comitabatur, „contaminatum gregem" poeta dicat, haud probabile est eum eunuchos uirorum nomine dignatum esse, qui „semiuiri potius uel feminae uel monstra dicenda erant". „Porro", ait Bentleius, „in illa locutione *uirorum turpium morbo* non agnosco elegantiam Flacci". Haec omnia recte disputata existimo. Sed coniecturam, qua summus Criticus locum mendosum corrigere sibi uisus est, probare nequeo. Quod enim proposuit *opprobriorum* pro *morbo uirorum* et nimis a traditae lectionis uestigiis recedere et ab Horatiani sermonis nitore et elegantia abhorrere uidetur. Potius crediderim poetam scripsisse

Contaminato cum grege, **fortium**
Orbo uirorum.

Carm. IV. 2. 43 „forumque Litibus orbum. Cf. Ouid. Am. II. 14. 18; Met. I. 72 et 247; Trist. III. 2. 11.

II. 1. 19 sqq. iam litui strepunt,
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque uoltus.

Fulgorem armorum equos terrere posse intellego, sed non capio quomodo eodem fulgore uoltus equitum terreantur. Mens et animus hominis terreri possunt, non, credo, oculi. Poetam scripsisse conicio

Turbat equos equitumque uoltus.

Verg. Aen. VII. 767 „turbatis distractus equis"; ibid. IX. 123 sq. „conterritus ipse Turbatis Messapus equis".

II. 7. 9. sqq.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta uirtus et minaces
Turpe solum tetigere mento.

In ultimis uerbis explicandis in diuersas abiere partes interpretes. Alii contendunt „solum tetigere mento" dictum esse de caesis in pugna, qui humum ore momorderunt, alii de supplicibus, qui humi prostrati uictoris implorarunt clementiam.

Digitized by Google

Omnes autem offendit adiectiuum *turpe*. Qui de caesis sermonem esse putant, solum turpe dictum esse contendunt, quia cruore esset turpatum et pollutum; quod quam sit absurdum nemo, opinor, non uidebit. Fuerunt, qui *turpe* aduerbii locum obtinere crederent pro *turpiter*. Nonnullis denique *turpe* exclamatio uidebatur coll. Sil. II. 232 „heu deforme". Qui uero poetam de supplicibus cogitasse affirmant, solum *turpe* uocatum esse arguunt, quod in eo turpiter prostrati uictorem precarentur. Et haec interpretatio tamquam nimis quaesita et contorta reicienda est, nec quidquam huc facit locus, quem citant, ex Ouid. Trist. I. 3. 91 sqq., ubi poetae uxor ob mariti exilium desperationis plena narratur „semianimis media procubuisse domo, Vtque resurrexit, foedatis puluere turpi Crinibus et gelida membra leuauit humo". Etenim puluis ibi turpis dicitur, non quia misera coniux dolore obruta humi iacuisset, quod certe nihil turpitudinis habebat, sed quia crines foedasset et turpasset. — Mihi, ut dicam quod sentio, errare uidentur, qui ad supplices locum laudatum spectare opinantur. Homo Romanus enim supplex in genua se demittere solebat manusque tendere ad eum, cuius ueniam implorabat genuaque eius amplecti (cf. Caes. B. C. III. 98. 2; Verg. Aen. II. 407 et passim alibi), at numquam eo procedebat humilitatis ut uoltu humum contingeret uel uestigia oscularetur. Hic mos apud Orientis barbaras gentes uigebat (Mart. X. 72. 6; Curt. VIII. 5; Amm. Marc. XVIII. p. 139), sed a Romanorum indole et ingenio abhorrebat. Eorum igitur sententiae accedo, qui caesos Brutianos poetam significasse existimant. Satis, fateor, audacter scripsit illos *mento* solum tetigisse, at certe non audacius quam quae Carm. IV. 6. 11 sq. de Achille leguntur „procidit late posuitque *collum* in Puluere Teucro". — *Turpe* autem mendosum puto poetamque scripsisse conicio

Putre solum tetigere mento.

Putre i. e. siccum, arenosum: Prop. V. 3. 39; Stat. Theb. IV. 728; Lucan. VIII. 830. — Cf. Manil. I. 907 „nec plura alias incendia mundus Sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos, Vixque etiam sicca miles Romanus arena Ossa uirum lacerosque prius superastitit artus".

Digitized by Google

II. 7. 13 sq. Sed me per hostes Mercurius celer
Denso pauentem sustulit aëre.

Haec ita interpretatur Orellius „me trepidantem Mercurius seruauit inuolutum densa nube". At non tam late patet ablatiui uis ut „denso aëre" unquam significare possit „denso aëre inuolutum". Sunt qui dicant „denso aëre" esse ablatiuum instrumentalem ad „sustulit" pertinentem. Cui opinioni quominus accedam sana mens obstat et ratio. Fere non dubito quin Flacco reddendum sit

Denso **latentem** sustulit aëre.

Epod. 5. 55 „formidolosis cum latent siluis ferae."

II. 11 sqq. Fugit retro
Leuis iuventas et decor, arida
Pellente lasciuos amores
Canitie facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis neque uno luna rubens nitet
Voltu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta uel platano uel hac
Pinu iacentes sic temere et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Iniuria Lehrsius *canos* tamquam spurium damnasse uidetur. Nullam uideo repugnantiam inter hoc epitheton et ea quae supra leguntur „fugit — somnum". Poetam haec dicere apparet „noli nimis sollicitus esse de futuri temporis exitu. Fugit sane iuuentas corporisque decor, at nihil est quod omnino stabile maneat: flores uernos marcescere, lunam faciem perpetuo mutare uides; quid igitur animum torques cogitationibus ad longissimi temporis curam pertinentibus, quibus par esse non possit". Cur, rogo, haec non quadrant cum sequentibus, ubi dicit „nos ab his curis uacui, dum per uires et aetatem licet, potemus capillos iam canos rosis redimiti, nardoque uncti"? — Horatium praecanum fuisse docent Ep. I. 20. 24; Carm. III. 14. 25. — At non fero *odorati*, cum de unguentis odoriferis sermo sit in

Digitized by Google

seqq. Legendum puto

Canos **coronati** capillos

Carm. II. 7. 7 „coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos". Nemo ignorat inter compotatorum apparatus fere semper una commemorari coronas et unguenta; cf. I. 5. 12; III. 14. 17. Allitterationem si quem offendat is conferat I. 12. 41 „hunc et incomptis Curium capillis".

II. 18. 32 sqq.

Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus.

V. *pueris* iure corruptelae signum apposuit Luc. Muellerus, quia nullum aliud in Carminibus exemplum extat unius syllabae productae in duas breues solutae. Dubitat idem u. doct. an contextui congruat *proli*. Mihi uero *proli* non magis probandum uidetur quam *pueris*, quia, si uera sit lectio, rogare licet cur poeta in praecedentibus scripserit *pauperi*, nec potius *pauperis* vel *pauperum*. Genuinam lectionem restituere mihi uideor scribendo „regumque **primis**". Carm. II. 7. 5 „Pompei meorum prime sodalium; IV. 6. 31 „Virginum primae".

II. 20. 17 sqq.

Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.

Reiciendum est ineptum interpretum commentum, qui *peritus* dictum esse affirmant per prolepsin, ut sit „ubi aliquando erit peritus". Quasi uero Aquitani et Hispani tunc temporis adeo Latinae linguae imperiti humanitatisque expertes essent, ut Horatiana carmina legere non possent! Reputanti autem Rhodani potores, i. e. Aquitanos a. 726 et 727 a Messala domitos et a. 728 et 729 bellum sub Augusti auspiciis aduersus Hispaniae quasdam gentes feliciter gestum esse, cogitanti porro libri secundi carmina composita esse a. 729—730 (Bentley), uel a. 724—730 (Franke, Stallbaum), uerisimillimum mihi uidetur

Digitized by Google

poetam, haec bella respicientem, scripsisse

me **reuictus**
Discet Hiber Rhodanique potor.

Carm. IV. 4. 23 sq. „cateruae Consiliis iuuenis reuictae".

III. 1. 11 sqq.

Destrictus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non Siculae dapes
Dulce elaborabunt saporem,
Non auium citharaeque cantus
Somnum reducent.

Homini diuiti et luxurioso, ait poeta, qui scelerum conscientia agitatur, etiam exquisitissimae epulae insuaues uidebuntur, neque auium et citharae cantus somnum ei reddent curis et sollicitudinibus interruptum. Intellego homines diuites anxiis curis sollicitos insomnia pellere conatos esse citharae cantu, quod de Maecenate tradit Seneca, de Provid. 3, cui „somnus per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium" quaerebatur. Sed non uideo quomodo auium cantus homini insomniis fatigato somnum reducere possit. Noui sane nobiles Romanos, rei publicae liberae temporibus uiuentes, cantrices aues, ueluti luscinias et merulas in auiariis aluisse, quae in uillis extructa haberent (Varro, R. R. III. 5. 14), neque ignoro imperatoria aetate seriore nobilium domibus, quas in urbe haberent, uiridaria et arboreta adiuncta fuisse, quae, cum specularibus a uentis et frigore defenderentur, et poma et flores exoticos et „peregrini aëris uolucres" continerent (Pacat. Paneg. Theod. Aug. 14; Rutilii Iter I. 111 sqq.), sed illarum auium cantum dominis somnum conciliasse haud crediderim. Auium enim cantus uulgo ad somnum expellendum, quam ad reducendum aptior est. At, quod maius est, si unam lusciniam excipias, quam tantummodo ueris initio nocturno tempore cantare notum est, cantrices aues noctu silere solent. Quae cum ita sint, non dubito quin *auium* corrupta sit uox, poetaeque sit restituendum

Non **fidium** citharaeque cantus

Carm. IV. 4. 3 sqq. „Seu uoce nunc mauis acuta Seu fidibus citharaque Phoebi"; Verg. Aen. VI. 120 „Threïcia fretus cithara fidibusque canoris".

Digitized by Google

III. 3. 53 sqq.

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis, uisere gestiens,
Qua parte debacchantur ignes
Qua nebulae pluuiique rores.

Haec poeta Iunonem in consilio deorum dicentem facit, ubi Romae orbis terrarum imperium promittit, dum certis condicionibus sit obtemperatura. Quia autem in praecedentibus coniunctiuo modo poetam usum esse uidemus „*stet* Capitolium Fulgens triumphatisque *possit* Roma ferox dare iura Medis. Horrenda late nomen in ultimas *Extendat* oras", futurum tempus *tanget* h. l. ferri non potest. Quod cum intellegeret Bentleius, edidit *tangat* inuitis, ut ipse fatetur, longe plurimis et optimis codicibus. Horatium scripsisse credo „hunc **temtet** armis". Ouid. Her. 7. 21 „Bella tument: bellis peregrina et femina tentor."

III. 4. 1 sqq.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu uoce nunc mauis acuta
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et uideor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Interpretum opinio est uu. „auditis — insania?" poetam sodales suos alloqui: „etiamne uos, sodales, auditis, an ego solus"? — Profecto satis mirum est poetam, postquam Calliopen precatus sit ut diuino se spiritu impleat, sic continuo, quasi in parenthesi, ad sodales se conuertere, qui in reliquo carmine ne semel quidem appareant. At, sint haec uera, quid, quaeso, faciamus illo *et*, quod inter *audire* et *uideor* legitur? In contextu, ut nunc constitutus est, nullus copulae locus est. Nisi omnia fallunt, sodales illi, ex interpretum ingenio nati, expellendi sunt et reuocanda Musa, quam ita alloqui pergit poeta

Ordire! **Iam** me ludit amabilis
Insania audire et uideor pios cett.

Ordire i. e. canere incipe. A. P. 147 „Nec gemino bellum

Digitized by Google

Troianum orditur ab ouo"; Prop. IV. 9. 49 „Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris Ordiar".

III. 4. 58 sqq. Hinc auidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno et
Numquam umeris positurus arcum.

Haerent interpretes in epitheto *auidus* sic nude posito. Aliis supplendum uidetur *pugnae* uel *belli*, ut sit idem quod λιλαιόμενος πολέμοιο. Alii contendunt „Volcanum auidum" significare ignem edacem latiusque serpentem. Neutris fidem habendam censeo. Scripsit Horatius, ni fallor,

Hinc **calidus** stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno.

Carm. I. 4. 8 „Volcanus ardens"; Stat. Silu. III. 1. 133 „flammeus Mulciber"; Suidas: Αἰθαλόεις θεὸς ὁ Ἥφαιστος ὡς χαλκεύς.

III. 5. 5 sqq.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus uixit et hostium —
Pro **curia** inuersique mores! —
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo Marsus et Apulus.

Vix intellego interpretes aequo animo ferre potuisse u. *curia*. Orellius haec annotat „*curia* refertur ad laesam senatus dignitatem, qui tam ignominiosum casum tam diu patienter tulerit". At, puto, matrimoniorum illorum dedecore non solius senatus, sed totius ciuitatis honos et dignitas laesa erant. Quomodo porro Senatus impedire potuerat quominus a Romanorum militibus cum barbaris coniugibus matrimonia inirentur? Nec uideo quid ad rem illustrandam conferat locus, quem citant editores ex Ciceronis Or. pr. Plancio, 29 „ecquem fuisse putas tam excordem, qui, uiuis his, stante urbe et Curia, rediturum me, si uiuerem, non putaret"? — Quid h. l. desideraretur uiderunt ueteres librarii, quorum nonnullos pro *curia* substituisse *tempora* monet Orellius. Suspicor Horatium scripsisse

Pro **saecula** inuersique mores!

Digitized by Google

cum autem in archetypo nescio qua de causa lacuna extitisset, qua priores litterulae interiissent, ex *saecula* factum esse *cula*, quod posterior deinceps manus corrigere sibi uisa est scribendo *curia*. Carm. III. 6. 17 „Fecunda culpae saecula nuptias Primum inquinauere et genus et domos"; Verg. Aen. I. 291 „Aspera tum positis mitescent saecula bellis"; Geo. I. 468 „Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem". *Saecula* his locis tam homines intellegunt, aliquo saeculo uiuentes, quam mores saeculi (Forc.). Sic sing. num. Tacit. Germ. 19 „nemo enim illic uitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum uocatur".

III. 5. 18 sqq.

Signa ego Punicis
Adfixa delubris et arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta uidi; uidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero.

Regulum haec poeta dicentem facit, ubi ciues suos hortatur ne foedis condicionibus pacem cum Carthaginiensibus ineant et captos milites ab hostibus interfici satius esse arguit, quam pecunia ex captivitate a Romanis redimi. Narrat se Carthagine brachia ciuium uidisse tergo *libero* retorta. Vide quam inepte et stolide tergum captiuorum hominum liberum dicatur. Noli autem huius stultitiae culpam in poetam conferre. Scripsit enim Flaccus

uidi ego ciuium
Retorta tergo brachia **liuido**.

Liuebant terga miserorum hominum uibicibus ex loris, quibus caedebantur, siue, ut ipsius poetae uerbis utar (vs. 35 sqq.) ex loris, quae restrictis lacertis sensere. Caue enim Orellio credas, lora ibi uincula significare dicenti. Cf. Carm. I. 8. 10 „neque iam liuida gestat armis Brachia"; Ouid. Her. 20. 82 „Oraque sint digitis liuida facta tuis"; Prop. IV. 7. 65 „Haec sua maternis queritur liuere catenis Brachia".

III. 5. 32 sqq.

erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus:
Et Marte Poenos proteret altero,

Digitized by Google

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners; timuitque mortem
Hinc, unde uitam sumeret aptius;
Pacem et duello miscuit.

Ita locus constitutus est a Bentleio, qui cum daret *hinc* pro *hic*, quod in codd. legitur, colon sustulit, quod erat post *mortem*, ut haec sententia nasceretur „hinc timuit mortem, unde aptius uitam sumeret"; „cf. III. 11. 38 „Surge, ne longus tibi somnus, unde non times, detur". Deinde inter *pacem* ac *duello* inseruit *et*. — Ab egregia Bentleii emendatione recipienda deterret editores codicum aliquot auctoritas, qui non *aptius* habent, sed *inscius*. Hanc ob causam uulgo editur „Sensit iners timuitque mortem. Hic, unde uitam sumeret inscius, Pacem duello miscuit". Hanc lectionem summo iure damnauit Bentleius, „nam" inquit „cum in orationis cursu poeta ait ‚erit *ille* fortis, qui perfidis se dedidit hostibus', si de *illo* homine uocabulum *hic* intellegi uelis, dicendum utique fuerit ‚*ille* unde uitam sumeret inscius'". — Si quid uideo, *inscius* est deprauata lectio uocis *iustius*, quam, ut *aptius* interpretaretur, nescio quis olim adscripsit.

III. 6. 29 sqq.

Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu uocat institor
Seu nauis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

„Mulier adultera" ait „coniuente et conscio marito stuprum facit cum institoribus et nautis"; cf. Epod. 17. 20 „amata nautis multum et institoribus". Nauis magister dedecorum emptor uocatur, quia turpes sibi uoluptates emit, quae et adulteram et moechum dedecore afficiunt. Audio. Sed offendit *pretiosus*. Orellius contendit *pretiosus* dictum esse pro *magno pretio emens*, sed addit „hac significatione, ut ita dicam, actiua uix alibi hoc adiectiuum reperitur". Equidem non dubito, quin *pretiosus* uox sit corrupta. Veram lectionem puto **speciosus** i. e. fallax, qui verbis speciosis mulierem inducit ut prauis suis cupiditatibus morigeretur.

Digitized by Google

III. 6. 41 Sol ubi montium
Mutaret umbras et iuga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Displicet „amicum tempus", quod insulse satis et frigide dictum esse nemo negabit. Poetam scripsisse suspicor „**uaciuum** tempus", metri nimirum causa pro solito et uulgari „uacuum tempus", ut alibi *nauita* pro *nauta*, *uiolens* pro *uiolentus* cett. *Vacuus* absolute positum pro *operum*, *laborum uacuus* inuenitur Carm. I. 32. 1; Sat. II. 3. 10. Cf. Ter. Heaut. I. 1. 38 „Sine me, uaciuum tempus ne quod dem mihi laboris".

III. 8. 17 sqq.
Mitte ciuiles super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.

Haec poeta ad Maecenatem suum, quem inuitat, uel inuitare se fingit, ut missis curis et sollicitudinibus Matronalium festum secum celebret. Non intellego „ciuiles curas". Annotat Orellius „*ciuiles curae* referuntur ad res intestinas, domi administrandas; militaribus prouidebat Augustus cum Agrippa". Ab Orellio dissentit Luc. Muellerus, qui *ciuiles curas* affirmat esse *ciuem decentes*. Neutrius v. d. sententiae accedere possum deletaque uoce ambigua et obscura poetae reddendum censeo
Mitte **subtiles** super urbe curas.
Subtiles i. e. intentas, acres. Manil. III. 43 „Nunc age subtili rem summam perspice cura"; Aetna, 144 „Tu modo subtiles animo duce percipe curas".

III. 14. 1 sqq.
Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte uenalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata sacris.

Digitized by Google

Ambigunt editores de interpretatione uocis *unico*. Fuere qui interpretarentur *proprio*, „quia" aiunt „singularis tunc erat uirtus unicum maritum habere, mulier marito proprio gaudens erat mulier casta et pudica". Quae explicatio quam sit absurda uix opus est demonstrare. Extiterunt alii, qui *unico* dictum esse putarent pro *singulari*, *praestantissimo*. Hos iure refellit Orellius: „nescio quo modo" inquit „recentiorum linguarum indolem refert illud *unicus* i. e. *perfectus*, *egregius maritus*. Non defuere denique, qui *unico* idem esse contenderent quod *dilecto*. Qui, ubi ad sententiam suam tuendam prouocant ad Carm. II. 18. 14 „Satis beatus unicis Sabinis", errare mihi uidentur, quia quin *unicis* ibi dictum sit pro *solis* uix dubitare licet. At concedamus hanc sententiam ueram et rectam esse, quae, rogo, causa mulieri dilecto marito gaudenti extare poterat, ob quam Caesare ex Hispania redeunte dis sacra faceret? Cur tunc potius quam alio tempore? — Omnes molestiae tolli mihi uidentur, si poetam scripsisse statuimus

Integro gaudens mulier marito.

Dis illam sacra referre oportebat laeto pectore quod maritus incolumis ex bello rediisset. Carm. II. 17. 7 sq. „Nec carus aeque nec superstes Integer"; IV. 4. 66 sq. „multa proruet integrum Cum laude uictorem"; Liu. V. 38. 6 „non modo non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito integri intactique fugerunt".

Sequentia quoque uitio laborant. Meliores codd. habent *diuis*, deteriores *sacris*. Haec non quadrant. Factum esse nullo modo potest, ut si in libro, quo exemplo utebatur, legisset *diuis* librarius, pro glossa adscriberet *sacris*, neque inuersa ratione, si scriptum inuenisset *sacris*, ut interpretandi causa appingeret *diuis*. Quae cum ita sint, meliorum codd. lectionem tuendam censeo, sed ita mutatam

Prodeat iustis operata **donis**.

III. 18. 9 sqq.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis uacat otioso

Digitized by Google

Cum boue pagus;
Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi silua frondes.

Pro *agrestes*, epitheto insulso et frigido, ipsum contextum requirere apparet **arentes**. Carm. I. 25. 19 „Aridas frondes hiemis sodali Dedicet Hebro".

III. 24. 31 sq.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus inuidi.

Refert sententiam poeta sexcenties ab antiquis scriptoribus expressam; cf. Ruhnken. ad Vell. II. 91. „Homini" ait „uirtute praedito, dum in terris uersatur, inuidemus, ubi morte est abreptus, eundem desideramus". Clara haec atque perspicua. Sed quid faciamus u. *inuidi*? Respondent editores „*inuidi* ad totam sententiam pertinet, non ad alterum utrum uerbum: ‘quia inuidiae pleni sumus’". Ecquis credet? *Inuidi* ad prius uerbum *odimus* tantummodo pertinere potest, neque ad posterius *quaerimus*, quia nempe mors inuidiam extinguere solet (Cic. pro Balbo 6. 16). Quominus autem ad *odimus* referamus structurae obstat ratio, quae potius uocabulum postulat, quod ad *quaerimus* pertineat. His adducor ut Horatium scripsisse credam

Sublatam ex oculis quaerimus **irriti**.

Quaerimus irriti i. e. frustra requirimus. Carm. III. 29. 45 „non tamen irritum Quodcumque retro est, efficiet"; Verg. Aen. V. 442 „uariis assultibus irritus urguet"; Tibull. II. 3. 22 „Venit et a templis irrita turba domum".

III. 24. 40 sq. horrida callidi
Vincunt aequora nauitae.

Silentio praeterierunt editores u. *uincunt*, quod tamen satis noue et insolite dictum esse nemo certe erit, quin agnoscat. Unus Peerlkampius cum uulgata lectione comparari iubet Tacit. Agr. 25 „hinc terra et hostis, hinc uictus Oceanus". Quae tamen comparatio claudicat. *Victus* enim ibi pro *superatus* dictum est, quia non ad *Oceanus* solum et *terra*, sed ad *hostis* etiam

Digitized by Google

referendum est. Mihi dubium non est quin Flacco sit reddendum

Findunt aequora nauitae.

Verbum *findere* sic saepius apud Ouidium legitur: Her. 16. 31; A. A. II. 671; Trist. I. 4. 3 et V. 2. 62; Met. XIII. 904. — Cf. Hor. Carm. I. 1. 13 „ut .... pauidus nauta *secet* mare".

III. 24. 52 sqq. tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer.

Orellius docet haec significare „iamiam eo peruentum est, ut pueri ingenui equitare nesciant". *Haerere* ei dictum esse uidetur pro *sedere*. Haud equidem iuuentutem Romanam adeo tunc luxurie fractam et eneruatam fuisse crediderim, ut iam equitare nesciret. Praeterea simplex equitandi ars minime „asperioribus studiis" annumerari poterat, quibus „tenerae nimis mentes" formandae et durandae erant. Neque *haerere* simpliciter dictum est pro *sedere*. Haerere equo ii tantum recte dicuntur, qui equo insidentes uix se sustinere ualent: Cic. pro Deiot. 10 „Itaque Deiotarum cum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus"; Ouid. Met. IV. 26 „pando non fortiter haeret asello". Poetam scripsisse apparet

Nescit equo **rudi**
Haerere ingenuus puer.

Equo rudi i. e. nondum domito et refrenato. Sic iuuenci, qui nondum iugum subierunt, *rudes* uocantur Ouid. Fast. I. 83; cf. ibid. IV. 335 sq. „iuuencam Mactarunt, operum .... rudem".

III. 24. 62 sqq. Scilicet improbae
Crescunt diuitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

Curtae per prolepsin dictum esse contendunt interpretes, ut haec sit sententia: „possessor re sua, quia manca ei et exigua uidetur, numquam contentus est". Quae interpretandi ratio quam sit contorta et implicita quiuis facile intelleget. Haud inepte conieceris poetam scripsisse

Digitized by Google

Partae nescio quid semper abest rei.

Sat. I. 1. 93 sq. „finire laborem Incipias parto, quod auebas"; Sat. II. 2. 18 sq. „Unde putas aut qui partum?" cf. Carm. II. 1. 16.

III. 25. 14 sqq. O Naiadum potens
Baccharumque ualentium
Proceras manibus uertere fraxinos.

Pro uerbo inepto u e r t e r e poetae reddendum est **uellere** i. e. euellere. Cf. quae annotaui ad I. 1. 6 et Ep. II. 1. 46 sq. „caudaeque pilos ut equinae Paulatim uello". Eurip. Bacch. 1109 *αἱ δὲ μυρίαν χέρα Προσέβεσαν ἐλάτῃ κἀξανέσπασαν χθονός.*

III. 27. 25 sqq.
Sic et Europe niueum doloso
Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.

Non intellego *medias*. Dissentiunt inter se interpretes. Burmannus (ad Val. Flacc. II. 174) „medias fraudes" dictum esse putat pro „media inter fraudes". Huic opinioni nonnulli ex recentioribus editores calculum adiecerunt. Quod quo iure fecerint nondum uideo. Orellius interpretatur „insidias, occulta, quibus undique circumdata erat, pericula a monstris marinis, a procellis, ab undis ipsis". Praestat, opinor, ignorantiam fateri, quam tali uerborum ambage uti, quibus nihil quidquam proficimus. Suspicio me tenet Horatium scripsisse

scatentem
Beluis pontum **Thetidosque** fraudes
Palluit audax.

Thetidos i. e. maris, nota metonymia; cf. Verg. Ecl. 4. 32; Mart. X. 30. 31; Claud. Rapt. Pros. I. 148.

III. 30. 10 sqq.
Dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnauit populorum, ex humili potens

Digitized by Google

Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Hunc locum mendo laborare iam primo aspectu facile apparet. Dicit enim poeta „ibi, ubi Aufidus fluit, dicar, i. e. a Venusinis, municipibus meis, celebrabor ut primus poeta lyricus Latinus". At certe maiora de se praedicauit. Non in regione natali tantummodo, sed per totum orbem terrarum se posterorum laudibus elatum iri praesagit. Hoc nisi statuas, locum laudatum prae prioribus carminis uersibus ita frigere uidebis, ut dubites an Peerlkampii sententiae accedendum sit, qui eum ab Horatio abiudicauit. Quod cum nonnulli editores intellegerent, praeeunte Acrone ita rem expedire conati sunt ut loci hanc esse sententiam contenderent „dicar princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxisse, (ibi natus) qua (ubi) Aufidus obstrepit". Pulchre sane; sed scire uelim unde haec omnia petiuerint uu. dd. Verbis, ut nunc leguntur, haec significatio attribui nullo modo potest. Sed, ut iam monui, uerba sine dubio corrupta sunt. Nemo, opinor, erit, quem non offendant illa „agrestium regnauit populorum". Graecum hoc dicendi genus ab Horatio abiudicandum censeo, eumque scripsisse puto „Daunus agrestium regnauit populum". Verg. Aen. IX. 11 „collectos armat agrestes"; Tibull. I. 1. 39 „Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula". Postquam autem semel librarii culpa ex *populum* factum est *populorum*, reliquus uersus corruptus est ut metrum turbatum restitueretur. Quae genuina sit lectio affirmare non ausim. Forsitan poeta scripserit

Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnauit **populum**, **tecto** humili potens,

ut haec sit loci sententia „posteri memorabunt, me, qui in Apulia simplex ruricola, pauperi casa dives i. e. contentus uixerim, primum Sapphus et Alcaei poësin lyricam Latine aemulatum esse". Tecto humili potentem Horatius se dixisse putandus est quemadmodum Vergilius, Aen. VI. 844, Fabricium uocat „paruo potentem"; cf. Sil. I. 609 „castaque beatos Paupertate patres". *Potens* i. e. *dives* ut Carm. II. 18. 13 „nec potentem amicum Largiora flagito"; Plaut. Epid. I. 2. 50 „Est Euboicus miles locuples, multo auro potens"; Phaedr. I. 24. 1 „Inops potentem dum uult imitari".

Digitized by Google

IV. 4. 13 sqq.

Qualemue laetis caprea pascuis
Intenta fuluae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente nouo peritura uidit.

Leo, seu potius leonis catulus, ἀπογαλακτισθείς, recte dicitur matris ab ubere siue a lacte depulsus. Illud legitur apud Verg. Geo. III. 187, hoc apud eundem Ecl. 7. 15. Sed inepte editur „ab ubere Iam lacte depulsum". Scripsisse poeta uidetur

ab ubere
Lactante depulsum leonem.

Lucret. V. 885 „Ubera mammarum in somnis lactantia quaeret"; Ouid. Met. VII. 321 „lactantiaque ubera quaerit".

Epod. 15. 11 sqq.

O dolitura mea multum uirtute Neaera!
Nam si quid in Flacco uiri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes
Et quaeret iratus parem.
Nec semel offensi cedet constantia formae,
Si certus intrarit dolor.

„Nec constantia mea semel laesi et irati cedet formae tuae, ubi uere indoluero", ita Bentleius postrema uerba interpretatus est, postquam pro *offensae*, quod in codd. legitur, substituit, quod unice uerum puto, *offensi*. Offendit autem epitheton *certus* et insolite positum pro *uerus* et superuacaneum. Satis nimirum erat puellam monere, ne, si amatorem assidua infidelitate et inconstantia semel offendisset, dolorem eius excitaret. Veram lectionem esse conicio

Si **pectus** intrarit dolor.

Verg. Aen. VIII. 389 sq. „medullas intrauit calor"; Ouid. Rem. Am. 503 „intrat mentes amor"; Tacit. Agr. 5 „intrauit animum militaris gloriae cupido".

Epod. 16. 41 sq.

Nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
Petamus arua diuites et insulas.

Locus hic, quem fere omnes editores mendo corruptum esse

Digitized by Google

agnoscunt, uariis doctorum coniecturis tentatus est, quas enumerare longum est. Neque tamen unam inueni, quae ab omni parte satisfacit. Mirum ni poeta scripsit

Nos manet Oceanus circumuagus **amne**: beata
Petamus arua diuites et insulas.

Od. XI. 639 Τὴν δὲ κατ' Ὠκεανὸν ποταμὸν φέρε κῦμα ῥόοιο; Verg. Geo. IV. 233 „Plias et Oceani spretos pede repulit amnes"; Tibull. II. 5. 59 sqq. „qua fluitantibus undis Solis anhelantes abluit amnis equos"; Id. III. 4. 18 sq. „Iam nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum caeruleo lauerat amne rotas".

Carmina Horatiana cum relegerem, usus sum libris, quos deinceps edendos curarunt Orellius, Peerlkampius, Kellerus et Holderus, Lehrsius, Luc. Muellerus. Quoties ex his libris mihi apparebat, quod ipse coniectando olim excogitassem iam ab aliis esse inuentum, quae de loco controuerso scriptis mandaram diligenter induxi. At uel sic subuereor ne nonnulli loci, quos primus emendasse mihi uisus sim, ab aliis iam ante me eadem ratione sint sanati. Quod si ita se habet, aequi et beneuoli lectoris ueniam mihi paratam scio. Tam magna enim copia librorum libellorumque, in quibus loci Horatiani tractantur, et antea edita est et quotannis editur, ut omnibus noscendis humani ingenii uires uix pares existimandae sint. Nihil moror homines inficetos illos omnisque humanitatis expertes, qui si forte uiderunt te sententiam proferre ab alio iam ante prolatam, altos clamores tollunt, conuiciisque et probris te onerant, tamquam aliena scrinia compilaueris. Horum pusillum animum deridere, maleuolam obtrectationem despicere soleo.

Digitized by Google

DE CARMINIBUS E PAPYRIS AEGYPTIACIS ERUTIS ET ERUENDIS.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

Prodiit nuperrime Vindobonae, editore C. Wessely, opus inscriptum *Griechische Zauberpapyrus von Paris und London*, quod praeter pauca fragmenta continet IV papyrorum textum, e quibus duo sunt Parisienses, maior constans vss. 3274 et minor vss. 325, duo vero Londinenses e Musaeo Britannico, quorum alter 503 alter 50 tantum versus complectitur. Hos codices exaratos sec. III et IV p. Chr. n. Wessely edidit, ut scripti sunt, sine accentibus et sine interpunctione (eam dico qua hodie utimur, nam veterem illam inconstantem et prorsus inutilem e papyris recepit), rarissimas addens in calcibus paginarum correctiones, quibus tamen textus depravatissimus singulis paene versibus quam maxime indiget.

Librum non inutilem, unde veteres superstitiones et Alexandrinae dialecti proprietas praeter alia quaedam plenius cognosci possunt, simulatque accepi, emendare coepi quantum poteram et diligenter perscrutari. Quibus rebus intento cum mihi contigerit ut carmina quaedam carminumque fragmenta, non animadversa aut certe neglecta ab editore, eruerem, simulque in iis quae ille repperit haud pauca melius restituerem, de hac studiorum meorum parte nunc sum expositurus, de reliquis, quando absolvero, fortasse alias.

Primum ea carmina tractabo, quae editorem aut prorsus latuisse videntur aut pro parte animadversa ab eo non sunt restituta.

Digitized by Google

Prorsus silet de carmine, PRECES AD TYPHONEM continenti, quod lectum in maiore papyro Parisiensi v. 178 sqq. sic fere constituendum esse existimo:

1 Κραταιὲ Τυφῶν, τῆς ἄνω σκηπτουχίας
2 σκηπτοῦχε καὶ δυνάστα, θεὲ θεῶν ἄναξ,
3 γλωχεντινάκτα, βρονταγωγέ, λαμπέτα,
4 νυκταστράπητε, ψυχροθερμοφύσαλε,
5 πετρεντινάκτα, τειχοσεισμοποιέ, σέ,
6 καχλαζοκύμων, βυθοτάραξι, λίσσομαι.
7 Ἐγώ εἰμ' ὁ σὺν σοὶ τὴν ὅλην οἰκουμένην
8 ἀνασκαλεύσας κἀξανευρὼν τὸν μέγαν
9 Ὄσιριν, ὃν σοι δέσμιον προσήγαγον.
10 Ἐγώ εἰμ' ὁ σὺν σοὶ συμμαχήσας τοῖς θεοῖς.
11 Ἐγώ εἰμ' ὁ κλείσας οὐρανοῦ δισσὰς πτύχας

ANNOTATIO. V. **2** post ἄναξ additur magicum Typhonis nomen *αβερομενθωου*. — **3** cod. *γλωφεντινακται*, quod correxit W. Ipse pro *λελαπετε*, cum numeri respuant *λαιλάπετε*, dedi *λαμπέτα*. — **4—6** in codice tam misere depravati sunt, ut aliquid audendum esse putaverim. Legitur enim: *νυκταστραπτοψυχη θερμοφυσησε πετρεντινακτα τειχοσεισμοποιε κοχλαζοκυμων βυθοταραξοκινησε*. Quod feci vocabulum *βυθοτάραξις*, formatum est et adhibitum ut *βορβοροτάρχξις* apud Arist. Equit. 309. Post haec secuntur vocabula magica metro soluta *ϊω ερβητ αυταυϊμηνι*. — **8** *κἀξανευρὼν* pro *καὶ ἐξευρὼν* vere correxit collega meus Leidensis J. van Leeuwen. — **9** codex *δέσμιον ἤνεγκα*. Recepi aptam Leeuwenii coniecturam *προσήγαγον*. — **11** quo pacto mirum illud *συμμαχήσας τοῖς θεοῖς* intellegendum sit non praeteriit eum qui olim interpretatus est *πρὸς τοὺς θεούς*, unde fluxit varia lectio, quae in papyro hunc v. excipit *οἱ δὲ πρὸς τοὺς θεούς*. Qui vero sit in Aegyptiorum fabulis hic Typhonis auxiliator, cuius personam magus ista canens suscipiat, ignoro, cum certiorem me non faciant nec Plutarchus in docto de Iside et Osiride opusculo nec Diodorus Siculus, qui tantummodo in genus locuntur de Typhonis sociis in nece Osiridis et in bello adversus Isidem atque Horum. Frequentissimam autem esse in re magica eiusmodi personae divinae assumtionem et formulam *ἐγώ εἰμι* ..., abunde hi aliique papyri docent, quam-

Digitized by Google

12 καὶ κοιμίσας δράκοντα τὸν δυσδέρκετον,
13 στήσας θαλάσσης ῥεῖθρα, ποταμῶν νάματα,
14 ἄχρις οὗ 'κράτησας τῆσδε τῆς σκηπτουχίας.
15 Ὁ σὸς δ' ἀρωγὸς ὑπὸ θεῶν νικώμενος
16 πρηνὴς ῥέριμμαι μηνίδος εἵνεκεν κενῆς.
17 Ἔγειρον, ἱκετῶ, τὸν σόν, ἱκνοῦμαι, φίλον,
18 καὶ μή με λείψῃς χθονοριφῆ, θεῶν ἄναξ.
19 Δυνάμωσον, ἱκετῶ, δὸς δέ μοι ταύτην χάριν,
20 ἵν', ὅταν τιν' αὐτῶν τῶν θεῶν φράσω μολεῖν,

---

que sit huius formulae loco nostro repetitio stilo Aegyptio propria, videbis ex Isidis epitaphio apud Diodorum I 27, 4. — **12** infeliciter W. versum esse ignorans pro *κοιμίσας* rescribi iussit *κοιμήσας*, quod et alia de causa male coniectum est. Pro *δρακονταν αθεωρητον* de meo reposui verba genuina *δράκοντα τὸν δυσδέρκετον*, coll. Oppiano Cyn. II 607, nam *ἀθεώρητον*, quod metrum iugulat, procul dubio est poetici vocabuli glossema, quo restituto simul liberamur forma barbara *δράκοντ*AN. — **13** *θαλάσσης ῥεῖθρα* scripsi pro *θαλασσαν ρ.* — **14** contra sententiam simul et numeros codex *αχρις ου κυριευσης*. Reposui *ἄχρις οὗ 'κράτησας*, etsi verum esse potest *ὡς κυριεύσαις*. — **15** depravatissime codex *ο σος στρατιωτης υπο θεων νενικημαι*. Dedi *δ' ἀρωγός*, sed minus certum est *νικώμενος*, pro quo fortasse verius est, quamquam longius a tradita distat scriptura, *ἡττημένος*. — **16** *ῥέριμμαι* pro *ἔρριμμαι*, ut in Odyssea *ῥερυπωμένα*. — **17** *ἐγείρου* dedi pro *εγειρο*N. Verbum *ἱκετῶ* pro *ἱκετεύω*, quod in his papyris crebro occurrit, cum aliis vocabulis permultis lexica nostra ignorant. — **18** perabsurde codex *μη με* Ριψης de eo qui v. 16 dictus est *ἐρρῖΦθαι*. Emendavi *λείψῃς*, quae aoristi forma apud sequiores frequens est pro aoristo II, nihil autem itacismo frequentius praesertim in papyris. Deinde, coll. v. 2, propter hiatum transposui quod codex habet *ἄναξ θεῶν*. Hiatum horum carminum scriptores non magis quam veteres *in senariis* admisisse infra ostendemus, ubi tractabimus editum a Wessely cum crebris hiatibus *hymnum in Lunam*. In senariis dico, nam pseudo-octonariorum, ut videbimus, alia ratio est. — Post hunc versum denuo leguntur nomina magica: *αιμονχεβαρω θερρεθωρ αβιανεϊμεα*. — **20** *Φράσω* =

Digitized by Google

21 *ἐμαῖς ἀοιδαῖς θᾶττον ὀφθῇ μοι μολών.*

Recitandum erat quod restitui carmen ei qui usurus esset *λεκανομαντίας* ratione, qualem olim suaserat Nephotes magus Psammeticho Aegyptiorum regi epistula, cuius partem animi causa appono:

Νεφώτης Ψαμμητίχῳ βασιλεῖ Αἰγύπτου αἰωνοβίῳ χαίρειν. Ἐπεί σε ὁ μέγας θεὸς ἀπεκατέστησεν (l. *κατέστησεν*) *βασιλέα αἰωνόβιον, ἡ δὲ φύσις κατέστησεν ἄριστον σοφιστήν, καὶ ἐγώ σοι βουλόμενος ἐπιδείξασθαι τὴν ἐν ἐμοὶ φιλοπονίαν ἀπέστειλά* (*ἐπέστειλά*?) *σοι τήνδε τὴν πρᾶξιν* (sic aut *πραγματείαν* vocari solet incantationis operatio) *ἐν πάσῃ εὐκοπίᾳ ἱερὰν ἐπιτελουμένην ἐνέργειαν, ἣν καὶ δοκιμάσας θαυμάσεις τὸ παράδοξον τῆς οἰκονομίας ταύτης· σκέψῃ διὰ λεκάνης αὔτυπτον ἐν ᾗ βούλει ἡμέρᾳ ἢ νυκτὶ ἐν ᾧ βούλει τόπῳ θεωρῶν τὸν θεὸν ἐν τῷ ὕδατι καὶ φωνὴν λαμβάνων ἐν στίχοις* (cod. *στοίχοις*) *παρὰ τοῦ θεοῦ οἷς βούλει οἴσεις κτέ.*

Ad vss. 1399—1434 eiusdem codicis „trimetros esse trimetrorumque fragmenta" in calce paginae notavit editor, qui tamen eorum constitutionem emendationemque aliis reliquit. Cui rei vacanti mox mihi constitit XV subesse senarios, fragmentum vero nullum. Sunt autem hi:

1 *Μοίραις, ἀνάγκαις, βασκοσύναις, λοιμῷ, φθόνῳ,*
2 *φθιμένοις ἀώροις, βιομόροις πέμπω τροφάς,*

κελεύσω. Carminis finem excipiunt voces magicae permultae pap. v. 200—208.

Annotatio. V. 2 cod. ante *φθιμένοις* habet *και*, quod delevi. — Nova vox *βιόμορος* significat idem quod alibi *βίαιος* s. *βιαιοθάνατος*. Nova est formandi ratio, siquidem volgo vocabula ita composita ducuntur a *βίος*, non a *βία*, sed similiter infra v. 1950 legitur *βιοθανάτου πνεύματος* apparetque eadem forma in Partheyano papyro 48, p. 258. — *πέμπω τροφάς*. Lucem haec accipiunt a praegressis 1390 sqq.: *Ἀγωγὴ ἐπὶ ἡρώων ἢ μονομάχων ἢ βιαίων. Καταλιπὼν ἀπὸ τοῦ ἄρτου, οὗ ἐσθίεις, ὀλίγον καὶ κλάσας, ποίησον εἰς ἑπτὰ ψωμούς· καὶ ἐλθὼν ὅπου ἥρωες ἐσφάγησαν καὶ μονόμαχοι καὶ βίαιοι, λέγε τὸν λόγον εἰς τοὺς ψωμοὺς καὶ βίπτε, καὶ ἄρας κόπρια ἀπὸ τοῦ τόπου ὅπου πράσσεις βάλε ἔσω*

Digitized by Google

3 τρικάρανε, νυχία, βορβορόφορβε παρθένε,
4 κλειδοῦχε Περσέφασσα, Ταρτάρου κόρη,
5 γοργῶπι, δεινή, πυριδρακοντόζωνε παῖ,
6 ὁ δεῖνα τῆς αὐτοῦ τροφῆς τὰ λείψανα
7 δάκρυσιν ἔμιξε καὶ στενάγμασιν πικροῖς,
8 ὡς αὐτὸν ὀρθώσητε βασάνοις ἐχόμενον.
9 Ἥρωες ἀτυχεῖς, οἵπερ ἐν τούτῳ τόπῳ
10 συνέχεσθε λειψίφωτες ἀθλίῳ μόρῳ,
11 τὸν δεῖνα καρπίσασθε πονοῦντα καρδίαν,

παρ' αὐτὴν ἧς ποθεῖς καὶ πορευθεὶς κοιμῶ κτέ. Quorum memor facile intelleges in papyro Leidensi W. p. 6, 29 (Pap. Gr. mus. ant. L. B. ed. Leemans Vol. II, 101) legendum esse λαβὼν ἀφόδευμα κυνός, βάλε κατὰ τοῦ στροφέως τῆς θύρας pro οὐρᾶς, ut L. edidit. [Obiter in vicinia corrige καταχρίσας γῆς μετὰ ὄξους ἀπαλλάξεις pro μετὰ δόξης, quod L. coniecit pro codicis lectione μεταδοξους, in qua Δ est praegressi A dittographia. Non felicius idem in V col. 10, 9 pro αἷμα απο σφυος coniecit ἀπὸ σφυροῦ, cum debuisset ἀπ' ὀσφύος sine coniectura edere.]. — 3 sqq. confusae, ut saepius, Hecate et Persephone. βορβορόφορβε dedi pro βορβοροφορβα, licet fortasse verius sit βορβοροφόρβη. Novum est vocabulum, ut mox πυριδρακοντόζωνος et ὀργογοργονίστρια. Iam veteres βόρβορον inferis tribuisse docet v. c. Ar. Ran. 145. — 6 codex sine metro ο δεινα εκ της τροφης εαυτου καταλειψανα, unde feceram ὁ δ. τῆς αὐτοῦ τροφῆς καταλείψανα, sed emendationem perfecit van Leeuwen, nam καταλείψανον pro λείψανον est admodum suspectum. — 7 cod. τραχυσιν confusione Alexandrinis Δ et T permutantibus propria factum ex δράκυσιν, id vero vitiosa metathesi e δάκρυσιν, quod restitui. Sic supra 534 φθρατή est pro φθαρτή et in pap. Leid. V col. 12, 29 ipsum illud δράκυα legitur pro δάκρυα. — 8 ὡς dedi pro ὅπως et pro vitioso καρπίσησθε, quod invectum e v. 11 una cum numeris sententiam pessumdedit, incerta quidem sed apta coniectura substitui ὀρθώσητε. Postulatur enim haud dubie *opitulandi* verbum. — 9 cod. sine metro οι εν τω δεινα τόπῳ. Correxi ope eorum quae v. 1421 sq. leguntur οἱ ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ. — 10 sub αλλοιομοροι manifeste subest quod iubente sententia poetae reddidi ἀθλίῳ μόρῳ. — 11 sanavi delendo

Digitized by Google

12 τῆς δεῖν' ἕνεκεν, τῆς δυσσεβοῦς τῆς ἀνοσίας.

13 πέμψον δ' Ἐρινῦν ὀργογοργονίστριαν,
14 ψυχὰς καμόντων ἐξεγείρουσαν πυρί,
15 ἥρωες ἀτυχεῖς ἡρῳΐδες τε δυστυχεῖς.

Subsintne versus necne ambigi potest iis quae leguntur v. 1459 sqq. χαος αρχεγονον ερεβος Φρικτον Στυγος υδωρ ναματα ληθης, quippe e quibus facillima mutatione nascantur hi dimetri anapaestici:

Χάος ἀρχέγονον Φρικτόν τ' Ἔρεβος,
Στυγὸς ὕδωρ, νάματα Λήθης.

Cum tamen nihil metrici praecedat aut sequatur, fieri sane potest ut specie fallamur et epitheta sumta e poesi unica causa sit, cur numeris astricta fuisse haec verba videantur. Similiter fortasse iudicandum de v. 1471 sq., ubi deleto articulo ἡ ante Ἶσις exire videtur versus hexameter Ἶσις ἔβη συνόμευνον ἀδελφὸν ἔχουσα ἐν ὤμοις, in quo praeter vitia metrica offensioni est ἀδελφὸν pro epica forma ἀδελφεόν positum, quique non sine gravi

---

dittographias ατυχεις (e v. 9) ante τὸν δεῖνα et τον ante πονοῦντα et legendo καρπίσασθε pro καρπίσασθαι. — 12 cod. ἀμέτρως habet της ασεβους και ανοσιας, quae emendavi. Hunc v. excipiunt (1412—18) verba metro soluta: ἄξατε οὖν αὐτὴν βασανιζομένην (= βασανισθησομένην) διὰ τάχους εἰουταβαωθ quique alii multi secuntur soni magici, quibus interposita sunt verba καὶ σὺ κυρία βορβοροφορβα (cf. v. 3), quo referendus est singularis num. πέμψον in v. 13. — 15 cod. ηρωιδες δε, sed pro δέ sententia, quam restitui, copulam postulat. In ἡρῳΐδες tres ultimae syllabae ante ΤΘ faciunt anapaestum, ut iam Od. ζ, 303, alibi ἥρως facit dactylum. — Quae deinde leguntur 1421—34 omnia pedestri sermone perscripta sunt, neque ullum continent trimetri fragmentum, et quae verba fortuitam senarii speciem habent (⏑–) θέλησιν τῶν ἐμῶν θελημάτων non amplius praebebunt, si vera est mea suspicio, veram lectionem esse τέλεσιν, coll. v. 1521 τὰ ἐμὰ θελήματα πάντα ποιείτω et 1532 ποιήσῃ πάντα τὰ θελήματά μου.

Digitized by Google

mutatione (velut *ἀγκὰς ἔχουσα*, de quo mecum cogitavit Leeuwenius) in ordinem redigi potest. Accedit quod nulla certa hexametrorum vestigia apparent in verbis partim valde obscuris et corruptis, quae continuo secuntur. De Iside Osiridis (ut Rhea Saturni et Iuno Iovis) sorore eadem et coniuge cf. Plut. de Is. et Os. cap. 12 et 18 et Diod. Sic. I, 21, 3. 27, 4.

Parvum carmen dactylicum, neglectum ab editore, ibidem exstat v. 939 sqq.:

1 *χαῖρε δράκων ἀκμαῖε, δελέων Φύσι καὶ πυρὸς ἀρχή,*
2 *χαῖρε δὲ λευκὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον*
3 *καὶ χρυσοῦ κυαμῶνος ἀναθρῴσκων μελίλωτον,*
4 *καὶ καθαρῶν στομάτων ἀΦρὸν ἦμερον ἐξαναβλύζων*
5 *κάνθαρε, κύκλον ἄγων σπορίμου πυρός, αὐτογένεθλε,*
6 *οτι δισυλλαβος ει αη καὶ πρωτοΦανὴς εἶ·*

ANNOTATIO. In carmine perobscuro nihil novare ausus sum nisi quod vs. 3 *ἀναθρῴσκων* dedi pro *ἀναθροΐσκων*, v. 4 *ἐξαναβλύζων* pro *ἐξαναβλύδων*, et v. 6 *πρωτοΦανὴς εἶ* pro *πρωτοΦανήσει*, quod tanquam novum verbum editor bona fide recepit in Indicem. Magus Solem alloquitur, primum nomine *serpentis* (infra 944 sqq. *δράκοντα ἀγαθὸν ἱερὸν δαίμονα ᾧ ὄνομα αρβασανωψ ιαοαϊ, ὃν ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ὑμνοῦσι ἀνατέλλοντα καὶ δύνοντα*), deinde v. 6 *scarabaei* nomine usus. Duo in his papyris commemorantur scarabaeorum genera, alterum *ὁ σεληνιακὸς* (v. 2456. 2688), alterum *ὁ ἡλιακὸς κάνθαρος, ὁ τὰς δώδεκα ἀκτῖνας ἔχων* (v. 751), qui h. l. significatus, XII virgis in clipeato dorso insignis, praecipuo ab Aegyptiis honore colebatur. Hic est *heliocantharus* sive *ateuches sacer*, de quo consulatur G. CALWERS, *Käferbuch* pag. 290 et imprimis BREHMS *Thierleben* pag. 78 sq. Memorabilis de eo locus est in papyro Leidensi V, col. 2, 6, ubi ΦΩΡΘΙ, i. e. *splendor*, vocatur. Cf. ibidem 8, 28 *κάνθαρος ἀκτίνωτος ἱερός* et Leemans vol. II, 48. Ut hoc loco scarabaeus dicitur *κυαμῶνος ἀναθρῴσκων μελίλωτον*, v. 770 pap. nostri iubetur condi in pulvino fabario: *τῇ δὲ ζ' ἡμέρᾳ βαστάξας* (ita isti solent pro *βαστάσας*) *τὸν κάνθαρον θάψας* (corruptum, sed nec *κρύψας* satisfacit nec *βάψας*) *ζμύρνῃ καὶ οἴνῳ Μενδησίῳ καὶ βυσσινῷ ἀποβοῦ ἐν κυαμῶνι ζωοΦυτοῦντι*. De fabarum usu (num superstitio cohaeret cum Pytha-

Digitized by Google

7 νεῦσον ἐμοί, λίτομαι, ὅτι σύμβολα μυστικὰ Φράζω.
8 ἵλαθί μοι, προπάτωρ, καί μοι σθένος αὐτὸς ὀπάζοις.

In papyro Anastasiano (mus. Brit. XLVI) 176 sqq. verba: >α κλεπτην πιασαι ερμην σε καλω θεον αθανατον ος κατ ολυμπον αυλακα τεμνεις βαρινθ ιερην ΦωσΦορ ιαω· ο μεγας αιωνοβειος

---

goraeorum doctrina?) cf. infra v. 2685. Apparet igitur arte cohaerere saltem vs. 3—5. Quid vero sibi volt v. 2, qui factus est ope notissimi versus Homerici de Proteo

γίγνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον?

Non enim potuit, ut arbitror, sol, quem serpentem et scarabaeum vocari intellegimus, a mago aquae et arboris nominibus compellari. Restat ut hic quoque versiculus, quemadmodum duo sequentes, pertineat ad κάνθαρε in v. 5, et locus sic construendus sit: χαῖρε δὲ κάνθαρε, ἀναθρῴσκων (i. e. θρῴσκων ἀνὰ) λευκὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον καὶ χρυσοῦ κυαμῶνος μελίλωτον, quorum verborum sensum arcanum initiatis, ipse ἀμύητος ὤν, indagandum relinquo. Non multo clarius est, qua vi sol v. 1 dictus sit δελέων Φύσις, quod si cum editore in Indice pro δελεάτων (cf. Oppian. Hal. III, 47) dictum putamus, prorsus nullum sensum praebet, quare vide ne sit scriptura Alexandrina (passim in papyris librarii confundunt Δ et Τ) pro τελέων = τελετῶν, i. e. *mysteriorum*, ut vocetur sol *vis mysteriorum genetrix*. Ingeniosa coniectura amicus van Leeuwen, Protei fabulam respiciens, coniecit λέων, et revera λέων *Luna* vocatur in hymno v. 2302, vereor tamen ne verba sequentia Φύσι — ἀρχή eam speciosiorem quam veriorem esse evincant. — Omnium vero maxime me exercuit exercetque corruptela vs. 6, quam certa emendatione tollere mihi non licuit. Propter verba πρωτοΦανὴς εἶ expectabam aliquid huiuscemodi:

ὅστις ἀδήλητός τ' ἐς ἀεὶ καὶ πρωτοΦανὴς εἶ,

in qua coniectura ὅστις et ἐσαεί sane lenissimae sunt correctiones, sed pro ἀδήλητος frustra quaero quod propius accedat ad absurdum istud δισύλλαβος. Lenius foret ἀσύλητος sed minus aptum. Quaerat alius! — Pro ὅτι v. 7 cum Leeuwenio malim ὅτε. — V. 7 excipiunt magicae voces.

Digitized by Google

Φρικτος μεν ιδειν Φρικτος δε ακροασθαι παραδος Φωρ ον ζητω haud obscura continent indicia fuisse olim cantilenam, quod ipsum, ni fallor, significat positum ab initio siglum $>\alpha$, quo *ᾆσμα* indicari suspicor. Nimirum, si recte video, latent dimetri anapaestici non deteriores quam ista aetate expectari possunt, sic ferme constituendi:

1 *κλέπτην, Ἑρμῆ, πιάσαι σε καλῶ,*
2 *θεῶν ἀθανάτων ὃς κατ' Ὄλυμπον*
3 *τέμνεις αὔλακα, βᾶριν θ' ἱερὰν*
4 *<οἰακονομεῖς>, ΦωσΦόρ' Ἰαώ,*
5 *ὁ μέγας <δαίμων> αἰωνόβιος,*
6 *Φρικτὸς μὲν ἰδεῖν Φρικτὸς δ' ἀίειν,*
7 *Φῶρ', ὃν ζητῶ, παράδος <μοι>.*

Annotatio. V. 1—3 reposui *θεῶν ἀθανάτων — Ὄλυμπον*, coll. Soph. O. C. 1655 *τὸν θεῶν Ὄλυμπον*, et verba metri gratia transposui. — 3 *ἱερὰν* dedi pro *ἱερὴν*. — 4 Ἰαώ, Iehovae apud exteros nomen, memorat Diodorus S. I 94, 2. Saepissime occurrit in papyris. — 4, 5 et 7 de meo explevi. — 6 *ἀκροᾶσθαι* in papyro, quo verbo perierunt numeri, procul dubio est poetici alicuius verbi interpretamentum. Etsi poteram *δὲ κλύειν*, ut minus volgare praetuli *δ' ἀΐειν*, correpta prima vocali, ut in anapaestico carmine apud Aeschylum Agam. 55. — 7 feci paroemiacum mutato verborum ordine, licet idem recurrat infra v. 304, ubi in pedestri oratione legitur: *δέσποτ' Ἰαὼ ΦωσΦόρε παράδος Φωρον* (l. *Φῶρ'*) *ὃν ζητῶ*. — Memorabile hic habemus exemplum syncretismi, quo dii diversissimi confunduntur Mercurius et Iehovah. Imprimis autem ioculare est, quod in pap. Par. v. 3059 Iehovae, post memoratam Iudaeorum per mare rubrum sospitationem, tribuitur victoria de gigantibus, ubi obiter pro *γιγάντων κὐχενίων* aut *αὐχαλέων* aut *ὑψαυχένων* rescribas. — In v. 2 sq. significari videtur deorum nuntius per coelum volans, nec video quo verba *βᾶριν κτἑ.* spectare possint nisi ad *ψυχοπομπόν*, qui cymba defunctorum animas traiciat Acherontem, licet volgo in Aegyptiorum mythologia sic scapha dicatur, in qua Sol et Luna cursum suum perficere credebantur. Cf. Plut. de I. et O. c. 34 et pap. Leid. W. 4, 27, ibique Leemans. Sed vid. Diodorus S. I, 92, 1 sq. et 96, 6 sqq. — *πιάσαι* v. 1 = *πιέσαι*.

Digitized by Google

Hinc transeo ad carminum crisin, quae Wessely seorsum edidit in operis sui exordio, p. 4 sqq., itaque primum ad

HYMNUM IN MERCURIUM.

Duos primos vss. sic constituit:

Ἑρμῆ κοσμοκΜάτωρ, ἐγκάρδιε κύκλε Σελήνης
στρογγύλε καὶ τετράγων᾽ ἐναγώνιε ....

temere me iudice mutans verba sic tradita in papyro Anastasiano, 414 sqq.

Ἑρμῆ κοσμοκΡάτωρ, ἐγκάρδιε κύκλε Σελήνης,
στρογγύλε καὶ τετράγωνε, λόγων ἀρχηγέτα γλώσσης,

nisi quod fortasse recte dubitavit de trium ultimorum verborum sanitate propter sequentia v. 4 παμΦώνου γλώσσης ἀρχηγέτα. Sed optime habet κοσμοκράτωρ, quod est in pap. Par. mai. 166, 1599, 2198 et in minore 135, ita ut, nisi tot miracula nobis ostenderet crisis Wesselyana, operarum errorem esse crederem. Vellem autem explicasset in annotatione, cur κυκλοσέληνε coniecerit, quid ea vox hic significare potuerit, quidque, si ita scripseris, significet praegressum ἐγκάρδιε. Cum tradita scriptura equidem comparans v. 6 κόσμου ὀφθαλμέ, suspicor ἐγκάρδιον κύκλον Σ. Mercurium mystice dici *oculum in corde Lunae*, i. e. mentem eius divinam. In *hymno in Lunam* (2242 sqq.), 28 Ἑρμῆς vocatur ὁ πρέσβυς Ἴσιδος (= σελήνης, cf. Diod. S. I, 11) πατήρ. In re quidem obscura nihil affirmo, sed hoc certe mihi constat, insanae esse critices pro obscura lectione substituere quod sit longe longeque obscurius.

V. 11:

δεῦρο μάκαρ Μνήμης τελεσίΦρονος υἱὲ μέγιστε,
σῇ μορΦῇ ἱλαρός ΤΙ Φάνηθί μοι ἠδ᾽ ἐπίτειλον
ὄΦρα ΤΕ μαντοσύνης τῆς σῆς μέρος ἀντιλάβοιμι,
ἵλαθί μοι, δέομαί, τε καὶ ἀψευδῶς προΦανείης.

Codex ἵλαρος τε Φανηθι ιλαρος τ επιτειλον ανθρωπω οσιω μορΦη ἵ ἵλαρον επιτειλον εμοι τω δεινα οΦρα τε μαντοσυναις ταις σαις αρεταισι λαβοιμι δεομαι κυριε ἵλεως μοι γενου και αψευδως μοι Φανεις. Recte quidem annotat W. „die Ueberlieferung ist wohl durch Variantenanmerkung und Glossemen getrübt", sed nemini facile persuadebit ea quae, traditam lectionem misere vexans, substituit ullo modo subesse

Digitized by Google

posse. Quam enim inepte dictum est *ἱλαρός τι Φάνηθί μοι*, et quo pacto feremus *ἀντιλάβοιμι* dictum pro *λάβοιμι* vel *μεταλάβοιμι*? Ultimi versiculi initium *ἵλαθί μοι, δέομαι*, non male coniectum videtur, sed quod a fine posuit *ἀψευδῶς προφανείης* parum placet praegresso modo *Φάνηθί μοι*. Is, qui via ac ratione locum emendare tentabit, proficiscatur oportet a verbis metrice traditis, quae haec sunt:

ἱλαρός τε Φάνηθ' ἱλαρός τ' ἐπίτειλον,
ὄφρα τε μαντοσύναις ταῖς σαῖς ἀρεταῖσι λάβοιμι.

Quod si feceris, non sine aliqua probabilitate integrum paene locum sospitare poteris coniectando:

δεῦρο μάκαρ Μνήμης τελεσίφρονος υἱὲ μέγιστε,
ἄνδρ' ὁσίῳ ἱλαρός τε Φάνηθ' ἱλαρός τ' ἐπίτειλον·
ὄφρα τε μαντοσύνην ταῖς σαῖς ἀρεταῖσι(?) λάβοιμι,
ἵλαθι μοι, δέομαι . . . . . .

Nec tamen *ἀρεταῖσι* sanum esse praesto. Num fuit *χαρίτεσσι*, *te gratificante, tuo beneficio?*

HYMNUS IN VENEREM (pap. Par. 2902 sqq.).

Huius hymni primos versus sic constituit Wessely:

Εἰ δὲ καθὼς θεὸς οὖσα μακρόψυχόν τι ποήσῃς,
οὐκ ὄψει τὸν Ἄδωνιν ἀνερχόμενον Ἀΐδαο.
ἐνδραμένῃ τοῦτον δήσω δεσμοῖς ἀδάμασσιν·
φρουρήσας σφίγξω τ' Ἰξιόνιον τρόχον (sic) *ἄλλον,*
κοὐκέτι πρὸς Φάος εἶσι κολαζόμενός τε δαμεῖται.

Caput hymni truncatum esse apparet, et corruptum esse primum versum non latuit editorem, qui post eum posuit signum interrogandi. Nihili autem est, quod v. 3tio pro codicis lectione *ευθυδραμενη*, solis numeris consulens, reposuit *ενδραμένῃ*.

Conieci:

Εἰ δὲ καὶ ὥς θεὸς οὖσα μικρόψυχόν(?) τι ποήσῃς,
οὐκ ὄψῃ (pap. *οψη*) *τὸν* (*σὸν*?) *Ἄδωνιν ἀνερχόμενον Ἀΐδαο·*
ἐμβραμένης τοῦτον δήσω δεσμοῖς ἀδάμασσιν.

i. e. *Sin vero nihilominus tu quae Dea es pusillanimi* (vile) *quid feceris* (si mihi quamvis auxilium tuum imploranti teque pie colenti tamen adversata aut non obsecuta fueris), *non videbis tuum Adonin ab inferis redeuntem; quem Fati vinculis vinctum adamantinis.* Genuinam lectionem mihi suppeditavit glossa Hesy-

Digitized by Google

chiana ἐμβραμένη· εἰμαρμένη, quae forma metathesi nata est, inserta euphonica littera B. Cf. δεσμὰ ἀνάγκης v. 2312, ἀδαμαντίνοις κατέδησε δεσμοῖς 3101, σὲ δεσμεύω δεσμοῖς ἀδαμαντίνοις ἀλύτοις 1246. De correpta vocali in μικρός a sequioribus cf. Iacobs ad Anth. P. p. 178. 798. Fortasse tamen aliud latet. — V. 4ti structuram non satis expedio. Intellegerem aut Ἰξιονίῳ τροχῷ ἄλλῳ, aut Ἰξίονος εἰς τροχὸν ἄλλον, aut denique Ἰξίονα εἰς τροχὸν ἄλλον = ὡς ἄλλον Ἰξίονα εἰς τροχόν. Copulam post σφίγξω de suo inseruit editor, ingrato quidem loco, nec tamen ferri posse videtur asyndeton.

Sequentes vss. sic constituit:

6 ἄξον, ἄνασσ', ἱκετῶ τὴν δεῖνα τάχιστα μολοῦσαν
7 ἐλθεῖν ἐν προθύροισιν ἐμοῖς Φιλότητι καὶ εὐνῇ
8 οἴστρῳ ἐλαυνομένην <μὲν ἐμοῦ κρατερῆς δ'> ὑπ' ἀνάγκης
9 σήμερον, ἄρτι, τάχιστα· κικλήσκω γάρ σε, Κυθήρη.

Nec tam absurde adhibitam esse formulam Homericam Φιλότητι καὶ εὐνῇ ipsi carminis auctori tribuerim, nec reliqua eum ita scripsisse persuadere mihi queo. Habet papyrus: διο ποιησον ανασσα ϊκετω αξον την δεινα ην δεινα (l. ἣν ἡ δεῖνα, sc. ἔτεκεν, Aegyptii semper μητρόθεν, numquam πατρόθεν, in his papyris nominantur. Formulae sunt ὁ et ἡ δεῖνα τῆς δεῖνα, aut ὃν [ἣν] ἡ δεῖνα ἔτεκεν, verbo interdum omisso)[1] ταχιστα μολουσαν ελθειν εν προθυροισιν εμου του δεινα ου (l. ὃν) η δεινα Φιλοτητι και ευνη· οιστρω ελαυνομενην κεντροισι βιαιοις υπ αναγκη· σημερον αρτι ταχυ ορκιζω γαρ σε κυθηρη. Annotavit W.: „Hier scheint „entweder κέντροισι βιαίοις oder ὑπαναγκη als glossem eingedrungen zu sein". Recte, ut hinc ordiar, admonuit, sed infelicem fecit optionem, et quae inseruit μὲν ἐμοῦ κρατερῆς δ' prava laborant oppositione. Coniecerim potius:

οἴστρῳ ἐλαυνομένην <ἐμέθεν> κέντροις τε βιαίοις.

Praegressa evidenti quidem ratione emendare nequeo, sed expectabam fere:

τὴν δεῖνα τάχιστα μολοῦσαν
ἵστασθ' ἐν προθύροισιν ἐμοῖς . . . . .
. . . . . Φιλότητι καὶ εὐνῇ,

1) Causam Leemans repetit e polygamia. Cogitari quoque potest de insigni honore ab Aegyptiis tributo mulieribus, de quo cf. Diodorus S. I 27, 2. Huc facit locus de Lyciis apud Herod. I 173. Vid. etiam G. A Wilken, *Het Matriarchaat bij de oude Arabieren*, Amstelod. 1884, p. 24 sqq.

Digitized by Google

ut duo hemistichia intercidisse existimentur. Ad v. 9 cf. formulae *ἄρτι, ἤδη, ταχύ* 1593, *ἤδη, ταχύ* 1924. 2037. 2098, *ἤδη, ἤδη* L. 85, *ἤδη, ἤδη, ταχύ* L. 123.

V. 11 *αἰθερία, χθονία, Φύσι παμμήτωρ ἀδάμαστε*
ἀλληλοῦχε πυρὸς μεγάλου περιδινήτειρα.

Restituantur formae epicae *αἰθερίη* et *χθονίη*, quibus passim in his carminibus a librariis Atticae ex usu communi substitutae sunt. *Παμμήτωρ*, apud veteres Terrae epitheton, non sollicitabo, licet, praegressis modo verbis *θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν*, et sequente *ἀδάμαστε*, aliquanto hic pulchrius foret *πανδμήτωρ* sive *πανδαμάτωρ, quae indomita ipsa omnia domas*, *παμμήτωρ* autem plane confirmat hymnus editus a Millero, in papyro nostro v. 2832 *ταυρῶπις κερόεσσα θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν, καὶ Φύσι παμμήτωρ κτἑ.* Sed procul dubio depravatum est *αλληλουχα*, sic enim codex, pro quo aptum foret *λαμπτηροῦχε*, ut cogitentur faces Amoris, aut *ἀρρητουργέ*, ut intellegantur mysteria quibus Venus praesidet.

V. 15 *σαῖς τε θελημοσύναις περιμίγνυται ἱερὸν ὕδωρ,*
ἡνίκα κινήσεις τὸν ἐν ἄστροις χείρεσι Ῥουζω.

Non sine causa papyrus habet *περΙμΤγνυται*, manifesto errore natum ex *πΤρὶ μΙγνυται*, quod quantocius restituatur, et simul corrigatur *κινήσῃς, quando moveris.* *Περιμιγνύναι* ne Graecum quidem verbum est, et absurda compositio.

V. 17:

ὄμΦαλον (l. *ὀμΦαλὸν*) *ὃν κατέχεις κόσμου κινεῖς τε τὸν ἀγνόν,*
ἐντείνεις ἀνδρῶν ψυχὰς ἐπί τ' ἄνδρα γυναῖκας
κἀνδρὶ γυναῖκα τίθης σὺ ἐράσμιον ἥματα πάντα.

Pap. *ομΦαλοC* et *κοσμοC*, quae W. bene correxit, si haec dicuntur de Ruzo, i. e. *ὀμΦαλὸν κόσμου τὸν ἀγνόν, ὃν κατέχεις κινεῖς τε*, sed ita post *ἀγνόν* non virgula interpungendum erit, sed puncto. Vs. sequens minime sanatus videtur editoris coniecturis. Papyrus ipso teste habet: *.ε..νεις*, itaque littera una saltem periit ante *ε*, tum *επι δ ανδρα*. Equidem nihil hic video nisi propter versum sequentem expectari hanc sententiam: *γυναῖκας ἐκμαίνεις ἐπ' ἀνδράσιν*. Vs. 19 recte *τιθησι* W. mutasse videtur in *τίθης σὺ*.

Digitized by Google

V. 22 *καὶ τῇ δεῖνι ἄνασσ', ἱκετῶ, πῦρ ἔμβαλ' ἔρωτος,*
ὥστ' ἐπ' ἐμοῦ Φιλότητι μιγήμεναι ἤματα πάντα.

Cod. *και τω δεινα ην δεινα* (l. ἣν ἡ δ.) *βαλε πυρων ερωτα ωστ επ εμου του δεινα ου* (l. ὃν) *η δεινα· Φιλοτητι ταγηναι ηματα παντα.* Haec non prorsus sine veri specie quadam correxit editor, nisi quod male habet genetivus *ἐμοῦ*, nec tamen placet *ἐπ' ἐμοὶ* — *μιγήμεναι*, pro quibus certe postularem *ὥστε μοι ἐν Φιλότητι μιγήμεναι*. Quid si fuit:

ὥστ' ἐπ' ἐμοὶ Φιλότητι μανήμεναι ἤματα πάντα.

quod etiam verecundius dictum est?

V. 25 *καὶ νεῦσον σὺ μάκαιρα σὺ καὶ Ῥουζω τὸν ἐν ἄστροις*
ἐς χόρον (sic) *οὐκ ἐθέλοντ' ἄξασ' ἐπὶ λέκτρα μιγῆναι.*

Codex *συ δε μακαρ ζουρω ταδε νευσον εμοι τω δεινα ως σον ἐν αστροις ες χορον ουκ εθελοντα ηξες επι λεκτρα μιγηναι*. Recte haec constituisse videtur praeterquam verba *ἐς χορόν*, quae sensu carent. Legendum *ἐς κόρον* — *μιγῆναι*, *ad satietatem* (tuam sc.) *usque ut tecum concumberet.*

V. 28 *ἄξον μοι τὴν δεῖν' ἱκετῶ Φιλότητι καὶ εὐνῇ.*

Pap. *τὴν δεῖνα ἣν* (ἡ add.) *δεῖνα*. Vix suffecerit cum W. inserere *ἱκετῶ*, male enim dictum *ἄξον* — *Φιλότητι καὶ εὐνῇ*. Verba supervacanea propter vss. 5 sq., 22 sq. et 29 (ultimum) *ἀλλὰ σὺ κυπρογένεια τέλει τελέαν ἐπαοιδήν* nescio an rectius hymni auctori abiudicentur.

Hymnus in Dianam (pap. Par. 2522 sq.).

V. 2 *νυκτιΦάνεια* W. citra necessitatem pro *νυκτοΦάνεια*. In huius vocabuli compositis modo haec modo illa vocalis apparet.

V. 7 *ἡ τρισσαῖς μορΦαῖς καὶ Φλέγμασι καὶ σκυλάκεσσι*
δεινὴν ἐξ ἀτόνων πετεηνῶν ὄσσαν ἰεῖσα
Φρικτὸν ἀναυδήσασα θεὰ τρισσοῖς στομάτεσσι.

In his *ἡ τρισσαῖς* pro *καὶ τρεῖς*, *δεινὴν* pro *διουυν* et *Φρικτὸν* pro *Φρυκτὸν* bene correcta sunt, sed frustra quaero quid W. significare visa sint vocabula *ἐξ ἀτόνων πετεηνῶν ὄσσαν ἰεῖσα*, quae pro *εξ ατονων πεμπεις οζεανϊων* reposuit. Mihi haec insa-

Digitized by Google

nabilia videntur, et abstineo manum, sed video insuper depravatum esse φλέγμασι, sub quo φάσμασι, quod apte coit cum μορφαῖς, latere suspicor. Facile confunduntur ΦΑCΜΑCI et ΦΛΘΓΜΑCI.

V. 10 κλαγγῆς σῆς συνιέντα τὰ κοσμικὰ πάντα δονεῖται,
νεκτάριαί τε πύλαι καὶ Λήθης ἱερὸν ὕδωρ
καὶ Χάος ἀρχέγονον καὶ Τάρταρα χάσμα Φαεινόν.

Sic papyrus praeter ἀρχέγονον, quod lectum v. 1459 W. reposuit pro ἀρχετάον, et τάρταρα, pro quo est ταρταρου, et συνιέντα, quod recte dedit pro ἀκούοντα. Sed praeterea corrupta sunt νεκταρΙαι, quod ne Graecum quidem pro νεκταρϵαι, et φαεινον, quod absurdum est Tartari epitheton. Pro illo corrige νερτέριαι, quia agitur de inferis, pro hoc non κελαινόν, quod longius distat, sed aut

Τάρταρα χάσμα τ' ἀείνων
aut Τάρταρα, χάσματ' ἀείνω.

Cf. Eurip. Phoen. 1599 Ταρτάρου γὰρ (δ' ἄρ' Heimsoeth) ὤφελεν | ἐλθεῖν Κιθαιρὼν εἰς ἄβυσσα χάσματα. — Ἀείνως saepe nihil aliud significare quam ἀΐδιος, αἰώνιος norunt omnes.

V. 17 Φρίσσουσίν σε, μάκαιρ', ἐπακούοντες ὅπα δεινήν.

Codex μάκαιρα ἀκούοντες, quae lectio quantocius revocanda est. Offensione enim caret hiatus ante caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον cum interpunctione, estque longe aptius verbum simplex composito.

V. 18 Δεῦρ' ἴθι μοι νυχία θηροκτόνε δεῦρ' ἐπ' ἀγωγῆς
ἥσυχε καὶ δασπλῆτι τάφοις ἔνι δαῖτας ἔχουσα,
εὐχαῖσίν τ' ἐπάκουσον ἐμαῖς πολυώδυνε Μήνη,
ἡ νυκταιροδύτειρα τριώνυμε καὶ τρικάρηνε
μαρζουνη Φοβερά τε καὶ ἀπρονόη καὶ πειθώ.

Codex v. 19 δεσποιτις επι δε τον εχουσα, sed veram lectionem editori suppeditavit hymni editi a Millero v. 48 (= pap. Par. v. 2856 sq.) nisi quod ibi est δαῖτα. V. 20 pap. πολυωδυνε σεληνη et 21 τρικαρανε τριωνυμε μηνη, quae bene sanavit. — In primo horum versuum dubito num recte habeat ἐπ' ἀγωγῆς, pro quo aut ἐπ' ἀγωγῇ aut ἐπαγωγῇ malim, ut sit aut *ad incan-*

Digitized by Google

tationem aut *incantatione*. Ad illud cf. v. 37 ἔλθ' ἐπ' ἐμαῖς θυσίαις, idque praetulerim. V. 20 noli haerere in ἐπακούειν iuncto cum dativo, quae structura hac aetate persaepe occurrit, in hoc ipso carmine v. 34 σαῖσιν ἐπωνυμίαις ἐπάκουσον et v. 38. Sed miror Lunae epitheton πολυώδυνε, pro quo expectabam potius πολυώνυμε, ut est infra in hymno a Millero edito v. 2831

κυδιάνειρα θεὰ πολυώνυμε καλλιγένεια.

Quia tamen in proximo versu sequitur τριώνυμε, et eadem Dea v. 2276 audit νεοπενθής, fortasse nihil novare satius est. Num forte potuit Luna πολυώδυνος vocari ob frequentes formae mutationes, quae Graece πάθη dicuntur? Νυκταιροδύτειρα autem, nova vox, aperte significat νυκτὸς αἰρομένη τε καὶ δυομένη. Si recte habet ἀπρονόη, dictum videtur pro ἀπρονόητε, idque sensu passivo = ἀπροσδόκητε, *quae ab improviso appares*. — Μαρζουνη vero, ut Βαρζα, Ῥουζω, Ἀροριφρασι, Γωθητινι in superiore hymno, Aegyptologis explicandum relinquo.

Vs. 23 δεῦρ' ἴθι μοι κερατῶπι ΦαεσΦόρε ταυρεόμορΦε
ἱπποπρόσωπε θεὰ κυνολύγματε δεῦρο λύκαινα
καὶ μόλε μοι νυχία χθονία ἀγία μελανείμων.

Neque canum est τὸ ὀλολύζειν, neque vox inde formata non sonaret κυνολολύγματος. Procul dubio corrigendum κυνυλάγματε. Substantivo κυνύλαγμα usus est Stesichorus. Pro formis Atticis in vs. sequenti malim νυχίη χθονίη ἀγίη, licet saepe sic peccatum sit, ut νυχία v. 18, Φοβερά v. 22, οὐρανία v. 32 et 35, εἰνοδία 35, νερτερία βυθία ἀϊδωναία σκοτία 36. Sed epicam traditionem in talibus seri quoque poetae servasse videntur.

V. 27

ἠνίκ' ἂν αὐξηθῇς, σὺ τὰ κοσμικὰ πάντα τέθεικας·
γεννᾷς γὰρ σύμπαντα τἀπὶ χθονὸς ἠδ' ὑπὸ πόντου
καὶ πτηνῶν τέξει παντοῖα γένη παλίνεδρα.

Cod. ηνικα γαρ αυξεις. Metrum correxit W. Malim ἠνίκ' ἀεξηθῇς. Tum mendosum videtur τέθεικας, pro quo nihil apti succurrit. In sequenti vs. ruunt numeri culpa editoris. Cum enim codex habeat συ παντα επι χθονας, corrigendum:

γεννᾷς γὰρ σύμπαντά τ' ἐπὶ χθονὸς κτλ.

Digitized by Google

Deinde *τέξει* dedit pro *δεξιε*, rectius tamen coniciens *τίκτεις*, sed quia unum verbum *γεννᾷς* utrique versui sufficit, aliud latere crediderim. Neque intellego avium epitheton *παλίνεδρα*, pro quo potius *πολύεδρα*, multas itaque nullam certam sedem habentes, *vagas* expectabam. Sed neutrum mendum certa ratione tollere possum.

V. 33 *τετραπρόσωπε δίη τετραώνυμε τετραοδῖτι.*
Perinfelix editoris coniectura pro *τλίη*. Quis enim unquam vidit *δῖος* aut *δίη* correpta vocali usurpatum? Vix aliud subest quam *ὀδίη*.

V. 35 *οὐρανίᾳ λιμνᾶτι ὀρίπλανε εἰνοδία τε.*
Papyrus *λιμενιτι οριαιλαναι*. Cur *λιμενῖτι* servari non possit, haudquaquam assequor. Sin non posset, certe scribendum foret *λιμνῆτι*. Sequentis vero vocabuli veram formam esse constat *ὀρείπλανε*. Totum versum sic scribo:

οὐρανίη λιμενῖτι(ς) ὀρείπλανε εἰνοδίη τε.

ΔΙΑΒΟΛΗ ΠΡΟΣ ΣΕΛΗΝΗΝ.

Carmen fit bis obvium v. 2543—2620 et 2643—2671, ubi pars ultima inde a v. 25 omissa est. Eius metrum non satis accurate indicavit W. hoc schemate ⏑–⏑–⏑–⏑–– ‖ ⏑–⏑–⏑–⏑–. Nam etiam prioris membri ultimam syllabam ancipitem esse docent vss. 7. 8. 9. 14. 20. 24. 29. 31, ubi brevi syllaba terminatur. Constat igitur carmen proprie distichis, compositis ex iambicis dimetris acatalectis et catalecticis alternantibus. Permira est sed certa in eo *hiatus* licentia, quae semel apparet in priore colo, idque in primo pede v. 4 *καὶ οὐσίαν νεκροῦ κυνός*, cui vocabulo admodum obscuro (de quo alibi agam) certus est in re magica usus, saepius in altero: v. 4 (ped. 1), v. 16 (p. 2), 26 (p. 3), quibus cur non addam v. 15 mox apparebit. Praeterea hiatus est inter utrumque colon v. 20 et 30, sed utrumque versum male correctum esse videbimus. — *Anapaestus* reperitur v. 31 in primo pede prioris membri et v. 6 in tertio, in alterius autem pede secundo v. 26, in secundo et tertio v. 27, in tertio pede v. 12. *Dactylus* ex editoris recensione legitur in primo pede membri

Digitized by Google

utriusque *quater* 18. 24. 28. 30, sed nusquam recte. A qua re demonstranda faciam initium. Nam v. 18

αἷμ' ἱέρακος πελαγοδρόμου καὶ κάνθαρον τροφήν σοι,

ubi codex utroque loco praebet πελαγίου, pessime scripsit introducto spondeo in sedem secundam. Quantilli autem negotii fuerat corrigere:

ἱέρακος αἷμα πελαγίου καὶ κάνθαρον τροφήν σοι.

Non saniora haec sunt (23 sq.):

στίξον πικραῖς τιμωρίαις τὴν δεῖνα τὴν ἄθεσμον
ᾗ πάλιν ἐγὼ κατὰ τρόπον ἐναντίως ἔλεξα.

Etiam corruptius altero loco (2608) papyrus ηπεπα ἐγὼ. Quid autem, quaeso, hic est πάλιν — ἐναντίως λέγειν? Aperte emendandum:

ᾗ πάντ' ἐγὼ κατὰ τρόπον ἐναντίως ἔλεξα,

quae nemo est quin statim intellegat. Insuper metri causa praetulerim ἔγωγε κατὰ τρόπον.

Admodum quoque absurda est scriptura v. 28:

καὶ παρθέν' εἰνοδία σὺ καὶ ταυροδΙάκαινα νύμφη,

sed punctum temporis non dubito, quin verum sit ταυροδΡάκαινα, ut in ipso v. sequenti δράκαινα audit Luna et ταυρῶπις vocatur v. 2838 (cf. 2808), ταυρεόμορφος 2548, ταυροκάρηνος 2808.

Tandem v. 30:

ἄνασσα, δεῦρό μοι μόλε ἰνδάλιμε καὶ μεγαυχές

ipsius editoris foetus est. Habet, ipso teste, papyrus εαλαινινδω δευρο ατεης ενιδελιδαμα ανασσα φαιαρα μηδιζω εμιθηνιω μολε μοι ενδερμη δευρο μεγαφθη, in quibus praeter magicas voces nihil Graeci inest nisi δεῦρο ἄνασσα μόλε μοι δεῦρο. Bellum istud ἰνδάλιμε, tamquam vocabulum bene Graecum, protraxit Wessely e depravatissimo versu 2273, ubi inter alia nomina barbara et semibarbara est ἴνδαλιμη. Hic versiculus, si revera fuit, non magis restitui potest quam duo sequentes, quos procudit scilicet e verbis δευρο ηξει αγε μοι την δεινα ταχιστα την ηαντα σαφως θεα αυτος ελεγξω οσας μοι θυουσα δεδορκα. Si, ut de reliquis taceam, ex ηανταασαφως facere licet βλάσφημον, nihil iam non licebit. — Demonstravimus igitur nullum dactylo locum concessisse huius carminis auctorem. Iam videamus de reliquis.

Digitized by Google

V. 1 *θυμίαμα* lege pro *θυμίασμα*. Cf. Index s. v.

V. 11 *ἀρκευθίνοισί τε ξύλοις φλόγας πυρὸς βαλοῦσι*
ἱέρακα τὸν πελαγοδρόμον καὶ γῦπά σοι σφαγιάζει.

Priore loco codex habet *φυλλα τε τοις αραντινοις*, altero *ξύλαις ἀρκευθίνοισι*, reliquis omissis; *βαλοῦσι* vero perinfelix editoris coniectura est pro *βαλοῦσα*, i. e. *ἐμβαλοῦσα*. Scribatur igitur proxime traditam lectionem:

ξύλοις τε τοῖς ἀρκευθίνοις φλόγας πυρὸς βαλοῦσα κτἑ.

Vs. 13 *καὶ μύγαλον τὸ σόν, θεά, μυστήριον μέγιστον.*

Notanda forma masculina hucusque incognita, quam etsi constanter in papyris lectam pro *μυγαλῆ* in Indice W. omisit.

V. 15

κτανεῖν γὰρ ἄνθρωπόν σ' ἔφη, πιεῖν τὸ αἷμ' ἀνθρώπου.

Quid quaeso movit editorem ut ita scribendo una cum numeris sermonis proprietatem pessumdaret, cum priore loco (2594) codex habeat *πινειν τοδ' αιμα τουτου*, posteriore vero *πειειν* (sic) *δε αιμα τουτου*, itaque *τούτου* aeque certum sit atque melius? Sine hiatu et cum legitimo iambo in pede septimo legendum:

πιεῖν τε θαῖμα τούτου.

V. 17

καὶ δέρμ' ἐλεῖν δορκῆς (sic) *ἅπαν κεἰς τὴν Φύσιν σου θεῖναι κτἑ.*

Utrobique papyrus habet *δορης*, sed recte W. vidit animalis subesse nomen, rectius tamen fecisset, si cum vero accentu (in accentibus autem saepissime peccat) posuisset *δόρκης*, i. e. *δορκάδος*. Cf. Eur. H. F. 376. Praeterea vero num recte praetulerit lectionem *ἐλεῖν* alteri *ἔχειν* (quae est in priore loco) dubito, valde autem displicet additum *ἅπαν* nec sanum videtur, et male desideratur pronomen personale *σέ*, quod ob praegressa verba *μίτρην — εἶναι* abesse non potest. Totum locum sic scripserim:

κτανεῖν γὰρ ἄνθρωπόν σ' ἔφη πιεῖν τε θαῖμα τούτου,
σάρκας Φαγεῖν μίτρην τε σὴν εἶναι τὰ ἔντερ' αὐτοῦ,
καὶ δέρμ' ἔχειν δόρκης σ' ἐπόν, κεἰς τὴν Φύσιν σου θεῖναι
ἱέρακος αἷμα πελαγίου καὶ κάνθαρον τροφὴν σου.

Licet fieri possit, ut *ἅπαν* nondum bene correctum sit.

Digitized by Google

V. 19 sq.

'Ο Πᾶν (sic) δὲ σῶν κατ' ὀμμάτων γονὴν ἀθέμιτον ὦρσεν,
κυνοκέφαλος θ' ἡ δεῖνά τε ὅταν τὰ μηνιαῖα.

In altero versu priore loco est εκεινη τε κυνοκεφαλος οταν αι μηνιαιαι καθαρσεις, altero εγγενηται κυνοκεφαλος ολη τα μηνιαια, itaque neutro, quod tueatur constitutam ab editore lectionem. Hoc unum certum est, dictum aliquid esse admodum obscoeni. Ariolatus sum:

ὁ Πὰν δὲ σῶν κατ' ὀμμάτων γονὴν ἀθέμιτον ὦρσεν (?),
ἡ δεῖν' ἔφη, κυνοκέφαλός τ' ἔλειχε μηνιαῖα.

Sed qui meliora certioraque dederit, faciet gratum.

In altero loco, ubi desunt quae secuntur in priore post v. 24, pro his apparent duorum versuum, quos (fortasse de industria) neglexit editor, non vestigia tantum, sed alter eorum integer traditus est:

ἀναγκάσει γὰρ τῷ λόγῳ καὶ τὰς πέτρας ῥαγῆναι.

Prior autem eruendus est e verbis corruptis οσα δε βουλει κοινα ο λεγει προς την θεον αθεσμα, fortasse:

ὁπόσα δὲ βούλεται λέγει πρὸς τὴν θεὸν ἄθεσμα.

Qui duo versus quem locum in carmine (olim fortasse maiore) obtinuerint difficile dictu est. Nam propter praesens λέγει et futurum ἀναγκάσει ne post v. 20 quidem satis apte inseri poterunt; ita ut quid iis faciendum sit prorsus ignorare me confitear.

V. 2714—2784 continent HYMNUM IN HECATEN, quem editum a Millero *Mélanges* pag. 442 post eum Meineke, Nauck, Ludwich, alii corrigere conati sunt, ita ut perpauca habeam addenda.

V. 3 codex: αδμητη ΛΤΔΗ αδαματωρ εὐπατερεια
Nauck: ἄδμητ' Ειλειθυι' εὐμάτωρ εὐπατέρεια
Dilthey: λυσιη ἀδμήτη πανδμάτωρ εὐπατέρεια

Praeterea Abel πανδμάτειρ', Miller ἀδαμάστωρ proposuerunt. Mihi non displiceat:

ἄδμητ' εὐαυγὴς — — — εὐπατέρεια

vel potius: ἀδμὴς εὐαυγὴς κτέ.

Vs. 22 δαμναμένη ψυχὴ ἐπ' ἐμῇ φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Verum esse ψυχὴν est adeo manifestum, ut Wesselyi neglegentiae

Digitized by Google

tribuere malim, hanc emendationem ab ipso non commemorari, quam credere, eam tot viros doctos, qui hymnum tractarunt, latere potuisse.

V. 28 μαινομένη ἤδη καὶ ἐπ' ἐμαῖσι θύραισι τάχιστα. Aptissime Meineke ἵσταιτ' coniecit. Sed multo facilius illa lectio nasci potuit ex hac: μαινομένη δ' ἥκοι κτέ.

V. 31 codex

εἰς τοδε εμου [του δεινα] μονον με δεχουσα παρεστω.

Reliquis coniecturis accedat haec mea:

εἰς δὲ τὰ δέμνιά μου μοῦνόν με φιλοῦσα παρέστω.

vel μούνου ἐθέλουσα π.

V. 2786—2870 continent alium HYMNUM IN LUNAM, editum a Millero l. l. p. 452.

V. 18 ὄμμα δέ σοι ταυρωπόν, ἔχεις σκυλακώδεα φωνήν,
μορφὰς δ' ἐν κνήμαισιν ὑποσκεπάουσα λεόντων
μορφαὶ λύκων σφυρόν ἐστι, κύνες φίλοι ἀγριόθυμοι.

E verbis quantumvis corruptis hoc tamen satis pellucet, poetam deae venatrici leonina crura tribuisse et lupi malleolos. Suspicor:

μορφαὶ δ' ἐν κνήμαισιν ὑποσκαίρουσι λεόντων,
καὶ σφυρά σοι λυκόμορφα· κύνες φίλοι ἀγριόθυμοι.

V. 42 Δαμνὼ δαμνομένεια δαμάσανδρα δαμνοδάμεια. Pro δαμνομένεια Meineke δαμνογένης, Dilthey δαμνογόνη proposuerunt. Utrique praestare mihi videtur δαμνογύνης, formatum ut μισογύνης. Nec sanius esse credo δαμνόδαμεια, pro quo conieci παντοδάμεια. Cf. Λαοδάμεια.

V. 48 ἤσυχε καὶ δασπλῆτι τάφοις ἔνι δαῖτα ἔχουσα. Hunc versum restituens in hymno a se edito pag. 6, recte W. scripsit δαῖτας.

V. 52 κυανέα ὀφθοπλόκαμε καὶ ζωνοδράκοντε. Licet etiam alibi in papyris reperiatur haec forma et similiter ὀφθοπρόσωπος, vix tamen dubito quin unice vera sit scriptura ὀφιοπλόκ., quae plurimis huius vocabuli compositionibus stabilitur. Numeri postulant κυανέη ὀφιοπλοκάμη κτέ.

Digitized by Google

Finem faciam in tractando magno HYMNO IN LUNAM, quem ex vss. 2242 sqq. primus constituit Wessely pag. 7 sqq. Quem hymnum pessime mulcatum a librariis et nonnihil ab editore si emendatiorem totum apposuero, gratum me facturum existimo praesertim iis lectoribus, qui librum Wesselyanum non possideant.

Χαῖρ' ἱερὸν Φῶς, ταρταροῦχε, Φωτοπλήξ.
χαῖρ' ἱεραυγές, ἐκ σκότους ἐνημμένη,
ἀναστατοῦσα πάντα βουλαῖς ἀστόχοις·
καλῶ σ', ἄκουσον ἱερῶν ἐμῶν λόγων,
Φρικτῆς ἀνάγκης πάντοθ' ὑπερεστρωμένης·
δεθεῖσα τρίς, λύθητ'· ἔπελθε, βρίμασον
τὸν δεῖνα, Κλωθὼ γὰρ ἐπικλώσει σοι λίνα.
νεῦσον, μάκαιρα, πρὶν στυγνήν σε καταλάβω,
πρὶν τοὺς ξιφήρεις ἀναλάβῃς σου κονδύλους,
πρινή τε λυσσῇς ἰσοπάρθενος κύων.
τὸ δεῖνα πράξεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς,
ὡς οἶδά σου τὰ Φῶτα πρὸς στιγμῆς μέτρον (?),

ANNOTATIO. V. **1** fortasse praestat *ἱρόΦωτε*, nam inepte dictum *Φῶς Φωτοπλήξ*. — **2** cod. *ϊερα αυγη*. Correxi duplicem hiatum. Recte W. *ἐνημμενη* pro *ειλημμενη*. — **3** *ἀναστατοῦν* = *ἀνάστατον ποιεῖν* est N. F. verbum. Obscurum, quid hic sibi velit. Idem valet de *ἀστόχοις*, pro quo potius *εὐστόχοις* expectes. Si sanum, interpretandum sensu passivo, *ἀνεΦίκτοις*, *ἀνερευνήτοις*, *impenetrabilibus*. Cod. *βουλαισαστοιχοις*. — **4** *καλεσῆ και ακουση* cod. W. *καλῆζω σ' ἀκούσῃς*. Malui *καλῶ σ', ἄκουσον*. Tum cod. *μου των ιερων λογων* cum spondeo in sede quarta. Correxi. Nota *ἱερός* vs. 1. 2 et 4 producta vocali dictum, ut apud Homerum. — **5** *παντοτε σοι υπεστρωμενης* cod. Metrum correxit W. Versus obscurus. — **6** cod. *λυθητι ελθε* cum hiatu, quem sustuli scribendo *ἔπελθε*, quod sententia quoque postulat. *Βριμάζειν*, *fremere*, *vociferari*, hic iunctum cum A., significare videtur *ira frementem invadere*. — **7** recte sic cod. Male W. *Κλωθώ σοι δ' ἐπικλώσει λίνα*. — **8** *στυγνήν* contra Atticam prosodiam facit iambum. — **9** *Κακοζήλως* poetaster gladium vocavit *ensis pugnos*. — **10** *πρινή τε* correxi pro *πρὶν ἠδὲ*, quod frequenti confusione Alexandrina litterarum Δ et Τ depravatum est, servata in fine vs. codicis lectione *κύων*, quam male in *κύον* mutavit editor. — V. **12** licet

Digitized by Google

καὶ τῶν καλῶν σου μυσταγωγὸς πραγμάτων
ὑπουργός εἰμι καὶ συνίστωρ, παρθένε.
ὃ δεῖ γενέσθαι, τοῦτο δ' οὐκ ἔστιν Φυγεῖν·
τὸν δεῖν' ἀπολέσεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς.
ἐνεύχομαί σοι τήνδε νύκτα κυρίαν,
ἐν ᾗ τὸ σὸν Φῶς ὕστατον χωρίζεται,
ἐν ᾗ κύων κέχηνε κοὐ κλείει στόμα,
ἐν ᾗ τὸ κλεῖθρον ἠνέῳχε Ταρτάρου,
ἐν ᾗ προλυσσᾷ Κέρβερος κεραύνοπλος·
ἔγειρε σαυτὴν ἡλιωτίδος τρόπον
χρῄζουσι Μήνη, νερτέρων ἐπίσκοπε·
ἐνεύχομαί σοι, ξειναγωγὲ παρθένε,
ἐνεύχομαί σοι, δαιδάλη καὶ * *
* * *

---

non optime intellegam, scripsi ut est in papyro, nisi quod ὡς dedi pro οτι et πρὸς στιγμῆς pro προστιγμης. W. scribens τὰ Φῶτ' ἀείδω σου τὸ πρὸς στίγμης (sic) μέτρον quid cogitaverit, non exputo. Εἰδέναι τι πρὸς στιγμῆς μέτρον saltem potest quodammodo intellegi, ἀείδειν κτέ. omni sensu cassum est. — **14** cod. υποτρειμι και, quod recte W. emendasse videtur. — **15** cod. το διγενες τε τουτ· ουκ εξεστι ψυγειν. Correxit W., sed malim τοῦτο πῶς ἔστιν Φυγεῖν; — **16** Lunam magus iubet perdere adversarium. Cf. 6 sq. et 77 sqq. Quare pro αποισεις dedi ἀπολέσεις, quam formam in hoc poeta nemo mirabitur pro ἀπολεῖς. — **18** fit igitur incantatio ultimo die mensis naturalis. — **20** pro ηνεωχε W. substituit absurdum plusquamperfectum, medium inter perfecta et praesentia. Expectatur, quod non fert metrum, ἀνέῳκται, vel potius e sequiorum usu ἀνέῳγε, patet, sed ἠνέῳχε in recenti carmine eo sensu adhibitum fortasse non est sollicitandum. Similiter apud Theophylactum, Aegyptium et ipsum, apparet πέπηχα dictum pro πέπηγα, nec abstinuere Graeculi a confundendo πέπραχα et πέπραγα. Restat duplicis augmenti difficultas. — **23** cod. χρηζουσα, quod correxi. Iunge ἔγειρε σαυτὴν χρῄζουσι, *desiderantibus*. Vix enim poni potuit pro θέλουσα, i. e. προθύμως. — **24** cod. ξενη δ αυγη, unde W. fecit ξεινοδηγέ, vocem fictam ab ipso. Sequi malui ipsorum Graecorum dicendi consuetudinem. — **25** post καὶ cod. habet

Digitized by Google

ἀκτινοχαῖτις, ἰοχέαιρα παρθένε,
27 δόλου τέ μοι σὺ καὶ Φόβου σωτηρίαν
27b διδοῦσα παντός (ὡς μάγων ἀρχηγέτης
Ἑρμῆς ὁ πρέσβυς Ἶσιδος πατὴρ ἐγώ),
ἄκουσον (interponuntur magicae voces) τοῦτο γάρ σου σύμβολον.
30 Τὸ σάνδαλόν σου ἔκρυψα καὶ κλεῖδα κρατῶ,

πιθοη, unde W. fecit πειθόη, ignotum mihi et valde suspectum vocabulum. Secuntur verba partim depravatissima haece: ολκιτι λοφαιη (ὀλκή, λοχαία?) φασγανων θυμαντρια (infra 74 est Ταρτάρου σημάντρια) παιονια προθμεισδαυγη πολυ· κλειτη νυσσα ποδαρκη αλκιμη πορφυρεη (unde procudi possit: παιωνία, πορθμειαγωγέ, πολυκλύτη, ‖ λυσσάς, ποδάρκης, ἀλκίμη καὶ πορφυρᾶ·) σκοπιη· βριμω· (σκοπεῦτι, Βριμώ?) αμβροτε· εγηκοε· περσια· νομεη αλκυονη χρυσοστεφη· πρεσβειρα· φαεννω· πελαγιη ειδωη ινδαλιμη· διχθιρα· βαρυδουχε (βαριδοῦχε? In scapha cursum suum perficere censebatur luna ut sol) ευστοχε· αυτοφυης μιτριη: ανδρειη στρατηλατι· δωδωνιη· ειδεα· νεοπενθης λυκω (λυκώ, ut mox κυνώ?) στηλητι ουλοη· αρκηϊ χαροπη· οξυβοη θασια μηνη πηματην καλλισμενην ακτινα σ η σωτειρα πανγαιη κυνω κλωθαιη· πανδωτειρα δολιχη (δολία?) κυδιμε (in his denuo numerorum est species) ανασσα αρηγε (ἄνασσ', ἄρηξον?) αγλαη ευροστουχε εζηειη (corr. ex εια) αγια· ειμερη (ἠμέρη?) αφθιτε λιγγεα· λιπαροπλοκαμ[ε] θαλια ζαειθη χρυσωπι τερψιμβροτε μινωα λοχιας θηβαια τλητη· δολοεσσα· ατασθαλη. Pro his omnibus cum W. posui lacunae signa. — **27** ακτινοχαιτι cod. Correxi hiatum. — **27** δολου τεμουσαν, unde W. δόλοΝ τεμοῦσα, quod intellegi nequit. Dedi τέ μοι σὺ. — **27b** temere W. omisit. Pro ης οιδα παντων scripsi quod vides. Ad Φόβου παντός cf. pap. Leid. W. p. 25, 5 διαφύλαξόν με ἀπὸ παντὸς Φόβου, ἀπὸ παντὸς κινδύνου τοῦ ἐνεστεῶτος. Tum ἀρχηγέΤης dedi pro αρχηγεΝης. — **29** saepissime in re magica magus assumit dei alicuius aut daemonis potentis, ut terrorem incutiat, personam, et crebro occurrit formula ἐγώ εἰμι . . ., nec raro verba ὁμοιωθεὶς ᾧ σέβεται θεῷ sim. Cf. infra v. 66. — **30** post ἄκουσον interponuntur in codice Deae nomina magica ηω φορβα· βριμω σαχμι· νεβουτο σουαληθ. Pro iis ad complendum rhythmum W.

Digitized by Google

ἤνοιξα κλεῖθρα ταρταρούχου Κερβέρου,
καὶ νύκτ' ἄωρον τήνδε παρέδωκα σκότει·
ῥόμβον στρέφω σοι κυμβάλων τ' ἀνθάπτομαι·
ἄθρησον εἰς Νειλῶα νάμαθ', ὡς χάριν
κάτοπτρον εἰσιδοῦσα σαυτῆς θαυμάσῃς,
πρὶν ἤ με πᾶν φῶς ἐκπτυπῆσαι ἀπ' ὀμμάτων.
Ὃ δεῖ σε πρᾶξαι, τοῦτο δεῖ σε μὴ φυγεῖν·
τὸ δεῖνα πράξεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς.
ἵππος, κόρη, δράκαινα, λαμπάς, ἀστραπή,
ἀστήρ, λέων, λύκαινα, ᾱ ῑ ω̄ ε̄ η̄.
σκεῦος παλαιόν, κόσκινόν μοι σύμβολον
καὶ ψῶμος, εἷς κόραλλος, αἷμα τρυγόνος,

---

inserit ἱκετῶ. — **31** cod. ηνοιξα ταρταρουχου κλειθρα ταρταρου κερβερου. Vitium metricum ipse librarius agnovisse videtur. Correxit W. Noli conicere ταρταροῦχα κλεῖθρα. Cf. pap. vss. 2242, 2326, 2335 et ταρταρόφρουρος 1368. — **32** νυκτα την αωρον cod. Correxit W. — **33** κυμβαλων ουχ απτομαι cod. Sed cur cymbala commemorantur, si nullus eorum fuit usus? Is usus qui fuerit, apparet, si recte emendavi vs. longe absurdissimum, qualis traditus est, 36. Audacter igitur reposui τ' ἀνθάπτομαι. — **34** cod. αθρησον εις σε νειλωντιδος χαριν, unde W. cum hiatu et sine sensu edidit ἄθρησον εἷς σε ἡλιωτίδος χάριν. Non vero desunt in tradita hic et in sqq. scriptura, unde quae poetae mens fuerit, indagare possimus. Nam et aptissima in Aegypto sacri fluvii mentio et quae de inspecto speculo deque formae admiratione secuntur eo tendunt ut, si non ipsa verba, sententiam certe assecutus esse mihi videar reponendo quod dedi. — **35** ην ιδουσα cod. et σαυτην et θαυμασεις. Illud W., haec ego correxi. — **36** μελαν φως εκπτυσης absurde codex. Dedi με παν φῶς ἐκκτυπῆσαι, sive ἐκκτυπεῖν scribi mavis. Sententia: *Aspice Nili fluenta, ut* (postremum sc.) *hoc inspecto speculo venustatem tuam admireris, priusquam* (cymbalorum) *strepitu oculis tuis omne lumen excussero.* Melius si noveris istis, candidus imperti: si non, his utere mecum. — **37** πρᾶξαι pro ποιησαι W. — **38** πράξεις pro μοι ποιησεις idem. — **40** cod. ᾱ η̄ ω̄ η̄ η̄, quibus magicis vocalibus mutata paenultima in E explevi versum. — **42** sic distinxi, licet dubium sit,

Digitized by Google

ὄνυξ καμήλου καὶ βοὸς θρὶξ παρθένου,
Πανὸς γόνος, πῦρ ἡλιωτίδος βολῆς,
χαμαίλυκος, νηθουσα (?), παιδέρως, ἄρις,
γλαυκὸς γυναικὸς σῶμα διεσκελισμένον,
σφίγγὸς μελαίνης ἡ φύσις θεωρουμένη·

---

utrum εἷς cum κόραλλος an cum ψῶμος iungi oporteat. — 44 Πανὸς γόνος. Inter πνεύματος σύμβολα cum alii corporum humores (ut lac, fel, sanguis, etiam excrementa, tam urina quam stercus) commemorari solent, tum praesertim genitale semen. De quo imprimis inspiciatur papyrus Leid. V col. 13 et 14, ubi praeter semen humanum, leoninum et taurinum enumerantur Mercurii, Solis, Martis, Herculis et Ammonis semina. Facile autem pleraque eorum quae hic recensentur similibus in papyris magicis locis illustrari poterunt. — 45 retinui codicis scripturam, nisi quod χαμαίλυκος dedi pro χαμαιλυκοN, quam misere vexavit W. rescribens χαμαιλέων ἀνθοῦσα, quamquam chamaeleontem (tam herbam quam animal) masculinum esse constat, et herba χαμαίλυκος (hierobotane) nota est e Dioscoride. Depravatum esse NHΘOTCA ne contendere quidem ausim, cum tot reperiantur in his papyris herbae magicae, quas aliunde non novimus. Ne forma quidem ἄρις pro ἄρον (Theophr.) sive ἀρίσαρον (Dioscor.) hucusque cognita erat. — 46 correxi absurdam codicis lectionem γλαυκΗς γυναικος. Requirebatur *noctuae feminae*, non *caesiae mulieris* mentio, ut v. 42 est τρυγόνος. Inde ab Aristotele γύνη saepe de brutis quoque animalibus adhiberi constat. Cf. v. 43 βοὸς παρθένου. Significat διεσκελισμένον *divaricatis cruribus*, ita ut appareret ἡ φύσις, i. e. *genitalia*. Sic enim intellego v. 47, quem corrupit W. scribendo πηρουμένη, quod ne Graecum quidem est pro πεπηρωμένη. Sermo esse videtur de simia (σφίγγα sunt qui dici putent quem hodie *schimpansee* appellamus) sic posita, ut eius αἰδοῖον conspiciatur. Genitalia membra, quibus debetur omnis vitae origo, inter πνεύματος σύμβολα recenseri nemo, credo, mirabitur. Ceterum habeatne papyrus θεωρουσα (ut W. scribit in Annotatione pag. 11) an θωρουσα (quod in textu dedit) editoris culpa ignoramus. Ad synizesin cf. infra v. 68 ἄκουσον ἡ θεωροῦσα καὶ θεωρουμένη. —

Digitized by Google

ἅπαντα ταῦτα σύμβολόν μοι πνεύματος.
Ὅλης ἀνάγκης δεσμὰ συρραγήσεται,
†κρύψει τε σὸν Φῶς ἥλιος πρὸς τὸν νότον,
Τηθύς τε τὴν σὴν κουφίσει οἰκουμένην, †
αἰθὴρ κραδαίνετ', οὐρανὸς κινήσεται·
Κρόνος, φοβηθεὶς τὸν βεβιασμένον πόλον,
πέφευγ' ἐς Ἅιδην νερτέρων ἐπίσκοπος,
ἀνέκκλιτον Μοῖραί τε ῥίπτουσιν μίτον,

---

48 et 41 *μοι* scripsi pro *μου*. An *πν. μ. σύμβολα*? — **49** W. dedit *δέσμα* (sic) *συνραγήσεται*, hoc cum papyro. — **50** sq. graviter depravati. Cod. *και κρυψει σον Φως*. Metrum curavit W. Sed cum magus manifeste Lunae minetur, si sibi obsecuta non fuerit, omnem rerum naturam denuo in primordiale chaos conversum iri, iure expectamus dici, solem non amplius mundum illustraturum esse, mare super litus effusum terras vastaturum, coelum concussum locoque motum iri, cett. Unde suspicor:

κρύψει θ' ἑὸν Φῶς ἥλιος —
Τηθύς τε τὴν γῆν νοσφιεῖτ' οἰκητόρων.

Cum enim veteres tragici interdum pronomen possessivum *ὅς* in senariis admiserint, plenioris formae epicae usum huic versifici non inepte tribuas. Sin minus, possis *κρύψει δέ θ' ὃν*. *Νοσφίζεσθαι* pro *νοσφίζειν* apud sequiores non rarum est. At ne sic quidem intellego cur Sol id meridiem versus facere dicatur. Quare satis habui apponere signa corruptelae. Quaerant alii! — **52** cod. *αιων κραδαινει κινηθησεται ουρανος*, unde W. *αἰῶν κραδαίνει, οὐρανὸς κινήσεται* priora cum hiatu et absque sensu. De coniectura reposui quod vides. Etsi bonus poeta pro praesenti, medio inter futura, futurum posuisset, nullus dubito quin in huius aevi poeta offensione careat praesentis usus, cum praesertim mox a futuro *κινήσεται* statim transeat ad perfectum *πέφευγ'* et praesens *ῥίπτουσι*. Omnino autem in his papyris passim praesentia pro futuris usurpata videbis. — **53** cod. *κρονος φοβηθεις τον βεβιασμενον σου νουν*, in qua scriptura nihil corruptum est praeter *σου νουν*, quae vix aliud celant quam quod iubente sententia restitui. W. sine sensu dedit *σοῦ τε νοῦν βεβιασμένον*, in quibus praeterea perabsurda est vocula Τϵ isto loco posita. — **55** pap. *μοιραι σου τον ανεκλιπτον ριπτουσι μιτον*, unde W.

Digitized by Google

ἂν μὴ μαγείας τῆς ἐμῆς [αναγκασης]
βέλους πετηνοῦ ταχυτάτου τέλος δραμεῖν.
οὐ γὰρ φυγεῖν ἔξεστι μοῖράν μου λόγων.
58b ὃ δεῖ γενέσθαι, <τοῦτο πῶς ἔστιν φυγεῖν;>.
ἄνωγ' ἀκούειν, μὴ πάθῃ σ' ἀναγκάσῃ·
60 τὸ δεῖνα πράξεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς.

ἀνεκλιπῆ μοῖραί τε ῥίπτουσιν μίτον, sed ἀνεκλιπής parum apte vocatur stamen, quod discidi credebatur. Multo et lenius et aptius rescripsi ἀνέκκλιτον, *inevitabile*. Transpositionem, in qua parum placet voculae τε traiectio, retinui, quia sine gravi mutatione versum aliter corrigere nequeo. — 56 μαγείας dedi pro μαγείης; αναγκασης ex fine v. 59 huc invectum esse bene agnovit editor, sed quidquid olim pro eo fuit, non fuit innumerosum quod substituit ὕπο κλιθῇς. Versus eo difficilius expleri potest, quod etiam recepta, quae sane recipienda est, editoris emendatione βέλους pro βέλος versus sequens aegre intellegitur, nisi genetivi suspensi fuerunt a voce δίκην s. τρόπον in praegressis, hoc fere modo

ἂν μὴ μαγείας τῆς ἐμῆς <μ' ἐᾷς, δίκην>
βέλους πετηνοῦ ταχυτάτου, τέλος δραμεῖν,

i. e. *nisi me sinis quam celerrime incantationis meae finem* (scopum) *assequi*, quae aptissima est, ut arbitror, sententia. — 58b sq. codex ο δει σε γενεσθαι μη σ ατην αναγκασης | ανωθεν εις ανωθεν ακουειν συμβολον. Ex his verbis W. unum vs. fecit:

ἄνωγ' ἀκούειν, μή σ' ἄτην ἀναγκάσῃς,

in quo neque sententiae est umbra, et spondeus in sede quarta. Aptum tamen est ἄνωγ' ἀκούειν, quare probabile videtur quod restitui:

ἄνωγ' ἀκούειν, μὴ πάθῃ σ' ἀναγκάσῃ,

licet cogitari quoque possit de scribendo μὴ σεαυτὴν αἰτιῶ, quod tamen non praeferendum videtur, propterea quod traditum verbum tuetur eius repetitio in vs. 56. Verba ὃ δεῖ[σε] γενέσθαι in papyro, quae simpliciter delevit W., equidem, quia non apparet eorum origo, delere fas non duxi, sed retinui suspicatus alterum excidisse hemistichium, quod supplevi coll. v. 15, ubi vid. adnot. — 60 sqq. posui eo ordine, quo in papyro leguntur, nihil enim opus transponere cum W. φωτός τ' ἀχρείου

Digitized by Google

Φωτὸς δ' ἀχρείου πρίν σε μοῖρα καταλάβῃ,
ποίησον ὃ λέγω, ταρταροῦχε παρθένε.
ἔδησα δεσμοῖς τοῖς Κρόνου τὸν σὸν πόλον,
στυγνῇ τ' ἀνάγκῃ ἀντίχειρά (?) σου κρατῶ.
†οὐ γεινεται αυριον ει μη γενηται ο βουλομαι.†
Ἔνευσας Ἑρμῇ τῷ θεῶν ἀρχηγέτῃ
εἰς τήνδε πρᾶξιν συμβαλεῖν· ἢ μήν σ' ἔχω.
ἄκουσον ἡ θεωροῦσα καὶ θεωρουμένη·
βλέπω σε καὶ βλέπεις με, κἀγὼ ἔπεισά σε.
σημεῖον αἴρω· χάλκεον τὸ σάνδαλον
τῆς ταρταρούχου, στέμμα, κλεῖς, κηρύκιον,
ῥόμβος σιδηροῦς καὶ κύων <ὁ> κυάνεος,
κλεῖθρον τρίχωρον, ἐσχάρα πυρουμένη,
σκότος, βύθος, Φλόξ, Ταρτάρου σημάντρια,

(pro *ἀχρίου Φωτος*) *πρίν σε μοῖρα καταλάβῃ· ‖ τὸ δεῖνα πράξεις* (pap. *ποιησεις*) *κἂν θέλῃς* (cod. *κανθαλης*) *κἂν μὴ θέλῃς· ‖ ποίησον ὃ λέγω ταρταροῦχε παρθένε·*, modo mecum scribens *Φωτὸς δ' ἀχρείου* et virgula distinguens post *καταλάβῃ*, ex hoc versu suspendas sequentem. — **64** cod. *και στυγνη αναγκη*. Cum W. dedi *στυγνῇ τ' ἀνάγκῃ*, sed maiorem corruptelam arguit hiatus, confirmat versiculi obscuritas. Quid enim quaeso hic sibi volt *ἀντίχειρα*? — **65** malui intentatum relinquere quam corrigere cum W. *οὐκ αὔριον γένηται, νῦν ὃ βούλομαι*, qualis versus *ἄμετρος*, etiamsi recte habeat *γένηται* pro *γενήσεται* (in ipso hoc papyro v. 2097 *ἐπενέγκω* positum est pro *ἐποίσω*), non aptam huic loco praebet sententiam. Mendo carere videntur verba *εἰ μὴ γένηθ' ὃ βούλομαι*. — **66** cum ex v. 28 sq. appareat magum Mercurium hic vocare se ipsum, fortasse rectius hic, ut illic, scriberetur *τῷ μάγων ἀρχηγέτῃ*. — **67** cod. *σ η μην εχω*. Transposui *ἢ μήν σ' ἔχω*. — **69** cod. *ειτα καγω*, W. *κἀγὼ εἶτα* cum turpi hiatu. Docet contextus, iam enim cessisse Deam diris magi minis arguunt verba *ἔνευσας κτέ.*, emendandum esse *κἀγὼ ἔπεισά σε*. — **70—75** obscuri. — **71** *κηρύκιον* prava haec sequiorum forma pro *κηρύκειον* hic metro stabilitur. Peius est quod in Anthologia Pal. IX 579 et XI 124 simul huius vocabuli Τ corripitur. — **72** metri causa inserui articulum, nam inaudita est vocalis Α productio in *κυάνεος*, cod.

Digitized by Google

75 *Φοβοῦσ' Ἐρινῦς δαίμονάς τ' ἐραστίους.*
Εἰσῆλθες, ἧκεις, ὀργίσθητι παρθένε †
τῷ δεῖν', ἅτ' ἐχθρῷ τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν.
[ηλιου οσιριδος και συνευνου ϊσιδος]
δεινοῖς λέγω σοι τοῦτον εἰσβαλεῖν κακοῖς.

Corollarii instar, quia ad idem litterarum genus pertinent, his subiciam XIV hexametros (quos primus Leemansius, vir eruditissimus, e papyro Leidensi a se edito a. 1885 col. 7, 33 sqq. seorsum posuit in annotatione vol. II p. 64 pap. Gr. mus. ant. Lugd. B.) ita emendatos, ut emendandi mihi videntur. Sunt autem hice:

1 *Τίς μορφὰς ζώων ἔπλασεν, τίς δ' εὗρε κελεύθους;*
2 *τίς καρπῶν γενέτης; τίς δ' οὔρεα ὑψόσ' ἔγειρεν;*
3 *τίς δ' ἀνέμους ἐκέλευσεν ἔχειν ἐνιαύσια ἔργα;*

κυανος. — **73** *κλεῖθρον τρίχωρον* quid sit nescio. — **75** melior orthographia *Ἐρινῦς* num huic poetae reddenda sit ignoro, nec multum curo. — **76** codex *εισηλθας*, quem barbarismum librariis quam poetae tribuere malui. Metrum laborat. Possis *εἰσῆλθες, ὀργίσθητι, <σεμνὴ?> παρθένε*, quod tamen vix sufficit. — **77** *τω δινα εχθρω* pap. Correxi hiatum. — **78** delevi interpretamentum verborum praegressorum *τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν*. Frustra W. numeros finxit innumeros et hiantes: *Ὀσίριδός τε καὶ συνεύνου Ἴσιδος.* — **79** cod. *οιον λεγω σοι εισβαλε εις τουτον κακον*, quae audaciore coniectura indigebant, ne Graeca quidem oratione perscripta. Graece enim noto usu dicitur *εἰσβάλλειν* s. *ἐμβάλλειν εἰς κακόν* s. *κακῷ*, sed nemo umquam dixit *κακὸν εἰσβάλλειν εἴς τινα*, ut arbitror, neque verba tradita *οἷον λέγω — κακόν* habent in praegressis quo referantur, ut taceam *σοι εἴσβαλε* turpi laborare hiatu, quem singulis locis, ubi apparet, argumentis e sermone aut e sententia petitis me profligasse vides.

Annotatio. V. **1** correxi scripturam *ζωων* (*ζωῶν* L.) *επλαγε*. Cum ad *κελεύθους* mente repetendum videatur *ζώων*, malui virgula distinguere post *ἔπλασεν* quam cum L. signo interrogandi. — **2** *ἔγειρεν* dedi pro *ἐγείρει*. — **3** *ἐνιαύσια* L. intellegit de etesiis, qui statis temporibus redeuntes tempestates et opera agriculturae

Digitized by Google

4 τίς δ' αἰῶνα τρέφων αἰῶσιν <ἐς αἰὲν> ἀνάσσει;
5 Εἷς θεός, ἀθάνατος, πάντων γενέτωρ σὺ πέφυκας,
6 καὶ πᾶσιν ψυχὰς σὺ νέμεις καὶ πάντα κρατύνεις.
7 Αἰώνων βασιλεῦ καὶ κύριε, σὲ τρομέουσιν
8 οὔρεα σὺν πεδίοις, πηγῶν ποταμῶν τε ῥέεθρα,
9 καὶ βυσσοὶ γαίης καὶ πνεύματα πάντα τὰ φύντα,
10 Οὐρανὸς ὑψιφανής σε τρέμει καὶ πᾶσα θάλασσα,
11 κύριε παντοκράτωρ, ἁγιώτατε δέσποτα πάντων.
12 Σῇ δυνάμει στοιχεῖα πέλει καὶ φύεται(?) πάντα
13 Ἡελίου μήνης τε δρόμος νυκτός τε καὶ ἠοῦς
14 ἠέρι καὶ γαίῃ καὶ ὕδατι καὶ πυρὸς ἀτμῷ.

---

temperent; nec sane, si vox sincera est, melius explicare possum. — 4 ante τρέφων delevi ινα, dittographia factum ex αιωνα, et de meo inserui ἐς αἰέν post αἰῶσιν. L. duos versui dactylico iambos intulit coniciens τ. δ. α. ἀναστρέφων α. α. Participio τρέφων nihil est sanius. — 7 σὲ correxi pro καί, quod primum κε scriptum facile inde nasci potuit. L. inter κύριε et καὶ sine causa sumsit lacunam, licet sententiae nihil deesse planum sit. Cod. τρεμουσιν. Corr. L. — 8 πεδίοις feci ex absurdo παιδίοις. L. perperam virgulis distinxit post οὔρεα et post πηγῶν. Tum epicum usum restitui corrigendo τε ῥέεθρα pro τε τὰ ῥεῖθρα (pap. ριθρα). — 11 ἁγιώτατε postulante metro dedi pro ἅγιε καὶ. — 13 μήνης τε certa, ut arbitror, emendatione elicui ex MNHCTAI, unde Leemans fecerat, quod numeris et etymologia et sententia refellitur, ὕμνησται (sic); v. 14 autem restitui formas epicas pro ἠέρι καὶ γαίᾳ et ἀΤμῷ dedi pro ἀΓμῷ [1]), quod in ἀχμῇ refingendum esse statuerat Leemans. Sed reliqua ultimorum versuum vitia certa ratione corrigere mihi non contigit. Frustra enim v. 12 metrum curabis scribendo καὶ φύεθ' ἅπαντα (sequiores epici non raro huius verbi vocalem in praesenti et imperfecto producunt), *sunt* enim elementa, non *gignuntur*. Per se quidem hunc versum tolerarem sic scriptum:

Σῇ δυνάμει στοιχεῖα πέλει καὶ φύρεθ' ἅπαντα,

neque haererem in πέλει, quia iungi hic potuit cum paganorum

---

1) In papyro, quem ipse contuli, utrum Τ an Γ legatur hodie dispici nequit. V. 10 sic pap., non υψιφανης. In significanda lectione non sibi constat L. — V. 12 perspicue legitur φυεταπαντα.

Digitized by Google

philosophia de elementis non creatis sed mixtis Iudaeorum doctrina de mundo fabricato ex nihilo, modo satis mihi constaret, quo pacto cum tali versu iungi possent sequentes duo versus, qui ne inter se quidem cohaerent. Quia autem commemorata in v. **12** elementa in v. **14** enumerantur, venit in mentem suspicio, v. **13** (cuius asyndesia ita tantum intellegitur, si sumimus verbum, cui subiectum fuit δρόμος, una cum praegresso aliquo versu periisse) loco suo motum esse, et arte cohaerere v. **12** et **14**. Quapropter, donec evidentior reperiatur medicina, carminis sive potius fragmenti finem sic constituerim:

Σῇ δυνάμει στοιχεῖα πέλει, καὶ φύρεθ' ἅπαντα
ἠέρι καὶ γαίῃ καὶ ὕδατι καὶ πυρὸς ἀτμῷ.
* * * * * * * * * * * * * * *
ἠελίου μήνης τε δρόμος νυκτός τε καὶ ἠοῦς.

Tua potentia exstant elementa, miscenturque omnia (sc. res omnes) *aere, terra, aqua et igni* cett. Feci quod potui: λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος! — V. **13** ἠοῦς. Saepe sequiores epici hac voce abusi sunt ponentes pro ἦμαρ.

AD CICERONIS LAELIUM.

Laelius a Fannio et Scaeuola rogatus ut iis traderet primum quid de amicitia sentiret, deinde qualem existimaret, tum quae praecepta daret (4, 16), primam disputationis partem, qua quid de amicitia universe sentiret quantumque ei ualere uideretur, aperuit, his uerbis absoluit (7, 24): *hactenus mihi uideor de amicitia quid sentirem potuisse dicere. Si qua praeterea sunt, credo autem esse multa, ab iis, si uidebitur, qui ista disputant, quaeritote.* Legendum est *hactenus mihi uideor de amicitia quid sentirem <ex>posuisse diserte.*

J. J. C.

Digitized by Google

AD ZOSIMI HISTORIAM NOVAM ED. MENDELSSOHN.

SCRIPSIT

H. VAN HERWERDEN.

I 3 τοῦ δὲ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τὰς δυνάμεις τοῖς Ἕλλησιν ἐλαττώσαντος, περιστήσαντός τε εἰς χρημάτων ἀπορίαν τὰς πόλεις, γέγονεν χώρα Φιλίππῳ τὴν βασιλείαν — τέχναις τισὶ ταῖς περινοίαις αὐξῆσαι. Mirum ni Zosimus dedit, quod in tali re scribere assolet, γέγονεν εὐρυχωρία.

I 7 καὶ οὐ μόνον ἅπερ εἶχον ἀπολωλεκότες οἱ πρὸ αὐτῶν ἀνεκτήσαντο, ἀλλὰ καί τινα τῶν οὐκ ὄντων προσέθεσαν. Corrigendum ἅπερ ἔτυχον ἀπολωλεκότες.

I 12, 2 τρίβοντος δὲ Πρόβου τὸν πόλεμον οἷα καὶ ἐξ ἐλάττονος πολλῷ δυνάμεως αὐτὸν ἀναδεξαμένου, κατὰ τὴν Ταρσὸν ἐν τῷ θέρει γινομένου καύματος, ἀηθήσαντες οἱ Φλωριανῷ συντεταγμένοι διὰ τὸ ἐκ τῆς Εὐρώπης τὸ πλέον τοῦ στρατεύματος εἶναι, νόσῳ δεινῇ περιπίπτουσιν. Miror doctum editorem fugisse optimi codicis Vaticani lectionem ἀηθησοντες celare genuinam Zosimi manum ἀήθεις ὄντες. Inauditum enim est verbum ἀηθεῖν et ineptus Aoristus. — Obiter cap. 71, 1 corrige κατῴκισε Θρᾳκίοις χωρίοις inserenda necessaria praepositione ἐν.

II 1, 1 τούτων (τῶν δένδρων) πεσόντος κεραυνοῦ καταφλεχθέντων ἠπόρει (Οὐαλέσιος) πρὸς τὸ ἐκ τοῦ κεραυνοῦ σημαινόμενον, νόσου δὲ τοῖς αὐτοῦ παισὶν ἐνσκηψάσης ὑπὲρ τὴν τῶν ἰατρῶν τέχνην διὰ τῶν μάντεων ἦει. Nihil significat ἰέναι διὰ τῶν μάντεων, sed optime dictum erit διὰ <τῆς> τῶν μάντεων, scil. τέχνης.

II 2, 2 καὶ τὴν θυσίαν πεποιηκότες χώματι βάθους εἴκοσι ποδῶν κατεκάλυψαν τὸν βωμόν. Lege βάθος.

II 5, 5 requiro διέμεινεν ἡ ἀρχὴ <ἡ> Ῥωμαίων ἀλώβητος.

II 9, 1 συμβὰν δὲ τὸν αὐτοκράτορα Κωνστάντιον ἐν αὐτῷ τελευτῆσαι τῷ χρόνῳ. Bast ἐν ταὐτῷ coniecisse dicit editor, deleto

Digitized by Google

haud dubie in sequentibus τῷ, ut arbitror. Mihi probabilius videtur ἐν αὐτῷ <τούτῳ> τ. τ. χ.

II 12, 2 τῶν δὲ μάντεων — αἴσιά τε οὐκ εἶναι τὰ ἱερεῖα λεγόντων. Tralaticium librariorum errorem pro ἱερά, qui recurrit III 12, 1, Mendelssohnio imponere potuisse miror.

II 13, 1 ὁ τῆς Τύχης ἐφλέχθη ναός. πάντων σβέσαι τὴν πυρὰν συνδραμόντων, κτἑ. Imo τὴν πυρ<καΐ>αν, *incendium*. Nusquam aliud πυρά est nisi *rogus*.

II 17, 1 τῆς δὲ Μαξεντίου κεφαλῆς ἐπὶ δόρατος ἀνενεχθείσης. Parum recte dictum pro ἀναπηχθείσης, sed in hoc scriptore fortasse ferendum, quod idem valet de cap. 22, 3 ubi est τοῦ Ἔβρου ποταμοῦ — ἰόντος pro ῥέοντος.

II 24, 19 νότος δὲ — τὰς μὲν (sc. νοῦς) ὀκέλλειν ἐποίει, τὰς δὲ πέτραις προσήρασσεν, τὰς δὲ αὐτάνδρους κατέδυεν, ὥστε ἄνδρας μὲν πεντακισχιλίους, ναῦς δὲ [αὐτάνδρους] διαφθαρῆναι τριάκοντα καὶ ἑκατόν. Sententiam pervertit repetitum αὐτάνδρους, nam sine controversia scriptor *omnium* navium, quae quocumque modo perierunt, numerum recenset.

II 27, 1 Ὁρμίσδης εἰσήει θήραν πολλὴν εἰσαγαγὼν εἰς τὰ βασίλεια. Imo εἰσάγων.

II 33, 5 Postquam scriptor narravit Constantinum provinciarum praesidibus puniendi militaria delicta potestatem ademisse, qua olim milites κατὰ νοῦν ἔχοντες ὡς ὁ χορηγῶν τὴν σίτησιν αὐτοῖς καὶ πταίουσιν ἐπεξέρχεται πράττειν τε παρὰ τὸ καθῆκον οὐκ ἐθάρρουν δέει καὶ τῆς τῶν σιτήσεων ἀφαιρέσεως καὶ τῆς παρὰ πόδας κολάσεως, haec dicere pergit: νῦν δὲ ἕτερου μὲν ὄντος τοῦ τὰς τροφὰς ἐνδιδόντος, ἑτέρου δὲ τοῦ τῆς ἐπιστήμης κυρίου, κατ' ἐξουσίαν ἅπαντα πράττουσι κτἑ. In tam aperta sententia nec priorum editorum quemquam neque ipsum Mendelssohnium animadvertisse depravatum esse ἐπιστήμης et necessario corrigendum esse ἐπιτιμήσεως satis mirari non possum.

II 37 v. 7 sq. in oraculo Sibyllae legitur insigni vitio:

κινήσεις δ' εὖδοντα λύκον γαμψώνυχα δεινόν·
οὐδ' ἐθέλοντι γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.

Fallitur vero editor vitii sedem putans esse εἴσω, pro quo αἰνὸν, αἰσχρὸν vel sim. requirit. Nam absurdum est *ne volenti quidem se summittet*. Simplici mutatione reponatur:

οὐδ' ἐλθόντι γὰρ εἴσω ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.

ne illi quidem qui (victor) *civitatem intraverit*.

Digitized by Google

II 38, 2 τῶν διὰ πενίας ἔσχατον ζημίαν ὑπενεγκεῖν μὴ δυναμένων. Sic M. edidit pro διὰ πενίας ἐσχάτην. Rectius me iudice olim Sylburg διὰ πενίαν ἐσχάτην. Nam locis quos ad astruendam coniecturam suam attulit M. aliisque similibus constanter additur praepositio (εἰς), qua omissa nascitur oratio vix Graeca.

II 43, 1 supple εἰς βασιλείαν <ἀν>ήχθη.

II 44, 4 καὶ βιοὺς ἐν ταύτῃ χρόνον οὐκ ἔχων ἔτι πράγματα τετελεύτηκε. Haereo in nudo χρόνον, post aut ante quod vocabulum τινά aut ὀλίγον aut πολὺν s. συχνὸν periisse suspicor. Quod ibidem legitur οὐδὲν ἄχαρι παθεῖν, ut alia haud ita pauca, Zosimus sublegit Herodoto.

II 45, 2 τούτῳ — τὸ τοῦ Καίσαρος ἐπιτίθησι σχῆμα. Rectius II 9, 1 et alibi hac in re scriptor utitur verbo περιτιθέναι. Mox § 4 bene omissam esse dubito praepositionem ἐν in verbis οἱ κατὰ ἐνέδραν τοῖς τέμπεσι προκαθίσαντες λόχοι. Cf. ad I 12, 2.

II 55, 1 προσεπετίθετο δὲ καὶ τὰ περὶ τοὺς τοιούτους εἰωθότα συνίστασθαι τῶν συκοφαντιῶν ἐργαστήρια. Quis haec legens non meminit locorum Demosthenicorum p. 855, 1 ἐργαστήρια μοχθηρῶν ἀνθρώπων συνεστηκότων ἐν τῷ Πειραιεῖ, p. 978, 6 τὸ ἐργαστήριον τῶν συνεστώτων, 995, 8 κατασκευάσας μεθ' ἑαυτοῦ ἐργαστήριον συκοφαντῶν, 1010, 24 μεθ' αὑτοῦ παρασκευασάμενος ἐργαστήριον συκοφαντῶν? Quorum locorum, quos Z. manifeste imitatur, memor non dubitabis mecum ei reddere συκοφαντΩΝ.

III 3, 5 ἀμφιέσας δὲ ἐσθῆτι γυναικείᾳ διὰ τοῦ στρατοπέδου παρήγαγεν ἐπ' ἐξαγωγῇ. „Vocabulum, quod recte positum est IV 9, 3 h. l. aut improprie usurpatum est aut corruptum" recte iudicat M. Equidem corruptum esse puto et Zosimum ἐπὶ λώβῃ dedisse suspicor.

III 4, 3 μηδεπώποτε πολεμήσειν. Ecce notatum ab Atticistis scribendi vitium pro μηδέποτε, quod et alibi apud nostrum reperitur. Sitne tamen ipsius error an librariorum dubites ob alios locos ubi non peccavit, velut cap. 7, 7 ἐφ' ᾧ μηδέποτε κατὰ Ῥωμαίων χεῖρας ἄραι.

III 7, 2 κεφαλὰς ὅσων οἷός τε ἦν βαρβάρων ἀπέτεμεν καὶ τοῖς ἐν πόλει φέρων ἐδείκνυ. Agitur de iis qui non semel, sed identidem Charietton faciebat, itaque lege ἀπέτεμνεν.

III 11, 5 τιμωρίαν μὲν οὐδεμίαν ἔργῳ αὐτοῖς ἐπιθείς, λόγον δὲ

Digitized by Google

ἀστειότατον — συνθεὶς κτέ. Hiatum M. removet transponendo ἔργῳ post ἐπιθείς. Malim ἔργῳ μὲν τιμωρίαν οὐδεμίαν αὐτοῖς ἐπιθείς, λόγον δὲ κτέ., quo aptior nascatur oppositio.

III 14, 2 ἦν δὲ ἀντικρὺ [ἐν τῷ ποταμῷ] νῆσος. Deleto glossemate, non amplius est hiatus, nec cum editore reponendum ἄντικρυς.

III 16, 2 δοῦναι σφίσιν ἀκώλυτον τὸν <τῆς> διώρυχος ἔκπλουν. L. διάπλουν. Cf. 17, 2 ἐπεραιοῦτο τὴν διώρυχα κωλύοντος οὐδενός.

III 17 χάρακι διὰ σταυρωμάτων ἐκ ξύλων ὀχυρῶν ἐναπείληπτο. Cum prima m. Vaticani habeat ὀχυρωμένως, fortasse recte vitium latere putat M. Facile ea lectio nasci potuit ex ὀχυρῶν πεποιημένων.

III 20, 1 καὶ τὴν ὁδὸν εὐφορωτέραν ἐποίει. Expectabam εὐπορωτέραν, sed fortasse nihil mutandum.

III 21, 1 λίθων δὲ οὐκ ὄντων αὐτοῖς ἔνδον ἀσΦάλτΩΙ βώλους πεπυρωμένους ἠκόντιζον. Quid sit πυροῦν τι ἀσΦάλτῳ non video. Legerim ἀσΦάλτΟΤ. Mox l. ἀλλ' οὐδὲν (pro οὐδὲ) οἱ τῶν Ῥωμαίων στρατιῶται — παρῆκαν εἶδος ἀνδρείας καὶ πολεμικῆς ἐπιστήμην. Ne Graecum quidem est οὐ vel οὐδὲ παρίημι εἶδος, sed etiam ubi οὐδὲ requiritur, necessario addendum οὐδέν vel τι.

III 24, 3 τὴν συμβᾶσαν ὁ βασιλεὺς καταστρατηγήσΑC διαμαρτίαν „περιεγεγόνασιν" ἔΦη τῆς διαβάσεως κτέ. Errorem imperator correcturus illa dicit, itaque legatur καταστρατηγήσΩN.

III 25, 4 καὶ ὅπῃ βάσιμον ἦν τὸ ὕδωρ, ἐπιπηδήσαντες, scil. οἱ ἐν τοῖς πλοίοις περαιώμενοι. Absurde dictum, quasi in aqua ambulaturi essent. Dubites tamen sitne ἐμπηδήσαντες (sc. εἰς τὸ ὕδωρ) verius an ἐκπηδήσαντες (ἐκ τῶν πλοίων). Vitium natum ex sequenti syllaba ΠΗ.

IV 10, 3 ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο — τοῦ μηδεμίαν αὐτΟΙς ἐπιλεῖψαι τροφήν. Soloece dictum pro αὐτΟΤς.

IV 13, 3 τοῦτον εὖ μὲν γεγονότα τε καὶ τραφέντα, νέον δὲ ἔτι καὶ — σαλευόμενον περιστάντες κτέ. Imo νέον δὲ <ὄντα> ἔτι. Mox formulam μονονουχὶ βοὴν ἀφιέναι debet scriptor Demostheni p. 9, 12 ὁ παρὼν καιρὸς μονονουχὶ λέγει Φωνὴν ἀφιείς, quare nescio an Φωνήν, quod codd. praeter Vat. praebent, praeferendum sit. Ex iisdem autem libris pro ἀφιέναι δηλοῦντα reponendum esse ἀφιέντα δηλοῦν iam monuit editor, quem notissimum locum Dem. praeteriisse miror.

IV 15, 3 οὓς μὲν εὗρεν ἀκρίτΩς ἀπέκτεινεν. Imo ἀκρίτΟΤς.

Digitized by Google

IV 16, 1 *ἐκδαπανῆσαι τὰ τῷ δημοσίῳ Φυλαττόμενα χρήματα.* L. *τἀν.* Eadem lineola omissa syntaxin Zosimo cum bonis scriptoribus communem perdidit IV 20, 1 *ἡνίκα* (l. *ἡνίκ' ἂν*) — *ἀφικώμεθα.* Quod autem legitur IV 21, 3 *ἡνίκα ἂν πλῆθος ἐτιὸν ἴδοιεν* pro *ἡνίκα* fortasse ipsius scriptoris error est, ut saepe Byzantini *ὅταν* et *ὁπόταν* ponunt sensu iterativo pro *ὅτε* et *ὁπότε.* Infra cap. 31, 1 est *ὁπηνίκα ἂν αὐτοῖς δοκοίη.* V 18, 10 *ἐπειδὰν ἴδοιεν* al.

IV 34, 3 et III 15, 2 recte a Bekkero insertum videri *δεῖν* iam contra M. monui nuper in *Symbolis Crit. ad Xenophontis Historiam Graecam* (Trai. ad Rh. 1888. ap. Beyers), pag. ultima.

IV 35, 2 *Ἀλανούς τινας αὐτομόλους (Θεοδόσιος) δεξάμενος καὶ στρατιαῖς ἐγκαταλέξας δωρεαῖς τε ἀδραῖς ἐτίμα καὶ θαρρεῖν ἠξίου τὰ πάντων ἀναγκαιότατα, στρατιωτῶν λόγον ὀλίγον ποιούμενος.* An *ἀνοσιώτατα*?

IV 36, 4 *τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπείς κτέ.* Num recte habet pro *<ἀπο>τραπείς*? Similiter cap. 38, 3 *οἳ δὲ ὑπὲρ τοῦ δοθῆναι τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν μετὰ τοῦ στρατεύματος ἀδρὸν ἀπήτουν μισθόν* non concoquo pro *<προ>δοθῆναι.* Cave vero cap. 42, 3 *ἐτίθετο ταῖς αἰτήσεσι Μάξιμος δεῖσθαι τούτου καὶ αὐτὸς ὅτι μάλιστα ποιούμενος* aliquid mutes; passim enim *τίθεσθαι* et *ποιεῖσθαι* Zosimus et Byzantini usurpant pro verbis compositis *προστίθεσθαι* et *προσποιεῖσθαι*, *comprobare* et *simulare.*

IV 43, 1 *δέος εἰσῄει τοὺς ἀμφ' αὐτὸν μὴ καὶ ζωγρίαν ἑλὼν ὁ Μάξιμος* (sc. *αὐτοὺς*) *διαχρήσηται.* Veteres *ζωγρίᾳ ἑλεῖν τινά* dicunt, Zosimus *ζωγρίαν τινὰ* et *ζωγρίας τινάς*, itaque hic l. *ζωγρίας.* Mox § 2 *ὃ δὲ καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν ἀκοὴν ἐκπλαγεὶς λήθην μέν τινα τῆς ἄγαν ἐποιεῖτο τρυφῆς καὶ τῇ περὶ τὰς ἡδονὰς ἐνεδίδου μανίᾳ, βουλῆς δὲ προτεθείσης ἔδόκει τὴν Θεσσαλονίκην αὐτὸν ἅμα τισὶ τῶν ἀπὸ τῆς γερουσίας καταλαβεῖν.* Aperte dici debet Theodosius, etsi nuntio perterritus, NON tamen nimiae (suae) luxuriae oblitus esse, et voluptatum indulsisse furori. Quare legendum *λήθην μὲν <οὔ* vel *οὐδ' ὡς> τινα τῆς ἄγαν ἐποιεῖτο τρυφῆς κτέ.*

IV 48 extr. l. *τοὺς μὲν <ἐν> τοῖς ἕλεσι κρυπτομένους ἐξάγων.* Nihil enim moveor iis locis, quos supra similiter corrigendos esse monui.

IV 52 extr. Iniuria editor improbare mihi videtur evidentem

Digitized by Google

Reitemeieri correctionem ὃ δὲ (scil. ὃν ἔστελλεν ὁ βασιλεὺς ἀνακαλεσόμενον ἐκ τοῦ τραχήλου τὸ ξίφος) — σχολαίτερον ἀπιών, <οὐκ> ἔφθασεν ἤδη πεσοῦσαν τὴν κεφαλήν. Quid quaeso haec significabunt omissa negatione?

V 7, 6 καὶ ὁ μὲν ἀφῄρητο τῆς δεξιᾶς, ὁ δὲ τὴν ἑτέραν ἔκοπτεν κτἑ. Imo καὶ ὁ μὲν ἀφῃρεῖτο (sc. Ῥουφῖνον) τῆς δεξιᾶς κτἑ.

V 19, 6 τῆς οὕτω μεγίστης ἐγχειρήσεως. Byzantinismus pro οὕτω μεγάλης.

V 23, 5 οὗτοι δὲ τὰς ἐκκλησίας ἀπολαβόντες. Cum in praegressis et sequentibus de una tantum aede sacra sermo fiat, corrigendum τὴν ἐκκλησίαν.

V 24, 1 καὶ παρεδίδοντο τοῖς ἡτηκόσιν οἱ κλῆροι παίδων ἑστώτων καὶ τοὺς πατέρας μετὰ οἰμωγῆς ἀνακαλουμένων. Melius intellegam παίδων ζώντων.

V 31, 2 ὥστε δάκρυα πάντας ἀφιέντας εἰς ἔλεον τὸν στρατηγὸν ἐπισπάσασθαι, καὶ <τοῦτον insere> ὑποσχέσθαι τὴν τοῦ βασιλέως εὐμένειαν.

V 32, 3 περὶ δὲ Στιλίχωνος οὐδενὸς κινηθέντος ἐφαίνετο νεύων τοῖς στρατιώταις Ὀλύμπιος κτἑ. Num οὐδενὸς <λόγου> κινηθέντος?

V 38, 3 ἐκ τῶν ἘστιαΚῶν περιλελειμμένη παρθένων. Nonne ἘστιάΔων? Mox § 4 requiro ἡ δὲ ἀπιοῦσα — ἡράσατο pro κατιοῦσα et προμηνῦον pro προμηνύον.

V 44, 2 extr. καὶ τούτους γὰρ Ὀλύμπιος — παρέδωκεν — καὶ αἰκισμοῦ παντὸς εἶδει τὸ σῶμα ξανθέντες κτἑ. Bekkerum conicientem παντὶ εἴδει hiatum redarguere monet M. Nec tamen παντὸς ullo modo ferri potest. Conieci αἰκισμῷ παντοειδεῖ. Recte 46, 2 πᾶν ἀρετῆς εἶδος.

V 46, 1 πολὺν δὲ ποιούμενος λόγον τοῦ μὴ λαθεῖν τι τῶν εἰς τὸ ταμιεῖον ἐλθόντων. Ad sensum recte M. ἀνηκόντων. Num forte volgata contracta est ex ἐλθ<εῖν προσηκ>όντων?

V 50, 2 ἐπισκόπους ἐξέπεμπε πρεσβευσομένους ἅμα καὶ παραινοῦντας. L. παραινέσοντας.

VI 6, 1 κατὰ κράτους — αἱρεῖν. Ne in Zosimo quidem fero κατὰ κράτους dictum pro κατὰ κράτος.

Digitized by Google

Tentatur Homeri locus Il. A 272.

Nestor, ubi in gratiam reducere conatur Agamemnonem cum Achille, sic loquitur inde a v. 259:

ἀλλὰ πίθεσθ' · ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο.
ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέ περ ὑμῖν
ἀνδράσιν ὡμίλησα, καὶ οὔποτέ μ' οἵ γ' ἀθέριζον.
οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας οὐδὲ ἴδωμαι,
οἷον Πειρίθοόν τε Δρύαντά τε ποιμένα λαῶν
Καινέα τ' Ἐξάδιόν τε καὶ ἀντίθεον Πολύφημον.
κάρτιστοι μὲν ἔσαν καὶ καρτίστοισι μάχοντο,
Φηρσὶν ὀρεσκώοισι, καὶ ἐκπάγλως ἀπόλεσσαν.
καὶ μὲν τοῖσιν ἐγὼ μεθομίλεον ἐκ Πύλου ἐλθών,
τηλόθεν ἐξ ἀπίης γαίης · καλέσαντο γὰρ αὐτοί ·
καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτὸν ἐγώ · κείνοισι δ' ἂν οὔτις
τῶν οἳ νυν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι μαχέοιτο.
καὶ μέν μευ βουλέων ξύνιεν πείθοντό τε μύθῳ.
ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

Numquam hunc locum, ut hodie scribitur, intellegere potui, nam manifeste prava est necessitudo inter verba καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτὸν ἐγώ et κείνοισι δ' ἂν οὔτις — μαχέοιτο. Nihil enim ad rem, si nemo eorum qui postea vivebant contra Lapithas pugnare potuisset, sed aperte significanda poetae causa erat, cur Nestor se suo modo, ea ratione quae ab illo exspectari poterat (κατ' ἔμ' αὐτόν) pugnasse dixerit, quae causa nulla alia, ut arbitror, esse poterat quam haec *quod summam illorum virtutem aequiparare non poterat* nec ipse nec quisquam eorum qui bello Troiano interfuerunt. Accedit quod vitiosa forma μαχέοιτο hic olim turbatum esse indicio est. Ne multa: antiquitus scriptum fuisse suspicor:

κείνοισι δ' ἂν οὔ τις
τῶν οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ τῖσα μάχοιτο.

His scriptis, video iam Leeuwenium in editione sua annotasse: „μαχέοιτο vitiose pro μάχοιτο. Varia tentari possunt; e. g. ἐπὶ χθονὶ ἄντα μάχοιτο, vid. T 163." Itaque de corrigendo ἐπὶ χθονὶ et μάχοιτο inter nos convenit, sed num ἄντα huius loci rationi satisfaciat dubitaverim. Ad Ἴσα *pari modo* cf. Ἰσατίειν.

v. H.

Digitized by Google

NUCULAE.

APPOSUIT

S. A. NABER.

Biennium est ex quo Allardus Piersonus, postquam me in operis societatem adscivit, in *Verisimilibus* exposuit, quomodo Paulinas Epistulas censeret esse interpretandas. Ex lectione saepius repetita, quam abhinc annos decem instituimus, quo fere tempore Piersonus Amstelodamum rediit in urbem natalem, id quidem nobis constare videbatur frustra interpretes hucusque desudavisse, ut obscuras Apostoli sententias utcumque explicarent atque hinc tantum non inviti eo delapsi sumus, ut quaereremus, num forte trita via relicta per vepres et invias cautes investigari posset callis, qui tandem eo duceret quo omnes tenderent. Sumus suspicati in epistulis quas pertractavimus, haud pauca latere fragmenta, quae Iudaeus olim in Iudaeorum gratiam conscripsisset quaeque postea a Christiano viro fuissent retractata, quem ut brevitati simul et perspicuitati consuleremus, Paulum Episcopum appellare consuevimus. Deinde, uti fit, multi de nostris communibus studiis pronunciarunt, quid sibi videretur, sed solo fortasse Lomanno excepto, qui eodem fere tempore instituerat quaerere essentne *externa* argumenta, quibus demonstrari posset genuinam esse Pauli quae fertur, Epistulam ad Galatas, quantum comperimus nemo fuit in his quidem terris cui nostram coniecturam aliquatenus probare potuerimus, quum omnes contenderent periculosam esse rationem, ad quam propemodum desperatione adacti essemus, sed simul aut callide dis-

Digitized by Google

simularent aut sponte obliviscerentur, se non magis expedire posse, quae acutissimos interpretes iamdudum frustra torsissent. Itaque mutato consilio, ut hoc tamen persuadeam vulgaribus remediis et minutis correctiunculis nihil profici, continebo me intra unam Epistulam, quae ad Galatas data fuit, et nihil enotabo praeter ea quae mihi mira et inexplicabilia visa sunt. Interpretes quae intelligunt, in clara luce ponere solent et quae minus assequuntur, relinquunt in umbra: equidem nunc plane contra faciam. Ac scio quidem in nonnullis eorum quae subscripta sunt, explicationes olim tentatas esse et hodie quoque colorem quaeri iis, quae primo obtutu nostras artes eludunt, sed quemadmodum sagittarum fasciculus robusto viro renitetur, quum singulas confringere expeditum sit, etiamsi non satis sit virium in *singulis* quae obmovebo, tamen uti spero lectores concedent, non multum relinqui praesidii in contortis interpretationibus, si *universa* consideraverint, quae nunc sub uno conspectu collocabuntur. Nuculas equidem praebebo; nucifrangibulum praebeto qui poterit [1]).

I. Minime assequor, quibus lectoribus Paulus Epistulas suas destinaverit. In Evangeliis tenemus auditores, qui simplicissimas Iesu parabolas vix intelligunt; discipuli ipsi interdum incredibilem in modum caecutiunt, veluti Matth. XVI, 7. Etiamsi lubenter concedam in ea re Evangelistarum fuisse quandam exaggerationem, vide tamen Paulum, ut solus quantum novimus inter omnes, vix viginti annis post Iesu discessum de abstrusis et spinosis quaestionibus disputet, nec tantum coram discipulis suis, nam viva voce fortasse explanare potuit quae minus recte accepta fuerant etiam ab iis, qui magistrum aliquamdiu audierant, sed ut epistulas scribat obscuras et δυσνοήτους ad eos quibuscum per brevissimum tempus una fuerat. Secundum Holtzmannum *Introd.* p. 96 *tritt in jedem Briefe uns eine Schwergeburt, ein Produkt langen und angestrengten Nachdenkens entgegen:* itaque ne compendia quidem sunt eorum quae

1) Steckius editurus est librum de Epistula ad Galatas, cuius folia a prelo madida deinceps Lomanno misit, qui deinde mihi quoque legenda dedit. Equidem Steckii doctrinam et acumen ingenue miratus sum, sed quum opusculum meum iam absolutum esset, non nisi in addendis hic illic respicere potui.

Digitized by Google

Apostolus olim, quum praesens adesset, docuerat. Deinde affirmat Reussius alicubi de contionibus in Actis Apostolorum partim quidem nihil in iis reperiri praeter locos quosdam communes, sed hoc quoque fieri naturae et temporibus convenienter; similiter Bleekius *Introd.* p. 411: *gewiss können wir voraussetzen, dass wir sie* (nimirum contiones in Actis) *nach ihrem wesentlichen Inhalte und Gedankengange besitzen. Dafür spricht auch die Angemessenheit einer jeden derselben in ihrer Art und nach den Umständen:* per me licet, sed qui de illis contionibus pronunciat, eas referre modum, quo veteres Apostoli concionarentur, idem debebit negare Paulum, dum Epistulas conscriberet, sapienti consilio usum esse. Ecquis serio credat Galatas, sive ex Judaeis, sive ex Gentilibus Christiani fuerint, vel minimam partem intelligere potuisse eorum quae non hodie tantum interpretibus negotium facessunt, sed etiam antiquitus δυσνόητα erant, sicuti scribitur in altera Petri Epistula? Audi Holtzmannum *Introd.* p. 133: *Daher schon in den Paulusbriefen eine mit Mitteln rabbinistischer Dialektik und Schriftgelehrsamkeit auferbaute Gnosis vom Sohne Gottes, der nach dem Fleisch am Kreuze als Sühnopfer stirbt, um nach dem Geiste zum Abbilde der Herrlichkeit Gottes in verklärter Menschengestalt aufzuleben und die Herrschaft über eine aus allen Völkern gesammelte Gemeinde anzutreten.* Ita est: ante Trajani tempora Ecclesia οὕτω ἔφθαρτο ἀκοαῖς ματαίαις, ut scribit Hegesippus apud Eusebium Histor. Eccl. III 22. 7, nec tamen minus in Pauli Epistulis iam cernimus vestigia primitivae cuiusdam γνώσεως, qua de re Hilgenfeldus satisfaciet *Introd.* p. 653. Video quoque in Actis Festum laudare Pauli doctrinam, neque eam demiror in homine Cilice, nam Strabo IV. 10. 13 urbem Tarsum celebrat propter σπουδὴν πρός τε φιλοσοφίαν καὶ τὴν ἄλλην παιδείαν ἐγκύκλιον. Sed sit eius dialectica Rabbinica, ut ait Holtzmannus, et longe remota ab logices Aristotelicae praeceptis: quid attinebat scribere, quod de plebe lectores non poterant suo pretio aestimare? Illud certe omnium minime mirandum, Epistularum illarum per centum annos in prisca Ecclesia vix tenuia vestigia reperiri, qua de re Lomannus egit. Sed peculiare argumentum est ad quod recurrit Ferd. Christ. Baurus in libro *de Paulo* p. 276, ut fidem tueatur quatuor Epistularum priorum: *Sie tragen den Character paulinischer*

Digitized by Google

Originalität so unwidersprechlich an sich, dass sich gar nicht denken lässt, welches Recht je der kritische Zweifel gegen sie geltend machen könnte. Incurrit in oculos quam infirmum hoc argmentum sit: quaeritur utrum Epistula ad Galatas conscripta sit circa annum 50 an centum annis post: litem ut dirimat, Baurus respondet scriptorem ubique suum esse; verum quid hoc ad rem? Ut reliqua taceam, nonne etiam altero saeculo post Christum natum scriptor quicunque is fuit, suus esse potuit [1])?

II. Nonne mirum est Paulum ad scribendum animum appulisse, quo tempore, uti asseverat ipse, omnis πίστις esset ἐξ ἀκοῆς? Audi modo Rom. X 14: πῶς οὖν ἐπικαλέσωνται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσωσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσωσιν ἄνευ κηρύσσοντος; πῶς δὲ κηρύξωσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν; itemque Gal. III 2, 1 Cor. XV 1, 1 Thess. II 11, 2 Thess. II 5 provocat ad ea quae dixit, non ad ea quae scripsit. In Ecclesia scriptura sero demum caput exseruit, nec certe ante Hierosolyma expugnata, neque aliter hoc potuit fieri, quum constet de plebe homines illitteratos fuisse, qui primum sese Christo addixerint. Disertum testimonium est 1 Corinth. I 26: (ὑμεῖς) οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοί, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς· ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ θεός. Admirabile est videre, quomodo viri docti hoc optime norint, simulque cum meminisse oporteat, obliviscantur. Veluti scribit Reussius *Introd.* p. 404: *Die schnelle Verbreitung des Christenthums in dem Jahrhundert seiner Entstehung war lediglich das Werk der apostolischen Predigt und der Begeisterung welche dieselbe bei dem am Glauben verarmten und nach geistiger Nahrung verlangenden Volke erregen musste. Schrift und Bücher hatten keinen Antheil an dieser erstaunlichsten aller Eroberungen. Die Unterrichtsweise der christlichen Glaubensboten machten dieselben überflüssig und vermöge ihrer Beschaffenheit und nächsten Bestimmung konnten sie nur da von Nutzen sein, wo die neuen Ideen schon Wurzel gefasst hatten.* Haec si probabuntur, quaero quem usum Paulinae Epistulae habere potuerint: si respondebitur Apostolum scripsisse ad Ecclesias a se ipso recens conditas, Paulina dogmatica iam

1) cf. Steckius p. 352.

Digitized by Google

imbutas, reponam eum vix unum mensem Thessalonicae fuisse, antequam Epistulam eo mitteret, quod sane parum est ipso Holtzmanno iudice p. 233; deinde videmus compositam fuisse ad Romanos Epistulam, antequam Aeternam Urbem adiisset. Quin et Clemens Alexandr. Strom. I p. 323 Pott., qui Pauli Epistulas diligenter lectitavit saepissimeque exscribit, provocat tamen ad veterum doctrinam quasi per manus traditam; verba eius haec sunt: *ἀλλ' οἱ μὲν τὴν ἀληθῆ τῆς μακαρίας σώζοντες διδασκαλίας παράδοσιν εὐθὺς ἀπὸ Πέτρου τε καὶ Ἰακώβου, Ἰωάννου τε καὶ Παύλου τῶν ἁγίων ἀποστόλων, παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος, ὀλίγοι δὲ οἱ πατράσιν ὅμοιοι.* Non nova et inaudita haec sunt, sed quae multi saepe inculcarunt et inter nostrates Koetsveldus, cuius solidam doctrinam et egregias animi ingeniique dotes multi suspiciunt, sed vix quisquam tantum quantum oportet. *Niet de Schrift*, inquit, *als een geschreven en afgesloten wetboek voor de Christelijke Kerk, was haar eerste grondslag, maar de mondelinge traditie, de Apostolische overlevering.* Inter Galatas autem, ut illuc redeam, paucissimos fuisse confido philosophice tinctos: si quid norant, norant vetus Testamentum, quod in Synagogis praelegebatur; sed fac recitatam fuisse Pauli Epistulam, sicuti verosimiliter factum est propter Coloss. IV 16; fac saepius fuisse recitatam: quotusquisque intellexisset quod ne nos quidem commode intelligimus, quibus Alexandrina philosophia haud parum melius nota est, quam illitteratis hominibus, philosophiae et dialectices involucrorum et integumentorum expertibus? Hic dignus est qui laudetur Eusebius Hist. Eccl. III 24, ubi Apostoli dicuntur *σπουδῆς τῆς περὶ τὸ λογογραφεῖν μικρὰν ποιήσασθαι φροντίδα* ipseque Paulus *οὐ πλέον τῶν βραχυτάτων ἐπιστολῶν γραφῇ παραδοῦναι*, quod Eusebius addidit, quum illa aetate Epistulae iamdudum in canonem essent receptae; sed magis etiam me advertit quod de se ipso praedicat Papias apud eundem III 39: *οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.* Aliquanto convenientius foret, si Paulus de doctrina sua scripsisset ad amicos pietate conspicuos, quorum magna esset in dissitis Ecclesiis auctoritas, quemadmodum Epistulae circumferuntur ad Titum et ad Timotheum: cf. 2 Tim. II 2: *ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες*

Digitized by Google

ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι. Miseret me homuncionum qui lacte debuerant nutriri, quibus fere nihil praebetur praeter arida quaedam θεολογούμενα de circumcisione. Quod in Actis videmus, multae erant mulierculae quae Paulum expetebant audire et constat longe maiorem numerum fuisse τῶν ἰουδαϊζουσῶν inter Gentiles quam τῶν ἰουδαϊζόντων· istas tale argumentum mediocriter allicere debuit. De quatuor Epistulis praecipuis scribit Holtzmannus p. 98 visas eas esse *der neueren Kritik als das feste Land, von welchem aussichtsvolle Entdeckungsreisen zu unternehmen, als die Operationsbasis, auf welcher weitreichende Combinationen aufzubauen sind.* Apparet ὁρμητήριον illud haud satis tutum esse ab hostium incursionibus.

III. Nunc Reussium conferamus *Introd.* p. 268: *So lange der christliche Unterricht wesentlich auf dem Wege der mündlichen Ueberlieferung ertheilt wurde, d. h. bis in die Mitte des zweiten Jahrhunderts, gab es in den Gemeinden keine regelmässigen Vorlesungen als etwa die aus dem alten Testament. Die Briefe, welche einzelne Gemeinden von Aposteln erhalten hatten, scheinen als zunächst für Bedürfnisse des Augenblicks berechnet, nach der öffentlichen Lesung beim Empfange, nicht wieder in bestimmten Zwischenräumen vorgenommen worden zu sein.* Haec omnia video aliunde idoneis argumentis comprobari; verum si quidem haec vere observata sunt, cur Paulus quum suarum rerum satageret, in occupatissima vita duxit operae pretium, uti ait Holtzmannus, laboriose parturire theologicas disquisitiones, quas nemo admodum requireret? Quodsi autem scripsit, quis curavit ut per centum annos neglectae tamen servarentur?

IV. Quoniam primis temporibus inter Christianos rarum erat literarum commercium, erant delecti viri ad id constituti, qui Ecclesias deinceps inspicerent et emendarent si quid fuisset peccatum et constitutiones sive novas ordinarent, sive veteres auctoritate sua confirmarent. Ἀπόστολοι dicuntur Rom. XVI 7. Sic Act. VIII. 14 mittuntur Petrus et Iohannes Samariam. Act. IX 32 Petrus διέρχεται διὰ πάντων venitque Lydda. Act. XI 22 mittitur Barnabas Antiochiam. Act. XV 25 non satisfacit Apostolorum epistula, sed una cum Barnaba et Paulo mittunt Iustum et Silam

Digitized by Google

διὰ λόγου ἀπαγγελοῦντας τὰ αὐτά· adeo literis non confidunt. Act. XV 35 vult Paulus ἐπισκέψασθαι τοὺς ἀδελφοὺς κατὰ πόλιν πᾶσαν ἐν αἷς κατήγγειλε τὸν λόγον τοῦ κυρίου, πῶς ἔχουσιν. Act. XV 41 idem Paulus peragrat Syriam et Ciliciam ἐπιστηρίζων τὰς ἐκκλησίας itidemque Galatiam et Phrygiam Act. XVIII 23. Secundum 1 Cor. IV 17 Paulus Timotheum ad Corinthios mittet, ὃς ὑμᾶς ἀναμνήσει τὰς ὁδούς μου ἐν χριστῷ, καθὼς πανταχοῦ ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ διδάσκω. In altera Epistula ad Corinthios videmus idem munus Tito fuisse mandatum, in Ep. ad Philipp. II 19 Timotheo; Ioanni autem Marco et Iesu Iusto Coloss. IV 10; Timotheo denique 1 Thess. III 2. Adde praeterea 2 Tim. IV 10 et Tit. IV 12: viva voce, uti vides, utuntur et literis ultro citroque missis parum tribuitur.

V. Quamquam Paulus in Epistulis longissime absit ab Attica elegantia, tamen haud temere mihi affirmare posse videor, multo eum purius scripsisse quam potuisset exspectari. Commode Graece loquebatur et commode Graece scribebat multoque commodius quam ferebat vitiosissima aequalium loquela. Sunt tamen qui demonstrent ei „luctandum" fuisse cum Graeci sermonis aspritudine et inopia: etiamne post Alexandrinos philosophos πλατωνίζοντας? Artis vocabula, qualia sunt δόξα vel εἰρήνη, habeant Hebraicum colorem: morosus censor sit oportet qui hoc improbet vel fastidiat. Equidem currentem calamum et nimis festinantem saepe animadverto: numquam autem hominem eluctantium verborum. Lecta Apocalypsi si te converteris ad Paulinas Epistulas, coelum te mutavisse credideris et doctum virum agnosces in philosophorum scholis eruditum neque ab rhetorices studiis alienum. Sunt quae displiceant: saepe nimis concise argumentatur ita ut demonstrationis ratio non nisi aegre appareat. Quod Reussius vere autumat, dum exhortatur, dum exaggerat, dum exclamat, dum rogitat, dum lectores denique potenter allicit et devincit, pullulant ἀνακόλουθα, ἐλλείψεις, παρενθέσεις, cetera id genus et allegoriae variaeque praeterea orationis figurae crebrius occurrunt quam velles. Dum manus scribendo lassatur, mens cogitationum undecumque irrumpentium numero propemodum obruitur: haec omnia concedo itidemque quae in eandem sententiam Holtzmannus scripsit p. 231; nec tamen minus qui has Epistulas scripsit, quisquis scripsit,

Digitized by Google

is Graecam linguam, quantumvis a pristina puritate descivisset, in domo paterna quotidie audierat et in schola fuerat doctus. Errant qui credunt Paulo arduum opus fuisse animum applicare ad Graecam scriptionem: ipse secum cogitabundus et mussitans Graece loquebatur et si quid in his Epistulis deest ad perfectionem, non erit hoc repetendum ab sermonis ignoratione. Quo quis Graece melius novit, eo rectius eam rem aestimare poterit, Scripserit Paulus per me licet, obscure nimis et in demonstrationibus argumentorum ordo et nexus imperfecti sint: at multo imperfectius scripturus fuisset, si Hebraice vel Aramaice collibuisset scribere. Totum hoc cuiusmodi sit, a peritis iudicibus potest sentiri: imperiti de ea re non habent testimonii dictionem.

VI. Cui scriptori illas Epistulas debemus, is scripsit post alios habuitque exempla ad quae se componeret. Sentire hoc possum: non possum demonstrare: dum lego, tractare mihi videor nummos longo hominum usu detritos, ut neque capita neque navia appareant. Ipsa saepe verborum copia facit ut aures tinniant, non tantum in Epistula ad Ephesios. Ne sit oratio eleganter calamistrata, sed calamistrata est, non qualem natura mortales docuit. Eadem recurrunt et ad satietatem usque recurrunt et iterantur; nam verborum sonus implet aures, sed consuetudo fecerat, ut talia incogitanter pronunciarentur et audirentur. Perierat sine vestigio priorum hominum simplicitas et non fucata severitas, et si quis haec scripta fuisse contendet Paulo Apostolo, quem ex Actis quodammodo novimus, iamdudum mortuo, quum Ecclesia Christiana coepisset caput efferre, ἐκὼν ἀεκόντι γε θυμῷ sententiam sequar, cui frustra obnitor, nam magna est veritas et praevalebit.

VII. Hic recte fortasse responderi poterit multa olim simplicius enunciata fuisse, sed retractationibus amplificata, quum longe plura adscriberentur quam resecarentur idque verosimillimum poterit videri, postquam Manenius nuper commendavit Marcioniticam, id est multo simpliciorem recensionem Epistulae ad Galatas. Verum alia multa restant, quae numquam Paulo tribui debuerant. Ante reliqua omnia eo refero exaggerationes et obtestationes et dejerationes, quae modum longe excedunt.

Digitized by Google

Ecce. Rom. I 7: *μάρτυς γάρ μου ἐστιν ὁ θεὸς ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὡς ἀδιαλείπτως μνείαν ὑμῶν ποιοῦμαι πάντοτε ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου δεόμενος.* Itane *ἀδιαλείπτως* ad Romanos quos numquam viderat? Pariter Rom. IX 1: *ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεως μου ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ὅτι λύπη μοι ἐστι μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη ἐν τῇ καρδίᾳ μου.* Deinde vide ut Apostolus vehementer protestando nimis se efferat 1 Cor. IV 9: *δοκῶ γάρ, ὁ θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν, ὡς ἐπιθανατίους, ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις* (An *γέλως τοῖς ἀνθρ.*?). *ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστόν, ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ· ἡμεῖς ἀσθενεῖς, ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί· ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. ἄχρι τῆς ἄρτι ὥρας καὶ πεινῶμεν καὶ διψῶμεν καὶ γυμνητεύομεν καὶ κολαφιζόμεθα καὶ ἀστατοῦμεν καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσίν, λοιδορούμενοι εὐλογοῦμεν, διωκόμενοι ἀνεχόμεθα, βλασφημούμενοι παρακαλοῦμεν, ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι.* Mox 1 Cor. XI 2: *μιμηταί μου γίνεσθε, καθὼς κἀγὼ Χριστοῦ.* Patres Dordraceni interpretantur nos Ecclesiae doctores debere sequi et imitari, quatenus illi Christum sequantur et imitentur; quod si probabitur, fuisset multo simplicius scribere: *μιμηταὶ γίνεσθε Χριστοῦ*, nec sui mentionem facere. Et 2 Cor. XI 10: *ἔστιν ἀλήθεια Χριστοῦ ἐν ἐμοὶ ὅτι ἡ καύχησις αὕτη οὐ φραγήσεται εἰς ἐμέ.* Et Philipp. I 8: *μάρτυς γάρ μου ὁ θεὸς ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Χριστοῦ Ἰησοῦ.* Et 1 Thess. II 18: *ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς ἐγὼ μὲν Παῦλος καὶ ἅπαξ καὶ δίς, καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ σατανᾶς.* Et 2 Cor. I 23: *ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν, ὅτι φειδόμενος ὑμῶν οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον.* Et Galat. I 20: *ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ὅτι οὐ ψεύδομαι.* Et 1 Thess. V 27: *ἐνορκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς.* Et quam immodice de vitae periculis quae adiit 2 Cor. XI 23 sqq.! Et 1 Thess. I 6: *ὑμεῖς μιμηταὶ ἡμῶν ἐγενήθητε καὶ τοῦ κυρίου.* Et quae propemodum mihi sacrilega vox videtur Gal. IV 14: *ὡς ἄγγελον θεοῦ ἐδέξασθέ με, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν.* Itemque nimis adulatorie 1 Thess. IV 9: *αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους* similiterque in altera Epistula init. Contra quam severe 1 Tim. I 20: *οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ, ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν,*

Digitized by Google

nec video quomodo quis ad bonam frugem se recipere possit in schola Satanae. Et 2 Tim. IV 14: *Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο· ἀποδώσει αὐτῷ ὁ κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ.* Quotusquisque ad tam enormes sententias inter legendum attendit! Miratur Straatmannus *de Paulo* p. 256 Apostoli orationem in Actis XX 18 sqq. totam esse compositam ad defensionem sui, sed quam solet in Epistulis idem omnem lapidem movere ut culpam a se avertat. Solebat autem audentius scribere quam loqui: 2 Cor. X 10: *αἱ ἐπιστολαὶ μέν, φασι, βαρεῖαι καὶ ἰσχυραί· ἡ δὲ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενὴς καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος.*

VIII. *Ὁδοῦ πάρεργον*, quamquam res ad praesens argumentum nihil pertineat, iuvat laudare Rom. I 23: *ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου θεοῦ ἐν ὁμοιώματι φθαρτοῦ ἀνθρώπου καὶ* ΠΕΤΕΙΝΩΝ *καὶ* ΤΕΤΡΑΠΟΔΩΝ *καὶ* ΕΡΠΕΤΩΝ. Extra Aegyptum vix quisquam in eam cogitationem incidisset [1]). Itidem, quod statim sequitur: *αἱ θήλειαι μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν· ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἄρσενες*, cur primum dicit Apostolus de feminis et deinde de maribus? Exspectas contrarium, sed propter Herodotum II 46 in Aegypto etiam ante mares feminae notari potuerunt. Deinde quod legitur noto loco 1 Corinth. XV 6: *ἐξ ὧν οἱ πλείονες μένουσιν ἕως ἄρτι*, non amplius verum esse poterat quo tempore Paulus scripsit, nam spatium indicatur vix duodecim tredecimve annorum post Iesu resurrectionem, neque assequor quomodo Paulus rem resciscere potuerit.

IX. Si Paulus ille, cui Epistulas debemus, primus ac fere solus tam multas in Asia et in Europa ecclesias condidit totque mortalium millia ad Christi fidem adegit, neque Acta nos dubitare sinunt quin Paulus revera doctrinam suam Romam usque propagarit, qui factum est ut mox auctoritas eius et nomen in iisdem illis Ecclesiis fere evanesceret alioque fundamento, exactis Marcionitis, catholica Ecclesia superstructa sit? Veluti quomodo pseudo-Clementinae in Graecia et in Italia legi, probari, recipi, retractari potuerunt, si tamen omnes fere Ecclesiae ad eam normam fidei institutae essent, quam ex Epistulis cognovimus? Quod omnes tam cupide amplexi fuerant, id quo-

1) Vide tamen Steckium p. 251.

Digitized by Google

modo tam cito ac fere sine vestigio periit? Deinde quod iamdudum perierat, id quomodo tanquam ex Orco revocatum, mox luci redditum et recuperatum fuit? Aliquanto facilius haec omnia interpretaberis, si Paulus revera propius afuerit ab ea imagine, quam Lucae debemus. Dixeris Epistulas ortas esse in Cerdonis vel Marcionitarum scholis, sed retractatas fuisse ab Catholicis atque sic tantum non ab invitis fuisse receptas. Manenius certe, postquam alterum ostendit in *Ephem. Theol.* 1887 p. 382 sqq., quantum iudicare possum, velit nolit aliquando etiam alterum probabit et in nostra Lomannique [1]) castra concedet.

X. Explicavi olim in *Mnem.* 1885 p. 273 sqq., cur crederem revera Iosephum Iesu fecisse mentionem; videlicet genuinam narrationem resectam fuisse ut interpolaretur spurium de Iesu testimonium, quod hodie in omnibus libris legitur. Praeterea tunc frustra quaesivi probabilem causam, cur Iosephus historiae suae inseruisset amores Decii Mundi et Paulinae: doleo memoria excidisse nomen acutissimi viri, qui ingeniose respondit, verosimiliter olim apud Iosephum aliquid praecessisse de Maria et Panthero, quod Christiani lectores, uti aequum est, abominati sunt et eraserunt. Sed utcumque ea de re existimabitur, si circa ea tempora quibus Hierosolyma capta fuerunt, talis fuisset Ecclesiae conditio, qualis efficitur fuisse ex Pauli Epistulis, minime intelligo quomodo Iosephus tanti momenti rem potuerit negligere, nec video quomodo conclusionem fugiamus, quo tempore scriberet, etiamtum Christianos Mosaicam legem sanctissime observasse, ut Iudaeorum secta posset haberi, sed de severioribus. Ex Apostolis unus habebat cognomentum τοῦ ζηλωτοῦ et Hierosolymis Christiani omnes sunt ζηλωταὶ τοῦ νόμου, Act. XXI 20. Quaerendi videntur Christiani inter ἐκείνους τοὺς ζηλωτάς, de quibus quod calumniatur Iosephus, si quis alius mendax in historia, non unius assis faciendum est. Suspicor sub Hadriano demum tempore belli Barcochbani Christianos sese ab Iudaeis segregasse. Apparet certe diu eos improbavisse esum τῶν εἰδωλοθύτων, vide modo Apocal. II 14 et συναγωγὴν

1) Adde quae Michelsenius disputavit in *Ephem. Theol.* 1878 p. 431.

Digitized by Google

τοῦ σατανᾶ appellavisse conciliabula τῶν τὸν κοινὸν βίον προημμένων. Sequitur aliquanto serius in concilio Hierosolymitano decretum fuisse quod in Actis legimus, necdum scribere potuit Paulus de Mosis lege eo stilo, quo eum usum esse credunt.

XI. Sicuti Iudaei haud pauci erant, qui τὸν κοινὸν βίον προήρηντο et originem suam dissimulabant ne imposita genti tributa penderent, sic ab altera parte per totum orbem terrarum magnus erat dispersus numerus προσηλύτων iudaizantium. De προσηλύτων illorum conditione, quoniam mihi ad Rabbinica scripta aditus praeclusus est, sedulo conquisivi quid hisce potissimum temporibus ad plenam rei intelligentiam viri docti contulerint; sed mihi sunt manentque multa obscura, imprimis quod attinet ad concessum vetitumve usum carnis suillae. Scribit Flavius Iosephus c. Apion. II 39: οὐ μὴν ἀλλὰ πλήθεσιν ἤδη πολὺς ζῆλος γέγονεν ἐκ μακροῦ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας· οὐδ' ἔστιν οὐ πόλις Ἑλλήνων οὐδητισοῦν οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα τὸ τῆς ἑβδομάδος ἦν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκε· καὶ αἱ νηστεῖαι καὶ λύχνων ἀνακαύσεις καὶ πολλὰ τῶν εἰς βρῶσιν ἡμῖν οὐ νενομισμένων παρατετήρηται. Quod scribit Horatius Sat. I. 4. 143:

Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi, nam multo plures sumus, ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.,

luculenter indicat summo opere enisos fuisse Iudaeos, ut Gentiles ad suam persuasionem pertraherent idque confirmatur Matthaei testimonio XXIII 15: οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον. Partim circumsecti erant, partim non erant: illi iustitiae, hi portarum *postea* appellitati sunt. Primum opinor mulierculae quippe ad superstitionem proniores, sese ad Mosaicam legem applicuerant, tum maritos suos eodem pertraxerant, denique filios etiam suos circumcidendos tradiderant. Attigit hoc argumentum Bruno Bauerius *de Christo et Caesaribus* p. 258: *Der intime Verkehr solcher hochgestellten Frauen mit ihrer dienenden weiblichen Umgebung, — ist für die Verbreitung der asiatischen Culte, besonders des jüdischen Monotheismus in den höheren römischen Kreisen von bedeutendem Einfluss gewesen.* Et ibidem p. 96: *Frauen gehörten zum Freundschaftsbund des Epikur, waren im er-*

Digitized by Google

sten Jahrhundert unserer Zeitrechnung die eifrigsten Proselyten der orientalistischen Culte, welche durch ihre Vermittelung in die römischen Familien drangen, und sie behaupteten auch in den ersten christlichen Gemeinden eine hervorragende Stellung. Memorabile est quod de Damasco Iosephus tradidit Bell. Iud. II 20. 2, omnibus in Syria tumultuantibus Damascenos *τοὺς παρ' ἑαυτοῖς Ἰουδαίους ἀνελεῖν σπουδάσαι. Ἐδεδοίκεσαν δὲ τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας, ἁπάσας πλὴν ὀλίγων ὑπηγμένας τῇ Ἰουδαϊκῇ θρησκείᾳ.* Quomodo sit factum, ut semper plures sese ad novam persuasionem aggregarent, lepide ut satirarum poeta describit Iuvenalis Sat. XIV 96:

> Quidam sortiti metuentem sabbata patrem
> nil praeter nubes et coeli numen adorant,
> nec distare putant humana carne suillam,
> qua pater abstinuit, mox et praeputia ponunt.

Sed de historia Iudaeorum eximie scripsit Schurerius, qui II p. 553 sqq. conditionem *τῶν προσηλύτων* examinavit. Diligenter distinguit inter *προσηλύτους* proprie ita vocitatos et *τοὺς φοβουμένους* vel *σεβομένους τὸν θεόν* et horum quidem varii sunt gradus, prouti quisque religione obstrictus Mosaicas caerimonias accuratius vel laxius observat. Quod Iuvenalis ostendit, omnes tamen sabbatis otiabantur et ab carne suilla abstinebant. *Προσήλυτοι* autem omnes circumsecti sunt et non minus stricte quam ipsi Iudaei lege Mosaica tenentur. Sint illi *προσήλυτοι* iustitiae, sed *οἱ σεβόμενοι* vel *οἱ φοβούμενοι τὸν θεόν* minime iidem sunt habendi, qui *postea προσήλυτοι* portarum dicti sunt. Hi omnes tenebantur septem Noachicis legibus, sed *metuentium*, uti diximus, plures erant gradus nec cogi poterant ad certarum legum observantiam. Haec igitur in nova operis editione Schurerius nec dissentit Klostermannus *in den Problemen im Apostelteat* p. 138, sed unum praecipue est quod me male habet. Non urgeo quod Act. XIII 43 memorantur *πολλοὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων*, nam facile potest fieri ut alterumutrum insiticium sit, sed gravis oritur quaestio circa esum carnis suillae. Quod Iuvenalis nos docuit nec miramur, metuentes sponte et nulla vi coacti vitabant suillam itaque Iudaeis nihil opus erat rei mentionem facere neque Noachicis legibus nefandus cibus ab metuentium mensis arcebatur, sed libenter et sponte omnes id

Digitized by Google

observabant, quod uti audio, etiam hodie in India Orientali multi Christiani observant, quorum patres vel avi eo migrarunt quique sensim paulatimque cessarunt vesci carne, quam indigenae abominantur. Verum Gentilibus, postquam Christiani facti erant, cum numquam Iudaeorum sacra cognossent, fuit concessa suilla an vetita? Si vetita fuit, cur tacetur de ea re in decreto concilii Hierosolymitani? cur numquam quidquam de ea quaestione Paulus protulit? Si Paulus silentio suo usum comprobavit, num ipse, cuius liber erat ab omni superstitione animus cf. 1 Cor. VIII, vesci sustinuit? Sustinuitne Petrus facere idem propter Act. X? Hoccine comprehendit *τὸ μετὰ τῶν ἐθνῶν συνεσθίειν*? Plurimum dubito, inquis, et ego quoque dubito; sed utrumlibet statuas, necessarium est graves de ea quaestione lites exercitas fuisse multoque graviores quam *περὶ τῶν εἰδωλοθύτων*. Unde igitur altum silentium? Haud me extrico, nisi sumam id quod mihi sumsi demonstrandum.

Hic etiam de circumcisione dicendum. Primum laudanda sunt Oortii verba in *Ephem. Theol.* 1883 p. 580: *Dat zich hier en daar, zeker nagenoeg alleen buiten Palaestina, gemeenten vormden, die hoewel zij uit onbesnedenen bestonden en niet alle verordeningen der Wet handhaafden, zich het ware Israël noemden, was ergerlijk voor de strenge Joden, en vond toch bij menig Christenjood in Palaestina eerst halve, daarna volkomen goedkeuring, voorspraak, eindelijk navolging.* Atque haec quidem satis intelligo, sed conferenti mihi Pauli doctrinam in Epistula ad Galatas, plurima sese obferunt consideranda, de quibus quam maxime ambigo quid pronunciem. Primum causam non perspicio, cur in Palaestina Christiani tam acriter efflagitarint ut servaretur circumcisio, cum ipsi Iudaei in ea re se multo praebuerint faciliores, cf. Schürer p. 565 [1]). Hanc si Apostoli in Encyclica sapienter remiserunt, sed permultos esse video, qui de illius decreti fide dubitent, undenam factum est, ut Apostolus retractare debuerit, quod iam constitutum esset? Cur non simpliciter provocat ad decretum concilii, cuius auctoritatem sua praesentia confirmasset? Cur tam vehementer repugnat, si quis sua sponte Mosaicam legem vult observare? Dixeris rem unicuique

1) Adde Steckium p. 229.

Digitized by Google

liberam potuisse relinqui, cum praesertim concordia inter fratres tanti posset redimi. Si Iudaei tulerunt non circumcisos, Christiani potuissent ferre circumcisos. Non magnum erat periculum ne hoc malum, si quidem malum esset, latius serperet inter Graecos, quibus magis etiam quam Romanis denudata glans ridicula res erat. Postea ipsae Romanorum leges aliquid conferebant eodem, cf. Suet. Domit. 12 et Spartian. Hadrian. 14. Denique quam est incredibile neque ab his neque ab illis provocatum fuisse ad Christi auctoritatem et revelatam doctrinam? Veluti sive ad Matth. V 18, sive ad Matth. XIX 8. Sed facile mihi persuadeo aliquamdiu post Apostolum mortuum exarsisse acerrima de circumcisione certamina, postquam Hierosolymis eversis Christiani ex Gentilibus, quorum numerus insigniter creverat, sese ab Iudaeis coepissent separare.

XII. Credis fortasse altero saeculo post Christum sublata fuisse certamina de Mosaica lege eiusque observantia? Audi Holtzmannum p. 102: *Noch die Heidenkirche des 2 Jahrh. hat judaistische Zumuthungen und Attentate erlebt.* Itaque quantum video, nihil impedit quominus Epistularum originem illinc repetamus. Mirum id certe quod multis interpositis quae nunc nihil ad nos Holtzmannus affirmat p. 107 de temporibus, quae secuta sunt postquam Apostoli ad plures abierunt: *Das schriftstellerische Nachleben des auch selbst* vorzugsweise *schriftstellerisch thätig gewesenen Mannes begann.* Itane serio *vorzugsweise?*

XIII. In *Ephem. Theol.* 1883 p. 566 Oortius qua est peritia Israeliticarum rerum, ostendit secundum Rabbinicas traditiones certamina de lege observanda imprimis viguisse eo intervallo quod fuit inde ab anno 80 usque ad annum 115. Deinde addit p. 569 id de quo equidem vehementer dubito, si tunc temporis tam gravia in Palaestina certamina fuerint, necessario extra Palaestinam certamen tum *acrius* gestum, tum *prius* fuisse exortum. Plane non video quomodo ea ratio concludatur, nisi ab initio stet sententia occurrendum esse dubitationibus de Epistularum fide. Nobis autem cavendum est, ne pro demonstrato sit quod demonstrandum est.

XIV. Ubique Paulus provocat ad vetus Testamentum, tanquam

Digitized by Google

fontem perennem omnis doctrinae ac veluti scriptum in praesens tempus: poterat provocare, nam recitabatur in Ecclesiis, cf. 2 Cor. III 14. Sed etiamsi ea res accommodata fuerit ad persuadendum Christianis ex Iudaeis: quomodo talibus argumentis allici poterant Christiani ex Gentilibus, ad quos potissimum se missum esse norat? Respondet Holtzmannus p. 97: *wo das Alte Testament heidenchristlichen Gemeinden nicht etwa schon von ihrer Proselyten-Vergangenheit her als Autorität feststand, da hat Paulus es als solches eingeführt. Was er damit freilich erreichen und durchsetzen wollte, war dieser Autorität nicht in jedem Sinne günstig und förderlich.* Num igitur Veteris Testamenti auctoritatem extulit ut haberet quod everteret? Mirum consilium. Quid Paulo cum Penelope? *Die Frage nach dem Verhältnisse des Neuen zum Alten bildete die entscheidende Lebensfrage der jungen Gemeinde.* Intelligo centum annis post in Theologorum scholis eam quaestionem curiose pertractatam fuisse, sed quamdiu Ecclesia in incunabulis vagiebat, nonne plebis educatio diversa esse debuit? Quanto sapientius coram ipsis Iudaeis hoc argumentum Iesus tractavit! Ipse hoc Holtzmannus confitetur p. 105: *Als lebendiges Ganzes hat der Paulinismus überhaupt nur einmal und zwar im Geiste seines Urhebers existirt. Schon die von diesem selbst bekehrten Christen vermochten sich nur schwer oder gar nicht auf die Höhe zu halten, darauf sie wie mit einem Schlage gefordert schienen.* Serione credemus conditam fuisse Ecclesiam ab doctore umbratico?

XV. Scribit Holtzmannus p. 100: *Fragelos waren demselben Paulus, welcher ein so deutliches Interesse an den überlieferten Christussprüchen an den Tag legt, auch einzelne Ereignisse aus dem Leben und Wirken des Messias bekannt:* nimirum praeter mortem et resurrectionem. Cur tamen hoc est *fragelos?* Scilicet Holtzmannus sponte obliviscitur Paulum Apostolos qui scire possent, noluisse percontari, sicuti legerat Gal. I 17. Ne hoc quidem constat eum operam dedisse, ut τὰ κυριακὰ λόγια pernosceret. Audio apud Theologos laudari Bleekii *Introductionem*, sed in iis quae scripsit p. 426, quamquam Mangoldio non prorsus assentiente, quot verba tot errores inesse visa sunt. Non fugiam laborem et describam sententias, quarum refutatio mihi quidem plane supervacanea esse videtur: *Ohne Zweifel war*

Digitized by Google

Paulus schon vor seiner Bekehrung mit den äusseren Umständen des Lebens Iesu nicht unbekannt und kannte auch manche seiner Reden, theils durch mündliche Mittheilung, theils auch durch frühzeitig vorhandene kleinere evangelische Schriften und besondere Redesammlungen; nach seiner Bekehrung hat er es sich aber gewiss angelegen sein lassen, seine Kenntnisse der evangelischen Geschichte auch auf diesem Wege zu erweitern und sicher zu stellen; was dem Apostel aber so auf zuverlässige Weise zugekommen war, konnte er als von Seiten des Herrn empfangen betrachten. Ficta haec sunt neque apte ficta mihique Bleekianum *ohne Zweifel* tantidem est, quanti Holtzmannianum *fragelos.*

XVI. Satis hodie creditur Evangelica Synoptica non ante annum 150 conscripta fuisse ad eum modum, qui postea servatus fuit. Possuntne Paulinae Epistulae centum fere annis vetustiores esse quam ea Evangeliorum recensio quae aetatem tulit, cum vix possis hic illic tenuia indicia reperire, scriptores quidquam umquam fando inaudivisse de Pauli doctrina, quae tam longe distabat ab iis quae ipse Iesus docuerat? Cf. Bruno Bauerius *de Paulinis Epistulis* et Lomannus in *Ephem. Theol.* 1882 p. 182, qui negant Actorum scriptorem Epistulam ad Galatas potuisse cognoscere. De Evangelistis idem etiam maiore cum evidentia poterit affirmari. Admodum levia sunt quae Holtzmannus habet p. 400 sq. [1]).

XVII. Si verum est Paulum Apostolos noluisse interrogare, non est mirandum eum vix umquam respicere Iesu terrestrem vitam, cum certe κατ' ἀποκάλυψιν scire non posset, quid rerum olim in Palaestina actum esset. Quantumvis res fere incredibilis videatur, si tam disertis testimoniis fidem habebimus, nondum tamen apparet cur veteres illos κυριακοὺς λόγους plane neglexerit. Ita tamen res sese habet, nam si cognovisset, tacere non potuisset de Matth. V. 18: ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου. Scholtenus in *Historisch-critische Bijdragen* p. 70 contendit et hunc locum et Matth. VII 6: μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶν κτἑ., interpolatos fuisse ut Pauli doctrina impugnaretur, sed argumentum quod

1) cf. Steckius p. 191 sqq.

Digitized by Google

affert, pumice levius est: *Hoe ligt het niet voor de hand, ook hier eene afkeuring te lezen van menschen, die gelijk de Paulus der brieven, wat den Joden-Christenen heilig en dierbaar was, aan heidenen toebedeelden en daarmede elk prerogatief, aan Israel toekomende, ophieven. Ook dit vers kan in den samenhang gemist worden.* Refutavit Scholteni opinionem Piersonus *de Oratione Montana* p. 82, qui praeterea p. 21 sqq. adversus Hilgenfeldum recte demonstrat non scripturum fuisse Paulum 1 Cor. VII 12, si legisset Matth. V 32: *πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας ποιεῖ αὐτὴν μοιχευθῆναι*, discipulo et magistro aperte dissentientibus [1]). Cur Paulus numquam provocavit ad Matth. VIII 11: *πολλοὶ ἀπ' ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι καὶ ἀνακλιθήσονται μετ' Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν*? Quid fuisset dicturus de Marc. IV 10: *ὑμῖν τὸ μυστήριον δέδοται τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ· ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξωθεν ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται*? Negligi talia fortasse potuerunt inter Theologos flagrantibus discidiis saeculo secundo: potueruntne etiam negligi a Paulo cum Europam et Asiam peragraret et de indocta plebe homines ad Christum vocaret?

XVIII. Quodsi genuinae sunt Pauli quae feruntur Epistulae, necessario labefactari videmus Actorum fidem, in quibus ipse Paulus depingitur plane diversus ab eo qui in Epistulis cernitur, quum tot indicia suppetant scriptorem bene potuisse cognoscere, quo ingenio Apostolus olim fuisset. Acta si sequeris, apparebit quodammodo qui sit factum ut nova persuasio tam cito per longe dissitas gentes propagaretur et intelliges, quae ratio inter Paulum et reliquos Apostolos intercesserit. Scio quidem illic multa esse reficta et artificiose composita; video decurtatam fuisse Pauli imaginem ut cum Petro consociaretur; quod imprimis valet de Act. XXI, de quo capite Scholtenus egit *Hist.-crit. Bijdragen* p. 58; sed misso Luca sequere Epistulas et orientur difficultates longe maiores. Quid enim? Bellum fuit summa acrimonia gestum inter Paulum et Iesu discipulos: uter victor fuit, Paulus an Petrus? Si Paulus, non interpretaberis qui sit factum ut in vetere Ecclesia Epistulae

1) Nunc conferri iubeo Steckium p. 167.

Digitized by Google

sero demum agnitae sint; si Petrus, etiam minus apparebit quomodo Gentiles legibus Mosaicis adstricti tam facili opera adsciti sint. In Actis narratur quomodo tandem compositis certaminibus ex pristinis discordiis Christiana Ecclesia una et individua enata sit; in Epistulis Ecclesiae viscera dilaniantur, ut mireris eam fuisse vitalem. Corinthi in Ecclesia erant ἔρις, ζῆλος, θυμοί, ἐριθεῖαι, καταλαλιαί, ψιθυρισμοί, φυσιώσεις, ἀκαταστασίαι, ἀκαθαρσία, πορνεία καὶ ἀσέλγεια, 2 Cor. XII 20 et monentur Galatae V 15: εἰ δ' ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Straatmannus, cui quatuor priores Epistulae genuinae sunt, hoc tamen sapienter concedit *de Paulo* p. 10: *Zoo onverzoenbaar als Baur en Zeller de partijen in de eerste christelijke gemeenten laten zijn, zijn zij in werkelijkheid niet geweest. — Zelfs tijdens het leven van Paulus bleef de strijd binnen zekere grenzen zoodat de gemeenschap met de twaalve niet geheel werd verbroken. — Op de erkenning van het paulinisch Evangelie op de vergadering te Jeruzalem is men van joodschchristelijke zijde niet weder teruggekomen* [1]).

XIX. Non negligendum est in Actis nihil legi de epistulis, quas Paulus quoquoversus mittere soleret. Nec magis narratur Paulum θηριομαχῆσαι ἐν Ἐφέσῳ, 1 Cor. XV 32 coll. IV 9. Nec Lucas tradidit Paulum ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν λαβεῖν, τρὶς ῥαβδισθῆναι, ἅπαξ λιθασθῆναι, τρὶς ναυαγῆσαι, νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποιηκέναι 2 Cor. XI 24 coll. VI 4, quamquam minime video cur Paulus adversus lictorem virgas expedientem non legem Porciam legesque Sempronias invocaverit; nec magis apparet cur Iudaeorum flagella tacitus tulerit eamque quaestionem pertractans Straatmannus *de Paulo* p. 83 propemodum ad incitas adigitur eoque tandem pervenit ut neget civem Romanum Apostolum fuisse, p. 155 eumque cum Salmasio perhibeat θηριομαχῆσαι Ephesi methaphorice non adversus belluas, sed adversus falsos fratres, p. 232. Nec magis in Actis legimus conflictatum eum esse ὁδοιπορίαις πολλάκις, κινδύνοις ποταμῶν, κινδύνοις λῃστῶν, κινδύνοις ἐκ γένους, κινδύνοις ἐξ ἐθνῶν, κινδύνοις ἐν πόλει, κινδύνοις ἐν ἐρημίᾳ, κινδύνοις ἐν

1) cf. Steckius p. 373.

Digitized by Google

θαλάσσῃ, κινδύνοις ἐν ψευδαδέλφοις, κόπῳ καὶ μόχθῳ, ἐν ἀγρυπνίαις πολλάκις, ἐν λιμῷ καὶ δίψει, ἐν νηστείαις πολλάκις, ἐν ψύχει, ἐν γυμνότητι. Etiam tacet Lucas de Pauli valetudine quae memoratur Gal. IV 13. Pleraque horum si cognovisset, non omisisset scribere: si non cognovit, quomodo Epistulae genuinae poterunt videri? Debuit autem cognosse, si quidem vere Straatmannus *de Paulo* p. 6: *De schrijver der Handelingen heeft voor zijn geschrift van authentieke bronnen gebruik gemaakt; voor het leven van Paulus stond hem een reisverhaal ten dienste, dat ik aan Titus meen te mogen toeschrijven.* Hic etiam Scholtenus αὐτὸς αὐτοῦ χείρων *Hist.-crit. Bijdragen* p. 70: *de schrijver der Handelingen liet met opzet zulke bijzonderheden weg, die met de strekking van zijn geschrift niet strookten, zoodat hij met name het wedervaren van Paulus in Jerusalem* Gal. II 1—10, *te Antiochie* Gal. II 11, *in Galatie* Gal. I 6, IV 13, *te Corinthe* 1 Cor. I 12, 16, III 4, 5, VIII 1, IX 1, 2 Cor. III 1, V 12, 16, *te Efese* 2 Cor. I 8, 1 Cor. XV 32, XVI 9 *en te Rome* Philipp. I 15—18 *gealtereerd of verzwegen heeft.* Vides clarissimum virum scopuli instar vitare 2 Cor. XI 24 sqq.

XX. Lomannus data opera demonstravit Nazaraeos sive Ebionitas Paulum fuisse secutos illumque Paulum propius afuisse ab Apostolo, qui describitur in Actis quam ab eo cui Epistulas debemus. Etenim Paulus in Actis omnem lapidem movet, ut placeat Christianis ex Iudaeis estque ubique Mosaicarum caerimoniarum observantissimus cultor. Quantum mihi iudicare datur, nondum refutata fuit Lomanni doctrina et sic mihi persuasi, Lucam in Actis aliquanto plura conferre ut cognoscatur qualis Paulus in historia fuerit, quam ex Epistularum corpore efficere liceat. Hic a me non exspectatur, ut Lomannianas disquisitiones in brevius contraham, sed unum est quod lectoribus in memoriam revocabo, quomodo in *Ephem. Theol.* 1882 p. 179 argumentationem concludat, scilicet absurdum esse quod Tubingenses statuunt, Lucam Acta scripsisse ut infringeret et destrueret quae etiam tunc recte ab omnibus de Paulo traderentur; quod certe non fecisset nisi tradita imago aliquantum auctoritatis haberet, cum e contrario minime intelligamus quomodo ea res ei succedere potuerit, nisi sumamus auctoritatis Paulum habuisse parum.

Digitized by Google

Praeterea tenendum Paulum in Actis ubique Mosaicam legem sancte observare, etiam iis locis, ubi scriptor prima persona utitur, veluti Act. XX 16: *τῇ δ' ἐχομένῃ ἤλθομεν εἰς Μίλητον· κεκρίκει γὰρ ὁ Παῦλος παραπλεῦσαι τὴν Ἔφεσον, ὅπως μὴ γένηται αὐτῷ χρονοτριβῆσαι ἐν τῇ Ἀσίᾳ· ἔσπευδε γάρ, εἰ δυνατὸν εἴη, τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα*, nec satis causae esse arbitror, cur cum Straatmanno *de Paulo* p. 252 postremam sententiam e textu eliminemus. Ceterum quod tam celebre erat Pauli nomen, fecit ut ad eius auctoritatem recurrerent, qui nova dogmata Ecclesiae commendare cuperent, cf. Lomannus *Ephem. Theol.* 1886 p. 104.

XXI. Scribit Clemens Alexandrinus Strom. VII p. 900 Pott.: *μία ἡ πάντων γέγονε τῶν ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτω δὲ καὶ ἡ παράδοσις.* Si flagrante certamine cum Marcionitis, iam in Canonem receptae fuissent Paulinae Epistulae et imprimis Gal. II, aut hoc numquam fuisset inculcatum, aut testimonium tam incommodum resectum fuisset. Sed agnitae demum sunt, quo tempore Gnosticis debellatis utilis erat Pauli auctoritas adversus alios haereticos, veluti Montanistas. Catholicis autem Paulus fuit diuque mansit is quem Lucas depinxit. Non meum est hoc copiose persequi, sed satis est digitum intendere.

XXII. Saepe miratus sum, cur Paulus interdum tam immodicis laudibus se efferat multoque plura perscribat de suis erga Ecclesiam meritis, quam veteres homines, ne nostros dicam, patienter ferre potuerunt. Iam supra § 19 laudabam 2 Cor. XI; sed alios praeterea locos excitare facile est veluti 1 Cor. IX et Ephes. III. Vide praeterea 1 Thess. II 4: *λαλοῦμεν οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες ἀλλὰ θεῷ τῷ δοκιμάζοντι τὰς καρδίας ἡμῶν. οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴδατε, οὔτε προφάσει πλεονεξίας· θεὸς μάρτυς· οὔτε ζητοῦντες ἐξ ἀνθρώπων δόξαν, οὔτε ἀφ' ὑμῶν οὔτε ἀπ' ἄλλων· — ὑμεῖς μάρτυρες καὶ ὁ θεός, ὡς ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν ἐγενήθημεν, καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ παρακαλοῦντες ὑμᾶς κτἑ.* Decentne ea verba eum qui se alibi *ἐλαχιστότερον πάντων ἁγίων* et *ἔκτρωμα* et *περικάθαρμα* et *περίψημα* appellat? Mihi arridet *ni cet excès d'honneur ni cette indignité.*

Digitized by Google

XXIII. Quod Paulus Apostolos non adiit ut percontaretur, quantum video, qui has Epistulas scripsit, *noluit* quidquam resciscere de Iesu terrestri vita. Haec sententia mihi subesse videtur sub obscuris verbis 2 Cor. V 16: *ἡμεῖς ἀπὸ τοῦ νῦν οὐδένα οἴδαμεν κατὰ σάρκα· εἰ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν, ἀλλὰ νῦν οὐκέτι γινώσκομεν.* Interpretatur Hilgenfeldus p. 219 et 293: *Selbst wenn wir* (wie die Gegner) *Christum fleischlich gekannt haben, so hat doch solche äusserliche Christusbekenntniss von nun an keinen Werth mehr für uns, da wir* (als Christen) *Christum nicht mehr nach seinem leiblichen Leben, sondern lediglich nach seinem segensreichen Tode kennen.* Nego ac pernego eam sententiam hic posse latitare, nec solus opinor negavero. Inter nostrates Visseringius aliter: *Paulus had vóór zijne bekeering Jezus wel niet persoonlijk gekend, maar toch veel van hem gehoord:* quod non magis placebit. Aliter autem Blommius in *Ephem. Theol.* 1881 p. 80: *hij had hem naar een vleeschelijken maatstaf beoordeeld, en omdat Jezus daaraan niet beantwoordde, hem niet als den Christus erkend. Bij de σάρξ denkt hij aan het uiterlijke en wettelijke, wat voor hem samenhing.* O beatos lectores qui hoc *φιλοσοφούμενον* intelligant. Equidem sequi malo Straatmannum *de Paulo* p. 77: *de apostel voorkomt hier blijkbaar eene tegenwerping, die men hem maken kan, namelijk dat hij vroeger zelf geheel anders had gedacht, en het gevoelen aangekleefd, dat hij thans zoo nadrukkelijk bestreed, enz. — Ik heb eene ruimere en hoogere opvatting van Christus verkregen. — Hij zinspeelt dus op een vroeger tijdperk in zijn leven, toen hij wel is waar reeds een Christen was, maar nog niet in het bezit van de evangelieopvatting, die hij later als Apostel der heidenen verkondigde.* Sint ista; verum etiamsi Apostolos adire quacumque de causa noluerit, cur tam odiose eos persequitur? Non sine ironia *στύλους* eos appellat et *τοὺς δοκοῦντας εἶναί τι* et *τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους* ac prorsus obliviscitur hos tamen ab ipso Iesu fuisse electos. Non credo verum Paulum tam exacerbato animo in eos fuisse. Sed imprimis urgendum quod scribit Paulus Gal. I se semper fuisse suum et docuisse quod divinitus accepisset et fecisse quod potuisset ut Apostolos evitaret. Colorem rei quaerit Straatmannus p. 84 sqq., sed plane frustra est, nec magis rem expedivit Baurus *de Paulo* p. 103: *Nur so viel ist gewiss, dass er, so sehr*

Digitized by Google

er auch sein ganzes apostolisches Thun und Wirken auf die Unmittelbarkeit seiner apostolischen Berufung gründete, und Alles, was er war, nur durch den ihm erschienenen Christus sein wollte, nicht unterlassen hatte, Erkundigungen über die Lebensgeschichte Jesu einzuziehen. — Wer von Thatsachen der evangelischen Geschichte so bestimmt und so speciell reden kann, wie der Apostel thut 1 *Cor.* XI 23 *sq.* XV 8 *sq. kann auch mit dem übrigen Hauptinhalt derselben nicht unbekannt gewesen sein.* Utinam hoc reliquae Epistulae confirmarent; utinam ne refragaretur Gal. I! Quanto liberius iudicavit qui scripsit: *Laat den een of anderen jongeren tijdgenoot van Plato, uit Zuid-Italië afkomstig, zoo schrijven over Socrates! Hij heeft zich verheugd over het doodvonnis van dien wijsgeer, want hij was een sofist met hart en ziel. Een ander licht is hem evenwel opgegaan. Te denken als Socrates, te gevoelen, te onderwijzen, te leven zoo als Socrates, zich geheel met hem te vereenzelvigen, dat — hij heeft het ingezien, begrepen bij intuitie, — dat is het eenig noodige. Nu zal hij — ijlen naar Athene? Plato leeft nog; Alcibiades leeft nog. Van hen, van zoovele anderen zal hij pogen te vernemen, wat Socrates heeft gedacht, gevoeld, geleerd; welke geest er uit zijn omgang sprak? Neen; hij trekt naar Egypte; blijft er drie jaren, schrijft en spreekt dan zijn leven lang over Socrates, en wordt door een — lichtgeloovige wereld gehouden voor niets minder dan den geloofwaardigsten getuige omtrent den grieksehen wijze, den betrouwbaarsten tolk van zijne leer en bedoeling!* Acuta observatio legitur apud Piersonum *de Oratione Montana* p. 104; sed cur tam fastidiose eam amandarunt, qui iudicium suum publice pronunciaverunt? Nec tamen quum volunt contemsisse videri, potuerunt ostendere quanam in re Piersonus dissimilia composuerit [1]).

XXIV. Cur Paulus tam acriter repugnat, si quis sponte minimeque coactus Mosaicam legem observare se velle profitetur et παρατηρεῖσθαι καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς Gal. IV 10? Ipse Iesus circumcisus fuerat et festos Iudaeorum dies observarat et in Actis ipse Paulus se Iudaeis aggregat, neque obliviscitur se fuisse de Pharisaeorum numero. Quin et ipse scribit 1 Cor.

1) Cf. praeterea Steckius p. 98 sqq. et p. 283.

Digitized by Google

IX 20: *ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος ἵνα Ἰουδαίους κερδήσω, τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, μὴ ὢν αὐτὸς ὑπὸ νόμον.* Nunc cur repente tam iracunde Gal. V, quum nihil intersit secundum Gal. V 6: *ἐν γὰρ Χριστῷ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει οὔτε ἀκροβυστία* itaque in circumsectione nullum adeatur periculum, Gal. V 2: *ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει.* Non certe haec expedivit Hilgenfeldus p. 254: *Beschneidung und Sabbat waren es hauptsächlich wodurch man die galatischen Heidenchristen zur jüdischen Lebensweise zu führen suchte. — Paulus sieht die Gemeinden, welche einen so schönen Anfang gemacht hatten, durch Verführung hinabsinken auf ihren frühern, vorchristlichen Standpunkt.* Longe praestat ignorantiam fateri quam tam improbabilia fingere.

XXV. Post concilium Hierosolymitanum legimus in Actis XVI 6: Paulum et Silam *διελθεῖν τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν κωλυθέντας ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ.* Deinde aliquamdiu post, Act. XVIII 23, Paulus *ἐξῆλθε διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν στηρίζων πάντας τοὺς μαθητάς*, et mox Epheso ad Galatas Epistula missa est, quod verosimiliter ita statuitur propter Gal. I 6. Id praeterea dubitatur an forte iam ante concilium Galatiam adierit, sed *alterum* utique iter in Galatiam *post* concilium fuit. Quae de hoc argumento sciri possunt, vide apud Holtzmannum p. 242 [1]). Verum hic subit mirari, cur Paulus nunc primum de concilio scribat, quae si scire Galatarum interesset, praesens potuisset impertire. Quo tempore primum eo venit, valetudine praepeditus admodum honorifice exceptus fuerat, Gal. IV 14; sed credibile est propter illa: *ἐχθρὸς ὑμῖν γέγονα ἀληθεύων ὑμῖν*, altero itinere eum mutata omnia in peius invenisse; sunt tamen qui autument, aliquanto post demum ad Paulum perlatum fuisse nuncium de turbis, quas Iudaei in Ecclesia excitassent, qua de re cf. Holtzmannus p. 243. Ut ut est, potuitne Paulus, quae Reussii est sententia p. 73, ad Galatas scribere *in kurzen und gedrungenen Sätzen, für den Neuling wohl oft dunkel, aber dem Kundigen und den Lesern, von denen er eben erst geschieden war,*

1) Nunc conferri iubeo Steckium p. 24—50.

Digitized by Google

wohl verständlich? Brevi ante apud Galatas fuerat, sed quae nobis obscura sunt, necessario illis quoque obscura fuerunt; nam quum praesens adesset, de rebus gravissimi momunti, de vita propria et de concilio Hierosolymitano silentium fuerat. Aliter Renanus qui arbitratur Epistulam currente calamo fuisse exaratam, nec Paulum ipsum eam probaturum fuisse, dummodo relegisset. Adeo interpretes in diversa abeunt: quae Holtzmanno *eine Schwergeburt* est, Renano levis opella est. *Paul expédia la lettre sur-le-champ; s'il eut pris une heure de réflexion, on peut douter qu'il l'eût laissée partir.* Contra Klostermannus *in den Problemen im Apostelteat* p. 35 festinationem non agnovit. Holtzmannus autem de obscuritate queritur p. 244.

XXVI. Quaeritur de Galatarum Ecclesiis, utrum ex Gentilibus an ex Iudaeis Christiani fuerint. Percensebimus praecipuos locos qui afferuntur ad litem dirimendam. Gal. IV 8: *τότε μὲν οὐκ εἰδότες θεὸν ἐδουλεύσατε τοῖς φύσει μὴ οὖσι θεοῖς.* Gal. V 2: *ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει.* Gal. VI 12: *ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι.* Aderant tamen ex Iudaeis, qui hominum mentes sollicitabant et motus illos ciebant, quos Paulus condemnat, Gal. V 9: *ὁ δὲ ταράσσων ὑμᾶς βαστάσει τὸ κρίμα ὅστις ἂν ᾖ*, nec certe circumcisionem flagitare poterant nisi Christiani ex Iudaeis, qui respiciuntur III 2. 13. 14. 23. 24. 25 et IV 3. 5. Quodsi autem maior hominum pars ex Gentilibus erat, quorsum pertinuit demonstratio ex Vetere Testamento derivata et allegorica expositio de Abrahae filiis IV 22? Nec certe hoc expedivit Holstenius *de Pauli Evangelio* p. 44.

XXVII. Memorabilis locus est Iohannis Chrysostomi adv. Iud. I 7, quem Meibomio debeo in *Ephem. Theol.* 1880 p. 621, ubi queritur etiamtunc Christianos Antiochiae in synagogas venisse, ut Iudaeorum festis interessent, quae haberent *σεμνόν τι καὶ μέγα.* Hoc si factum est quarto saeculo, minime certe incredibile est, duobus saeculis ante scribi potuisse Gal IV 9 sqq. Praeterea cf. Iustin. Dialog. 8.

XXVIII. Antequam Epistulam ad Galatas percurramus, sciendum est nuperrime Manenium in *Ephem. Theol.* 1887 p. 382 sqq. quaesivisse quas lectiones Marcion olim in suo Codice habuisset;

Digitized by Google

deinde postquam recensionem illam et breviorem et longe fuisse meliorem ostendit, perrexit indagare num forte eadem via insistens etiam alias Catholicorum interpolationes arguere posset atque sic tandem omnia cum cura rimatus eo pervenit ut commendaret et exscriberet Epistulam aliquanto tersiorem quam in nostris libris fertur. Itaque iam partim, uti vides, coepit auscultare Brunoni Bauerio *de Christo et Caesaribus* p. 60: *Wir besitzen in den angeblichen Paulinischen Briefen nur eine späte Literatur, welcher mannigfache Modulationen griechischer und lateinischer Grundtöne vorangegangen sind.* Ne sint in ea qua Manenius usus est methodo, omnia omni dubio maiora, sed multa concedo verosimiliter constituta fuisse. Eliminatis autem interpolationibus evanescunt multae offensiones, quas mihi inter legendum adnotaram itaque nunc, ne meam rem cupide agere dicar, omissis iis omnibus quae Manenius omisit, sequar breviorem recensionem, ut ostendam quid etiam sic debeat displicere. Non autem mihi est propositum dicere de singulorum locorum correctionibus, sed committere non debeo ut taceam de I 7: *θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς εἰς τὴν χάριν, εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς.* Hic plerique interpretes haeserunt et alii alia moliti sunt. Manenius autem sibi persuasit *ἄλλο* non fuisse in Marcionis libro itaque delevit p. 463. Haud satis apte hoc fieri opinor et commendo: *ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλο.* Admirabiliter maiores nostri: Daer *er geen ander en is:* maar *daer zijn sommige die u ontroeren.* Ceterum in universum verissime observavit Bruno Bauerius *de Epist. Paul.* p. 9 de Galat. I 6 sqq.: *Der Verfasser schreibt so schwebend, unsicher und verwirrt, wie es demjenigen, der in persönliche, wirkliche Verhältnisse eingreift und sein Princip und ganzes Wesen zu vertheidigen hat, unmöglich ist.* Hanc vocem interpretes cum spissis suis commentariis neutiquam opprimere poterunt.

XXIX. Crucem interpretum cognosce I 10: *ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν; ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; εἰ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην.* Iam per se haec satis sunt perplexa, sed plane fient inexplicabilia, si contuleris 2 Cor. V 11: *εἰδότες οὖν τὸν φόβον τοῦ κυρίου, ἀνθρώπους πείθομεν, θεῷ*

Digitized by Google

δὲ πεφανερώμεθα et 1 Cor. X 33: ἐγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω et 1 Thess. II 4: λαλοῦμεν οὐχ ὡς ἀνθρώποις ἀρέσκοντες ἀλλὰ θεῷ. Holtzmannus p. 244 hic ad desperationem adigitur neque eum extricabit Hilgenfeldus p. 253 vel Holstenius p. 139. An forte delenda sunt verba ἢ τὸν θεόν?

XXX. Gal. I 11: γνωρίζω γὰρ ὑμῖν τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον. Eamne rem nunc primum cum Galatis communicat? Mire [1]).

XXXI. In *Verisimilibus* p. 27 contuleramus I 12: οὐδὲ γὰρ παρ' ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ et II 2: ἀνέβην δὲ κατ' ἀποκάλυψιν καὶ ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσιν, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον. Ut ostenderemus repugnantiam sic scripseramus: „Per revelationem accepit verum Evangelium, I 12, itidemque revelatio fecit ut Hierosolyma proficisceretur sciscitatum iamne nosset verum Evangelium II 2." Contra exortus est Prinsius in *Ephem. Theol.* 1887 p. 77, qui verba μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον ita interpretatur: *om de vrucht mijner werkzaamheid te verzekeren en daarvoor te Jerusalem de gewenschte erkenning te vinden.* Hic cum alia reponere possem tum hoc, coniunctionem μήπως id solum significare quod recte constituit Holstenius p. 71 et 145, sed horum omnium mihi nunc otium fecit Manenius p. 510, qui refutata Prinsii opinione eo tandem pervenit ut putaret insiticia verba esse: κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσιν, μήπως εἰς κενὸν τρέχω ἢ ἔδραμον. Nobis satis est ostendisse scriptorem hic sibi ipsi contradicere.

XXXII. Legimus I 13: ἠκούσατε γὰρ τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν ποτε ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, ὅτι καθ' ὑπερβολὴν ἐδίωκον τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ καὶ ἐπόρθουν αὐτὴν καὶ προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου, περισσοτέρως ζηλωτὴς ὑπάρχων τῶν πατρικῶν μου παραδόσεων. Sed quod videmus II 12, etiam Iacobus cum suis patrii moris tenacissimi erant: cur igitur Paulus eos persecutus est? Sed sciendum est, illos quoque versus Manenio spurios esse, cum minime ratio reddatur eorum quae legeramus I 12.

1) cf. Steckius p. 183.

Digitized by Google

XXXIII. Nunc consideranda sunt quae leguntur I 17: *εὐθέως οὐ προσανεθέμην* (cf. Holsten. *Evang. P.* p. 149) *σαρκὶ καὶ αἵματι, οὐδὲ ἀπῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, ἀλλ' ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν καὶ πάλιν ὑπέστρεψα εἰς Δαμασκόν· ἔπειτα μετ' ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα ἱστορῆσαι Κηφᾶν.* Quam parum est credibile Paulum Apostolos noluisse adire ut cum iis de Iesu confabularetur! Suspicere debuit, non contemnere qui Iesum praesentes praesentem audierant. Supra iam hoc argumentum attigi § 23; nec certe me ab mea sententia dimovebit quod F. C. Baurus habet *Paul.* p. 123: hic tamen melius quam Holstenius *Ev. Paul.* p. 7: *Weil Paulus die Erfahrung haben musste, dass auch für die Gläubigen in Jerusalem und für die Apostel vor ihm grade der Kreuzestod des Messias als der Heilswille Gottes eine neue Anschauung war, so wird begreiflich, dass Paulus grade von Jerusalem und den Aposteln vor ihm sich losriss, damit diese neue Offenbarung in ihm rein sich gestalte*, cet. cet. Haec omnia mihi *χαλκοῦ ἠχοῦντος καὶ κυμβάλου ἀλαλάζοντος* instar sunt. Sed quod scribit Paulus se Damascum reliquisse, quod eum sponte fecisse dixeris, fecit coactus, uti asseverat ipse iureiurando interposito 2 Corinth. XI 32: *ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν πόλιν Δαμασκηνῶν πιάσαι με, καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτοῦ.* Quando Aretas regno exciderit, quaerit Hilgenfeldus p. 224: sed ecce fugae longe alia causa traditur Act. IX 24: *συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν.* I nunc et hinc te extrica [1]). Etiam de triennio Lucas tacet, uti et de itinere in Syriam et in Ciliciam Gal. I 21, cf. Straatmannus *de Paulo* p. 97 Pugnant quoque Act. XXVI 20: *τοῖς ἐν Δαμασκῷ πρῶτον καὶ Ἱεροσολύμοις εἰς πᾶσάν τε τὴν χώραν τῆς Ἰουδαίας καὶ τοῖς ἔθνεσιν ἀπήγγειλον μετανοεῖν* et Gal. I 22: *ἤμην δ' ἀγνοούμενος τῷ προσώπῳ ταῖς ἐκκλησίαις τῆς Ἰουδαίας ταῖς ἐν Χριστῷ.* Cf. Baurus *Paul.* p. 126 [2]).

1) Minime contemnendae sunt rationes, quibus Michelsenius in *Ephem. Theol.* 1873 p. 421 adductus fuit ut statueret interpolatum esse locum in altera Epistula ad Corinthios.

2) Si Steckius cognovisset Straatmanni *Paulum*, de nonnullis rebus fortasse aliter indicaturus fuisset.

Digitized by Google

XXXIV. Secundum Manenium in Marcionis Codice Gal. II 3 sq. legebatur sic: *ἀλλ' οὐδὲ Τίτος Ἕλλην ὢν ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι διὰ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους, οἵτινες παρεισῆλθον κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν ἡμῶν, ἣν ἔχομεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἵνα ἡμᾶς καταδουλώσωσιν. οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ.* Est hic locus in paucis memorabilis, nam quum legeretur de Timotheo Act. XVI 3: *λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν διὰ τοὺς Ἰουδαίους*, ut repugnantia tam aperta tolleretur, satis creditur in Italia correctum fuisse: *οἷς πρὸς ὥραν εἴξαμεν* eliminata coniunctione *οὐδέ* et in superioribus *δέ* inserta: *διὰ (δὲ) τ. π. ψευδ.*, ut Paulus Titum circumcidisse videretur. Hic quaero utra scriptura praestet. Plerique praeferunt cum Marcione insertam negationem et statuunt Titum *non* fuisse circumsectum. Minime miror, nam saepe in textu recepto Marcioniticarum lectionum vestigia servata sunt, sed equidem locum nondum prorsus intelligo. Timotheus circumsectus fuit propter Iudaeos recte; sed quid Titus? Non coactus fuit *propter* superinductitios falsos fratres: num igitur absque illis fuisset circumsectus? Sed hoc quidem absurdum est. Neque Straatmannus hic satisfacit p. 200, neque Holstenius p. 149; quod satis commonstrabit Klostermannus in *Problematis* p. 37. Nec magis video quorsum de Tito narratio pertineat. Cur Paulus in eo itinere sibi Titum comitem adscivit? Omnium certe minime Prinsium sequar in *Ephem. Theol.* 1887 p. 75, qui ita respondet: *Hij zal daarmede bedoeld hebben, te Jerusalem een christen uit de heidenen te toonen, die, zonder besneden te zijn, den Christus in oprechtheid beleed.* Ingenue interdum miror inhabile armaturae genus in Theologorum castris. Primum quod attinet ad superinductitios fratres, recte nisi fallor Holstenius p. 147: *Paulus redet van Lügenbrüdern, welche natürlich aus Jerusalem durch eine Seitenthür — durch den Schein von wirklichen Brüdern — in seine Gemeinden sich einschlichen, um die selbständigkeit des Paulus in der Verkündiging seines Evangeliums gegenüber den Urapostеln, den Männern des Ansehns, und ihrem Evangelium auszuspioniren zu dem Zwecke, um ihn unter diese Männer des Ansehns zu verknechten.* Sed postquam Bruno Bauerius accurate ostendit vulgatam lectionem plane sensu vacuam esse, totam quaestionem ita pertractavit Klostermannus in *Problematis* p. 34 sqq., ut equidem non videam quid addi

Digitized by Google

corrigive possit. Omissa negatione commendat veterem Catholicam recensionem et quidem hoc sensu p. 64: *Diese einmalige Anbequemung an die Unterordnung unter die Urgemeinde geschah aber nicht, weil ich in mir unsicher geworden wäre und solche Erklärung nötig gehabt hätte, sondern sie ward der falschen Brüder wegen nötig, um gegen die von ihnen drohende Gefahr die Wahrheit des Heidenevangeliums im Bestande zu erhalten.* Itaque ne quis erret, Titus circumsectus *non* est. Quantum mihi iudicare datur, solum hoc ab Klostermanno monstratum patet effugium; quod si reiicias, difficile erit Brunoni Bauerio obloqui qui ita scribit p. 20: *Der Satz wird niemals klar werden.*

XXXV. De concilio Hierosolymitano secundum Manenium in Marcionitica recensione fere sic scriptum fuit: *ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι ..... ὁποῖοί ποτε ἦσαν, οὐδέν μοι διαφέρει· πρόσωπον θεὸς οὐ λαμβάνει· ἐμοὶ γὰρ οὐδὲν προσανέθεντο, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἰδόντες ὅτι πεπίςευμαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς ἀκροβυςίας καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι, Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες ςῦλοι εἶναι, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ, ἵνα ἡμεῖς εἰς τὰ ἔθνη, αὐτοὶ δὲ εἰς τὴν περιτομήν.* Quibus in rebus haec narratio distet ab iis quae leguntur in Actis, dicet Holtzmannus p. 413, quae describere supervacaneum est [1]), sed etiam per se spectatus locus suspicione minime vacat. Apostoli mire dicuntur *οἱ δοκοῦντες εἶναί τι* et *οἱ δοκοῦντες ςῦλοι εἶναι*, sed ferri hoc fortasse poterit; minime autem ferri debet vs. 6 quod simpliciter *οἱ δοκοῦντες* appellantur et plane absurda verba sunt vs. 2 *κατ' ἰδίαν τοῖς δοκοῦσιν*, sed abstineo ab notandis locis, qui secundum Manenium retractatae editioni debentur. Ceterum nemo mortalium omnibus horis sapit et vix oculis meis fidem habui, quum viderem secundum Brunonem Bauerium Apostolos ab huius Epistulae scriptore *τοὺς δοκοῦντας* appellatos fuisse propter Luc. XXII 24: *ἐγένετο δὲ καὶ φιλονικία ἐν αὐτοῖς τὸ τίς αὐτῶν* ΔΟΚΕΙ *εἶναι μείζων*. Deinde nunc quoque rogo quod in superioribus iam aliquoties rogavi: debuitne Paulus tam parum honorifice sentire et loqui de Apostolis, quos ipse Iesus inituerat? cf. Loman. in *Ephem. Theol.* 1886 p. 396. Ad

1) Adde Steckium p. 95 sqq.

Digitized by Google

sequentia verba: *μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν* disertus esse possem et quaerere, si Apostoli cum adversario pactionem fecerint eique Gentilium provinciam designaverint ea conditione ut in Palaestina Christiani stipe collata ab Christianis ex Gentilibus alerentur, quid tandem de stipulatione dicturus fuisset Simon Magus; sed horum omnium Manenius otium fecit, qui obeliis et uncinis os mihi obturavit.

XXXVI. Sequitur de Cepha locus: *ὅτε δὲ ἦλθε Κηφᾶς εἰς Ἀντιόχειαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέςην, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν· πρὸ τοῦ γὰρ ἐλθεῖν Ἰάκωβον, μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιεν· ὅτε δὲ ἦλθεν, ὑπέςελλε καὶ ἀφώριζεν ἑαυτόν, φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς.* Respicitur sane participium *κατεγνωσμένος* in Pseudo-Clement. XVII, sed quia plane absurda lectio est — quid enim prodest vertere cum Holstenio p. 77: *weil er im Zustande eines Verurtheilten war?* — hoc tantum sequitur vetustissimum mendum esse et mordicus teneo quod olim correxi: *ὅτι κατέγνωμεν ὃς ἦν*, nec sane quidquam est cur cum Prinsio hic exspectes *ὅςις*, nam similiter legitur Thuc. I 136 *δηλοῖ τε ὅς ἐςι* et Xenoph. Cyrop. VI 1. 46: *πέμπει πρὸς τὸν Κῦρον εἰπὼν ὃς ἦν*, uti et Luc. IX 33: *εἰδὼς ὃ λέγει* et XXII 60: *οὐκ οἶδα ὃ λέγεις*. Ceterum hic secutus sum eam lectionem, quae secundum Manenium Marcionis fuit, sed neque in hac neque in nostris libris dissensionis causam intelligere mihi contigit. Quid mirum Antiochiae fecisse Petrum, quod eum Caesareae fecisse omnes norant, cf. Act. XI 3? Deinde quo tempore *μετὰ τῶν ἐθνῶν* Petrus *συνήσθιεν*, si *εἰδωλόθυτα* fuerunt, non solum Petrus, sed omnes illi ex Gentilibus Christiani peccarunt adversus concilii decretum, nec Petrus solus vituperandus fuit. Si *εἰδωλόθυτα* non fuerunt, cur *οἱ ἐκ περιτομῆς* repente improbare coeperunt quod, uti arbitror, Antiochiae semper factitatum fuerat? Cur Iacobus tanto severior quam Petrus, cuius rei in Actis nec vola nec vestigium est? Denique cur Paulus tam acerbe redarguit quod nihil curat 1 Cor. VIII 8: *βρῶμα δὲ ἡμᾶς οὐ παραςήσει τῷ θεῷ· οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν ὑςερούμεθα, οὔτε ἐὰν φάγωμεν περισσεύομεθα*? Quin et laudandus Petrus propter vs. 13: *εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω*. Alia vide apud Holtzmannum p. 405 et Piersonum

Digitized by Google

de Oratione Montana p. 108. Fortasse credis me nodum in scirpo quaerere et fluctus excitare in simpulo: audi igitur quid Theologi iudicent. Holstenii verba sunt p. 32: *Der Eifergeist seines Gemütes ward wider die Gegner auf Jahre hin-brennender, härter, ungerechter. Wir sehen das aus seinen Urtheilen über sie in den Briefen an die Galater, Korinther. Paulus konnte nie Sinn haben für ein geschichtliches Recht seiner Gegner. Damit hätte er sein Evangelium und sich aufgegeben. Aber er hat nun auch bis zum Römerbriefe hin kein Auge mehr für ihre irrende Schwäche, nur noch Empfindung für ihren bösen Willen.* Non mihi persuadeo repetenda esse Ecclesiae primordia ex odio Theologico.

XXXVII. Sequitur de Barnaba: *καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ λοιποὶ Ἰουδαῖοι, ὥστε καὶ Βαρνάβας συναπήχθη αὐτῶν τῇ ὑποκρίσει*, vs. 12. Etiamsi mittamus Lucae testimonium, qui aliam dissensionis causam inter Paulum et Barnabam attulit Act. XV 39, et summamus Galatarum oppida intelligi quae Paulus cum Barnaba adiit Act. XIII 14—XIV 23 — nam nisi hoc statuas, non intelligetur quomodo Galatae Barnabam cognoscere potuerint — tamen nusquam traditur quomodo Paulus cum amico redierit in gratiam, sicuti videmus 1 Cor. IX 6 [1]). Vide quomodo eam difficultatem declinare conatus sit Blommius in *Ephem. Theol.* 1882 p. 191, sed mihi verosimilior ratio videtur Straatmanni *Paul.* p. 113. — Quae praeterea sunt in hoc secundo capite offensiones, quas Bruno Bauerius diligenter ostendit p. 26 sqq., earum magna pars evanuit ex decurtata Manenii recensione et patienter ferimus ea quoque tela nobis eripi.

XXXVIII. In Manenii recensione pleraeque offensiones tertii capitis evanuerunt, cum et alia compluscula immutaverit, tum resecuerit vss. 6—9, 15—25, 27—IV 2, adeo ut ex versibus 29 vix undecim sint servati. Sed ad vs. 4: *τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ; εἴ γε καὶ εἰκῇ* adscribit Bruno Bauerius p. 34: *Seine strafende Frage setzt eine* lange Reihe *von Prüfungen, Leiden und Martyrien voraus — allein der erste Eingang des Briefs* (I 6) *setzt voraus, dass zwischen der Bekehrung der Galater und ihrem Abfall*

1) Nunc cf. Steckium p. 273.

Digitized by Google

nur ein kurzer Zeitraum *verflossen war*. Sed fatendum est Holstenium ea verba longe alio sensu accepisse. Praeterea remansere vss. 10 et 13, quibus laudantur Deut. XXVII 16 et XXI 23. Dixeramus de his verbis *Verisim.* p. 35 et ita scripseramus, quod nunc describere iuvat: „Serva vs. 13 et habebis bellam sane sententiam: Exsecratos — nempe qui exsecrati sunt, quoniam exsecratus est qui non totam legem observavit — eos igitur servat alius exsecratus, qui exsecratus est, quoniam exsecratus est quicunque cruci affixus fuerit". Sed commune verbum ἐπικατάρατος fecit, ut duo veteris Testamenti loci copularentur et omnino adeundus Lomannus est in *Ephem. Theol.* 1882 p. 321, ut appareat in Epistula ad Galatas stultum ὄξύμωρον esse, Iustinum autem Martyrem utroque loco recte usum esse, quum nondum cognosset has quas hodie habemus Epistulas, quae deinceps retractatae fuerint. Est locus maximi pretii ad obtinendum id quod suscepimus demonstrare. Colorem rei quaesivit Prinsius in *Ephem. Theol.* 1878 p. 412: *Paulus gaat bij deze aankaling, evenals bij zoo menige andere, enkel op den klank der woorden af .... de verleiding, om zich, overeenkomstig het gevoerde pleidooi, pikant uit te drukken, was te groot, en de gelegenheid, die zich aanbood, om tegenover de εὐλογία τοῦ Ἀβραάμ eene nieuwe tegenstelling te voorschijn te brengen, te gunstig, dan dat de levendige geest des Apostels daaraan zou ontkomen zijn. Het oxymoron, door hem opgevoerd, heeft hier, evenals bijv. H.* II 19 *het vermoeden gewekt, alsof door hem meer gezegd of althans bedoeld ware, dan werkelijk het geval is.* Nolim equidem post mortem talis mihi obtingat verborum meorum patronus. Hoc est quod Cratinus dixit: *λόγοισι τὴν κρίσιν προάγειν, ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖν.*

XXXIX. In quarto capite permulta sunt obscura et perplexe dicta, quae omnibus interpretibus negotium facessunt; horum magna pars apud Manenium non comparet: nec mirum, nam, si bene numeravi, ex 445 vocabulis non servavit plus quam 298. Est quidem verum, vocabula quibus Manenius pepercit, multo rectius intelligi posse quam vocabula 147 quae delevit, nec tamen in ea decurtata recensione possum admirari sententiarum *τὴν γλαφυρότητα*. Veluti, etiamsi locus paulo longior sit, ab

Digitized by Google

vs. 4 quaedam describam: *ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*, ΑΠΕΣΤΕΙΛΕΝ *ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ*, ΙΝΑ *τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ*, ΙΝΑ *τὴν υἱοθεσίαν ἀπολάβωμεν. ὅτι δέ ἐσμεν υἱοί*, ΑΠΕΣΤΕΙΛΕ *τὸ πνεῦμα αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ἡμῶν, κρᾶζον Ἀββᾶ ὁ πατήρ. εἰ μὲν οὖν ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ Φύσει οὖσι θεοῖς· νῦν ΔΕ γνόντες θεόν, μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ θεοῦ, πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν ἐπὶ τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, οἷς πάλιν ἄνωθεν δουλεῦσαι θέλετε; ἡμέρας παρατηρεῖσθε καὶ μῆνας καὶ καιροὺς καὶ ἐνιαυτούς*, in quibus tamen malim *παρατηρεῖσθαι* et conferri iubebo Brunonem Bauerium p. 50. Sed lepidum est quod vs. 13 sqq. viri docti suspicantur; primum propter ea quae ibi leguntur: *οἴδατε δὲ ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον*, coll. cum 2 Cor. XII 2, credunt Apostolum comitiali morbo correptum fuisse idque minime absurde, licet incerta suspicio sit. Deinde pergunt et propter vs. 15: *εἰ δυνατόν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἐδώκατέ μοι*, sibi persuaserunt Paulum oculis laboravisse, quum praesertim 2 Cor. XII 7 queratur *περὶ τοῦ ἐν τῇ σαρκὶ σκόλοπος* et Num. XXXIII 55 memorentur *σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς*. Hoc est illud quod apud Aristophanem legitur: *Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν*! Sequuntur vs. 21—31, quos Manenius partim servavit, sed nunc cognoscat mihi quis diversa doctorum hominum iudicia. Scribit Prinsius de *Ep. ad Gal.* p. 53: *Overtuigd dat hij in hetgeen voorafgaat zijn pleit gewonnen heeft, kan hij zich als ten overvloede deze* Spielerei *veroorloven, al heeft hij daaraan zeker meer bewijskracht toegekend, dan zij voor ons bezitten kan.* Contra assurgit Bruno Bauerius p. 56, qui postquam contulit Rom. IX 7—9 ita pergit: *Unser Compilator hat diesen Gedanken fortgebildet und zwar diesesmal* in einer sinnigen Weise. Utri creditis, Quirites? Equidem anceps haereo.

XL. In quinto capite nihil magis miror quam illud quod vs. 2 legitur: *ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει*· diversum certe est quod probatur Rom. XIV et II 29. Deinde idem ille Paulus qui circumsectionem tam vehementer condemnabat, aliis tamen poterat eandem commendare videri vs. 11: *εἰ περιτομὴν ἔτι* (sed in F G *ἔτι* deest) *κηρύσσω τί ἔτι διώκομαι*; quod certe non expedivit Holstenius p. 124 et equi-

Digitized by Google

dem sequi malo Brunonem Bauerium p. 61: *Wo aber ist eine Spur von diesem Vorwurf zu finden? Der Verfasser hat es nicht einmal gewagt, in seinem Brief diesen Vorwurf möglich zu machen und Andere aussprechen zu lassen — kurz er hat ein Unding gebildet.* Multa in reliquis mihi, fateor, obscura sunt; sed unum est de quo ausim contendere Manenium erravisse aut certe temere incertam suspicionem in suam recensionem intulisse. Ad vs. 4: *κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε*, ad eum locum Tertulliani est adnotatio: De servitute igitur exemptos ipsam servitutis notam eradere perseverabat, circumcisionem: quae verba mihi quidem non usquequaque expedita sunt, sed Manenius suspicatur Marcionem et Tertullianum in suis libris legisse: *καταργεῖτε τὸ σημεῖον τῆς δουλείας· οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε.* Non sane hoc scripsit qui scripsit 1 Cor. VII 18: *περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ κέκληταί τις; μὴ περιτεμνέσθω.* Quam miror Manenium illud *καταργεῖτε τὸ σημεῖον τῆς δουλείας* ipsi Paulo tribuere ausum esse! potuitne serio credere Apostolum commendavisse id quod describitur a Celso de Med. VII 25? Nihilne valet contrarium testimonium quod excitavimus ex Epistula ad Corinthios? Sed aliud fortasse Manenius in mente habuit et equidem tali argumento uti nolim, cum adsint difficultates insuperabiles, ut aliunde anquirere nihil opus sit. Nec magis eiiciam vs. 6: *ἐν γὰρ Χριστῷ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη*, quae verba per coniecturam tribuit interpolatori Catholico. Proverbium vs. 9: *μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ* perperam translatum est ex 1 Cor. V 6, ut demonstravit Br. Bauer. p. 60. Vs. 10 *πέποιθα εἰς ὑμᾶς ὅτι οὐδὲν ἄλλο φρονήσετε* minime convenit cum IV 20: *ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν* totiusque Epistulae colore. Ad vs. 13: *μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί*, recte idem Bauerius et alia et hoc: *die Beschränkung tritt sehr plötzlich, sehr unvorbereitet ein und erscheint für die Galater um so unnöthiger, da sie so wenig von der christlichen Freiheit etwas wissen wollten, dass sie lieber die* Knechte des Gesetzes *seyn wollten.* Itidem vide p. 65 de vs. 17 et p. 67 de vs. 20 aliaque quae non vacat describere.

XLI. In sexto capite plurima insunt negligenter enunciata,

Digitized by Google

sed paucis rem absolvam, nam si in superioribus non persuasi, non certe persuadebo in paucis quae adhuc restant. Diligens est praeterea Brunonis Bauerii disputatio, qui hoc prae ceteris egit ut ostenderet scriptorem ubique pendere ex Epistulis ad Romanos [1]) et ad Corinthios. Vs. 1 hiat sententia: *καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον σκοπῶν σεαυτόν* et ut reliqua taceam, quomodo nunc Galatae repente *πνευματικοί* fiunt, qui in superioribus tam acerbe redarguuntur? Pugnant vs. 2: *ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε* et vs. 6: *ἕκαστος τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει.* Quid tandem est vs. 12: *ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, οὗτοι ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι*? Quid est *εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί*? Bauerius intelligit *die den Galaten sich angenehm nach dem Fleisch machen wollen und sie zur Beschneidung zwingen.* Holstenius p. 133 interpretatur: *welche einen schönen Schein haben wollen im Fleisch.* Mihi quidem illud *εὐπροσωπῆσαι* supra quam decenter dici potest, ridiculum videtur; paulo minus ineptum foret *εὐπρεπῆσαι*, quod si quis negat alibi reperiri, respondeo etiam *εὐπροσωπῆσαι ἅπαξ* tantum *εἰρῆσθαι.* Qui autem abstrusis disquisitionibus delectantur, nam equidem me ab iis alienum profiteor, iucunde conferre poterunt Holstenium *Ev. Pauli et Petri* p. 343. Cetera omnia negligentissime composita sunt et quod additur vs. 17: *τοῦ λοιποῦ κόπους μοι μηδεὶς παρεχέτω*, causa minime apparet cur scriptor se vetet interpellari. Auscultabo tamen neque ei in posterum *κόπους παρέξω.* Sic enim mihi persuasum est, eo lucidius aliquando effulsuram esse divinam ac plane incomparabilem Pauli ipsius imaginem, quo eam longius removeris ab Epistularum rabbinica dialectica, quae etiamsi Iudaeis placere potuerit, Gentiles certe neutiquam ad Christi fidem potuit adigere.

Amstelodami
d. 4 m. Maii 1888.

1) De eo argumento nunc vide Steckium inde a p. 50.

Digitized by Google

MISCELLA.

SCRIPSIT

C. M. FRANCKEN.

Lucan. I. 69 .... quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi
corrigendum *orbe*; dativus ineptus est; in ablativo Lucanus *orbe* habet; etiam eis locis, ubi metrum indicium non facit, ut I. 53, II. 280, III. 230, VIII. 603, Vossiani 1, 2 et reliqui noti *e*.

Lucan. I. 109.
Dividitur ferro regnum, populique potentis
Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem
Non cepit fortuna duos
(Voss. 2 var. l. a 2 m. *continet*, 1 et 2 *coepit* perpetua confusione). Schol. Bern: POPULIQUE POTENTES alii potentis". Minucius Felix 18. 6 „et tam magni imperii duos fortuna non cepit" sic libri. Florus contra, quem constat multa sumpsisse e Lucano, IV. 2. 14: „sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet". Apparet alios *potentis* pro genetivo alios pro accusativo habuisse, quasi δυνάστας: duos populi dominos non tulit fortuna populi Romani, quamvis magna, ut potentes rerum suarum, urbis, imperii saepe dicuntur. Altera lectio *potentis* (genet.) non quadrat recte in proximi versus sententiam, in quo non certi cuiusdam populi fortuna, sed deae Fortunae nullis finibus circumscripta potestas celebratur. Ambitus totius orbis terrarum, quem possidet fortuna, non

Digitized by Google

cepit duos dominos P. R. Haec posterior ratio eo quoque praeferenda, quod in altera nudum *duos* nimis tenue est.

Lucan. I. 151. Comparatur Caesar cum fulmine:

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua praestringens lumina flamma:
In sua templa furit, nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.

(v. 3 Voss. 2 pavore). Fulmen ex collisione nubium oriri putabant, colliduntur autem vento; Seneca NQQ. II. 23 „nubes quoque in nubes incitatae fremente vento et leniter urgente ignem evocabunt". Ib. I. 14. 5 „ventorum rabie fulmen oritur". Iuven. XIII. 225. Lucr. VI. 160. *Ventis* in loco adscripto est ablativus: ventus exprimit (nubibus) fulmen, idque per nubila emicat et solis lumen vincit (rumpit diem), et coeli templa (sua templa) percutit, dum a nulla materia (idem vocabulum Seneca NQQ. II. 52. 2) retinetur. Exire est libere spargi, exspatiari, ferri, quo fere modo arbor ad coelum exire (Verg. G. II. 81) et leo supra venabula saltu se proripiens (infra 212) et translata significatione fama et rumor exire dicuntur. Ad postrema apposite laudatur Xenophon Mem. IV. 3. 14 *ὁρᾶται δ' οὔτ' ἐπιὼν οὔτε κατασκήψας οὔτ' ἀπιών*. Plin. NH. II. 142: nec tam adventus (fulminis) spectatur quam reditus. Haec igitur satis clara, sed structura manca: qualiter emicuit rupitque diem populosque terruit, *in sua templa furit*. In postremis his coniunctio necessaria est. Sensit id Bentleius requirens *cum* emicuit aut *et* furit in sua templa. Prius si probatur ut Bentleio placuit (cum s. ut micuit), protasis (— flamma) nimis videtur onerata, quare malim: *et sua templa ferit*. Apparet autem hoc dici propter Caesarem suam patriam invadentem, id quod in postremis quoque versibus tenendum est.

Lepida est annotatio Scholiastae Voss. ad Lucan. I. 188 .... mos Romanis erat ut, cum victores ab aliis revertebantur gentibus, ibi milites in domibus suis cum signis absolverentur, ille vero

Digitized by Google

solus absque bandis Romam intraret, quod Caesar in civili bello noluit nisi cum bandis, unde et patriam trepidantem dicit [186]". Talem barbariem non capiens librarius Voss. 2 correxit scilicet: *blandissimo* et *blandis*. Saepius in Vossiano 1 Theotiscae glossae inveniuntur, ut statim 242 pila, dardos (idem in Berol.), alia cum amico collega Gallée communicavi. Pleraque horum edidit Weberus cum scholiis a° 1831. — Ut supra sic ad I. 402 Voss. 2 repetit ea quae in Voss. 1 aut huic simili invenerat. Voss. 1: „qui iam per X annos manserant in statione". Voss. 2: „ut etiam ab statione discedunt custodita per annos X; dimicante Caesare iam solvuntur". Voc. *iam* punctis notatum. (Lucani verba sunt: solvuntur flavi longa statione Ruteni).

Lucani Scholia in Voss. 1 a pluribus sunt manibus scripta, quae sunt eiusdem aetatis inter se et cum textu. Statim duo genera scribendi dignoscuntur, ex quibus alterum habet angustiores litteras et magis extra lineam prominentes. Non tamen hoc esse recentius efficias ex II. 120, ubi manus scholiastae vulgaris explevit spatium ab angustiore forma vacuum relictum. Qnod autem scholia non multo post textum scripta sunt apparet ex fol. 24 v°, ubi manus similis ei, quae textum scripsit, *postquam* scholia addita sunt, adscripsit (II. 456) in margine quaedam (supra vocabulum tonantis: tridentis.) Fol. 26 v° clare ambae illae manus scholiorum mixtae sunt eaeque alternant per totum fere codicem: desinit altera illa supra significata in fine libri II, comparet rursus III. 371 — fin., IV. 229—255, 597 passim — VI. 80, fol. vero 79 v° desinit (cum iam in superioribus *duae* manus recentiores scholia adscripsissent), rursus apparet VI. 333—412, VI. 598 et deinceps passim, sed raro (cf. VIII. 354), usque ad X. 302. Praeter has duas manus tertia etiam et quarta distingui possunt, non ut altera alteram emendaverit, sed tres aut plures librarii in describendis scholiis deinceps fuere occupati.

Lucan. I. 281. Curio Arimini Caesarem incitans ad bellum civile suscipiendum his inter alia utitur:

Tolle moras: semper nocuit differre paratis:
Par labor atque metus pretio maiore petuntur:

Digitized by Google

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum. Facili si proelia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.

Duae explicationes sunt verborum *pretio maiore*: „maiore cum impendio" et „maiore cum mercede". Sententia igitur creditur esse: „in dilatione rerum habes eundem laborem et metum cum maiore iactura sive impensa" aut „ubi statim agis, maiore cum lucro non maius periculum aut laborem habes". Posterior praeferenda, quod in ea paulo tolerabilius est *petere*; nemo enim *petit* illud, in quo nihil boni est. — Scholiastes Vossianus (Bernensis ad h. l. desideratur): „hic est sensus: in hoc bello tantus inpendendus est labor et metus quantus in bellis Gallorum, sed post victoriam plus consequeris: ibi enim Gallias subegisti, hic tibi serviet Roma et totus orbis, quia orbis illius est, quae subigitur". Iuvabitur sententia scribendo *petentur*; certus de eventu Curio laborem hunc et hoc periculum appetendum significat, idque sequentibus illustrat.

In Voss. 2 Lucani (L. F 63) folium 46 in fine libri collocatum hanc continet vitam Lucani (inter annotationes ad primos versus) scriptam antiqua manu, saec. X:

Lucanus iste hispanus genere cordubensis | fuit regione. dignitate vero et eruditione romanus. | Qui primo apud imperatorem neronem maximum potu|it. adeo ut etiam de componendis versibus nonnunquam | inter se contenderent. Sed postea accusatus est | quod consensisset factae coniurationi contra impe|ratorem. Cumque non inveniretur in eo talis constan|tia qualis putabatur. nam et cito obiectō sibi crimen | prodidit et matrem quae innocens erat accusavit quod | particeps coniurationis fuisset. morti adiudicatus est | data sibi obtione mortis, ut qua vellet morte pe|riret. Qui largiter epulatus iussit sibi arcia|trum accessiri, et incisis omnibus venis corporis periit.

Unde morte praeoccupatus quaedam quae inchoaverat | imperfecta reliquit. Nam mortem pompeii atque cato|nis descripsit. Libellos etiam suos inemendatos avun|culo suo senecae ut eos emendaret tradidit.

Sciendum quia primo iste liber a lucano non ita est inchoatus | sed taliter. Quis furor o cives, quae tanta licentia ferri. |

Digitized by Google

Seneca autem qui fuit avunculus eius quia ex arrupto [l. abrupto] | inchoabat, hos VII versus addidit: |
„Bella per emathios" usque [add. *ad*] „et pila minantia pilis" |

Lucilii XXVI. 505 (Baehr.) Non. 394. 28: „siccum, exercitum. Luc. lib. XXVI: cum stadio in gymnasio in duplici corpus siccassem pila". Manifesto *in* per errorem bis positum est: exercuisse se dicit aliquis, dum puer esset, duplici stadio (διαύλῳ) *et* pila. Vere Gerlach. iam correxerat:

Cúm *stadio* in gymnásio *duplici* córpus siccassem *ét* pila.

Lucilii XXVII. 520 (Baehr.) Non. p. 320. 25: „honor, sepultura .... Lucilius lib. XXVII: nullo honore displetu, nullo funere".

Haec sic exstitisse ex: „nullo honore di...s *f*letu, ..., nullo funere" = „nullo honore di*gnus*, fletu *nullo*, nullo funere" ut probem, ex proximis aliud exemplum addo confusarum F et P. Scilicet ipsa res et ratio docet saepius in antiquissima forma macilenta litterarum capitalium vix distingui potuisse haec inter se. Supra igitur XXVI. 473 (Non. 158. 11 prosferari, inpetrari):

néc minimo ei (fort. Minervae ei) *prósperatur* páx quod Cassandrám (*deae* fort. add.)
sígno deripuít

codices habent *prosferatur*, quo loco quidquid conicitur (possit enim placere, collato Nonii lemmate, *propetratur*), F locum alterius litterae occupavit. Inde sane aliquam habet commendationem *platicam familiam* pro codd. *flaticam* ib. 477, sed si lubet nova tolerare vocabula, ego ibi probarem *fătĭcam* a *fatisco*, *fatis* (cf. *affatim*) i. e. luxu et copia dissolutam.

Lucilii XXVI. 429 (Baehr.) Non. 351. 4: „mutare, transferre. Lucilius lib. XXVI: doctior quam ceteris is asa mittas mutes aliquo tecum satra facta uitia".

In priore parte quomodo corruptio nata et aucta sit ostendi potest. Scriptum erat in archetypo: *sis mittis*. Hoc erat legen-

Digitized by Google

dum *sis mittas*, indicativus *mittis* in coniunctivum erat mutandus; sed cum *a* casu ac festinatione nimis a sinistra supra scripta esset, hinc nata haec monstra: sis matis (Bern.), sis amittis (V. C. Dousae), sissamittis (Harl.). Ex alio codice in quo erat *sis mittis* corrector hinc fecit *sis*AS*amittis* (corr. Harl. cum Leid. et aliis). Tantas turbas peperit una littera male intellecta. Legendum: „dóctior quam céteri sis, míttas".

Postrema corrupta sunt, confusis *a* longobardica et *u*, ex *sūtrofacta vitia* i. e. *σύντροφα* facta vitia:

dóctior quam céteri sis, míttas, mutes áliqua tecum
σύντροφα facta vítia.

In argumentis philosophis potissimum Lucilius Graecis vocabulis utitur, velut *ἀρχή*, *στοιχεῖον*, aliis.

Lucilii XXVI. 483 (Baehr.) Non. 110. 16. „Fulgurivit — fulgure afflavit — Luc. lib. XXVI:

luporum exauctorem maluanum fulgurítarum arborum".

Fulgurítarum etiam ex mea collatione, quam accurate confecit Doct. W. Wright, a prima manu habet Harleianus (tacet Quicherat), prima manus correxit *fulguritatem*. Optime Lachmannus

lucorum exactorem Albanum et fulgurítarum arborum,

modo teneatur „exactorem" non esse expulsorem, sed curatorem (silvarum).

Lucilii XXVI. 503 (Baehr.) Non. 351. 2:

Mihi quidem non persuadetur, *publices* mutem meos.

„Pulices" coniecit Dousa, „podices" Baehrens, quod non intellego. Legendum:

Mihi quidem non persuadetur, *Publie*, *ut* mutem meos,

scilicet lares; nam Nonius mutare h. l. per derelinquere interpretatur. De *Publie* vocativo cf. Prisc. p. 301. K.

Aliud exemplum correctionis male a librariis intellectae est in eodem libro

Lucilii XXVI. 439 (Baehr.) Non. 353. 10:

súmmis *nitere* ópibus at ego cóntra ut dissimilís siem.

Ibi *nitinere* Guelferbitanus; vitiose scriptum erat *tinere* pro *nitere* eodem illo mendo quo *modus* et *domus* (Peerlkamp ad

Digitized by Google

Hor. C. II. 6), *Roma* (**orma*) *ei forma*, MINimus et NIMius, *cives* et *vices*, *gerere* et *regere*, *removere* et *revomĕre* et multa alia. Ergo *nitere* peperit *nittinere*, *nitinere*, unde reliquorum lectiones *nitire*, *niti naturae* (Perizonianus b cum Ald. Iun. reliquis ante Gerlach-Roth editionibus ex dittographia: *nitinitire*, *niti naturae*). Verum habet margo Iunii *nitere*, manifesto alloquitur poeta aliquem. Ceterum in omnibus depravationibus *re* syllaba constans est, quare minus probo *niti te*.

Lucilii XXVI. 472 (Baehr.)

súspendat[ne] se an gládium incumbat né caelum *videát* ⏑– *Bibat* Kochius. Libri *vivat*. Qui gladium incumbit curvat se et humi oculos figit, ergo *videat* aptum et acerbum: non vult contemplari coelum; sed coelum haurire desinit quisquis moritur.

VERGILIUS.

Aen. VI, 660 sqq.

Hic manus ob patriam pugnando volnera passi,
quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
quique pii vates et Phoebo digna locuti,
inventas aut qui vitam excoluere per artes,
quique sui memores *aliquos* fecere merendo:
omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

Poeta cum sedes beatas et niveae vittae insigne iis tribuat qui, dum vivebant, virtutibus sive artibus excellerent, in eorum coetum, si lectio esset vera, tales viros reciperet, qui nihil a vulgari mediocritate discederent; quis enim nisi pessimus homo non *aliquos* saltem beneficiis sui memores moriens reliquerit. Quod nonnulli editores receperunt *alios* quamvis languidum sit, quasi quis merendo se ipsum sui memorem facere possit, si omnes codices haberent, ferrem, ita tamen ut hoc vulgato uterer ad ineptias, quae non rarae in Vergili carminibus inveniuntur, tuendas: „poeta si diutius vixisset correxisset"; nunc cum optimi codices habeant *aliquos* puto veram scripturam esse *reliquos*, i. e. omnes praeter se, sive superstites.

P. J. SCRINERIUS.

Digitized by Google

AD LYSIAE OR. I § 18.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

ἐλθὼν δ' οἴκαδε ἐκέλευον ἀκολουθεῖν μοι τὴν θεράπαιναν εἰς τὴν ἀγοράν, ἀγαγὼν δ' αὐτὴν ὡς τῶν ἐπιτηδείων τινὰ ἔλεγον κ.τ.λ.

Haec verba neminem quantum scio unquam offenderunt, nec tamen ea sana esse mihi persuadere possum.

Euphiletus ab anu cognovit uxorem suam ab Eratosthene corruptam et ancillam τὴν εἰς ἀγορὰν βαδίζουσαν huius rei consciam esse.

Igitur consilium cepit, illius animo explorato, rem diligenter inquirere.

Iubet eam secum ire in forum.

Hucusque omnia bene procedunt. Sed quid deinde dicit?

ἀγαγὼν δ' αὐτὴν ὡς τῶν ἐπιτηδείων τινά — cum ad unum amicorum meorum eam mecum deduxissem.

Quid ei tunc temporis cum amico?

At fieri potuit ut amicus ille in foro domum haberet. Ita; sed § 21 legimus: ἐπειδὴ δὲ πάντα εἴρητο αὐτῇ, εἶπον ἐγώ· „ὅπως τοίνυν ταῦτα μηδεὶς ἀνθρώπων πεύσεται". Et erat publica via, credo, locus magis idoneus ad res secretas agendas quam curiosi amici domus, cui id etiam mirum videri necesse esset Euphiletum cum ancilla amicos visere. Accedit quod, si nullae in illa re illius amici partes fuerunt, sed tantummodo domo eius opus fuit, dictum oportuit εἰς τῶν ἐπιτηδείων τινός.

Haud tamen tam longe petita explicatione opus est. Iubet ancillam secum ire in forum, ἀγαγὼν δ' αὐτὴν ὡς — quo praetextu? Scilicet ad commeatum emendum. Legendum igitur: ἀγαγὼν δ' αὐτὴν ὡς τῶν ἐπιτηδείων ἕνεκα.

Conferas § 22 ubi τὰ ἐπιτήδεια eandem habet significationem: εἰδὼς δ' ἐγὼ ὅτι τηνικαῦτα ἀφιγμένος οὐδὲν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων.

Digitized by Google

QUAESTIONES AD HISTORIAM SCENICAM PERTINENTES.

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J. F.

(*Continuantur ex pag.* 288.)

III.

DE ARISTOPHANE CLEONIS EURIPIDISQUE IN VESPIS IRRISORE.

Quisquis Aristophanis Vespas ceterasque eius comoedias bene notas habet, neque alios haec dum scribo mihi expeto lectores, ipsum titulum quem supra posui mirabitur fortasse. Recordabitur enim Cleonem, si paucos versus excipias, post actam demum fabulam ab Aristophane insertos, in Vespis vix nominari nedum proculcari, Euripidis autem nullam omnino mentionem fieri nisi in uno versu 1414, qui tamen non ad deridendum tragicum est scriptus.

Quapropter duas theses praemittam, ut a fronte disputationis succincte indicem quid mihi demonstrare in animo sit.

Quarum prior haec est:

> Aristophanes sicubi dicit „hoc illudve in fabulis meis *nunquam commisi* vel *committam*", innuit *alium poetam comicum* eiusmodi quid nuper fecisse vel dixisse.

Altera thesis esto:

> Aristophanes quotiens declarat „hoc illudve, quod vitio mihi versum est, *non iterum faciam*", non serio sed *per ironiam* loquitur, et contrarium potius sibi consilium esse indicat.

Digitized by Google

His thesibus mox utar ut ostendam quae fuerit mens poetae cum Vespas componeret. Sed prius ex ceteris eius fabulis argumenta petam ad ipsas theses stabiliendas. Quamquam dixeris, vel sic satis firmas esse quaeque per se stare possint. Nam comicus, qui spectatoribus promittit se aliquid non perpetraturum, insulsus profecto et vere absurdus homo iis videretur, si parum aperta esset causa cur id potissimum se facturum denegaret. Tum demum eiusmodi promissum non friget, cum statim intellegunt omnes quo tendat; sin minus, „quorsum haec" rogabit quilibet, et explodetur opinor actor qui nugas pro facetiis venditare sustineat. Neque poetae foret iocosi et ingeniosi, de suis ipsius delictis, si qua in pristinis fabulis aut ipse detexisset aut alii indicassent, serio sic loqui: „olim nugas egi, ieiuna fudi; vere dixit is qui hoc contendit pudetque me peccati; at ignoscite mihi: non iterum faciam". Tale quid neque ab aliis hominibus neque vero a poetis agnoscitur facile, nedum palam concedatur; ubi vero intellectum est, silentio est premendum, novisque victoriis melius redimitur quam humilibus precibus; aut si reticeri quacunque de causa nequit, per risum et facetias est commemorandum, ut iocando tela excutiantur aggressoribus.

Itaque res ipsa id fert, ut theses istae defensione indigere vix videantur, et axiomata fortasse dicenda erant potius, quae ipsa ratio offerat quaeque convellere non facile quisquam aut cupiat aut possit. Verumtamen exemplis saltem et testimoniis eas illustrasse, non inutile fuerit.

Initium faciam a loco qui est in Equitibus. Qui locus quamquam non quadrat ad alteram utram regularum quas statuimus, minime tamen ab argumento nostro alienus est. Equitum igitur versu 230 sqq. „nolite timere", — ad spectatores dicit actor — „Paphlagonis enim, qui iamiam in scenam est processurus, non „ad vitam expressa est facies; scilicet inveniri non potuit artifex „qui fingere eam sustineret; attamen homo noster agnoscetur „opinor a sagacibus spectatoribus". — Haec serio dici credidit sane biographus [1]) ille qui credidit etiam Artaxerxem de comici

1) *οὐδενὸς δὲ τῶν σκευοποιῶν τολμήσαντος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ* (*Cleonis* nimirum) *σκευάσαι δι' ὑπερβολὴν φόβου, ἅτε δὴ τυραννικοῦ ὄντος, μηδὲ μὴν ὑποκρίνασθαί τινος τολμῶντος, δι' ἑαυτοῦ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο, αὑτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας κτέ.*

Digitized by Google

gloria sollicitum fuisse [1]); at nostrum non est tam pueriliter errare. Immo prorsus contrarium significari, servum enim Paphlagonem quam accuratissime rettulisse vultum Cleonis, et ab unoquoque statim agnitum ingentes civisse cachinnos, ingeniose et verissime ut arbitror statuit Naberus [2]).

Sed, ut dixi, probum exemplum generis iocandi de quo agimus hic locus haberi nequit. En igitur aliud, quod ab omni parte aptum est. In *Nubium* parabasi, quam postquam acta est fabula ab Aristophane adiectam esse constat [3]), laudatur retractatae huius fabulae gratia pudica, vs. 537 sqq.: „Ab illa enim abesse veretra facticia" [4]): — quibus vetus comoedia gaudebat et perpetuo fere utebatur [5]). „Neque calvos in ea rideri" [6]): — quod Eupolim fecisse ipsumque ab eo Aristophanem sic derisum fuisse, observant scholia [7]). „Neque saltationes turbulentas aut obscoenas in scena agi" [8]): — quod quo spectet paucis versibus post (vs. 555) edocemur, Eupolis scilicet ante biennium in Maricante fabula induxerat matrem Hyperboli indecore saltantem. „Neque senem inesse qui iocos insulsos flagris condire conetur" [9]): — qualem fecerat Eupolis in Prospaltiis, testibus scholiis [10]). „Neque musam suam cum facibus in scenam

---

1) οὕτω γέγονεν ἡ φήμη τοῦ ποιητοῦ ἔνδοξος, ὡς καὶ παρὰ Πέρσας διήκειν κτέ.; coll. Acharn. 647.

2) In Mnemosynes Vol. X (1882) pag. 361.

3) Conf. supra in cap. II, pag. 281.

4) ὡς δὲ σώφρων ἐστὶ φύσει, σκέψαθ'· ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἤλθε βαψαμένη σκυτίον καθειμένον
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

5) *Eupolim* tamen prae ceteris hic carpi, fidem faciunt ultima verba, quae diductis literis exprimenda curavi, collata cum Eupolidis in Aristophanem dicto, infra afferendo: „rusticus est iste tuus iocus, γελᾷ γὰρ ὡς ὁρᾷς τὰ παιδία."

6) οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς.

7) Conf. supra cap. II, pag. 274.

8) οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν.

9) οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ', ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα.

Anapaestica certamina apud comicos dici τὰ ἔπη docuit v. d. Zielinski Gliederung der altatt. Komödie p. 289.

10) Quae in scholiis adiciuntur ἢ ὡς εἰς τοῦτο τὸ μέρος εὐσπίφορον ὄντα τὸν Ἑρμιππον, vitiose tradita esse suspicor, pro Hermippi enim nomine scribendum esse Ἑρμωνα. Nam ad sequentem versum in scholio legimus: τοῦτο εἰς Ἑρμωνα λέγει τὸν ὑποκριτήν, καὶ γὰρ ἐκεῖνος τοῦ γελᾶν χάριν τοὺς ἐγγὺς ἑστῶτας ἔτυπτε τῇ

Digitized by Google

irruere clamitantem" [1]): — quod quorsum pertineat nescitur, sed ab Eupolide eiusmodi quoque iocum inficetum, qualis Lysistr. 1217 sq. *Φορτικός* appellatur, in recenti aliqua fabula admissum fuisse, nostro iure statuemus [2]). Deinde poeta suae ipsius magnanimitati, qua Cleoni pepercisset mortuo, opponit importunam assiduitatem aemulorum, qui in Hyperbolum irruerent cuncti; et superciliose admodum sic desinit:

ὅστις οὖν τούτοισι γελᾷ, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω,
quisquis igitur nugis istorum delectatur, a meis inventis procul absit.

Haec igitur cum scriberet Aristophanes, urebat eius animum indignatio et invidia, quod alios comicos praelatos sibi vidisset, victusque esset ab ignobilibus poetis, qualis erat Amipsias. Hinc autem ex parte saltem excusari potest, quod non optima fide de suis ipsius consiliis exposuit in versibus allatis; nam *κειμένῳ* — id est mortuo — Cleoni neque pepercit omnino, novimus enim Pacis initium et parabasin, neque demagogum illum totis fabulis deridendum potuisset proponere mortuum, etiamsi sic tulisset animus; in oblivionem iam fere abierat, de vivis loquendum erat. Hyperbolum autem si multi petierunt, at petierunt vivum, petierunt Athenis praesentem et auctoritate pollentem; exuli mortuove ceteri an pepercerint nescio, Aristophanes vero non pepercit, teste Thesmoph. vs. 840.

Sed hoc hactenus, non enim in culpando aut defendendo versamur comico, sed interpretari eius consilia conamur.

βακτηρίᾳ. *Hermonem* igitur, cuius nomen e Polluc. IV 88 constat et in Pacis Argumento latere videtur (cf. cap. II, pag. 277, 1), non Hermippi sed *Eupolidis* fuisse actorem, satis ex hisce omnibus inter se collatis apparere arbitror; itaque etiam in scholion ad vs. 539 Hermippi nomen per errorem, ex compendiosa scriptura natum, irrepsisse censeo.

1) *οὐδ' εἰσῆξε δᾳδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ.*

2) Nam poetam de priore Nubium recensione his verbis loqui, *sua ipsius* igitur *inventa*, quae minus placuissent, perstringere, id quod in scholiis contendit alius quidam commentator, recens ille et parum subacti iudicii, summo iure negarunt Esserus (de prima et altera quae fertur Nubium Aristophanis editione, 1833) et G. Hermannus (in Nubium recensione posteriore p. XXVI).

Faces autem illas et clamores a *Philyllio* brevi ante spectatoribus fuisse oblata, fuit cum putarem propter schol. Plut. vs. 1195, coll. Athenaeo XV p. 700 f. Cui tamen suspicioni cum non admodum faveant temporum rationes, Olympiadi enim XCVI fere Philyllius assignandus est (cf. Meinekii Hist. Com. p. 258), tutius videtur statuere, ad *Eupolidis* aliquam fabulam hoc quoque versu alludi.

Digitized by Google

Loco igitur, quem e Nubium fabula modo attulimus, consimilis extat alter in *Pacis* parabasi; ibi autem talibus verbis poeta utitur ut ne levissima quidem sit occasio errandi. Dicit coryphaeus (Pacis vs. 739 sqq.) fractam esse ab Aristophane ignavam aemulorum impudentiam; hos non amplius audere abuti insulsis iocis, quales olim in scenam afferre non erubuissent. Non iam ludendi materiem peti ex vestium squallore; nulla iam cum pediculis bella geri coram spectatoribus; sperni decantatam illam Herculis ingluviem, servulosque illos, qui centies spectati fuerant, ignavos fallaces vapulantes. Ista omnia, quae uno *Φόρτου* nomine contumeliose designantur, victa iam iacere unius Aristophanis ingenio et industria, qui artem comicam altius evexerit. Hunc nobilibus semper uti inventis decoro sermone expressis, neque debellare ignotos homunciones et mulierculas, sed ex iis potissimum viris, quorum summa in rep. auctoritas, triumphos sibi petere.

Hisce omnibus aut solum aut praecipue carpi *Eupolim*, testantur scholia et nos libenter credimus; etiamsi enim nemo testaretur, id suspicaremur. Accuratius tamen loquentibus sic potius statuendum videtur, non *solum* tangi Eupolim, sed simul Hermippum Pherecratem Amipsiam Phrynichum et si quos alios his temporibus competitores habebat Aristophanes; verumtamen *exempla* illa iocorum illiberalium, quae poeta affert, ex Eupolidis fabulis cuncta fere sublecta esse. Quod inprimis valet de ultimis verbis; nam *ἀνθρωπίσκους* et *γύναια* ab aemulis lacessi cum dicit comicus, *Autolycum* eiusque matrem *Rhodiam* spectat, quos Eupolis in *Urbibus* propudio habuerat [1]) et gravius etiam anno postquam Pax est acta per totam fabulam *Autolycum* insectatus est. Possit etiam aliquis de *Hyperbolo* eiusque matre cogitare, quos in *Maricante* binis mensibus ante Pacem actam prosciderat Eupolis; quoniam tamen Hyperbolus hoc tempore auctoritate minime carebat, de Maricante fabula sic loqui Aristophanes vix potuit, certe non potuit nisi per calumniam.

Denique manifesto petitur Eupolis in versu Pacis 762, ubi coryphaeus testatur „elatum non esse Aristophanem priore vic-

1) Conf. quae in cap. I pag. 260 sq. exposuimus. Etiam in *Amicis* Rhodiam vellicavit Eupolis (fr. 278 Kock).

Digitized by Google

toria neque per palaestras superbientem pudicitiae puerorum insidiari". Idem dicitur in Vesparum parabasi, ubi haec omnia repetita extant, et vel clarius aliquanto ibi indicatur Eupolis.

Praeter luculenta haec quae attulimus exempla aemulorum irrisorum, indicandum est Ranarum fabulae initium, ubi admodum festive traducuntur ioci scurriles, quos a *Phrynicho*, *Lycide*, *Amipsia* adamari contendit poeta. Verba sunt servi, serviles facetias sibi hodie nullas concedi ludicre quaerentis:

τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὥνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας;

Qui *Lycis* cum aliunde non sit cognitus, nescio an vera lectio sit

εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὥνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν κἀπὶ λυκος κἀμειψίας.

Cui coniecturae favere videtur scholion: λέγει (immo λέγουσι) δὲ αὐτὸν καὶ Λύκον, οὗ οὐδὲν φέρεται, et Suidas i. v. Λύκις] λέγεται καὶ Λύκος. *Epilycum* autem, Cratetis fratrem, cum Aristophane coniunctum habes apud grammaticum Bekkeri p. 411. Attamen quoniam inter poetas scenicos, quorum nomina recensentur in fragmentis lapidum quae anno 1878 Athenis sunt effossa, etiam Λύκις commemoratur vel certe videtur commemorari [1]), fortasse praestat a tradita lectione abstinuisse manus.

Quidquid id est, — nam Lycisne an Epilycus derideatur ab Aristophane, scire vix quidquam attinet, — admodum notabilis est hic locus, quoniam poetae comici, quorum frigida inventa despicatui habentur, ab ipso Aristophane nominatim hic indicantur; in his autem est *Phrynichus*, quem scimus hac ipsa commissione cum Aristophane certasse et secundas tulisse. Talia igitur poeta non ad captandam spectatorum erga se benevolentiam profert, sed potius ad ciendam malevolentiam erga aemulos quos metuendos sibi esse intellegat; ita ut ex huiusmodi dicteriis coniecturam facere possimus de nominibus eorum quos poeta

1) Legitur nomen in lapidis parte anfracta, et fieri igitur potest ut Λυκίσκος fuerit; complura certe nomina comparent in fragmentis huius catalogi, qui tertio seculo ante Ch. institui coeptus est, quorum alibi nec vola nec vestigium. — Post Kumanuden et Koehlerum haec fragmenta edidit Dittenbergerus in utilissima Sylloge Inscriptionum pag. 613—619.

Digitized by Google

quo tempore talia scripsit competitores habuerit acerrimos. Hac ratione explicandi sunt versus in parabasi *Equitum*, ubi Cratinus vocatur senex delirus, olim de scena sic satis bene meritus sed nunc commiseratione tantummodo dignus. Scilicet Cratinus his ipsis ludis Aristophanis erat aemulus. Qui utrum nonagenarius, ut traditum accepimus, tunc temporis fuerit, an aliquanto minor natu, ut contendit Naberus [1]), nunc non rogo; sed nondum eum delirasse satis certum est, secundum enim accepit praemium, et proximo anno primas tulit. Non spernebat igitur Aristophanes sed quam maxime timebat eum competitorem.

Inversa autem ratione ex notitiis didascalicis, quae ad nos pervenerunt, effici potest, quosnam potissimum comicos Aristophanes in singulis fabulis tanquam ineptos nugatores designare debuerit. *Pacem* cum scenae commisit, aemulum habebat Eupolim, cuius fabula *Adulatores* primas tulit: hinc est quod in Pacis parabasi carpitur Eupolis satis maligne, ut vidimus. Et ad *Vesparum* fabulam quod adtinet, de qua nunc agendum: quoniam in capite primo [2]) probavimus, ut spero, competitorem Aristophanis, cum Vespas doceret, fuisse *Eupolim*, statim suspicabimur, si quos in hac quoque fabula offendamus iocos de aliorum comicorum insulsis commentis, talia ad *Eupolim* denigrandum dicta esse.

Vesparum igitur introitu servus aliquis asseverat spectatoribus, non scurriles iocos iis oblatum iri in hac fabula, neque tamen magni momenti aliquid esse expectandum; Cleonem Euripidemve nullos hodie in scena risus esse daturum.

Non serio haec accipienda esse, satis iam perspicimus; neque id latebat spectatores. Immo his auditis arrigebant aures, quo melius captarent iocos mox proferendos de utroque viro notissimo, quem Aristophanes saepius summis cum plausibus sale comico perfricuisset. Ne hodie quidem defore tales iocos, neque tamen nudos fore atque apertos, intellegebant. Norant suum comicum; sciebant eum iocose mentiri non rarius quam ridendo dicere verum, et promissum suum ipso promisso evertere iis videba-

1) In actis Academiae Regiae 1883 pag. 268.
2) Vid. supra pag. 251 sqq.

Digitized by Google

tur; ita denique ei credebant, cum talia de nova sua fabula praedicaret, ut Nasoni puero credidit ludimagister promittenti: „non iterum faciam, posthac non carmina dicam".

Sed excribendus est totus locus, neque enim ab omni parte antehac recte explicatus esse videtur, neque sine vitio ad nos est promulgatus.

Xanthias igitur, qui primarum est partium et mox Philocleonem est acturus [1]), sic alloquitur spectatores:

Φέρε νυν κατείπω τοῖς θεαταῖς τὸν λόγον,
ὀλίγ' ἄτθ' ὑπειπὼν πρῶτον αὐτοῖσιν ταδὶ,
μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ Φορμίδος
δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
οὔθ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος,
οὐδ' αὖθις ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης·
οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.
ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν λογίδιον γνώμην ἔχον,
ὑμῶν [2]) μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ Φορτικῆς σοφώτερον.

Actor igitur poetae nomine ita incipit loqui: *a nobis non permagnum quidem nunc expectandum est inventum, neque tamen scurriles vobis offeremus iocos, quos ex Megarensium urbe nos esse suffuratos dixerit quispiam.*

Hanc autem, quam vertendo expressi, veram esse vim particularum *μηδ' αὖ* vel *οὐδ' αὖ* (nos: *maar toch ook weer niet*), si in loco minus ambiguo versaremur, ne adnotarem quidem; nunc vero, cum periculum sit ne cum *αὖθις* confundatur illud *αὖ*, et ita igitur accipiatur versus quasi dicat actor: *non iterum vobis apponemus allia megarica*, non inutile videtur breviter de hac locutione exposuisse.

Indicant igitur hae particulae, afferri rem quae alteri rei modo commemoratae prorsus sit opposita; similia igitur essent

1) Hanc opinionem pluribus tueri, non huius est loci; neque ad nostram disputationem quicquam refert, uter servus haec dicat.

2) Dubito an sequar Hamakerum ἡμᾶν corrigentem.

Digitized by Google

nostro loco verba aleatoris „*οὐ μὲν τρὶς ἓξ οὐδ' αὖ τρεῖς κύβους*" se iecisse dicentis. Et ut ficto huic exemplo alterum adiungam ex antiquo scriptore excerptum, non satis perpendisse mihi videntur vim harum particularum Thucydidis editores II 37 § 1, ubi Pericles in oratione funebri splendidis verbis laudans statum popularem, quo nemo inter cives a republica capessenda excludatur: *κατὰ τὴν ἀξίωσιν*, inquit, *ὡς ἕκαστος ἔν τῳ εὐδοκιμεῖ, οὐκ ἀπὸ μέρους* (v. Herwerden *γένους*) *τὸ πλέον ἐς τὰ κοινὰ ἢ ἀπ' ἀρετῆς προτιμᾶται, οὐδ' αὖ κατὰ πενίαν, ἔχων γέ τι ἀγαθὸν δρᾶσαι τὴν πόλιν, ἀξιώματος ἀφανείᾳ κεκώλυται.* Haec non significant quod vulgo statuitur: *Athenis neque anteponitur* NOBILITAS *virtuti neque spernitur vir humili loco natus*, nam sic oppositio nulla foret, immo bis idem diceretur et appingi posset iocosum illud: *bald war er oben bald ich unten*, vel etiam versus Epicharmeus *τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών*, quem pro exemplo *ψευδοῦς ἀντιθέσεως* attulit Aristoteles Rhetor. techn. III 9. Sed id dicit orator, si quid iudico, Athenis neque nimis prodesse NON NOBILI LOCO natum esse, neque vero obesse; et *ἀπὸ μέρους* igitur significat *ex plebe potissimum*; *γένους* autem, quod suasit Herwerdenus, ut *ignobiles* natales possit indicare vereor. *Nimia sane haec foret liberalitas erga optimates*, sic mentem Periclis reddere mihi videor, *si iniusti erga homines plebeios existeremus ne nobilitati parum favere videamur.* Non anteponuntur patriciis homines de plebe, neque vero iis posthabentur.

Ad Aristophanem autem ut post longiorem digressionem revertar, simillimus est locus in Avibus vs. 1089 sqq.:

beati sumus aves, οἳ χειμῶνος μὲν | χλαίνας οὐκ ἀμπισχνοῦνται, | οὐδ' αὖ θερμὴ πνίγους ἡμᾶς | ἀκτὶς τηλαυγὴς θάλπει: — non frigemus tempore brumali, neque tamen aestivis solibus urimur.

Eadem ratione, idque multo frequentius, δ' αὖ adhibetur, e. g. Nub. 50 sq., ubi sibi opponuntur maritus et uxor dissimillimi, ille

ὄζων τρυγὸς τρασίας ἐρίων περιουσίας,
ἡ δ' αὖ μύρου κρόκου καταγλωττισμάτων.

Plures locos huc facientes si quis requirat, reperiet Ach. 443, 552, 1084, Equit. 967, 1351, Nub. 651, 757, Vesp. 28, Pac. 215, 626, Av. 1283, 1399, Thesm. 737 etc. etc.

Digitized by Google

Nostro igitur iure verba Aristophanis supra allata vertimus: *neque splendidos flores ingenii vobis afferimus neque vero nugas scurriles.*

Quis autem credat poetam aliquid, quod ipse antea scenae commisisset, ultro appellaturum fuisse *nugas scurriles*: γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον? Attamen illuc redit argumentatio Willamowitzii, qui docte sane et acute de hoc loco egit in Observationum Criticarum capite primo, ut demonstret ea, quae in hoc versu et sequentibus dicuntur, ad ipsius Aristophanis recentes aliquas fabulas esse referenda. Dicterium illud de „servis iuglandes spargentibus inter spectatores" ad *Agricolas* pertinere, quam fabulam Magnis Liberalibus anni 424 actam esse; vicinis enim annis apte adscribi non posse, quoniam tunc temporis aliis comoediis scena occupata fuerit [1]). „Herculem vero cena destitutum" occurrisse in Aristophanis *Dramatis*, quam fabulam Lenaeis anni 426 esse adsignandam. Eiusdem autem fabulae partem fuisse „Euripidem ἐνασελγαινόμενον". — Ceteroquin vir doctus ipse fatetur, non facile explicari posse quomodo in una eademque comoedia cum Herculi guloso tum Euripidi deriso suus fuerit locus; neque attendisse videtur ad particulas οὔτε — οὔτε et οὐδέ — οὐδέ, quibus in vs. 58—62 hinc *servi* et *Hercules* copulantur, illinc vero *Euripides* et *Cleon* coniunctim iis opponuntur.

Mittamus igitur infelicem suspicionem, quam haud scio an ipse Willamowitzius postea reiecerit, et locum Aristophaneum eadem ratione explicemus qua similes locos explicandos esse supra vidimus. Nuces illae esuriensque Hercules inerant fabulis quibusdam, ab aemulis Aristophanis nuper in certamen propositis, quas ipse contumeliose admodum vocat Φορτικὰς κω-

---

1) Pag. 21 adn. 28. Debile profecto argumentum. Res autem ipsa fortasse vera est; certe ex Plutarchi verbis in Vita Niciae pag. 528*b*, quem locum Bergkius indicavit, sequi videtur, brevi post τὰ ἐν Πύλῳ, anno igitur 424, Agricolarum fabulam scenae esse commissam. Quamquam fieri potest ut Plutarchus, qui ibidem locum ex Aristophanis Avibus per manifestum errorem ad expeditionem Pylicam refert, etiam in Agricolarum fragmento interpretando erraverit. Id vero si NON spectat res ad Pylum gestas, id quod ex ipsis verbis fragmenti effici nequit, de tempore quo Γεωργοί fabula acta est nihil nos compertum habere fatendum est, nisi quod *Pacis* simillima fuisse videtur similique igitur consilio composita.

Digitized by Google

μῳδίας [1]). Tales nugas ab hac sua fabula afore spondet spectatoribus; deinde vero in versu 61, per *chiasmum* quem dicunt, respicit priorem praecedentis sententiae partem, ubi dixerat non nimia hodie postulari debere. Non iam, inquit, res mihi erit cum viris illis claris et praepotentibus, quos saepius antehac agitavi, Cleonem in *Babyloniis* et *Equitibus*, Euripidem in *Acharnensibus* nec non in *Dramatis* [2]). Tantae molis argumentum hodie sibi praesto esse negat; at tamen, inquit, est mihi λογίδιον non prorsus spernendum; idque deinde perfacete enarrat.

Sensus loci satis iam perspicuus esse videtur; nunc vero ipsa verba versus 61 paulo accuratius perpendamus. Quid hoc est quod comicus dicit: hodie in scena non conspicietur denuo ἀνασελγαινόμενος Εὐριπίδης? Suas ipsius fabulas priores Aristophanes his verbis respicit: verbum igitur ἀσελγαίνειν serio adhibere non potuit, nedum compositum ἀνασελγαίνειν, quod de nihilo fictum videtur. Nam haec vox quam sit probrosa, non tragico irriso sed ipsi poetae comico qui talia in suas fabulas admitteret, optime opinor ostendit locus ex Eupolidis Prospaltiis, qui ad versum 57 citatur in scholiis:

τὸ δεῖν' ἀκούεις; Ἡράκλεις, τοῦτ' ἐστί σοι
τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σΦόδρα
ψυχρόν· γελᾷ γὰρ [3]), ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία.

Iocus igitur ἀσελγὴς idem est atque iocus rusticus, illiberalis,

---

1) Consimile de huiusmodi iocis iudicium fertur in Pluti versibus 794 sqq.:

εἶτ' οὐχὶ δέξει δῆτα τὰ καταχύσματα;
— ἴνδον γε παρὰ τὴν ἑστίαν, ὥσπερ νόμος·
ἔπειτα καὶ τὸν φόρτον ἐκφύγοιμεν ἄν.
οὐ γὰρ πρεπῶδές ἐστι τῷ διδασκάλῳ
ἰσχάδια καὶ τραγήλια τοῖς θεωμένοις
προβαλόντ' ἐπὶ τούτοις εἶτ' ἀναγκάζειν γελᾶν.

Itaque suspicari licet Pacis versu 963:

καὶ τοῖς θεαταῖς ῥῖπτε τῶν κριθῶν. — ἰδού,

non revera per caveam dispergi molam salsam, sed fingi id ut iocus, non admodum sane festivus, possit subiungi. Sin quis statuere malit, poetam sui ipsius moniti hoc loco parum memorem fuisse, non habeo quo erroris eum convincam.

2) De huius fabulae tempore et argumento Willamowitzius admodum probabiliter l.l. disputavit.

3) Supplevit Cobetus Nov. Lect. p. 160. — Fragmentum, cuius secundus tantum versus h. l. in scholiis affertur, totum, quale aliunde cognitum est, excripsi; vid. Eupol. fragm. 244 Kock.

Digitized by Google

inficetus, frigidus [1]); si quis *ἀσελγαίνει*, is non bonis poetis est adnumerandus sed nugator dicendus est qui dictis e trivio petitis crassa Minerva ludat; et absurdus profecto foret Aristophanes si ultro confiteretur, nonnumquam quidem a se *ἀσελγαίνεσθαι Εὐριπίδην*, proterve interdum et impudenter Euripidem a se lacessi, sed hodie nihil eiusmodi se esse commissurum. Rei fortasse hoc foret flebiliter perorantis: non est poetae scenici saepius victoris — nam spectatoribus certe *ἀσελγαινόμενος* ille Euripides satis placuerat [2]) — novaeque victoriae spe erecti.

Sed quod serio non poterat, *per ironiam* Aristophanes de se ipse praedicare poterat optime. Non ipsius haec est vox, sed aemulorum convicia subridens commemorat. Equidem non dubito quin is, qui contendit Euripidem ab Aristophane illiberaliter proscindi, fuerit *Eupolis*; verba autem ex Prospaltiis Eupolidis, quae supra attuli, in Aristophanem tetendisse et ab ipso Aristophane nostro loco respici censeo.

Eadem ratione, si quid video, interpretandi sunt Aristophanis de Euripide noti versiculi, qui in scholiis ad Platonem afferuntur (fragm. 471 Kock):

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ ἐκεῖνος ποιῶ.

Nempe comicus his verbis non „aperte confitetur, suum ingenium suamque poesin non ita abhorrere ab Euripidis similitudine" (Bergk), sed Cratinus vel Eupolis aliusve aemulus id ei obiecerat, quod ex ore tragici, quem spernere videretur, dicta sub-

---

1) Eupolis videtur adiectivum *ἀσελγής* quodammodo adamasse, recurrit enim in fine longioris fragmenti apud Athenaeum VI 236*e* (fr. 159 Kock):

οἶδα δ' Ἀκέστορ' αὐτὸ τὸν στιγματίαν πεπόντα·
σκῶμμα γὰρ εἶτ' ἀσελγὲς, εἶτ' αὐτὸν ὁ παῖς θύραζε
ἐξαγαγὼν ἔχοντα κλφὼν παρέδωκεν Οἰνεῖ.

Nec non *ventum turbulentum* (*βίαιον*) vocavit *ἀσελγῆ* in fragm. 320:

ὥσπερ ἀνέμου ἐξαίφνης ἀσελγοῦς γενομένου.

Calorem immanem Pherecrates vocavit *πνῖγος ἀσελγές* fragm. 176, vid. Bekk. Anecd. pag. 451.

2) Utrum autem Aristophanes in *Dramatis* scripserit id quod Eupolis vituperavit, ut ex scholio ad vs. 61 efficiebat Willamowitzius, an vero in *Acharnensibus*, ut postea idem vir doctus statuit in Hermae Vol. IX, quod et mihi veri videtur similius, id ad quaestionem in qua versamur vix quicquam refert. *Dramata* respici nuper etiam Zielinskius (Gliederung d. Altatt. Kom. p. 100 sqq.) perhibuit, at non ego credulus illi.

Digitized by Google

legeret acuta et bene tornata, quibus suas comoedias exornaret; ἐκωμῳδεῖτο ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτόν, ut Platonis scholiasta loquitur. Hoc igitur suaviter ridens dicit comicus: abutor sane „Euripidis illo ore rotundo", sic scilicet de me praedicant: attamen cum verbulis inventa quoque Euripidea me surripuisse nemo contendet, nam haec certe aliquanto minus rustica ego fingo quam ille.

Fragmentum autem, quod ex Eupolidis Prospaltiis supra allatum est, si recte explicui, par pari rettulit Aristophanes; nam ipsam *Prospaltiorum* fabulam iocis rusticis scatere nostro loco innuit, nisi fallor. In Eupolidis enim verbis vox Ἡράκλεις non exclamantis est sed ipsum deum Herculem alloquentis, itaque Herculis in Prospaltiis aliquae erant partes, et quae de Hercule τὸ δεῖπνον ἐξαπατωμένῳ Aristophanes dicit ad eam fabulam sunt referenda. Hanc igitur Eupolidis fabulam praesertim respiciebat commentator vetus, qui ad Pacis versum 740 adnotavit: αἰνίττεται ταῦτα εἰς Εὔπολιν, ὃς ἐποίησεν Ἡρακλέα πεινῶντα etc.[1]).

Fortasse in Prospaltiis etiam edulia a servis spargebantur inter cuneos spectatorum; sed hoc, quod parum certum esse intellego, in medio relinquere malo. Id vero dubium non est, quin Aristophanes suo sibi gladio Eupolim iugulet Nubium versu 539, quem locum supra excripsimus. „Non ego is sum", inquit, *„qui puerorum cachinnis ciendis studeam"*, statimque subiungit exemplum ioci pueriliter inficeti ex Eupolidis *Prospaltiis* desumtum.

Vesparum igitur versus, de quibus disputamus, sic fere vertere licebit:

non magnum quidem nec splendidum inventum hodie vobis offertur, o spectatores, at tamen ne iocis quidem ex trivio petitis (quibus me delectari ille dixit) *nauseam vobis incutiam. In nostra scena non apparebit servus per caveam dispergens edulia aut Hercules esuriens. Neque tamen Euripidem iterum salibus* (quos insulsos dicunt obtrectatores) *petam, denuove conculcabo Cleonem.*

---

1) Nolim igitur Pacis locum referre ad Platonis Δία κακούμενον, quamquam in ea quoque fabula apparuisse Herculem famelicum evicit Cobetus ad Platon. pag. 96.

Digitized by Google

Superest ut emendemus verba, quae corrupta esse dudum vidimus. Alterum mendum sanavit Cobetus, qui pro γ' ἔλαμψε restituit ἀνέλαμψε. Qua correctione viam stravit ad alterum quod superest vitium removendum. Legendum est enim:

οὐδ' αὖθις ΑΣΕΛΓΑΝΟΤΜΕΝΕΙΣΕΤΡΙΠΙΔΗΝ,
οὐδ' εἰ Κλέων ἂν ἐλαμψε

id est:

οὐδ' αὖθις ἀσελγανοῦμεν εἰς Εὐριπίδην,
οὐδ' εἰ Κλέων ἀνέλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Eadem loquendi formula utitur e. g. Demosthenes in Midiana § 31: οὐ γὰρ εἰς Δημοσθένη ὄντα με ἠσέλγαινε μόνον ταύτην τὴν ἡμέραν ἀλλὰ καὶ εἰς χορηγὸν ὑμέτερον. Item or. 54 § 3. Futurum tempus habes apud eundem or. 24 § 143.

Syllaba αν igitur, quam post Κλέων excidisse observavit Cobetus, in praecedentem versum migravit, qui deinde, metri scilicet causa, ita est corruptus ut in codicibus extat. Integrum adhuc legebat is qui appinxit scholion, quod in solo Ravennate superest: οἷον κατ' (immo εἰς) Εὐριπίδην πολλὰ λέξομεν ἀσελγῆ.

Minus probabiliter autem a Willamowitzio Prospaltiorum fabulam annis 419—416 assignatam esse [1]), ex iis quae disputavimus apparere spero. Rectius statuit Kockius [2]), eam brevi post Periclis mortem esse scriptam. Fortasse accuratius etiam indicari potest tempus. Nam cum Eupolis in ea fabula maledixerit Aristophani, satis certum videtur datam esse post Lenaea anni 424, quibus Equitum fabula acta est; quo tempore cum Aristophane tam familiariter adhuc consueverat Eupolis ut in Equitum fabula elaboranda eum adiuvaret. At ante Vespas datos esse Prospaltios vidimus. Intersunt ludi quatuor [3]): Dionysia anni 424, Lenaea et Dionysia anni sequentis, Lenaea anni 422. Dionysiis autem anni 423 alios poetas certasse ex Nubium didascalia scimus. Ergo Prospaltios Eupolis aut Dionysiis anni 424 docuit aut Lenaeis anni 423 aut Lenaeis anni 422. Ultimum veri videtur simile.

1) Obs. Crit. p. 31. 2) Ad Eupolid. fr. 249. 3) Vid. cap. I p. 257.

Digitized by Google

Nunc mitto intermortuam illam fabulam Eupolidis, ut ad Vesparum locum redeam. Nam QUID dicat Aristophanes satis iam perspeximus, sed superest rogare QUAM VERE dixerit se neque Cleonem neque Euripidem in ea fabula ludibrio habiturum. Aut thesium quas disputationi praefiximus altera falsa erat, aut poeta hoc promissum non dedit serio.

Ne vero incerti haereremus ipse Aristophanes cavit. Nam id quod spectatores, cum primum acta est fabula, his verbis auditis suspicari tantum potuerunt meliusque sensim perspicere coeperunt cum ad finem properaret comoedia, id poeta post Cleonis mortem, cum fabulam retractaret, totidem fere verbis dixit; tunc enim [1]) hos versus inseruit (vs. 1284 sqq.):

εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
κτἑ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Fraude igitur quadam usum se fuisse cum Vespas scriberet, et specie non re cessisse Cleonis minis, Aristophanes aperte profitetur, proverbio usus vere Attico, ex vindemiatorum quippe vita quotidiana desumto. Ridica solo infigitur, non ut sibi vivat sed ut serviat viti cui apposita est, eique fulcrum praebeat quo altius altiusque se extollere possit; ipsa nihil est nisi pertica vilis sine vita. At specie deceptus erat rusticus cum viti suae eam sociaret; nam qui stipes iners videbatur, revera ramus erat vivax; ver autem ubi rediit, iuvante pluvia solisque calore, radices agere incipit; mox vineae, cui subiectus fuerat minister, victor videtur potius atque dominus, et redux post aliquod tempus vinitor miratur novas frondes, quarum sub umbra delitescit vitis atque marcescit. Sic *decepit ridica vitem*,

ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Quomodo igitur Aristophanes Cleonem in Vespis lusit atque fefellit? quibus πιθηκισμοῖς eum circumvenit? Respondeo, comicum tali usum esse artificio quo demagogum, quem nominatim non carperet et ne in animo quidem habere videretur,

1) Postea insertos esse hos versus cum alia multa demonstrant, tum id ipsum quod cum vicinis nullo vinculo et ne specie quidem vinculi coniuncti sunt.

Digitized by Google

per totam tamen fabulam mordacissimis iocis agitaret. Ipsum sane Cleonem in scena non repraesentavit [1]), et religiose fere ab eo abstinuit manus: — at aceto et felle conspersit homines quibus Cleon erat patronus vel certe esse fingebatur. Heliastarum deridet iudicia et triobolum illud, quod Cleon iis largitus fuerat. Magnum quod dicebatur a democratiae fautoribus, id quam sit exiguum et pusillum ostendit, et „trinummi illud sodalicium", quod dominari sibi videretur unumque Cleonem suspiceret, servili condicione perhibet uti. Sub diluculum quotidie in forum convenire videas infinitam senum multitudinem, quibus summo mane surgendum fuit et foras ereptandum. Undique confluunt, poplites suos vix ducentes, multo labore rigidos. Patienter deinde adstant, χασκάζοντες τὸν κολακρέτην, ore aperto inhiantes lucello: canum dicas famelicorum catervam, non veteranos illos qui olim Deos heroasque habuissent in proeliis socios totamque Asiam debellassent. At postquam diu expectaverunt, audiunt fortasse, nihil sibi agendum esse, non iam se requiri, iudicia hodie nulla fore; tunc moesti abeunt, quippe esuriendum erit, non habent unde sibi suisque prandium emant. Sin quis iudex sorte designatur, ille superbus domum redit sub meridiem: affluit scilicet opibus, trinummum suum tenet; exosculantur eum uxor, filiola, quis non: Croesus sibi suisque videtur.

Haec igitur praemia, plebeculae grata et accepta, quam sint exilia et vere nugatoria qui iocose et perficete sed satis serio tamen sermone demonstrat in ea fabulae parte, ubi suas ipsius opiniones et consilia aperire solet poeta [2]), is vocatur Βδελυκλέων, CLEONEM igitur SE ABOMINARI ET RESPUERE ipso nomine palam profitetur. Is vero qui per totam fabulam ludibrio habetur, senex ille capularis, qui πάλαι ποτ' ἄλκιμος Μαραθωνομάχης fuerat, sed nunc iudiciali morbo correptus veluti decrepita quaedam Phaedra foras ruere gestit, et ubi occlusam invenit ianuam per lavatrinae truam erepere aut per caminum evolare tentat; —

---

1) Quamquam suspicio est mihi, imaginem in tabula lignea pictam, quae *Lycum* heroem dicitur repraesentare, sed seni agnitu difficilis videtur et *Cleonymo* quam heroi similior vocatur a filio (vs. 821 sq.), revera non *Cleonymi* sed ipsius *Cleonis* vultum exhibuisse eumque perridicule distortum.

2) In *certamine* illo — ἀγῶνα ipsi comici appellant — quod suum sibi locum habere inter legitimas comoediae veteris partes, bene exposuit Zielinskius.

Digitized by Google

silicernium illud mente carens et dentibus, nihil quidquam callens πλὴν ψήφῳ δακεῖν; qui postquam in iudicum subselliis consedit, truculento vultu circumspicit reos, flecti nescius et quemlibet damnare prius quam audire paratus, idem tamen stipite stolidior quique apertis oculis ludificari se patiatur; — homo ille agrestis, omni gratia destitutus et ab urbanae vitae lenociniis alienus, qui postquam a filio ad victum humaniorem vix tandem est revocatus, semel gustato vino ὥσπερ καχρύων ὀνίδιον ηὐωχημένον lasciviens omnibus risum vel potius nauseam incutit importuna sua dicacitate et salacitate, — — is est quem CLEONIS ADMIRATOREM, Φιλοκλέωνα, nominavit poeta.

Iamne sentimus quid fraudis ingeniosus poeta in fabulam intulerit? Οὐκ αὖθις Κλέωνα μυττωτεύσομεν, — „Cleonem, quem ita fregeramus et contuderamus ut vix adhuc vitalis videretur, non denuo petituri sumus postquam nescio quo casu revixit, sed semel deiecto satisque antehac castigato in posterum parcere decrevimus". — Haec, nam per circumlocutionem sic exprimendus videtur sensus brevis illius dicterii, haec igitur postquam nunciata sunt, per totam fabulam ridetur non ipse quidem Cleon sed fidelis eius assecla et admirator, qui spectatoribus pro umbra fere Cleonis esse debuit.

At paulo etiam accuratius attendamus ad versum 134, ubi Xanthias, postquam senis deliramenta copiose enarravit, sic finem facit dicendi:

ἔστιν δ' ὄνομα τῷ μὲν γέροντι Φιλοκλέων
ναὶ μὰ Δία, τῷ δ' υἱεῖ γε τῷδὶ Βδελυκλέων.

Quae sic reddere licebit: „huic igitur seni, cuius novum atque inauditum furorem vobis narravi, nomen est *Cleonis amatori*. Cur ridetis et stupetis? numquid tale nomen in rerum natura esse negatis? Sic tamen vocatur. At eius filius *Cleonis contemptor* nomen habet".

Scio sane, huiusmodi paraphrasi ea, quae comicus non nisi per lusum innuit, nimis aperte nimisque graviter exponi; nomina enim illa, quibus Cleonem rideri et nunc intellegit quilibet et olim omnes intellexerunt, non tamen necessario sic erant accipienda, sed quodammodo ad κλέος referri poterant, simul autem ad voces illa tempestate saepe auditas Φιλολάκων et μισολάκων alluditur. Sed tamen hic fere sensus est versuum quos attuli.

Digitized by Google

Adde quod *Bdelycleon* noster similes fere agit partes atque in Acharnensibus *Dicaeopolis*, vir ille *iustus patriaeque amantissimus*, cuius ore poeta suas ipsius opiniones communicat cum spectatoribus: — et satis opinor superque constabit quid sit tenendum de promisso illo quod inde a fabulae exordio poeta dedisse videbatur: fore ut Cleoni hodie parceret.

Quod vero *nominatim* quoque Cleon hic illic petitur, id non dubito quin argumento sit, post actas Vespas, cum mortuus interim esset demagogus, a poeta retractatam esse fabulam. Et de ea quidem parte, in qua Cleon longe acerbissime vellicatur, parabasin dico, id prorsus constat; nam nobilis illa Cleonis cum Typhone comparatio etiam in Pacis parabasi legitur, talia autem non bis pro novis oblata fuisse spectatoribus, quilibet semel monitus mihi concedet. Adde quod imperfecta ἔλαμπον ἐλιχμῶντο εἶχεν Pac. 755 sqq. (Vesp. 1032 sqq.) de vivo Cleone ne dici quidem poterant; nec nisi post mortem demagogus ille apte poterat comparari cum Typhone, Iovis fulmine in Tartara deiecto, cui robur erat indomitum,

ἐκ δέ οἱ ὤμων
ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος,
γλώσσῃσιν δνοφερῇσι λελιχμώτες, ἐκ δέ οἱ ὄσσων
θεσπεσίῃς κεφαλῇσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε,
φωναὶ δ' ἐν πάσῃσιν ἔσαν δεινῇς κεφαλῇσι
παντοίην ὄπ' ἰεῖσαι ἀθέσφατον κτέ.,

at Iupiter telo corusco monstrum illud nefandum

πλῆξεν ἀπ' Οὐλύμποιο ἐπάλμενος, ἀμφὶ δὲ πάσας
ἔπρεσε θεσπεσίας κεφαλὰς δεινοῖο πελώρου.

Sed cetera vide apud Hesiodum in Theogonia vs. 823—868, vel in eleganti paraphrasi quam loci Hesiodei dedit Aeschylus Prometh. vs. 353—362 [1]).

Fieri igitur non potest quin in *Pace* haec Cleonis descriptio suum sibi habeat locum; in qua fabula cum perplacuisset et ingenti plausu excepta fuisset, deinde Vespis sive ab

---

1) Simul tamen cum Cerbero, Typhonis filio (Hes. Theog. 306—311), comparatur Cleon, quemadmodum in praecedenti episodio sub *canis Cydathenaei* larva latitavit; in Equitibus autem (vs. 1030) Cleon diserte appellatur Cerberus, Τυφῶ vero eum vocat poeta in eadem fabula vs. 511.

Digitized by Google

ipso poeta sive ab alio homine qui diasceuastae munere fungeretur est inserta.

Cetera autem dicta, quibus Cleon in Vesparum fabula nominatim perstringitur, leviora sunt et qualia currente calamo postmodo facile potuerint addi a poeta fabulam retractante.

Promissi nostri alteram partem solvimus. Ostendimus enim, comicum non stetisse promisso suo, quod in Vesparum fabulae initio dedisset, vel potius, non serio id datum fuisse. Sed de solo Cleone locuti sumus hactenus; de *Euripide* tamen idem promiserat Aristophanes. Ecquid igitur eadem mente? Ita esse nunc demonstratum imus. Euripides quoque per totam fabulam deridetur, sed tectius aliquanto et subtiliore artificio.

Non curo nunc tragicorum verbulorum aucupia illa, quibus omnes fere omnium comicorum fabulae olim insignes fuerunt; nam parodia illa ad ipsum stilum comicum quodammodo pertinet, et quamquam haud raro acerbae irrisioni inservit, per se tamen tragicis poetis contumeliam affert nullam. Hinc est, exempli gratia, quod Philocleon in summa animi perturbatione utitur verbis Catrei Euripidei, filiam vitiatam increpantis

τοῦτο δὲ
Ἅιδης διακρινεῖ πρότερον ἢ ἐγὼ πείσομαι.

Hinc est quod filiolus esuriens, qui chori ducem comitatur, lugubrem edit querelam qua iuvenes Athenienses, ad Minotaurum missi, apud Euripidem deflebant mortem instantem. Sed talia minoris sunt momenti et a nostro argumento aliena: maius quid volo:

In fabulae exitu senex qui primas partes agit — Cleonis ille admirator — ad Cyclopem Euripidis est adumbratus. Polyphemum, novo vini haustu inebriatum, exprimit ille qui modo visus sibi fuerat Graecorum dominus.

Quod quomodo cunctos hactenus latere potuerit, mirari me fateor. Nam dixeris poetam etiam cavere voluisse ne quem fugeret lusus ingenii luxuriantis; ipsis scilicet Cyclopis verbis Philocleonem in scenam fecit irruentem initio ultimi actus. Ἄνεχε πάρεχε clamat senex dum facem quassat et sono vocis

Digitized by Google

gressuque titubanti sibi *περὶ φρένας οἶνον ἐληλυθέναι* ostendit (Vesp. 1326 sqq.):

ἄνεχε πάρεχε·
κλαύσεταί τις τῶν ὄπισθεν
ἐπακολουθούντων ἐμοί·
οἷον εἰ μὴ ἐρρήσεθ', ὑμᾶς
ὦ πονηροὶ ταυτηὶ τῇ
δᾳδὶ φρυκτοὺς σκευάσω.

Consimiles Cyclopis apud Euripidem sunt clamores, cum in scenam primum procedit, Silenum Satyrosque ob intempestivam hilaritatem increpantis et immani clava iis minitantis (Cyclop. 203 sqq.):

ἄνεχε πάρεχε, τί τάδε; τίς ἡ ῥαθυμία;
τί βακχιάζετ'; οὐχὶ Διόνυσος τάδε,
οὐ κρόταλα χαλκοῦ τυμπάνων τ' ἀράγματα.
κτὲ.
τί φατε; τί λέγετε; τάχα τις ὑμῶν τῷ ξύλῳ
δάκρυα μεθήσει.

Hic tamen cavendum esse intellego ne inani sono vocabulorum pellectus esse videar. Addo igitur me verborum similitudini, si sola et per se spectetur, non ita multum tribuere; nam illud *ἄνεχε πάρεχε* interiectionis fere locum obtinuisse, satis apparet ex alio versu Euripideo, Troad. 308, ubi Cassandra iisdem imperativis utitur [1]), nec non ex Aristophanis in Avibus versu 1720, ubi a choro proferuntur. At non in verbis potissimum horum locorum similitudo cernitur, sed multo magis in ipsis personis loquentium. Nam Philocleon, qui tenui et abstemio fere victu vitam hactenus sustentavit, nunc vero effrenus evagatur, insolita potione in furorem excitatus, consimilis est barbaro Cyclopi, quem merum antea sibi ignotum devicit et ex torvo anthropophago in ridiculum saltatorem mutavit. Neque vero similitudo quam indicavimus inde minuitur quod apud Euripidem a *sobrio* adhuc Cyclope profertur illud „cave tibi"; talia enim in parodiis negleguntur: sufficit quod prima haec sunt verba cum Cyclopis

1) Non audiendus est vir doctus Stanger, cum in libro mox afferendo contendit Vesparum versu 1326 alludi ad Troadum versum laudatum, et post actas igitur Troades retractatam esse fabulam Aristophaneam.

Digitized by Google

in scenam procedentis tum Philocleonis postquam Cyclopi subsimilis est factus.

Qui in Aristophanis textu sequuntur Philocleonis ioci obscoeni ad tibicinam et facetiae ad irridendos institores quorum tabernas perturbavit, nihil continent quod ad Euripidis drama satyricum cum probabilitatis aliqua specie possit referri. Nam quod Cyclops Silenum, tamquam novum Ganymedem, secum proripit, quodve Ulyxes Polyphemum monet ebriis domi esse manendum, ea haud scio an longius distent a Vesparum versibus 1345 et 1444. Ego certe iis non utar, quoniam postmodo ea omnia fabulae adiecta sunt.

Duplicem enim Vesparum exitum ad nos promulgatum esse, luce clarius apparet ex *duplici* Xanthiae narratione de sene post pocula cuilibet negotia facessenti, vs. 1292 sqq. et 1474 sqq. Absurde praeterea, ut nunc habet fabula, senex postquam versu 1449 vi et minis a filio domum protrusus est, sequenti statim versu beatus praedicatur et felicia quaevis a choro ei portenduntur; mox versu 1482 sqq. hilara mente laetoque vultu nec mali quidquam suspicatus in scenam saltans prorumpit; de rixa illa nulla iam inicitur mentio, neque retrahitur a filio, quem tamen novas turbas metuere par erat, sed fabulam iocando et saltando ad finem perducit.

Haec sufficiunt ad demonstrandum, manus correctricis vestigia in hodierno textu superesse manifesta, binasque recensiones in unam conflatas esse parum affabre [1]). Duos exitus habet comoedia,

---

1) Conferri potest J. Stanger, *über Umarbeitung einiger Ar. Komödien*, 1870. Qui tamen vir doctus minus probabiliter mihi videtur statuisse fabulam post annum demum 414 a poeta retractatam esse. Tunc enim temporis de Cleone multa audire vix quisquam adhuc cupiebat. Equidem annum mensemve non definio, sed *brevi* post Cleonis mortem reficta esse Vesparum fabulam certum duco.

Placita viri docti Brentano *Untersuchungen über das griechische Drama* 1871 neque necessarium videtur data opera refellere neque lubet. Statuit ille, Vespas quas hodie manibus tenemus ab homine Byzantino conflatas esse ex duabus Aristophanis comoediis diversissimis, quarum alteram τὸ Γῆρας fuisse suspicatur; in altera ex crabronibus acerrimis, in altera ex senibus decrepitis compositum fuisse chorum. Dum vero ad severas artis dramaticae leges opus Aristophaneum exigit et aegrae suae mentis insomnia per aspera et densa persequitur, non animadvertit quam arcte posterior fabulae pars cum priore cohaereat, neque intellexit cur *senes* heliastae omnes fere fuerint; causas exposuit Fraenkel Geschworenengerichte p. 8 sq.

Zielinskii quoque opinionem, *Gliederung der altattischen Komödie*, 1885, in an-

Digitized by Google

eosque nonnihil inter se discrepantes. Alter in *meros iocos* excurrit; senex temulentus ex *sua domo* foras erumpit, et pedibus magis quam voce comoediam ad finem perducit, *Cyclopis Euripidei* imaginem admodum ludicre referens. In altera vero recensione de *Euripide οὐδὲ γρῦ*; ex *urbe* domum suam senex vacillanti pede se proripit, cauponum et sodalium clamitantium stipante caterva, intimisque tectis se abdere cogitur a filio, cui male tandem pertaesum est patris scurriles iocos agentis; in *minas* igitur et *clamores*, perinde atque Nubes hodiernae, desinit fabula.

Duae hae exodi, dissimillimae sibi et quae apte coniungi vix possint, ita tamen in hodierno textu sunt permixtae et quadamtenus coaluerunt ut altera evelli sine fabulae detrimento nequeat. Utra autem prior, utra posterior fuerit, fortasse incertum videri possit; ego tamen non dubito quin fabula ab initio habuerit iocosum exitum illum quem ex Euripidis Cyclope Aristophanes desumsit; huius in locum postea alter exitus a poeta est substitutus, nisi fallor.

Quaecunque enim in fabula sunt acerbiora et nimis aperta, ea postea intercalata esse apparet [1]); sicubi Cleon nominatim vellicatur, non ita ab initio scriptum fuisse certum est. Correctrici manui debentur versus in quibus Cleon ad exemplar Typhonis Hesiodei depingitur; correctricis quoque manus sunt vs. 1224 sqq., ubi Cleon diserte vocatur praedator aerarii et reip. pernicies; correctricis denique manus sunt ea quibus senex delirus a filio dure increpatur et obtorto fere collo intro abripitur. Huc accedit quod etiam in ipso corpore fabulae, quod postea mutatum esse non videtur, complura reperiuntur quae ad Cyclopem Euripideum necessario fere sunt referenda, ut mox exponemus; ita ut appareat poetae menti tum ipsum, cum Vespas scribendi cepit consilium et prima fabulae duxit lineamenta, Euripidis Polyphemum mordicus inhaesisse.

---

notatione commemorasse satis habeo, quoniam ex tota mea commentatione apparet cur ei non assentiar: „Auf eine Überarbeitung zu schliessen ... scheint mir übereilt; die Schwierigkeit wird gehoben, wenn wir das Stasimon (vs. 1450—1473) an die Stelle der Nebenparabase (vs. 1265—1291) versetzen ... Wir hätten damit alles geordnet" (pag. 204).

1) Similem rationem intercessisse inter Nubium recensionem priorem et posteriorem inter omnes constat; „der barfüssige Sterngucker wurde zum Verführer und Verderber der Jugend", ut utar verbis Zielinskii (l.l. p. 44).

Digitized by Google

Ad diversas igitur recensiones pertinere versus 1292 sqq. et 1450 sqq. quoniam nostro iure statuimus, illos iam dimittemus, ut de his solis, in quibus cernitur imitatio Euripidis, accuratius agamus. Quod quo commodius fieri possit, prius hunc fabulae exitum enarrabo, in quo priorem poetae manum agnoscere nobis videmur.

Servus igitur Xanthias domo se proripit in scenam, narratque senem, desuetis convivii gaudiis exhilaratum meroque madentem, saltando ducere vesperam, iamque in eo esse ut in publicam plateam progrediatur, iactari autem se

τοὺς τραγῳδοὺς ἀποδείξειν κρόνους
τοὺς νῦν διορχησάμενον.

Haud aliter apud Euripidem Ulyxes, ex Polyphemi antro profugus, refert monstrum illud exire velle comissatum (Cyclop. vs. 445 sq.):

ἐπὶ κῶμον ἕρπειν πρὸς κασιγνήτους θέλει
Κύκλωπας, ἡσθεὶς τῷδε Βακχίου ποτῷ,

mox autem ipse Cyclops σφαλλόμενος προσέρχεται, ut utar Xanthiae (Vesp. 1324) de Philocleone verbis, vel ut ipse de se Polyphemus apud Euripidem testatur (vs. 506):

σκάφος ὁλκὰς ὡς γεμισθεὶς ποτὶ σέλμα γαστρὸς ἀκρᾶς.

Seni autem Aristophaneo *tragoedos deridere* et confutare propositum esse, id totidem verbis modo audivimus dicentem; sic quoque ne iocus auditores lateret cavit comicus.

Iamque adest ebrius Philocleon, et verba rhythmosque tragicorum imitando exprimit; at non severam illam musam colit agendo et canendo, sed satyrorum potius tripudia aemulatur, dum alta voce clamat

τίς ἐπ' αὐλείοισι θύραις θάσσει;

simulque σκέλος οὐράνιον ἐκλακτίζει. Similia autem sunt verba Cyclopis primum advenas conspicientis (Cycl. 222):

ἔα· τίν' ὄχλον τόνδ' ὁρῶ πρὸς αὐλίοις;

Ipsi vero Philocleonis clamores motusque indecorus nobis in mentem revocant Ulyxis verba:

καὶ δὴ πρὸς ᾠδὰς εἶρπ'· ἐγὼ δ' ἐπεγχέων
ἄλλην ἐπ' ἄλλῃ σπλάγχν' ἐθέρμαινον ποτῷ [1]).

1) Hic versus etiam Ran. vs. 844 menti Aristophanis obversatus esse videtur.

Digitized by Google

ᾄδει δὲ παρὰ κλάουσι συνναύταις ἐμοῖς
ἄμουσ', ἐπήχει δ' ἄντρον.

Quae dum legimus, recordemur oportet, Cyclopem post pocula cantantem et saltantem *Euripideum* fuisse inventum, certe non fuisse Homericum; festivum autem esse negari nequit, nec dubium videtur quin id inprimis in satyrico Euripidis dramate placuerit et auditorum mentibus infixum haeserit.

In certamen iam Philocleon provocat quoslibet tragoedos. Occurrit ei filius Carcini: quo conspecto

ἀλλ' οὗτός γε καταποθήσεται

cum contumelia clamat; *pumilionem illum integrum deglutiam.*

Alter Carcini filius accedit; de quo ridens senex: *bene factum quod nunc paratum mihi opsonium:*

νὴ Δί' ὠψώνηκ' ἄρα.

En vero tertius Carcini filius, hic ne iusti quidem καρκίνου sive cancri mensuram explens, sed squillulae similior. *Attamen* — Philocleon inquit — *per gulam hunc quoque demittam: vos interim parate iis garum, modo potiri iis possim:* — ἢν ἐγὼ κρατῶ.

At tres illi homunciones, ναννοφυεῖς illi ὀρχησταὶ, ut Pacis versu 789 vocantur, quos in ventrem abdere parat senex vesanus, ad amussim referunt comites Ulyxis a Cyclope devoratos, quos ex Odyssea et nos novimus et Athenienses a pueris norant. Apud Euripidem autem sic furit Polyphemus (Cycl. vs. 243 sqq.):

σφαγέντες αὐτίκα
πλήσουσι νηδὺν τὴν ἐμὴν, ἀπ' ἄνθρακος
θερμὴν ἕδοντος δαῖτ' ἄτερ κρεανόμου,
τὰ δ' ἐκ λέβητος ἑφθὰ καὶ τετηκότα.

Neque crudas igitur carnes, ut est apud Homerum, sed assatas et elixas devoraturus est; homines ei fere sunt pro ἐπανθρακίσιν, pro minutis pisciculis vel animalculis molluscis, quae ἀπ' ἀνθράκων edere Athenienses solebant [1]). Videatur etiam chori canticum Cyclop. vs. 356—374.

Quid quod ne ἅλμην quidem Aristophanes de suo praebuisse videtur. Nam quamquam Cyclops Euripideus huius iuris non

---

1) ἀφύαι ἐπανθρακίδες Acharn. 670 Vesp. 1127 etc., τευθίδες (*loliginas*) ibid. vs. 1156 etc.

Digitized by Google

minus ignarus fuisse videtur quam iuris gentium, at in *Cratini* Ὀδυσσεῦσιν Polyphemus totidem verbis comitibus Ulyxis minabatur se eos *muria perfusos* devoraturum (fr. 143 Kock):

ἀνθ' ὧν πάντας ἑλὼν ὑμᾶς ἐρίηρας ἑταίρους,
φρύξας, ἐψήσας, καὶ ἐπ' ἀνθρακιᾶς ὀπτήσας
εἰς ἅλμην τε καὶ ὀξάλμην κἄτ' εἰς σκοροδάλμην
χλιαρὸν ἐμβάπτων, ὃς ἂν ὀπτότατός μοι ἀπάντων
ὑμῶν φαίνηται, κατατρώξομαι, ὦ στρατιῶται [1]).

Quemadmodum autem ἅλμην hanc non ex Euripidis sed e *Cratini* Cyclopea desumsit comicus, sic in initio quoque comoediae ab Euripide discessit, vel potius eius inventa aliunde supplevit; ibi enim felicissime usus est illa parte narrationis *Homericae* quam Euripides in dramate suo neglexit: arietem dico, cuius sub vellere latitans heros apud Homerum ex antro Polyphemi effugit. Pro illo ariete est *asinus* vs. 179 sqq.

Bdelycleon.

κάνθων, τί κλάεις; ὅτι πεπράσει τήμερον;
βάδιζε θᾶττον. τί στένεις, εἰ μὴ φέρεις
Ὀδυσσέα τιν';

Xanthias.

ἀλλὰ ναὶ μὰ Δία φέρει
κάτω γε τουτονί τιν' ὑποδεδυκότα.

At plura excribere ex loco facetissimo nihil attinet, nam ibi certe ad Cyclopeam adeo manifeste alluditur ut neminem id unquam fugerit aut potuerit fugere.

Sed redeundum est ad comoediae finem et verba Philocleonis de quibus dudum agimus. In his ne ultimum quidem illud quod dicit „ἢν ἐγὼ κρατῶ" est negligendum, quoniam ex his verbis effici potest quid deinde a Philocleone Carcinique filiolis non voce sed saltando expressum fuerit [2]), accinente choro; ad Euripidem autem his quoque aperte alluditur. Quippe Cyclopi

1) Cratini haec fabula, quae Olympiadi octogesimae quintae ascribi solet, tempore videtur antecessisse Cyclopem Euripidis; certe nihil est in fragmentis cur suspiceris Cratinum non Homeri narrationem ioocose exprimere sed Euripidis drama satyricum cum derisione imitari.

2) Parum hoc se perspexisse ostendit Brentano Untersuchungen p. 178: „Da plötzlich bricht das Stück ab. Ob der Alte gesiegt hat oder unterlegen ist, ... darüber fehlt jegliche Kunde".

Digitized by Google

occaecato inter ipsas manus dilapsos esse Ulyxem eiusque sodales, ferebat narratio epica, idque ab Euripide in ipsa scena ita repraesentatum est ut Polyphemus, oculorum lumine orbatus et a choro deceptus, huc illuc discurrat, dum frustra conatur Graecos corripere diffugientes; tandem cautibus misere illidit frontem, *τὸ κρανίον παίσας κατέαγεν*, et ludibrio se esse sero intellegit.

Hunc igitur dramatis satyrici exitum Philocleon et tres illi salisubsili pedibus imitantur. Persequitur senex titubans, diffugiunt Carcinitae et assequi tentantem eminus explodunt; dumque insolitum [1]) et ridiculum spectaculum magnos ciet cachinnos, subito cuncti cum ipsis choreutis evanescunt, et sic iocosum finem habet fabula [2]).

Tali autem exitu artis consummatae legibus satisfieri, multum abest ut contendam. Fortasse igitur intercidit aliquid; fieri quoque potest ut comicus hac ipsa de causa, quod sentiret iustum exitum fabulae deesse, postea ultimam comoediae partem funditus mutaverit. Sed quoniam explicare, non impugnare aut excusare Aristophanis consilia propositum habeo, hanc quaestionem mittere licebit. Non quid pulcrum sed quid verum sit hodie rogamus.

---

1) Novi quid faisse saltationem in fine comoediae, poeta diserte testatur ultimis chori verbis:

τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν,
ὀρχούμενον ὅστις ἀπήλλαξεν χορὸν τρυγῳδῶν.

Scilicet *εἰσέρχεται ὁ χόρος ὀρχούμενος, οὐδαμῶς δ' ἐξέρχεται*, ut in scholiis adnotatum est.

Ipsum autem vocabulum *τρυγῳδῶν* nescio an novum nobis praebeat argumentum demonstrantibus, in fabulae fine satyricum drama imitari comicum. Nempe *τρυγῳδίας* et *τρυγῳδῶν* nomina pro *κωμῳδίας κωμῳδῶν* tum demum adhibet Aristophanes, cum fabulas actoresve suos *tragicorum arti* opponit aut ipse sermone tragico per iocum utitur. Videantur Acharn. 496—500, 886, Vesp. 650, fr. 149 Kock (e Gerytade).

2) Quem bene his verbis descripsit Bodius in Historiae Litterariae III 2 pag. 281: „das kunstreiche Ballet, womit der Wespenchor das Stück beschliesst, scheint eine ganz eigenthümliche Erfindung des Dichters selbst zu sein, wie es überhaupt bis dahin noch nicht geschehen war, dass die Exodos einer Komödie sich in einem Chortanze entwickelte. Worte und Rhytmen zeigen, dass eine Art Walzer oder heftige Kreisbewegung mit komischer Mimik und burlesken Sprüngen, wie bei der Sikinnis, ausgeführt ward". — Ex ultimis autem verbis viri docti, quae didactis literis indicavi, videmus eum in eo fuisse ut fontem detegeret unde comicus novum hoc inventum hausit. Sicinis saltatur: ergo satyricum drama aut agitur aut imitando exprimitur.

Digitized by Google

Id vero non negligendum, quod Cyclops caecutiens, quem apud Euripidem (vs. 686) Graeci et Satyri

περιάγουσι πρὸς τἀριστερά,

donec rupibus caput male impingit, tum quoque comici menti obversatus esse videtur cum fingeret senem a filio circumagi ut per errorem absolveret reum, Vesp. 990 sqq.:

φέρε νύν σε τῇδὶ τὴν ταχίστην περιάγω κτἑ.

Nescio autem an ad Cyclopis exitum etiam Thesmophoriazusarum finem Aristophanes adumbraverit, ubi Scytha huc illuc frustra cursitat, ut recuperet captivum qui necopinato effugit.

Ex Euripide igitur Aristophanes habet imaginem senis; at ex eodem fonte habet suos καρκίνους. An casu factum putamus quod ipsum illud καρκίνου vocabulum a tragico per iocum adhibetur in chorici initio Cyclop. vs. 609:

λήψεται τὸν τράχηλον ἐντόνως ὁ καρκίνος
τοῦ ξενοδαιτυμόνος· πυρὶ γὰρ τάχα
φωσφόρους ὀλεῖ κόρας.

Cervices monstri nimis hospitalis, quod in ventre suo locum et lautia praebet peregrinis, *brevi urgebit cancer*, cum oculis privabitur. In his verbis καρκίνος *forcipem* significat sane [1]), δίχηλον καρκίνον πυραγρέτην, ut est in Anthologia [2]); sed procul dubio simul alluditur ad animal crustaceum, καρκίνον ὀστοφυᾶ ψαλιδόστομον ἀγκυλοχείλην [3]). Cancer autem dicitur *Ulyxes*, advena mari advectus, καρκίνος σοφιστὴς ἐκ θαλάττης νεωστὶ καταπεπλευκώς, ut Socratis apud Platonem [4]) verbis utar, sophistam e magna Graecia Athenas delatum cancro assimulantis, quem locum non sine utilitate cum Euripideis contuleris [5]).

---

1) πυράγρη audit apud Homerum Σ 477 γ 434, ubi in scholiis vox rarior per καρκίνον vocabulum explicatur, item apud Hesychium. Sic Agathocles cum in Segestanos immaniter saeviret τῶν γυναικῶν τῶν εὐπόρων τινῶν καρκίνοις σιδηροῖς τὰ σφυρὰ πιέζων συνέτριβεν Diodor. Sicul. XX 71. Confer etiam Ovid. Metam. IX 68, ubi Achelous inter Herculis manus angitur *cum guttura forcipe pressus.*

2) In Philippi carmine 16 Iacobs.

3) Batrachomyomach. vs. 297.

4) In Euthydemo p. 297*c*.

5) In adnotatione etiam Aristonymi versiculus quidam indicandus est, obscurus tamen, ita ut vix quicquam inde videatur posse elici:

ὅ γέ τοι Σικελὸς ταῖς βεμβραφόαις προσέοικεν ὁ καρκινοβήτης.

(fragm. 2 Kock, apud Athenaeum VII 287*c*).

Digitized by Google

Iam nomen meum solvisse me spero. Superest tamen ut ostendam, per totam Vesparum fabulam dispersa esse dicta et vocabula rariora, quae in Euripidis quoque Cyclope occurrant. In his nonnulla sunt quae perexigui esse momenti ultro concedo. Leve sane est vox θύλακος non de *pera* sed de *braccis Persarum* adhibita cum in Vespis versu 1088:

εἶτα δ' εἰπόμεσθα θυννάζοντες εἰς τοὺς θυλάκους,

tum in Cyclopis versu 182:

τὴν προδότιν, ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον
κλῳὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα
ἐξεπτοήθη.

Leve hoc dico; nam postquam demonstratum est Vesparum exitum ad Cyclopem Euripideum esse conformatum, haud invitus fortasse aliquis concedet vocabulum quoque θύλακος ex recenti Euripidis lectione inhaesisse Aristophanis menti et sic ultro fere ex eius calamo effluxisse, sed per se nihil valet hoc indicium.

Idem dictum esto de Sosiae verbis Vesp. 52:

εἶτ' οὐκ ἐγὼ δοὺς δύ' ὀβολὼ μισθώσομαι
οὕτω σ' ὑποκρινόμενον σοφῶς δνείρατα,

quibuscum conferri potest Sileni dictum Cyclop. 172:

εἶτ' ἐγὼ οὐκ ὠνήσομαι
τοιόνδε πῶμα etc.

Casui fortasse etiam tribui potest quod Philocleonis verbs Vesp. 800

ὅρα τὸ χρῆμα, τὰ λόγι' ὡς περαίνεται

revocant nobis in mentem Cyclopis querelam vs. 696:

αἰαῖ· παλαιὸς χρησμὸς ἐκπεραίνεται,

quamquam equidem hanc certe similitudinem non fortuitam esse censeo.

Aliquanto minus dubia mihi videtur res Vesp. 456 sq.:

παῖε παῖ' ὦ Ξανθία τοὺς σφῆκας ἀπὸ τῆς οἰκίας.
— ἀλλὰ δρῶ τοῦτ'. — ἀλλὰ καὶ σὺ τῦφε πολλῷ τῷ κατνῷ·

haec enim imago adhibetur etiam Cyclopis versu 475:

τοῦ Κύκλωπος τοῦ κακῶς ἀπολουμένου
ὀφθαλμὸν ὥσπερ σφηκιὰν ἐκβύψομεν.

Digitized by Google

Plus etiam tribuerim Cyclopis impudentissimis verbis:

οὐκ οἶδ' ὅ τι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός,
nam posiquam bene pastus sum, resupinus iaceo et
Διὸς βρονταῖσιν εἰς ἔριν κτυπῶ (vs. 328);

concinit enim Philocleonis in Vespis dictum vs. 616 sqq.:

κἂν οἴνόν μοι μὴ ἐγχέῃς σὺ πιεῖν, τὸν ὄνον τόνδ' εἰσκεκόμισμαι
οἴνου μεστὸν, κἄτ' ἐγχέομαι κλίνας· οὗτος δὲ κεχηνὼς
βρωμησάμενος τοῦ σοῦ δίνου μέγα καὶ στράτιον κατέπαρδεν.
ἆρ' οὐ μεγάλην ἀρχὴν ἄρχω καὶ τοῦ Διὸς οὐδὲν ἐλάττω;
κτἑ.,

quae cuncta aut integra aut perspicua esse non contendam, sed id tamen satis apparet, eosdem bombos utrobique significari, et Philocleonem, haud secus atque Polyphemum, Tonantis dici sive contemtorem sive aemulum. Genuinum autem esse Vesparum locum et immerito ab Hamakero et Meinekio esse damnatum, non negabit quisquis in hac nostra disputatione veri aliquid esse concedit [1]).

Maioris etiam momenti videntur haec Polyphemi verba Cyclop. 323 sqq.:

ἄκουσον· ὅταν ἄνωθεν ὄμβρον ἐκχέῃ (nempe Ζεύς),
ἐν τῇδε πέτρᾳ στέγν' ἔχω σκηνώματα,
κτἑ.
ὅταν δὲ βορέας χιόνα Θρῄκιος χέῃ,
δοραῖσι θηρῶν σῶμα περιβαλὼν ἐμὸν
καὶ πῦρ ἀναίθων, χιόνος οὐδέν μοι μέλει.
ἡ γῆ δ' ἀνάγκῃ, κἂν θέλῃ κἂν μὴ θέλῃ,
τίκτουσα ποίαν τἀμὰ πιαίνει βοτά.
τὰ δ' οὔ τι θύω πλὴν ἐμοὶ, θεοῖσι δ' οὔ,
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων·
ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν,
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι,
λυπεῖν δὲ μηδὲν αὐτόν· οἳ δὲ τοὺς νόμους
ἔθεντο, ποικίλλοντες ἀνθρώπων βίον,
κλάειν ἄνωγα.

---

1) Praecedentem quoque tetrametrum

τάδε κέκτημαι πρόβλημα κακῶν, σκευὴν βελέων ἀλεωρήν

eiciebat Hamakerus, quantivis pretii versum, in quo fortasse prisca superest lectio versus Homerici Π 134, ubi videnda sunt scholia.

Digitized by Google

Simillima enim apud Aristophanem (Vesp. 764 sqq.) suadet filius patri furore suffragium ferendi incenso: ut domi maneat, corpusculum curet, et tutus ab hiemis intemperie, procul a foro, intus vacet iudiciali suo studio, solusque sibi habeat cuncta emolumenta. Quibuscum verbis conferri potest etiam Ulyxis ad Cyclopem consilium Cyclop. 452 sq.:

ὡς οὐ Κύκλωψι πῶμα χρὴ δοῦναι τόδε,
μόνον δ' ἔχοντα βίοτον ἡδέως ἄγειν.

Singula tamen, quae hactenus attuli argumenta, in dubium vocari et vel cuncta fortasse a nonnullis reici poterunt; at prorsus certa, mihi quidem, stat sententia de festivo illo loco, ubi filius patrem grandaevum veluti refingere et sera institutione ad vitam urbanam accommodatiorem reddere conatur, ne in convivio quod iamiam ambo adituri sunt ceteris convivis risum moveat. Senem igitur postquam frustra obnitentem et mussitantem novo vestitu ornavit Bdelycleon, iubet eleganter procedere; quo vero eventu senex πλουσίως καὶ τρυφερῶς ingredi conetur, facili coniectura assequimur. Videre videmur nova veste impeditum et obvolutum, urso similiorem quam uni alicui ex nobilibus et cultissimis illis adulescentibus, quos imitandos ei indicavit filius. Ipse iuvenis δοθιῆνι σκόροδον ἡμφιεσμένῳ eum similem dicit; pustulam autem allio obductam quamquam nunquam vidi neque mente fingere mihi possum, perridiculum tamen videri senem ex hac imagine vel sic satis apparet [1]). Quae comparatio si ad liquidum perduci possit, fortasse inde appareat quam recte suspicer id, quod nunc nonnisi dubitanter propono: Philocleonem ipso quoque vestitu, quo in scena amicitur, repraesentasse vel certe spectatoribus in animum revocasse *opilionem Siculum*. Villosam enim illam καυνάκην, quam filius vestem pretiosissimam esse perhibet, *pelli pastoriciae*, σισύρᾳ Θυμαιτίδι, similiorem esse contendit ipse pater (Vesp. vs. 1138).

Ad filii autem verba, cum pustula eum comparantis, iocose respondet senex:

καὶ μὴν προθυμοῦμαί γε σαυλοπρωκτιᾶν (vs. 1173),

verbo novo, ut opinor, et vere plebeio describens mollem frac-

1) Conf. supra cap. II, p. 275.

Digitized by Google

tumque gressum iuvenum delicatulorum, elegantem illam *βάδισιν τῶν πλουσίων*, quos propositos sibi habet unde discat quomodo sit vivendum. De *sicinide* vero, Satyrorum saltatione, apud Euripidem idem verbum adhibetur Cyclop. vs. 37 sqq., nisi quod ibi excurrit in syllabas aliquanto minus comicas:

τί ταῦτα; μῶν κρότος σικινίδων
ὅμοιος ὑμῖν νῦν τε χὥτε Βακχίῳ
κώμοις ξυναστίζοντες Ἀλθαίας δόμους
προσῇτ' ἀοιδαῖς βαρβίτων σαυλούμενοι;

Post artem incedendi filius patrem *σκαιὸν κἀπαίδευτον* confabulandi artem docere conatur; qui tamen in hac quoque disciplina vix quicquam proficit. Tandem „desine" clamat Bdelycleon vs. 1208 sqq.:

παῦ· ἀλλὰ δευρὶ κατακλινεὶς προμάνθανε
ξυμποτικὸς εἶναι καὶ ξυνουσιαστικός [1]).
Philocleon.
πῶς οὖν κατακλινῶ; φράζ' ἀνύσας.
Bdelycleon.
εὐσχημόνως.
Philocleon.
ὧδὶ κελεύεις κατακλινῆναι;
Bdelycleon.
μηδαμῶς.
Philocleon.
πῶς δαΐ;

---

1) Bdelycleonis haec verba in mentem mihi revocant dictum quoddam Iphicratis apud Polyaenum III 9 § 16: Ἰφικράτης καὶ ὡς τὸν κηδεστὴν ἀπιὼν ἐπὶ τὴν ἑστίαν (corr. *ἑστίασιν*!) *τὸν θώρακα ἐνεδύσετο λέγων «μελετῶ φυλάττεσθαι»*". Aditurus igitur Iphicrates epulas soceri sui Cotyis, reguli Thracis (cuius apparatum ridet Anaxandrides Athen. XII 553, fr. 41 Kock), loricam induit, et amico roganti quid agat respondet: *μελετῶ φυλάττεσθαι*, *cavere disco.* Siccine vero? Sufficiebat profecto *φυλάττομαι*, at faceti in tali responso foret nihil. Periit ni fallor acumen loci; ludit Iphicrates in ambigua voce *θώραξ*, quae non solum belli sed pacis quoque artibus est accommodatissima, nam *θώρακα ἔχειν* idem valet quod *ὑποπεπωκέναι*, *vino madere;* de quo sensu vocabulorum *θώραξ* et *θωρήσσεσθαι* vid. Arist. Ach. 1133, 1135, Pac. 1286; etiam Vesp. 1195 inde lucem accipit. Interroganti igitur sodali cur ante coenam *θώρακα ἔχων* conspiciatur Iphicrates iocose respondet „*μελετῶ*", scilicet *συμποτικὸς εἶναι*: — *artem convivandi*, cuius inter belli strepitum paene oblitus sum, *addiscere conor* priusquam ceteris convivis, me peritioribus, me immiscoam.

Digitized by Google

Bdelycleon.

τὰ γόνατ' ἔκτεινε καὶ γυμναστικῶς
ὑγρὸν χύτλασον σεαυτὸν ἐν τοῖς στρώμασιν.

Haec quoque quantos cachinnos civerint intellegimus. Senex impeditus et veluti conligatus nova sua veste, quam cum Μωρύχου σάγματι modo comparaverat, quae quo magis pretiosa et densa erat, eo molestior ei esse debuit, in lectum non sine strepitu se proicit, dum cuncta contremiscere facit, et incomposite porrigit crura multis annis torpentia. „At non sic est accumbendum", ridens dicit filius; „molliter extendi in lecto et veluti fundi oportet", simulque ei ostendit quid sit faciendum. Deinde quomodo cantentur scolia in conviviis eum docere conatur et hanc quoque artem cum grandaevo discipulo meditari; senex vero praepostere omnes cantilenas permiscet et rauca voce filio obstrepit [1]).

Hoc igitur colloquium patris et filii, in quo ludimagistri partes agit iuvenis, senex vero discipuli stolidi, tam aperte ex Euripide desumtum esse contendo, ut res in dubium vocari posse non videatur. Simillima enim sunt monita Sileni ad Cyclopem vs. 544:

κλίθητί νύν μοι, πλευρὰ θεὶς ἐπὶ χθονός.

Procumbit humi monstrum horrendum, poscitque poculum liquoris hactenus sibi ignoti. At moras nectit Silenus, ipse interim vinum delibans. Corona ornari iubet Polyphemum priusquam bibendi faciat periculum (Cyclop. 559):

Cyclops.

ἀπολεῖς· δὸς οὕτως.

Silenus.

ναὶ μὰ Δί' οὐ πρὶν ἄν γε σὲ
στέφανον ἴδω λαβόντα.

Tandem decore se componere poculumque eleganter ad os adducere novus magister bibendi discipulum docet (vs. 563):

θὲς νυν τὸν ἀγκῶν' εὐρύθμως, κἄτ' ἔκπιε,
ὥσπερ μ' ὁρᾷς πίνοντα —

simulque non verbis modo sed ipsa re ostendit Polyphemo quid sit ἀμυστίσαι, uno scilicet haustu calicem ipse siccat.

1) In his ultimis nonnihil postea mutatum aut additum esse a poeta, propter Cleonis nimis apertam derisionem certum duco.

Digitized by Google

Cyclopem igitur, qui ξυμποτικὸς καὶ ξυνουσιαστικὸς fieri studet gratiis invitis, repraesentat Philocleon non solum in fabulae fine, sed etiam in episodio quod exitum proxime antecedit [1]).

Post omnia quae disputavimus, hoc quoque non fortuitum videbitur, quod rarissimum vocabulum ὀπίας, quo designatur caseus de lacte quod vi ὀποῦ, id est succi ficulnei, concrevit [2]), cum in Cyclope fabula occurrit, versu 136:

καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ καὶ βοὸς γάλα,

tum vero in Vespis, ubi ioci non admodum festivi occasionem praebet comico; ibi enim non de caseo usurpatur, sed de sene captivo fugam per fenestram — δι' ὀπῆς — meditanti, quam viam salutis sibi praeclusam esse ad sodales queritur (versu 352):

πάντα πέφρακται κοὔκ ἐστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ σέρφῳ διαδῦναι·
ἄλλ' ἄλλο τι δεῖ ζητεῖν ὑμᾶς· ὀπίαν δ' οὐκ ἔστι γενέσθαι.

Si quis autem me interroget, unde Aristophani consilium hoc drama Euripideum imitandi venisse putem, primo respondeam talia vix posse sciri et fortasse igitur nesciri melius; sin coniecturam saltem proponere cogar, dixerim ex ipso illo *caseo* parodiam ortam mihi videri. *Caseus* enim *Siciliensis*, quem miser canis Labes sive Laches devorasse dicitur, ipsam Siciliam, unde Laches peculatus crimine revocatus fuerat, Aristophanis menti perpetuo obversari coegit; quemadmodum Verris quoque rapinae, si magna licet componere parvis, sine Sicilia cogitari aut a Cicerone tractari non poterant. Pro fundo igitur comoediae

---

1) Non frustra ut arbitror etiam Ulyxis apud Euripidem verba Cyclop. 534:

πυγμὰς ὁ κῶμος λοιδορόν τ' ἔριν φιλεῖ

composueris cum Aristophanis versibus Vesp. 1253 sqq.:

κακὸν τὸ πίνειν· ἀπὸ γὰρ οἴνου γίγνεται
καὶ θυροκοπῆσαι καὶ πατάξαι καὶ βαλεῖν
κἄπειτ' ἀποτίνειν ἀργύριον ἐκ κραιπάλης.

2) Describit rem Hom. Ε 902:

ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξε
ὑγρὸν ἐὸν, μάλα δ' ὦκα περιτρέφεται κυκάοντι,
ὣς ἄρα καρπαλίμως ἰήσατο θοῦρον Ἄρηα.

Digitized by Google

Aristophaneae erat insula illa, quae Cyclopum patria credebatur, ubi ipsa artis pastoriciae incunabula fuisse videbantur, quam

ἓν τοῦτ' ἀπόταχτον αὐτὸ, τοὺς τυροὺς ποιεῖν καλοὺς,

habere contendit Philemon [1]). Hinc est quod per totam Vesparum fabulam, sive verborum rationem habeas sive metrorum [2]), deprehenduntur vestigia Cyclopis Euripidei; satis autem iam perspeximus quam nihil vèri fuerit in comici promisso, unde disputandi fecimus initium, „hodie Euripidem derisum non iri". Nomen Euripidis, si excipimus unum versum 1414, in fabulae parte quae postea adiecta est occurrentem, in Vespis ne profertur quidem, et hactenus igitur poeta stetit promisso; at dicta et inventa Euripidea passim traducuntur, non eo sane consilio ut vituperentur ea quae tragicus dixerat, sed tamen ita ut illius sumptu ingentes cieantur cachinni. Quapropter satis certum duco brevi ante Vespas, anno fere 423, scenae commissum esse Cyclopem Euripideum [3]).

Multo tamen acrius quam Euripides, Cleon eiusque sectatores, ut in priore comoediae parte, sic in hac iocis vellicantur. Nam Polyphemum si repraesentat Philocleon, unus omnium acerrimus admirator Cleonis, pro democratia igitur Cleonea est vetusta illa Cyclopum barbaries, ubi

ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδένος,

ubi venter unicus deus habetur et cuticulam fovere summum videtur bonum, neque quisquam ius vel fas novit aut curat. Et immanis belua, quae propter caseos aliquot sive surreptos sive, ut Euripides finxit, emptos dilaniatura et devoratura est Graecos infelices qui in Siciliam malo omine delati fuerant, quam acerbe comparetur cum iudicibus qui in Lachetem mox sessuri sunt ipsoque adeo Cleone illorum patrono [4]), quis est

---

1) Apud Athenaeum XIV 658*a*; fragm. 76 Kock. Caseos, τροφαλίδας sicilienses, habes etiam Aristoph. Pac. 250, Hermippi fragm. 63, Antiphanis fragm. 133 et 236.

2) Ionicos dico numeros, Vesp. 290 sqq. 304 sqq., coll. Cyclop. 496 sqq.

3) Ex *Philoxeni* Cytheraei Cyclope Aristophanes nonnihil in suos usus convertit cum *Plutum* fabulam retractavit; conf. Plut. 290 sqq. Eundem Antiphanes in Cyclope fabula videtur esse secutus.

4) Heliastarum, ex quibus chorus constat, in scenam procedentium haec prima fere sunt verba (vs. 240 sqq.):

Digitized by Google

quin sentiat. *Satyrorum regem*, Silenum igitur, Hermippus vocaverat Periclem [1]): — acerbius multo, quamquam magis tecte, noster traduxit Cleonem: *Cyclopum* enim fecit *dominum*.

Perfidia autem Sileni Euripidei, Polyphemum ad iram et inclementiam erga Ulyxem eiusque socios instigantis, quo supplicium effugiat ipse, qui tamen solus peccaverit solusque agnos caseosque Polyphemo subduxerit, a spectatoribus, qui dum Vesparum agebatur fabula drama Euripideum bene mente tenebant, necessario fere referri debuit ad Cleonem, qui contra Lachetem et *τοὺς προδόντας τἀπὶ Θρᾴκης* popellum incitabat [2]). Aut si nimis multum nunc dico, nam paulo reconditiora haec esse concedo, id tamen pro certo atque explorato habeo, ipsum Aristophanem hanc comparationem perpetuo ante oculos habuisse cum Vespas componeret ad Cleonem suo cunctorumque optimatium nomine ulciscendum. Neque inter amicos comici quisquam erat, opinor, quin penitus perspiceret quo haec omnia tenderent, deque demagogo triumphare illi quadamtenus sibi videbantur cum plauderent mordacissimo ludo, ingeniose excogitato et egre-

---

ἀλλ' ἐγκονῶμεν ὦνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυνί·
σίμβλον δέ φασι χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν.
χὠδὶς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ' αὐτὸν, ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκηκεν κτέ.

1) In notissimis versibus apud Plutarchum Pericl. 33 (fr. Kock 46):

βασιλεῦ Σατύρων, τί ποτ' οὐκ ἐθέλεις
δόρυ βαστάζειν κτέ.

Ad annum 430 haec verba, in quibus Cleonis quoque mentio inicitur, probabiliter referuntur.

2) Laches postquam hieme anni 426 revocatus est ex Sicilia, interfuit pugnae ad Delium anno 424, et vere anni 423 auctor extitit *τῆς ἐνιαυσίου ἐκεχειρίας*, inducirarum annuarum, per quas Vesparum fabula et scripta est et spectata. Non statim igitur post reditum in patriam est accusatus; sed post Amphipolim turpiter amissam, cum civibus cuncta essent *τυραννὶς καὶ ξυνωμόται* (Vesp. vs. 488) et in proditionis suspicionem incurrerent omnes qui ab optimatium partibus starent pacemque talem fieri cuperent qualem offerebant Lacedaemonii, Lachetis quoque nomen in omnium ore denuo versari coepit rapinarumque, quibus in Sicilia suo sacculo melius quam reip. commodo consuluerat, in memoriam rediit populo. Utrum tamen re vera in ius vocatus fuerit necne, non apparet. Si fuit, absolutus est; sed veri videtur similius, accusationem quae ei intentabatur ad iudices perlatam non fuisse. Post mortem autem Cleonis, qui brevi post Vespas actas periit, cuncta huiusmodi crimina sponte conciderunt, et Laches in rep. partes aliquas per triennium adhuc egit, non sine dedecore et civitatis detrimento.

Digitized by Google

gia arte perfecto. Illi certe recte interpretabantur verba servi, in fabulae introitu narrantis se per somnum vidisse ovium multitudinem in Pnyce congregatarum, iisque praepositum immane monstrum quoddam, *φάλαιναν πανδοκεύτριαν*, stridula voce clamitantem. Quibus Cleonem designari apertum est, simul tamen pro Pnyce Aetnam cogitari, et Cyclopem pro demagogo qui „*porci ustulati* clamores iaciebat", id fortasse non omnes spectatores intellegebant sed soli familiares poetae.

Ut risit poeta haec scribens! Ut riserunt eius necessarii, quibuscum consilia sua communicare soleret, cum intellexerunt qualis esset Aristophanis illa clementia, quam ipse in fabulae introitu prae se tulisset! cum viderunt Cleoni palam quidem parci, quemadmodum promiserat comicus, sed eundem per totam fabulam *εὖεσθαι ἄτερ ἁλοῖο*, et acutioribus etiam sagittis, quam quibus in Equitum fabula petitus fuerat, lacessi. Non plebi rudiori hanc fabulam scripsit comicus, ad quam degustandam requiritur palatum multo usu exercitatum [1]); sed sibi et Musis eam scripsit, scripsit amicis, et sic perfecit opus in quo ars singularis et consummata utrum eluceat magis an delitescat dubitari potest, vix enim aliunde melius quam ex hac comoedia discas quid sit celare artem.

Inique autem Aristophanes de Cleone iudicavit profecto, vel potius iudicium de eo nullum ferre poterat, qua erat iuventute rerumque publicarum imperitia. Ducem partium popularium eo odio prosecutus est quo totam factionem aristocraticam, cui se addixerat, erga eum flagrare videbat; sed quo iure eum vellicare soleret omniumque calamitatum, quae patriam obruebant, in eum potissimum conferre culpam, id vix umquam serio quaesivisse videtur. Attamen hoc quod de se et Cleone praedicavit ex asse verum fuit:

ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

---

1) Brentano Untersuchungen p. 174 sq. appellat „geradezu sinnlos", et „ein dramatisches Stümperwerk der traurigsten Sorte"; mox prologus ei videtur „ebenso überflüssig als witzlos", „ein Polichinellsermon" (p. 182 sq.), et „die Zwangsankleidungsscene" nonnisi „mit stetem Kopfschütteln" perlegisse se fatetur (p. 191). Plura excribere piget; hoc tamen utilitatis afferunt eiusmodi iudicia, quod inde apparet quam difficile sit Aristophanem bene intellegere et suo pretio aestimare. Nam qui sic loquitur, frustra se legisse comicum luculenter ostendit.

Digitized by Google

Nam comici, quem Cleon penitus contemnebat et caniculae allatrantis habebat instar, etiamnunc fama superstes est et gratia vivax; quodque Cleonis memoria nondum est intermortua, ipsi comico id debet.

Ad finem perducta est disquisitio quam institueram. Sed corollarii loco addere cupio aliquid de Carcini illis filiis qui sub finem Vesparum a comico in scenam producuntur. Quos ut cieret, motus est verbis Euripideis λήψεται τὸν τράχηλον καρκίνος, ut supra vidimus. Sed in poetae eiusque comici mente πάντα ῥεῖν verissime dixeris; summa libertate musa comica imagines nomina loca tempora permiscere, iungere, dissociare solet; sic καρκίνος Euripideus inter manus comici mutatur in tragicum poetam aequalem, cui Carcino nomen erat; dumque igitur ridentur Euripides et Cyclops, vel potius Cleonis assecla plebeius et ipse in eo Cleon ridetur, simul alium poetam traducendi occasionem Aristophanes ambabus manibus arripit. De Carcino autem neque multa omnino dici possunt neque post Meinekium (in Hist. Com. pag. 505—517) nova fere proferri posse videntur. Sed de eius filiis aliquid habeo dicere; quod quale sit statim indicabo, prius tamen considerandus est versus e Pacis fabula. Notus est locus, at idem parum honestus; medici tamen munere fungitur quisquis veterum scriptorum reliquias explicare conatur aut corrigere, nec turpia refugere licet medico. En igitur quae Pacis vs. 289 leguntur:

νῦν τοῦτ' ἐκεῖν' ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος,
ὃ δεφόμενός ποτ' ἦδε τῆς μεσημβρίας·
„ὡς ἥδομαι καὶ χαίρομαι κεὐφραίνομαι."

Notum hunc locum dico; nempe iocus de forma χαίρομαι pro χαίρω tam firmiter inhaesit memoriae lectorum, ut DATISMUS exinde appellaretur huiusmodi soloecismus. Sed quis est homo ille qui nomen suum dedit peccato contra leges non naturae dico sed grammaticae? quis est hic Datis?

Scholia haud dubitanter respondent: Δᾶτις τῶν ἐν Μαραθῶνι παραταξαμένων Ἀθηναίοις στρατηγὸς Δαρείου, ὃν φασιν ἀντιποιή-

Digitized by Google

σασθαι τῆς Ἀττικῆς ὡς ἰδίας· ἀπὸ Μήδου γὰρ τοῦ Μηδείας καὶ Αἰγέως ἐδόκει εἶναι. Estne igitur his credendum? Putamusne hoc tempore rescivisse Athenienses quid septuagesimo anno ante dixisset vir barbarus? Usque adeone igitur memoratu dignum erat, si in graeci vocabuli exitu erravisset homo graece nesciens? Et quis obsecro id narraverat? quis vir Marathonomacha duci Persarum adfuerat, cum homo grandaevus inter gravissimi muneris officia, media scilicet luce, turpiter libidinaretur simulque graeca nescio quae verbula balbutiret? Nae pudet talia describere, quae sintne foeda magis an absurda dubito; et tamen talia nobis credenda erunt nisi respuimus scholiastae explicationem.

Hanc igitur sibi habeat ille, utpote nimis absonam fidei, aliamque viam ad verum inveniendum insistamus. Si nomen prorsus incognitum hoc loco legeretur, nemo opinor dubitaret quin de CIVE aliquo AEQUALI, omnibus spectatoribus bene noto, loquatur comicus. Praeterea in promptu esset coniectura, MUSARUM aliquem ALUMNUM tangi; nam quae homines de plebe domi vel in plateis inter se loquebantur, quis curabat vel in scena repetita risurus erat? Denique verbum ᾄδειν nobis indicium videretur, opinor, de POETA MELICO aut SCENICO sermonem esse.

Eratne igitur inter Aristophanis aequales poeta aliquis cui nomen esset Datidi? Erat. Unde scimus? Ipsi illi commentatores id referunt, qui tam absurda modo nobis suadebant; addunt enim: τινὲς δὲ Δᾶτιν λέγουσι τὸν τραγικὸν, κακῶς ὑπονοοῦντες· ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς ἦν Καρκίνου, οὗτος δὲ ὕπαρχος Περσῶν.

Hic non contineo me quin indigner veteris grammatici ἀκρισίαν. Tenet manibus loci subobscuri explicationem, novit virum quo de agitur — sed ex manibus mittit ἑρμαῖον suum, et ad Darii Medeaeque tempora confugere mavult, unde talem scilicet ioci Aristophanei repetat interpretationem, quae nec caput nec pedes habeat. Bene factum tamen quod stultus homo opinionem, quam falsam ducebat, non supercilioso certe silentio praeteriit sed refellendo nobis servavit. Nam procul dubio non veterem satrapam Aristophanes hoc versu deridet, sed filium Carcini, mali poetae tragici, quem èt altero Pacis loco (vs. 782 sqq.) cum filiis exagitat, èt Nubium versu 1261, èt per totum Vesparum exitum.

Digitized by Google

Sed video lectorem scrupulum mihi inicientem: *barbarum* esse Datidis nomen, neque Athenis igitur usitatum. Rectissime mones, quisquis es, et hinc apparet, non VERUM igitur poetae hoc nomen fuisse sed PER IOCUM eum ita esse nuncupatum [1]); quo indicaretur, opinor, eum in dramatis haud puro dicendi genere uti, sed *βαρβαρίζειν*.

Quam veram esse explicationem, arithmeticae artis ope evinci potest. Nam sic demum intellegitur qui fiat ut modo *tres*, modo *quatuor* Carcini filii recenseantur a grammaticis; duplex scilicet eiusdem viri nomen pro binis hominibus habebatur. TRES Carcini filios Aristophanes in scenam producit Vesp. 1501—1515; neque plures fuisse, quos domi quacunque de causa remansisse fingat poeta, ex versu 1501 apparet, ubi unus ex tribus his pumilionibus dicitur *υἱὸς Καρκίνου ὁ μέσατος*. QUATUOR tamen forent, si ad tres illos quos scholiasta ad Pacis versum 782 recenset, *Xenoclem Xenotimum Xenarchum*, quartus accederet *Datis*, quemadmodum factum est in scholio ad Ran. 86: *Ξενοκλῆς*] *υἱὸς Καρκίνου, ὃς κωμῳδεῖται ὡς ἄξεστος ἐν τῇ ποιήσει καὶ ἀλληγορικός. ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενάρκλειτος* (immo *Ξέναρχος*), *Ξενότιμος*, *Δᾶτις*. Vid. etiam schol. Vesp. 1502: *τέτταρες μὲν δή εἰσιν* etc. [2]).

Satis igitur constat, si quid video, Datidis nomine ab Aristophane in Pacis versu 289 filium aliquem Carcini designari. Neque dubium videtur quis ex tribus Carcini filiis ita vocetur; tali enim ioco unus *Xenocles* peti poterat, quem perinde atque patrem Carcinum tragoedias scripsisse et aliunde constat et ex

---

1) Ultimum hoc etiam Meinekius, dubitanter tamen, dixit Hist. Comic. pag. 515, et confidentius Kayserus in Historia Critica Tragicorum pag. 95. Aurem tamen non praebuit certe Dindorfius, qui ad schol. Ran. 86 adnotavit „Datis tragicus, Carcini filius, memoratur ab schol. Pac. 288", neque Bernhardius in Hist. Litt. II 2 pag. 54: „Karkinos hinterliess eine Familie von vier poetischen, wegen ihrer witzigen oder verschrobenen Persönlichkeit aufs äusserste bespöttelten Köpfen, *Xenokles* (*Xenoklitus*), *Xenotimus*, *Xenarchus*, *Datis*."

2) Pherecratis verbis de Carcino eiusque filiis, quae misere corrupta ex *Ἀγρίοις* fabula afferuntur in scholio ad Vesparum versum 1509, quomodo utar nescio; ea enim quae ipse Pherecrates dixerat cum commentatoris verbis permixta esse videntur. Si tamen ex Pherecrate fluxerunt verba *μὰ τὸν Δί' οὐ τρεῖς τε ἐκεῖνοί εἰσιν οἱ τέτταρες*, quae in tetrametri trochaici formam aliquam redigere conatus est Meinekius Hist. Com. pag. 515, fortasse mirabatur aliquis hoc versu, cur *quatuor* in scenam procederent saltatores cum *tres* tantum Carcino filios esse quilibet sciret.

Digitized by Google

Aristophane apparet (Nub. 1261—1264, Thesm. 169, Ran. 86), malas autem scribere Aristophanes censebat, neque aliter iudicavit Plato comicus, qui δωδεκαμήχανον eum vocaverit (schol. Pac. 792, coll. Ran. vs. 1327). Quod probrosum epitheton, ex arte meretricia desumtum, non longe distat ab Aristophanis ioco obscoeno qui nimis diu nos detinuit. Unum addo, Carcinum teste Suida *Agrigento* Athenas cum filiis migrasse, neque igitur mirandum esse si veteris vestigia ruris in illorum dictione deprehenderint Athenienses et cachinnis ingentibus exploserint. Dubitare autem possit aliquis num id quoque vitium Xenocles admiserit quod ab Aristophane ridetur, ut χαίρεσθαι diceret pro χαίρειν; nam dixeris hominem, qui vel in talibus impingeret, vix potuisse scribere dramata quibus obtingeret chorus. Attamen, nisi revera hoc ipsum peccatum contra sermonem Atticum nuper commiserat Xenocles, vix sic iocari poterat comicus; talia enim fingere insulsum est. Χαίρομαι autem qui dicebat, οὐκ ἄρ' ἠττίκιζεν, ὦ μοῦσαι Φίλαι! at quominus prorsus absurde locutum esse dicamus, in lyrico versiculo praesertim, obstant Homerica illa ἐκεχάροντο, κεχαρήσεται, ἐχήρατο [1]); quin ipse Aristophanes Vesparum versu 389 dedit κεχάρησαι.

Datidis igitur ridiculo nomine designatur Xenocles, Carcini filius natu minimus, ὁ πιννοτήρης τοῦ γένους, ut iocose in Vesparum fine vocatur, ubi quae adduntur

ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ

Hamakerus iure e textu eiecit, nam misero hoc additamento corrumpitur festivissimus Philocleonis iocus. Quisquis maris novit litus, etiam squillas novit et animalcula illa, eremitas hodierni homines nominant, *quibus sollertia est inanium ostrearum testis se condere* [2]); neque opus erat profecto ut edocerentur spectatores, Xenoclem propter parvam corporis staturam vocari pinnoteram sive squillam; ante oculos habebant hominem, ante oculos quotidie habebant squillas.

---

1) Σ 270. Quae forma si vix Homerica est, ut non sine causa statueris, aliquando tamen probatam esse ostendit Apollonii Rhodii imitatio IV 55, 1628.

2) Plin. IX 51. De *paguro bernhardo* igitur loquitur Plinius; *pinnoteram* vero, qui non in *inanibus* vivit ostreis sed *viventium* pinnarum utitur contubernio, accuratius describit Cicero de Finib. III 19 nec non ipse Plinius IX 66.

Digitized by Google

DE INSCRIPTIONE ROMANA APUD FRISIOS REPERTA.

SCRIPSIT

U. PH. BOISSEVAIN.

Editorum huius Ephemeridis benivolentia mihi, quamquam sero petenti, concessum fuit ut inscriptionem Romanam, nuper in patria nostra repertam, sine mora cum antiquitatis studiosis communicarem. Neque immerito statim ad omnium notitiam titulus perveniet, qui postremus apud nostrates effossus in titulis nostris locum obtinebit fortasse primum.

Ineunte mense Augusto cum in pago *Beetgum*, sito haud procul a Leovardia, Frisiae capite, ex tumulis vernacule *terpen* nominatis, qui in partibus septemtrionali et occidentali huius provinciae passim inveniuntur [1]), lucri faciendi causa unus egereretur (nam humus horum collium pinguis et ferax magno venire solet) 2 m. sub solo ara reperta est, cui haec verba litteris pulchris optimae aetatis insculpta sunt:

DEAE · HLVDANAE
CONDVCTORES
PISCATVS · MANCIPE
Q · VALERIO · SECV
NDO · V · S · L · M

Lapis (altus 0.50 m., latus 0.59 m., crassitudine 0.22 m.) a parte dextra paululum est effractus, a sinistra totus attritus, quo factum est ut in versuum initio perierint mediae litterae D, P, Q, in fine vs. 2 litterae S dimidia pars, vs. 1 et 3 litterarum E hastae tantum rectae supersint. Nam vs. 3 *mancipe* legendum

1) Vide de his tumulis Janssen, *Rhein. Jahrb.* 1871 p. 57.

Digitized by Google

esse non *mancipi* res postulat [1]). Ceterum optime est servatus nisi quod eodem versu tertio vocabuli *piscatus* litterae A et T, superficie corrosa, damnum passae sunt, ita tamen ut nullo negotio cognoscantur. In summo lapide superest figurae deae sedentis inferior pars alta 0.26 m., pessime habita. Laudabili diligentia ara post paucos dies in museum Leovardiense translata est. Edita est in actis diurnis, quibus nomen est *Nieuwe Rotterdamsche Courant* d. 11 m. Augusti, admodum mendose [2]). Mihi eodem die unus ex discipulis meis, iuvenis ornatissimus I. H. Smit Groninganus, inventi nuntium attulit et apographum multo melius ab amico confectum subministravit.

Tituli nostri interpretatio nullam praebet difficultatem: conductores piscatus, quorum manceps erat Q. Valerius Secundus, voti compotes deae cuidam Hludanae aram dedicarunt. Sescenties talia inveniuntur. Quid igitur est quo multis aliis haec inscriptio praestare videatur? Dicam. Primum de deae Hludanae natura atque indole certiora nos edocet; tum qui hic memorantur conductores *piscatus* nondum innotuerant neque conductores et mancipem vectigalis alicuius in aliis titulis ita inter se oppositos invenies; denique maxime memorabilis est propter locum ubi est repertus.

1. Dea Hludana, de qua primum nobis agendum est, iamdudum erat cognita ex tribus lapidibus Rhenanis, quorum unus formam *Hludana* praebet (Bramb. 150: Deae Hludanae sacrum C. Tiberius Verus), alter *Hludena* (Bramb. 188: Deae Hludenae cen ....), tertius, ante hos paucos annos effossus, *Hluðena* (*Rhein. Jahrb.* L/LI, 184: [..... deae] Hluðenae [sacrum] pro salute Im[p. Caes. M. Aur. S]everi Alexa[ndri Pii] Fil. Invicti [Aug. et Iuliae] Mamaee ma[tris Aug.] vexillat. leg. [I M. p. f. ....]), 222/235 p. Chr. Tituli autem Brambachiani cum prodierint in colli *Monterberg*, prope *Kalkar* inter Cliviam et *Xanten* sito [3]), Hludana dea non sine quadam probabilitate habebatur pro genio

1) Hanc lectionem unice veram esse mihi confirmavit Mommsenus V. Cl. in litteris ad me datis.

2) In iisdem actis diurnis iterum prodiit m. Aug. d. 23, emendate, vocabulo *mancipe* tantum excepto.

3) Constat hoc de fragm. n° 188, nec in dubium vocari potest de altero lapide n° 150, cf. Janssen. *Rhein. Jahrb.* XXIII, 171.

Digitized by Google

tutelari alicuius loci, ut nonnullos autumasse video (quamquam ea admodum infelix fuit coniectura), aut certe pro numine in his regionibus potissimum culto. Tertio tamen lapide non procul a *Munstereifel* reperto iam credibile factum eius cultum latius patuisse. Nec defuit qui propter formam *Hluðena* celticam deam nostram appellaret: litteram enim ⊖ celtico Ð vel ÐÐ (= th), in nonnullis inscriptionibus Rhenanis obvio, esse parem. At ut taceam non celticum Ð ibi legi verum graecum ϑ, inde deam celticae originis esse nequaquam concludendum erat. Cum enim Hludana quartam litteram habeat adspiratam (rectius „fricativam"), ut mox videbimus, nihil mirum si lapicida, ut hoc exprimeret, celticam litteram Ð sibi notam lapidi insculpserit.

His deae Hludanae testimoniis accedit iam nostra inscriptio, qua etiam Frisios eam veneratos esse demonstratur, id quod ideo haud parvi est momenti, quod Frisii Ingaevonibus adnumerandi sunt [1]), ad quos Rheni accolas non pertinere manifestum est. Iam intellegimus Hludanam aut a Frisiis [2]) atque fortasse etiam a ceteris Ingaevonum gentibus adoratam fuisse, aut, quod magis mihi placet, in commune celebratam apud nationes plerasque Germaniae Inferioris.

Disputarunt de deae origine atque natura complures viri docti et nostrates et Germani, omnium autem uberrime Iacobus Grimmius in libro notissimo *Deutsche Mythologie*[4] I, 212 cf. 221. Is Hludanam composuit cum *Hlódhyn*, quod cognomen in mythologia antiqua septemtrionali Terrae deae (*Iördh*) datur. Vide *Snorra Edda* I, 474. 585. Sic in carmine Eddico *Völuspá* 55 *Thor*, qui dea Iördh prognatus est, vocatur *mögr* (i. e. filius) *Hlódhynjar* (voc. *Hlódhyn* gen. cas.). Grimmii suspicionem, confirmatam titulo prope *Munstereifel* reperto, qui formam *Hluðena* praebet, nostra quoque inscriptione corroboratam crediderim, cum Ingaevones, ad quos Frisii pertinent, usque ad Scandiam olim habitasse putandi sint.

Idem Grimmius, quem Zeuss. (*die Deutschen und ihre Nachbarstämme*) secutus est, affinitatem quandam videre sibi visus

1) De Germanis in tria genera divisis, Ingaevonum, Istaevonum, Herminonum vide Tacitum Germ. 2 et interpr. ad h. l.

2) Nam si cui numini a *militibus* alicubi ara dedicata est, nequaquam inde necessario sequitur in ea regione praecipue id numen cultum fuisse.

Digitized by Google

est inter *Iördh* deam et Nerthum, quam Tacitus memorat loco Germaniae notissimo (c. 40). At *Iördh* et Nerthum, si etymologiam spectas, nihil inter sese commune habere auctor mihi est collega Symonsius, et corruere quae de littera n „prosthetica" Zeuss. habet p. 27 Adn. Nec tamen ideo negaverit Hludanam (i. e. claram) eandem esse atque Nerthum, vel potius Nerthi esse *ἐπίθετον*, quod postea, ut fit, apud gentes nonnullas pro nomine ipso coepit usurpari; neque obstare quod *Iördh* quoque *Hlódhyn* cognominatam invenimus, cum veri non sit absimile aetate demum recentiore Terrae deae cognomen, olim a se alienum, sibi habuisse tributum [1]). Cui opinioni confirmandae an titulus recens repertus pro testimonio citari mereatur (populi enim qui Nerthum *in commune colunt* et ipsi Ingaevones censendi sunt proximeque absunt a Frisiis) videant harum rerum periti.

Atque haec satis sunto de dea: iam cum dedicantibus mihi res est.

2. E fluminibus et lacubus, quae ad pisces capiendos locabantur, vectigal ad aerarium populi Romani rediisse notum est. *Πολλῶν γὰρ*, ait Polybius (6, 17), *ἔργων ὄντων τῶν ἐκδιδομένων ὑπὸ τῶν τιμητῶν διὰ πάσης Ἰταλίας — πολλῶν δὲ ποταμῶν, λιμένων, κηπίων, μετάλλων, χώρας κ.τ.λ.* Inter lacus celeberrimi erant Avernus et Lucrinus „qui olim propter copiam piscium vectigalia magna praestabant" (Serv. ad Verg. Georg. 2, 161), et vel pueri didicimus lacum Lucrinum in vectigalibus primum locatum fuisse fruendum boni ominis causa. Verba sunt Festi in epit. p. 121. Mansisse id vectigal aetate imperatoria nec teste indiget atque insuper confirmatur verbis Marciani Dig. 1, 8, 4, 1: „sed flumina paene omnia et portus publica sunt", et praecipue Ulpiani Dig. 43, 14, 1, 7: „Publicano qui lacum vel stagnum conduxit, si piscari prohibeatur utile interdictum competere Sabinus consentit et ita Labeo". Hinc quoque lacus piscatorii privati ut salinae, si quae sunt in praediis, in censum deferendae sunt Dig. 50, 15, 4, 6.

Ceterum ut saepe de vectigalibus quae huic similia sunt,

1) De hac quaestione, quae altius est repetenda, Symonsius fortasse alio loco disputaturus est.

Digitized by Google

metalla dico et salinas, ita raro de piscatu mentio fit. Nescio an apud Iurisconsultos praeter unum quem laudavi locum nusquam inveniatur. Operae pretium est conferre Ulp. Dig. 50, 16, 17, 1: „publica vectigalia intellegere debemus ex quibus vectigal fiscus capit: quale est vectigal portus vel venalium rerum, item salinarum et metallorum et picariarum" (cf. Dig. 3, 4, 1). Vides enumerari salinas, metalla, atque etiam picarias: nihil de piscatu. Idem in inscriptionibus observatur: memorantur saepius salinae, metalla (cf. Hirschfeld. *Verwaltungsgeschichte* p. 75 sq. et indices C. I. L.), ante nostrum lapidem repertum nusquam, quod sciam, piscatus. Unde nostro iure concludimus id quod per se veri est simile, huius vectigalis reditus non ita magnos fuisse.

Romani — rem narro haud obscuram — vectigalia fruenda locare solebant; quibus conducendis cum grandi pecunia opus esset, publicani in societates coibant. In licitatione autem pro societate unus suo nomine vectigal redimit, isque manceps vocatur. Fest. ep. 137: „Manceps dicitur qui quid a populo emit conducitve, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse; qui „idem praes" dicitur, qui tam debet praestare populo, quod promisit, quam is, qui pro eo praes factus est". De his mancipibus Polyb. 6, 17 *οἱ μὲν γὰρ ἀγοράζουσι παρὰ τῶν τιμητῶν αὐτοὶ τὰς ἐκδόσεις.* In sequentibus cum dicat: *οἱ δὲ κοινωνοῦσι τούτοις, οἱ δὲ ἐγγυῶνται τοὺς ἡγορακότας, οἱ δὲ τὰς οὐσίας διδόασιν ὑπὲρ τούτων εἰς τὸ δημόσιον,* distinguit inter socios, et praedes, et eos qui praediis populo cavent. Sic Atticus, teste Nepote in vita c. 6, nunquam ad hastam publicam accessit, nullius rei neque praes neque manceps factus est. Nec aliter accipiendus Livii locus 43, 16, 3: Edixerunt censores: „nequis eorum, qui Q. Fulvio A. Postumio censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve aut affinis eius conductionis esset". Vides separatim enumerari mancipes, socios, eos qui praedes sunt aut praediis cavent. Igitur interest aliquid inter mancipem, emptionis auctorem, et eos qui huic *κοινωνοῦσι*. Hi autem universe appellantur *publicani* [1]),

1) Recte Gaius, Inst. 4, 28: „publicani vectigalium publicorum populi Romani"; sed *publicanus quadragesimae*, ut hoc utar, dici nequit. Hinc in titulis, cum vectigal ipsum indicari soleat, publicanus rarissime occurrit. C. I. L. VII, 1235 P P BRI LON si recte a Mommseno expletum est: p(ublicani) p(rovinciae) Bri(tanniae) Lon(dinienses)

Digitized by Google

addito vectigali *socii* vel *conductores* [1]). Itaque rectissime, licet alterum huiusmodi exemplum vix afferas, in nostra inscriptione distinguuntur conductores piscatus et manceps eorum [2]). Ceterum vox „manceps" interdum usurpatur etiam pro publicano, ut a Cicerone Div. in Caec. 10, 33: „mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt". Nec qui in tegulis Agrigentinis, C. I. L. X, 8044, occurrunt mancipes et conductores sulphuris Siculi diversi fuisse videntur. Symmachus rel. 44 mancipes salinarum eos vocat de quibus cod. Iust. 4, 61, 11 disertis verbis: „si quis sine persona mancipum, id est, salinarum conductorum sales emerit..... sales ipsi mancipibus addicantur". Vide etiam C. I. L. VI, 1016 = Eph. Epigr. IV, 787.

3. Venio ad id quod dixi, maxime memorabilem esse hunc lapidem propterea quod apud Frisios repertus sit. Nam ut taceam antehac in patria nostra, trans Rhenum, si exceperis Hollandiam provinciam et loca fluvio proxima, nullam unquam inscriptionem Romanam prodiisse, unde cultum Romanum in has regiones vix penetrasse cognoscas, hoc demum titulo certo comperimus qua iuris condicione Frisii aliquamdiu sub Romanorum imperio usi sint.

Piscatus vectigal locari non potest nisi ab eo, in cuius dominio sunt flumina et stagna. Horum autem dominium agrorum dominio inhaeret. Nota sunt verba legitima deditionis, apud Livium 1, 38: „Estne populus Collatinus in sua potestate?" Est. „Deditisne vos populum Collatinum, urbem, agros, *aquam*, ter-

---

legem non evertit. Everteret C. I. L. XII, 2396: C. Atisius Primus publ(icanus) XX libert(atis) p(rovinciae) G(alliae) N(arbonensis), quemadmodum dubitanter legit Hirschfeld., Bimardum secutus; quod meo quidem iudicio ferendum non est. Nec magis mihi placet quod proposuit, *Verwaltungsgesch.* I, 61 publ(ici) XX libert(atis socius), nam *socius* (sing. numero) alicuius vectigalis vix ac ne vix quidem potest dici. A Bimardo lapidem neglegenter descriptum crediderim. — At recte P. Cassius in lapide Aquileiensi, C. I. L. V, 976, „aedilis Sorae publicanus Romae", ad ordinem publicanorum pertinere se praedicat, ut in titulo Rhenano (*Rhein. Jahrb.* 1871 p. 295) C. Crispinius Cladaeus „publicanus".

1) *Socii publici XL; socii vicensimae, socii portorii* (ita C. I. L. V, 792 legendum puto pro *socii portitores*) cet. passim in lapidibus inveniuntur; *socii vectigalis* vel *vectigalium* apud Iurisconsultos. Item *conductores ferrariarum, conductor IIII publicorum Africae* (C. I. L. VIII, 997), *conductores portorii publici.*

2) Monet me Mommsen., qui in hoc titulo *manceps* et *conductor* vocentur, eos in lege metalli Vipascensis (Eph. Epigr. III, p. 165) conductorem dici et socium.

Digitized by Google

minos, delubra utensilia divina humanaque omnia in meam populi Romani dicionem?" Dedimus. „At ego recipio". Cf. Liv. 9, 9, 5. Idem Polybius 36, 2: *οἱ — διδόντες αὐτοὺς εἰς τὴν Ῥωμαίων ἐπιτροπὴν διδόασι πρῶτον μὲν χώραν τὴν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς, καὶ πόλεις τὰς ἐν ταύτῃ· ὁμοίως ποταμοὺς λιμένας ἱερὰ τάφους, συλλήβδην ὥστε πάντων εἶναι κυρίους Ῥωμαίους, αὐτοὺς δὲ τοὺς διδόντας ἁπλῶς μηκέτι μηδενός.* Itaque populus dediticius, amissa libertate, amittit etiam omnia quae in eius potestate erant. Quae res publicae illius populi erant, urbs, agri, aqua, humana divinaque omnia fiunt res publicae populi Romani. Quod confirmatur e. g. a Gaio (Inst. 2, 7): in (provinciali) solo dominium populi Romani est vel Caesaris, nos autem possessionem tantum vel usum fructum habere videmur [1]). Is populus igitur, cuius stagna et flumina a populo Romano fruenda locantur, est in dicione populi Romani, est vectigalis et stipendiarius [2]).

Videamus iam quid de condicione et statu Frisiorum scriptores Romani nobis rettulerint.

Constat Frisiorum nationem anno a. Chr. 12, Druso rem in Germania gerente, ad amicitiam populi Romani se applicuisse, Dio 54, 32. Praeter milites „modicum iis imperavit tributum ut coria boum penderent" (Tac. Ann. 4, 72). Unde eos iure fere eodem quo Batavos fuisse putes. Hi enim pars sunt imperii Romani (Tac. Germ. 29), sacramento adiguntur frequentes (Hist. 4, 14; et notissimae sunt Batavorum cohortes), queruntur tradi se praefectis centurionibusque (Tac. l. l.); iidem tamen immunes Romanis ius vectigalium exigendorum apud eos non

1) Cf. Mommsen. *Röm. Staatsrecht* 3, 731 sq.

2) Difficillima est quaestio et admodum perplexa de condicione populorum qui se imperio Romano subiecerunt: quinam vocari possint foederati, quinam liberi, quinam socii, et quo sensu haec accipienda sint. Cf. Mommsen. l. l. p. 652 sqq. et in primis p. 653: *Alle diese Beziehungen durchkreuzen sich mannigfach und nichts hat zu der auf diesem Gebiet herrschenden Begriffsverwirrung mehr beigetragen, als dass man, allerdings nach dem Vorgange der Römer, die verschiedenen Benennungen in einen Gegensatz zu einander gebracht hat, den sie an sich nicht haben und bestenfalls nur durch laxen Sprachgebrauch erhalten.* Hinc Voigt., *Das* ius naturale aequum et bonum *und* ius gentium *der Römer* 2 p. 771 n. 875 Batavos populum foederatum esse putat atque adeo p. 773 n. 879 de Frisiis haec habet: *„die Friesen aber sind lüber populus ausserhalb der Grenzen des Reiches."* Atque hoc quidem nunquam dictum oportuit.

Digitized by Google

exercentibus (cf. Mommsen. *Staatsr.* 3, 737). Rebelles facti sed iam ad pacem reclinantes recordantur sibi non tributa sed virtutem et viros indici, quod proximum sit libertati (Hist. 5, 25). Nec quicquam a Vespasiano mutatum: „manet honos et antiquae societatis insigne, nam nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit. Exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi" (Germ. 29). Non aliter Frisii fere immunes ad arma tantum vocantur. Quadraginta annos in obsequio manserunt: Tiberio demum imperante desciscunt. Frustra Apronius legatus Aug. pr. pr. exercitus Germaniae Inferioris eos opprimere conatus, ipse gravi clade affligitur (Ann. 4, 72 sqq.). Ab eo inde tempore aut infensa est natio Frisiorum aut male fida (ib. 11, 19): redacti igitur videntur sub populi Romani potestatem, sed ita redacti ut saepius rebellarint. Tandem aliquando anno 47 p. Chr. a Corbulone perdomantur: in potestatem populi Romani sese permittunt; obsides dant, considunt apud agros ab eo descriptos. Idem „senatum magistratus leges imposuit [1]) ac ne iussa exuerent praesidium immunivit" (Ann. 11, 19).

At Corbulonem Chaucos gentem finitimam adorientem Imperator Claudius praesidia cis Rhenum reducere iussit. Quod Augustus post cladem Varianam consilium ceperat imperii intra Rheni ripas continendi, comprobatum a Tiberio iam perfecit Claudius. Hic igitur quod a Romanis in Germania Inferiore trans Rhenum occupabatur missum fecit. Id quod non ita accipiendum duco ut statuamus Frisios *statim* liberos esse factos. Sed brevi post pristinam libertatem recuperasse testes sunt Tacitus (Ann. 13, 52, et Germ. c. 34 ubi Frisii inter liberas Germanorum gentes recensentur) et Plinius, qui H. N. 25, 3, 22 Frisios aetatis Augustae gentem *tum* fidam appellat. Nihilo minus tamen etiam postea Frisii sive Frisaevones merent in exercitu Romano [2]). Itaque necessario statuendum partem certe eorum sub imperio Romano remansisse. Quaeritur quaenam pars remanserit. Memorantur a Plinio l.l. 4, 15, 101 insulae Frisiorum Chaucorum Frisiavonum *in ipso Rheno*. Sed operae pretium est totum locum describere. „In Rheno autem ipso, prope $\overline{C}$ in longitudinem,

1) Vide Mommsen. *Staatsr.* 3, 722.
2) Cf. Eph. Epigr. V, 174.

Digitized by Google

nobilissima Batavorum insula et Cannenefatium et aliae Frisiorum, Chaucorum, Frisiavonum, Sturiorum, Marsaciorum quae sternuntur inter Helinium et Flevum". Quae si contuleris cum Taciti verbis Germ. 34: „maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. Utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque inmensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos," coniectura non nimis audaci colliges Frisios, quam regionem postea ab iis habitatam novimus, (provinciam hodiernam Hollandiam Septemtrionalem dico), eius partem iam tunc temporis incoluisse atque insuper insulas adiacentes, quae postea mari ingruente demersae sint. Atque hae regiones cis Rheni ostium orientale (Flevum) sitae erant pertinebantque procul dubio ad imperium Romanum. Atque etiam ulterius progrediendum est. Pars occidentalis provinciae hodiernae Frisiae, quae vocatur *Westergo*, in qua parte pagus *Beetgum* situs est, olim et ipsa insula fuisse videtur atque quodammodo, quamquam trans Flevum sita sit, ad Rheni *delta* pertinere potuit [1]). Sed etiamsi hoc minus verum sit, tamen hanc regionem transrhenanam quidem sed ad fluvii ripam adiacentem Romanae dicionis fuisse non mirandum [2]).

Quare nihil magnopere obstare videtur quo minus lapidem post Claudium positum putemus. Quod qui non admittit, is anno cuidam post „rebellionem clade Aproniana coeptam" titulum necessario adscribet. Nam si Tacito fides est habenda, ante annum 28 p. Chr. ius vectigalium exigendorum Romani apud Frisios non exercuerunt. At postea exegisse probabiliter statuemus. Hoc tamen tenendum quo tempore Frisiorum gens infensa erat, id est, rebellaverat, piscatus conductores aram vix dedicare potuisse.

Atque haec hactenus. Incerta esse quae ultimo loco dicta sunt non ignoro; sed spe destituti non sumus fore aliquando ut novo titulo reperto haec quae adhuc obscura sunt clara luce illustrentur. Hoc certum, neminem qui de rebus Frisiorum et de statu Germaniae Inferioris acturus est, hunc lapidem impune spreturum.

---

1) Cf. Pleyte *Ned. Oudheden* I, 47 sq.; oppidum *Staveren* (olim Stauria) cum Sturiis a Plinio memoratis coniungitur coniectura incerta neque tamen improbabili.

2) Cf. Mommsen. *R. G.* 5, 117.

Digitized by Google

NONNULLAE DOCTORUM BATAVORUM EPISTULAE.

Ante aliquot hebdomades ad nos perlatae sunt literae, quibus vir doctus NESTLE nos certiores faciebat, in eius urbe extare epistulas quasdam virorum philologorum, qui praecedenti saeculo in patria nostra floruerunt; qua autem est humanitate, eas quae alicuius momenti ei videbantur exoribendas curavit et observationes nonnullas de suo adiecit. Non tamen propter res quae in his epistulis tractantur sermonisve elegantiam, sed propter nomina potissimum scriptorum, eas dignas videri posse quae cum lectoribus hodiernis communicentur, probe intellexit, neque nos id fugit. Attamen spernere noluimus hasce reliquias aevi prioris, quae comiter offerebantur, et libenter igitur in nostram bibliothecam eas recepimus gratiasque agimus viro docto qui publici eas iuris fecit.

Bibliotheca Gymnasii *Ulmensis* possidet tres fasciculos epistularum, quas ineunte saeculo XVIII viri docti ad I. H. *Lederlin* miserunt, professorem Argentoratensem, a. 1701 sq. in aedibus *Wetsteinii* celebrem illam editionem *Pollucis* praeparantem, quae *Tiberii Hemsterhusii* ope Amstelodami 1706 prodiit. Epistulae ab *Hemsterhusio* ad Lederlinum datae iam dudum impressae extant, septem a. 1794 in „*Meusel's* Magazin" (p. VII, VIII) publicatae et aliis duodecim additis ab F. T. *Friedemann* iteratae in: Tib. *Hemsterhusii* Orationes et epistulae ... editio secunda multis partibus aucta. Weilburgi 1839. Etiam quae hic sequuntur epistulae haud indignae videntur, quae imprimantur.

Digitized by Google

Prima, sine inscriptione, ut ex contentis apparet, a *Graevio* ad *Wetstenium* data est, *Homeri* editionem attinens, quae a. 1707 curante Io. He. *Lederlino* et post eum Stephano *Berylero* ex officina Wetsteniana prodiit, paucissimis et exiguis paginis Homerum arctans ingentem, „ut tum domi inambulando legentibus esset utilis, tum etiam expatiantibus in solitudinem".

1.) Graevius [ad Wetstenium.]

Vir praestantissime, amice optime.

Cum *Homerum* te proelis subiecturum scribis, gaudeo; si emendetur accurate elegans erit editio. Nam characteribus illis, quibus usus es in novo Foedere tuo, nihil est nitidius. In *Iliade* poteritis sequi *editionem Cantabrigiensem anni* 1689, cum nova interpretatione Latina. Variae lectiones calci sunt addendae. Illa expressa est ad editionem omnium optimam *Henrici Stephani*, quae cum aliis poetis graecis prodiit 1566. *Odysséae* graecus contextus ex illo quoque *Stephani* exemplari est publicandus et Latina versio *Aemilii et Francisci Portii* est sequenda. Nam illa plerisque vulgatis interpretationibus est melior. Prodiit *Genevae* 1609. Sicubi haeretis, *Aldinam* potestis consulere. Nam illam non habeo. Cl. *Lederlinus* posset aliquot folia cum Stephani editione componere, ut cognoscat, num operae sit pretium Aldinam exprimere. Omnino legenda est praefatio quam Cantabrigienses Iliadi praefixerunt.

Homerum *MS. Wittianum* vidi ante octo annos, cum ex Italia rediret, et puto in illo me deprehendisse, quae novam editionem possint ornare. Litteras ad *Musium van Holy* perendie habebitis [aut cras promeridie]. Nunc eram districtissimus. Agam etiam pluribus tum de versionibus Homeri. Ceterum satis valeo, sed doleo te non firmissima uti valetudine. De *Cramero* dudum nihil audio, nisi quod Illustris. *Spanheimius* mihi significavit, se nuperius ab illo litteras tandem post longam interceptionem accepisse. *Nieurodiae* dominum lento illo morbo tandem confectum esse praestantissimus Schraderus mihi significavit. Praevit, nos sequemur, cum Deus ex hac mortali statione avocaverit. Vale et salve cum tua a nostris. Salveat quoque eximius Lederlinius, qui in Latina Homeri versione si quid rectius interpretandum repererit, tuto potest id emendare. Trai. 18 Sept. 1701.

Tui studiosissimus
GRAEVIUS.

En litteras ad Musium.

2.) Secunda et tertia est *Scherpezelii* ad Lederlinum, Homeri codicem a Graevio memoratum attingens, cum Lederlini responsione. Ut tertiam totam exhibeamus, necesse non est.

3.) Viro Eruditissimo N. Lederlino S. D. *Ioannes Scherpezelius.*

Literae Iensianae nuntiant utrumque Homeri codicem emisse Wetsteinii filium, et quamvis doleam illos mihi, qui tantum pretium non statueram, non esse addictos, gaudeo tamen in Wetsteinii manus incidisse, spemque habeo Porphyrium et alios inéditos interpretes per te, cui omnium optime hae partes mandabuntur, lucem visuros. Opera tua nunc egeo. Liber secundus typis describetur. Velim conferri textum cum manu exarato, si forte in eo variae lectiones reperiantur. Quod si mihi brevi curare possis, gratissimum mihi facies factoque scias te apud hominem non immemorem

Digitized by Google

beneficium collocasse. Non puto Wetsteinium, cui nihil poterit officere, hoc negaturum. Pollux mihi vehementer placet, nihilque adhuc inveni quod offenderet. An is manu te retinuit, quo minus ad nos excurreres. Fac, quaeso, quamprimum te videam. Brantio, viro disertissimo, per filium meo nomine salutem dicito plurimam. Vale, vir praestantissime, et me amare perge.

Harderovici Gelrorum D. X Novembr. CIƆIƆCCI.

Ad quae Lederlinus:

Accepi literas tuas gratissimas, sed tristor petito tuo me satisfacere non posse Accepi codices a Wetsteinio emtos et in *Iliade* nullas variantes deprehendi, neque magni illum codicem aestimo; maioris facienda est *Odyssea* et spero me deprehendisse, quae editionem novam ornare possint. Dubito tamen an Wetsteinius passurus sit, ut illa tecum communicem; quoniam brevi et ipse novam editionem in publicum me adiuvante editurus est.

3.) Ex epistola eiusdem Scherpezeelii [sic hîc nomen suum scripsit] d. 9 Sept. 1702.

Homerum nostrum hisce diebus emendabam (sed an emendavērim an vero corruperim, tuum esto iudicium.) Versus est Odyss. ι, 291

τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλήσσατο δόρπον.

διὰ cum ταμὼν iungi debet, figura Homero frequentissima. Lego

τοὺς δὲ διὰ μελεϊστὶ ταμὼν ὡπλήσσατο δόρπον.

ita quoque videtur legisse brevis Scholiasta.

Et hinc forte corrupta vox διαμελεϊστί non exponitur ab Hesychio, quod illam non repererit apud scholiographum, quem ceteroquin diligenter exscripsit. Vide MS. tuum codicem [1]).

4.) Litterae commendatoriae ab I. G. *Graevio*, ut videtur, ad Argentoratensem quendam datae.

(apographum non autographum).

Amsterodami est Civis vester Lederlinus, quem Ego amo et magnifacio propter singularem Eruditionem, et exquisitam graecae linguae peritiam. Illustris. *Obrechtus* ὁ μακαρίτης *Wetstenio* Bibliopolae Amsterodamensi hoc ab Obrechto petenti permisit, ut Lederlini uteretur opera in edendo *Polluce* cum notis vestri *Kuhnii*, et nostri communis Popularis *Jungermanni*, nec non Henrici *Valesii* ac Claudii *Salmasii* Emendationibus. In quo opere magna cum industriae et ingenii laude sic versatus est, ut tantum profligatum in illo sit, ut iam quinque libri sint typis descripti, et quingentae septendecim paginae in folio nitidissime. Audio ei aut destinatam aut decretam esse vacuam beati *Kuhnii* Cathedram in Academiâ vestrâ. quod valde laetor in tantâ talium virorum, qui graecam litteraturam excoluerunt solide, orbitate; digniorem, crede mihi, adlegere in Nobilissimum vestrum Collegium non potestis, et qui melius hanc spartam ornaturus sit non poteritis reperire, quod mihi multis constat argumentis. Tu ergo pro tuo in optimas artes prolixo studio operam quaeso da, ne absenti forte alius, Patrono praesertim illius *Obrechto* mortuo, praeferatur, aut locus hic per ambitionem ab alio occupetur. Id si tuâ gratiâ et auctoritate perfeceris, tam egregie sane, ut magis non possis, de Academiâ vestrâ mereberis, ut posteri quoque, qui his artibus capiuntur, tibi gratias sint acturi. Ubi tamen praeficietur huic Provinciae, vide ut

1) *Berglerus* emendationem in editionem Wetstenianam non recepit.

Digitized by Google

Digitized by Google